SCRUTINIUM DOCTRINARUM QUALIFICANDIS ASSERTIONIBUS, THESIBUS, ...

Giovanni Antonio : da Palermo



5 — 48

SCRUTINIUM DOCTRINARUM.

SCRUTINIUM DOCTRINARUM

Qualificandis Assertionibus, Thesibus, atque Libris

CONDUCENTIUM,

Exemplis Propositionum à Conciliis Oecumenicis, vel ab Apostolica Sede reprobatarum

DITATUM,

Ac plerisque miscellaneis Resolutionibus Dogmatico-Moralibus ad uberiorem Censurarum Theologicarum notitiam collimantibus



REFERTUM

Unigeniti Dei Patris in Terris Vicarii, Sanctique Petri Vocis Interpretis

CLEMENTIS XI. P. O. M.

Post humillima Sanctorum Pedum oscula Irreformabili Apostolatus judicio Emendandum oblatum.

F. Jo. Antonio de Panormo Ord. FF. Minorum Obs.





ROMÆ, Typis, & sumptibus Rochi Bernabò; Anno MDCCIX.

SUPERIORUM PERMISSU.

Beatiſsime Pater.

*OCTRINARUM Scrutinium, quibus, in Fidei Catholicæ munimen methodus præſcribitur, falſa nedùm Hæreticorum dogmata ei penitus repugnantia.,*

ſed

ſed & quælibet Doctorum auribus prurientium aſſerta, quæ puritatis ejuſdem nitorem obnubilant, à Romano Orthodoxorum Cætu pro viribus propulſandi, editurus in lucem, ad Beatiſſimos SANCTITATIS VESTRÆ pedes unà mecum illud advoluere minimè reformido. Neque enim Excelſi Throni Majeſtas, Supremæque in terris Dignitatis Faſtigium me terrent, quin potiùs non parùm alliciunt, dum nullum majus obſequii argumentum præbere valeam, quo Apoſtolicam Authoritatem in SANCTITATE VESTRA indefectibiliter emicantem, eà, qua par eſt, reverentia, demiſsè profitear, quàm, quòd proprii ingenioli exile quantumvìs, ac impolitum opus SANCTITATI VESTRÆ devinciam; haud equidem, ut ob innumera, quibus cumulatus ſum, beneficia, munus, in obſequentem qualiſcumque perexiguæ gratitudinis teſſeram, offerre pertentem, quippè qui in ei nibil prorsùs agnoſco, quod eſſe queat tant. PRINCIPIS dignum obtutibus; ſed u ab Oecumenico Orbis Terrarum [a] *MAGISTRO, per quem* Beatus Petrus in propri Sede, & vivit, & præſidet, ac [b] præſtat qua

rentibus

[a] S. Jo. Chryſ.to. 7. hom. 49. de Petro, & Elia fol. 852. C. edit. Pariſienſis.

[b] S. Petrus Chryſologus ad Euthichet. in Biblio-

rentibus Fidei veritatem, *Correctionis impetrem gratiam, quam olim Augustinus peroptans, responsa, contra duas Pelagianorum epistolas, ad BONIFACIUM, Romanæ tunc Cathedræ Moderatorem, direxit,* non tàm discenda, quàm examinanda, & ubi forsitan [c] aliquid displicuerit, emendanda, *constituens. Acri namque reprehensione dignus propemodùm habendus essem, si regulas, quibus Censores secernere satagunt pretiosum à vili, ex professo exhibiturus, à venenosis fæcibus eas depurari negligerem, me sic à prophetica maledictione reddens immunem:* [d] Væ his, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. *Qua ratione ductus Anastasius Bibliothecarius* [e] *NICOLAUM Pontificem alloquens, fas non esse, jure merito, asseruit:* Ut absque Vicario Dei, absque Clavigero Cœli, absque Curru, & Auriga spiritualis Israelis, absque Universitatis Pontifice, absque Unico Papa, absque singulari Pastore, absque speciali Patre, absque Te Omnium Arbitro, aliquid consummetur, aut divulgetur. Tu enim tenes Claves David, Tu accepisti Claves Scientiæ,

bliotheca Vet. PP.to.5.par.2. pag.789. edit. Colonienf.

c S. Aug. lib. 1. cont. duas Pelagianor. epistolas c.1. fol. 186. D. edit. Parisien.

d Isaiæ cap.5. v. 20.

e Anast. Bibl. in præf. ad vit. S. Jo. Eleem. to.2. Bollan. in acta Sanctorum fol. 498. nu.2. edit. Antuerp.

in

in Arca quippè Pectoris Tui Tabulæ Testamenti, & Manna cœlestis saporis requiescunt. Tu enim quod ligas, nemo solvit; quod solvis, nemo ligat. Qui aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit. Vicem namque in Terris possides Dei. *Excipe igitur PATER BEATISSIME humillimas, quas fundo, preces, rudem inopis meæ mentis fœtum ad Vestræ Discretionis examen libentissimè referens, ut omnia, singulaque, quæ in eo sunt scripta, vel probentur, vel resecentur, vel expurgentur, vel expungantur. Unicum hoc est, quod ardentissimè exposco, Unicum, quod à Paterna SANCTITATIS VESTRÆ CLEMENTIA obtinere confido, ut propterea venia sim donandus, si pro eo supplicationes iterem, à Sancto Antistite Anselmo*[f] *mutuans verba:* Quoniam Divina Providentia *VESTRAM elegit SANCTITATEM*, cui & vitam, & Fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra Catholicam Fidem oritur in Ecclesia, ut ejus authoritate corrigatur; nec ulli alii tutiùs, si quid contra errorem respondetur, osten-

f S. Anselmus lib. de Inc. Verb. cap. 1. pag. 41. litt. A. edit. Colonien.

oſtenditur, ut ejus prudentia examinetur. Quapropter ſicuti nulli digniùs poſſum, ita nulli libentiùs *præſens Opuſculum*, quàm VESTRÆ deſtino SAPIENTIÆ, quatenùs ſi quid in eo corrigendum eſt, Veſtra cenſura caſtigetur, & quod regulam veritatis tenet, VESTRA AUTHORITATE roboretur. ***SANCTITATEM VESTRAM** in Fidei tutelam, in Eccleſiaſticæ Diſciplinæ cuſtodiam, in bonarum Artium patrocinium, in Eccleſiæ incrementum Altiſſimus diutiſſimè ſervet.*

S. V.

Addictiſſimus Famulus
Fr. Jo. Antonius de Panormo.

b PON-



PONTIFICIIS CENSORIBUS AUTHOR.

SOLOS Vos alloquor Præstantissimi, ac Sapientissimi Viri, de Vestro præclarissimi Muneris exercitio in hoc *Doctrinarum Scrutinio* pertractaturus. Non eo propemodùm animo, ut Regulas in eo exponam, quibus instruendos Vos autumem ad illud, ea, qua par est, diligentia obeundum. Temeritatis profectò in ipsomet qualiscumque laboris Opusculi vestibulo redarguendus viderer, ac in APOSTOLICAM ipsam SEDEM injuriæ, si, quos ipsa veluti Catholici Orbis selegit Theologos, suspicarer, vel leviter, rudi, ac imperita mea Minerva indigentes, ut absque ullius erroris discrimine, *periculosum* exequantur officium, quale meritissimè, *epist.61.* dixit Hieronymus, *de alterius animo judicare, & singulorum dictorum, atque verborum investigare, atque proferre rationem.*

Vos itaque alloquor; sed, ut Cæteri in primis addiscant, quibus Vos regulis dirigi perpetuò expertus fuerim in proferenda de ingeniorum fœtibus sententia; indeque deducant, non nisi ex tenebris inferni ortum duxisse nequissimum illud: *Aliqui per fumos* AUTHORITATIS PONTIFICIAE *sibi tyrannidem usurpant in omnes, nihilque eis non licet impunè*; quod, cùm impius protulerit Erasmus *Apolog.cont. Stunicam sub init.* ipsimet Diabolo tri-

bui debet, cujus unà cum reliquis ROMANAE FIDEI hostibus inscriptus est *Organum* ab Irenæo (*lib.5. cap.26.*) *Instrumentum* à Clemente Papa. (*6. Const. cap.10.*) *Progenies* à Basilio (*epist. 141.*) ac *Diabolus* ab Epiphanio *hæresi 69.* ob diabolicam, quam sapit, malignitatem, qua criminari Mortales amat, & *accusare invidiæ stimulis agitatus*, ut de Diabolo *quæst.49. in Num.46.* testatus est Augustinus.

Vos alloquor, sed & ut alii, qui Vestro inclyto Cætui cooptari peroptant, sciant, quibus dotibus præfulgere Pontificii Censores debeant, quantaque animi moderatione, judiciique maturitate pollere, ut digni habeantur, qui ROMANAE CATHEDRAE inserviant, cui alioquin *tolerabilius esset nullos habere, quàm tales pati*, ut scripsit *to.1. tract. de exam. doctr. p.2. consid.5.* Gerson, postquàm CURIAE APOSTOLICAE Theologos esse optandos asseruit: *Non partiales, non seductos, non fastuosos, non quæstuosos, aut invidos, non potestati sæculari, non spirituali, plùs quàm veritati faventes.*

Vos denique alloquor, ne superbiæ vel ab imperitis adscribi valeat, quòd à SUPREMO CHRISTI VICARIO operis emendationem expostulem, ac si quoslibet alios Correctores dedigner, præter Unam VERITATIS MAGISTRAM, ECCLESIAM ROMANAM, cujus *doctrina, & regimine*, ut perbellè Godefridus Viterbiensis (*in præf. hist. ad Urb. III.*) *universæ Orbis Ecclesiæ adornantur, & ab ea, tanquam à fonte justitiæ totius sapientiæ regulis instruuntur, quia nullum scripturarum elogium, nisi ab ejus sapientiæ fluminibus sitientibus propinetur.*

Ultimatum planè, finale, & irreformabile fidei, morumque judicium, soli PETRO ab Unigenito Patris commissum, ad sanguinis effusionem, profiteor, ac idcircò ab eo illud imploro, quem CLEMENTEM nomine, potestate PETRUM, obsequentissimè veneror. Non ideò tamen inferiorum vota Doctorum despicio, eorumque

potis-

potissimùm, quos ipsemet ROMANUS PONTIFEX, in promendis, E CATHEDRA, definitionibus, ab omnium Fidelium Cœtu, fide excipiendis divina, prævios Consiliarios adhibet, sed servata proportione, ex corde complector, ac enixè peropto, à Mediolanensis Ecclesiæ Antistite edoctus, qui *epist.* 78. in omnibus difficultatibus consulendum ROMANUM PONTIFICEM tradens, ejusque responsa, quanto haberi deberent in pretio ostendens: *Ut nos quoque accepta nostrorum serie statutorum cùm id gestum esse cognoverimus, quod* ECCLESIA ROMANA *haud dubiè comprobaverit, læti fructum hujusmodi examinis adipiscamur*; adhuc nihilominùs labores suos, Sabino Præsuli Laudensi, recognoscendos obtulit. Cui proindè gratias agens de habita aliquorum revisione, alios in eumdem finem transmisit: *Remisisti mihi libellos, quos tuo judicio probatiores habeo. Idèò misi alios, non judicii favore delectatus, sed promissa à Te, & petita à me veritate illectus.* Hoc tamen discrimine, ut quod in eximio Catholicæ Ecclesiæ Doctore fuit egregiæ humilitatis specimen, in Me, sinceræ, quam teneo de propria imperitia, cognitioni unicè sit adscribendum.

Preces itaque meas, benigno favore, Vestrum sit prosequi, insignes APOSTOLICI THRONI Consiliarii, odiique sinistram, ac amoris dexteram nescientes, quod in hoc opere à Veritate declinat ostendite, ut sic & SANCTISSIMUS ECCLESIAE PASTOR saluti ovium suarum providens, superflua resecet, hiantia suppleat, deleat universa: & Ipse Veritatis, cui allaborare satago, certior effectus, [illegible] studia mea collimant, consecu- [illegible] publici juris *Scrutinium* [illegible] *deat* (Blesensis *epist.* 77. [illegible] *quod inducat* [illegible] *non ædificet* [illegible].

Approbatio Ordinis.

EX commissione *Reverendissimi Patris Cœlestini à Mediolano Ordinis Minorum Regularis Observantiæ S.P.N. Francisci Lectoris Jubilati, in hac Cismontana Familia ejusdem Ordinis V. Commissarii Generalis, Observantium, & Reformatorum Discreti perpetui*, legi, & relegi attentiùs cum ingenti semper animi oblectatione, singularique voluptate, opus, cui titulus est *Scrutinium Doctrinarum* &c. Authore Reverendiss. P. Joanne Antonio de Panormo antedicti Ordinis Lectore Jubilato Ara-Cœlitano, universæ Familiæ Observantium, Reformatorum, & Discalceatorum ex-Commissario Generali, Sacrarum Congregationum Indicis, ac Sacrorum Rituum Consultore, nec non Sanctæ, & Universalis Inquisitionis Qualificatore, cum quo non raró desuper contuli ad meam equidem non exiguam ædificationem,
Soph. 1. v. 17. & ut opere dicam quod sentio, Illud *Scrutatur Jerusalem in Lucernis*, Concilia scilicet Oecumenica, Constitutiones Pontificias, celebrium Authorum, præsertim verò Sanctorum Patrum monumenta laboriosè lustrat, Theologicas Censuras in unum redactas solidè discutit, exemplis, ac rationibus eruditè explanat, atque earundem mutua comparatione, rigore scholastico ubivis observato, castigatè examinat. In eo nihil offendi Orthodoxæ Fidei, aut bonorum morum regulis dissonum, nihilve contrarium, quin & in utriusque firmius, securiusque munimen, ac non vulgare præsidium quemadmodum insignium lucubrationum si opus unicus expressè collimat, ita sanè id totum cum effectu nervosè præstat. Quapropter prælo, & luce publica dignissimum censeo, eo quòd sit perutile unicuique Theologo, maximè quidem Scripturali, Morali, Polemico, ac Scholastico, non modo quia noscuntur ejusmodi studia toti rei literariæ futura ornamento, & signanter utilia pro Censuris theologicis fundatè, venusteque formandis, verum etiam quia
S. Aug. ad Bonifac. de Correct. Donatistar. *cogunt multas invenire medicinas multorum experimenta morborum.* Datum Romæ in Collegio S. Isidori PP. Min. Hibernorum Strict. Observantiæ 12. Novembris anni 1707.

Fr. Bonaventura de Burgo Lector Jubilatus Chronologus Generalis Ordinis, ac Eminentiss. D. Cardinalis Imperialis Theologus.

Altera Approbatio Ordinis.

JUſſu Reverendiſſ. Patris Cœleſtini à Mediolano Ord. Minor. Regularis Obſervantiæ S. P. N. Franciſci Lectoris Jubilati, in hac Ciſmontana Familia ejuſdem Ordinis V. Commiſſarii Generalis, Obſervantium, & Reformatorum Diſcreti perpetui &c. ſumma animi voluptate perlegi opus inſcriptum *Scrutinium Doctrinarum* &c. Authore Reverendiſſimo P. Joanne Antonio de Panormo Lectore Jubilato ejuſdem Ciſmontanæ Familiæ tam Obſervantium, quàm Reformatorum ex-Commiſſario Generali, Sacrarum Congregationum Indicis, & Sacrorum Rituum Conſultore, necnon Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificatore. Cumque in eo nihil invenerim Orthodoxæ Fidei, & bonis moribus diſſonum, nihilque à veritate devium, imo omnia Reipublicæ Eccleſiaſtico-Literariæ valde utilia: Idcircò publica luce permaximè dignum cenſeo, ſalvo infallibili Eccleſiæ Catholicæ judicio, cui me, & hanc meam Cenſuram ſubjicio. Datis Romæ ex Ara-Cœli die 26. Februarii anni 1707.

Fr. Laurentius à S. Laurentio Lector Jubilatus, ex-Miniſter Provincialis, Sacr. Congregationis Indicis Conſultor, & S. Rom., & Univerſalis Inquiſitionis Qualificator.

Facul-

Facultas Ordinis.

FR. COELESTINUS DE MEDIOLANO

Ordinis Minorum Regularis Observantiæ S.P.N.Francisci Lector Jubilatus, in hac Cismontana Familia ejusdem Ordinis V.Commissarius generalis: Observantium, Reformatorum, & Discalceatorum Discretus perpetuus, & Servus, Dilectissimo Nobis Reverendissimo Patri Joanni Antonio de Panormo ejusdem Ordinis Lectori Jubilato Ara-Cœlitano, universæ Familiæ Observantium Reformatorum, & Discalceatorum ex-Commissario Generali Sacrarum Congregationum Indicis, & Sacrorum Rituum Consultori, nec non Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Qualificatori salutem, & Pacem in Domino sempiternam.

OPus, cujus titulus est: *Scrutinium Doctrinarum* &c. à Te maximo studio, & ingenii acumine elaboratum, & à duobus PP. Theologis nostræ Religionis de Commissione nostra revisum, & approbatum; ut spes justè concepta, Theologis pergratum, & proficuum futurum esse, adimpleatur: vigore præsentium Typis mandandi facultatem opportunam impertimur, servatis in reliquo servandis, quæ pro editione librorum per Sac. Concil. Decreta &c. sancita sunt. Datis Romæ ex Ara-Cœli die 19. Novembris 1007.

Fr. Cœlestinus V. Commissarius generalis.

De mandato suæ Paternitatis Reverendissimæ

Fr. Joseph de Monte Jano Secretarius Generalis &c.

Impri-

Imprimatur.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Apostolici Palatii.

D. de Zaulis Episcopus Verulanus Vicesgerens.



Approbatio extra Ordinem.

LIbrum, cui titulus. *Scrutinium Doctrinarum* &c., Auctore Reverendissimo Patre Joanne Antonio de Panormo, Ordinis Minorum de Observantia S. Patris Francisci Lectore Jubilato Aracœlitano, Universæ Familiæ Cismontanæ Observantium, Reformatorum, ac Discalceatorum, Ex-Commissario Generali, Sacrarum Congregationum Indicis, & Sacrorum Rituum Consultore, nec non S.Rom.& Universalis Inquisitionis Qualificatore, jussu Reverendissimi Patris Paulini Bernardinii Sac. Apostolici Palatii Magistri, legi, nec quidquam in eo, aut Orthodoxæ fidei, aut bonis moribus dissonum offendi; quinimmo eundem libenti animo excepturos opinor eos Theologos, qui ad zizania perversæ, noxiæque doctrinæ, ex agro Domini evellenda, in Sacris Congregationibus Indicis, & Sanctissimæ Inquisitionis Romanæ, Catholicæque Ecclesiæ operam locant suam. Plura enim, quæ alii Authores, in hoc argumentum, brevi, levique manu tractavere; plura, quæ ab illis prætermissa sunt, hic diffuso satis calamo, acri, severoque discussa examine Lectori occurrent. Authoris nomen satis opus commendat suum: nec aliena indiget laude ille, quem Roma multos per annos audivit, probavitque. Romæ in Conventu S. Mariæ in Via.

F. Antonius Maria Castelli Mantuanus, Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, S. Theologiæ Magister, & S. Romanæ ac Universalis Inquisitionis Qualificator.

Altera Approbatio extra Ordinem.

PUBLICA, in palestræ literariæ utilitatem, & commodum, donatur luce *Scrutinium Doctrinarum, Qualificandis Assertionibus, Thesibus, atque Libris conducentium, Exemplis Propositionum à Conciliis Oecumenicis, vel ab Apostolica Sede reprobatarum ditatum, ac plerisque miscellaneis Resolutionibus Dogmatico-Moralibus ad uberiorem Censurarum Theologicarum notitiam collimantibus refertum*, ac eatenùs (ut Hugonis Victorini *lib.3. Didasc.* verba mutuem) *quasi de multis coloribus, & formis unam picturam* exprimens. Cujus revisionis, semel, & iterum sum dignatus honore, primùm quidem ipsomet sapientissimo Authore impellente in heroicæ, qua pollet, humilitatis specimen, rectique ingenii texeram, Plinio *lib.4. ep.7. ad Lepidum* testante, quòd *recta ingenia debilitat verecundia, perversa confirmat audacia*: Dein verò Reverendiss. P. Paulino Bernardinio Ordinis Prædicatorum S.A.P. Magistro annuente, ad sui, me Judice, præclarissimi muneris adimplementum, non ad ullum Operi conciliandum firmitatis, aut encomii, vel minimum gradum. Quod fœtus cum sit Viri in Urbe ac Orbe notissimi, Reverendissimi, videlicet, P. Antonii Sessa, & Sidoti, Concivis mei, conspicuis Muniis, Titulisque insigniti, Lectoris Jubilati Ara-Cœlitani, Universæ Cismontanæ Observantium, Reformatorum, ac Discalceatorum Familiæ Ex-Commissarii generalis, Sacrar. Congregationum Indicis, & Rituum Consultoris, Sanctæque Romanæ ac Universalis Inquisitionis Qualificatoris, sicut externo non eget Commendatore, ita & nulla de eo concipi valet laus, quam, non comprehendat solummodò, sed & longè superet, quæ ex celeberrimo tanti Scriptoris Nomine emicat approbatio. Romæ è Siculo Collegio S. Pauli ad Arenulam die 12. Novembris 1708.

Fr. Bonaventura Sant'Elia à Panormo Tertii Ordinis S. Francisci Ex-Procurator, ac Regens generalis, Sacræ Congregationis Indicis Consultor, Sanctæque Romanæ, & Universalis Inquisitionis Qualificator.



Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatii Magister.

IN-

INDEX

Capitum, & Articulorum unà cum summaria Selectiorum insinuatione, quæ in eis pertractantur, ordine servato numerorum, seu paragraphorum, quibus Articuli componuntur.

CAPUT PRIMUM.

De Qualificatione, & Censuratione.

Index

CAPUT SECUNDUM.

De Propositione hæretica generaliter sumpta.

ART. I. *Quænam sit ratio formalis constitutiva Propositionis hæreticæ?* pag. 32

Non distinguitur hæresis à propositione hæretica. *num.* 1. ex dicendis *art.* 5. Vbi quòd pertineat ad secundam intellectus operationem, sivè consideretur formaliter pro assensu, qui doctrinæ præbetur, oppositæ Fidei; sivè objectivè pro doctrina ipsa, quæ est objectum assensus *num.* 2. & 3. Primæ autem operationi potest quidem competere hæresis objectiva, quatenùs apta sui natura sit terminare secundam *num.* 4. Tertiæ verò per quandam analogicam proportionem *nu* 4. & 16. Constituitur hæresis per oppositionem directam, & immediatam, cum doctrina fidei divinæ à *num.* 6. *ad* 10. Diluuntur objecta à *num.* 10. *ad finem*. Vbi quomodò hæresis dicatur electio? *num.* 11. 12. Quomodò Fides nostra dici queat Secta? *num.* 13. 14. An sit necessaria ad hæresim oppositio cum Veritate Catholica, quam omnes credere debent? à *num.* 18. *ad* 20. An sine baptismo saltem fluminis, quis ob oculos Dei dici queat hæreticus, & in foro Ecclesiæ sine baptismo fluminis? *num.* 20. ex dicendis *cap.* 4. *art.* 1. 2. 3. Quo sensu Simonia vocetur hæresis? *num.* 21. 22. Quoque, ut hæretici puniuntur, qui in aliqua cæremonia judaica, aut ritu Saracenorum deprehenduntur *num.* 23. 24. In quo, & *præc. num.* 20. nonnihil de protestatione, quæ non semper excusat ab hæresis suspicione; Et de ea vide *cap.* 3. *art* 5. *num.* 8. *art* 19. *num.* 6. & *cap.* 7. *art.* 12. *num* 25.

ART. II. *Quale delictum det suspicionem hæresis in Operante?* pag. 37

Suspicio hæresis, vel ex verbis, de qua *cap.* 6. *art.* 1. 2. vel ex factis colligitur *num.* 1. Cujus generis ea, Aliqui dicunt esse, quæ non ab omnibus, tàm Catholicis, quàm Hæreticis, ac Judæis, & Gentilibus reprobantur, ut illicita, sed à quibusdam licita astruuntur *num.* 2. Sed parùm solidè *num.* 3. 4. 5. 6. Nisi saltem talia ea sint, quæ ab aliqua Secta ad præsens vigente in speciale Catholicæ Religionis odium, ac spretum commendentur, & approbentur *num.* 7. Alii ea crimina sustinent ingerere suspicionem, quorum objecta nec naturam impellunt, nec quis in ea fomitis propensione prolabitur à *num.* 8. *ad* 11. Quod verum admittitur cum aliquali restrictione corroborata exemplo sollicitationis in Confessione, quæ præviè ad Pontificias de ea editas Constitutiones erat sui natura inductiva suspicionis *num.* 12 13. An autem suspecti de hæresi habendi, qui Pœnitentes ad alia crimina sollicitant; quique sollicitant ad venerea in aliis Sacramentis administrandis? utrumque probabile à *num.* 14. *ad finem*.

ART. III. *Quanta pravitatis gravitate Subjectum, cui inest, inficiat hæretica propositio?* pag. 41.

Procedit quæstio non de gravitate malitiæ formalis, quæ major residet in odio Dei, sed de gravitate in tota sua latitudine accepta, *num.* 1. Quæ major est in hæresi, utpotè quæ Subjectum privat omnibus supernaturalibus habitibus à *num.* 2. *ad* 15. Vbi quòd peccatum quodlibet lethale excludat habitum charitatis contra Bajum, non tamen habitum fidei ex propositione 12. inter damnatas ab Alexandro VIII. & ex Tridentino, *num.* 3 Quodque hæresis difficiliùs curetur, quàm reliqua *num.* 15. Diluuntur objecta à *num.* 16. *ad* 28. in quorum solutione explicatur Apostolus 1. ad Cor. 13. *num.* 17. Quòd non omnia Infidelium opera sint peccata *num.* 20. 21. (De quo infra *cap.* 7. *art.* 7. *nu.* 6.) Quòd hæresis sit gravior schismate, licèt hoc graviùs sit in sacris literis punitum à *num.* 25. *ad* 28. An autem hæresis destruat fidei habitum physicè, vel moraliter? Hoc posterius, ut probabilius eligitur, quamvis oppositum sit probabile à *num.* 28. *ad* 30. Non tamen probabile est, quòd non destruatur habitus prædictus contra Durandum *num.* 31. 32.

ART. IV. *Quomodò explicata hæresis pravitatis gravitas cohæreat cum Apostoli sententia:* Oportet, & hæreses esse? pag. 47

Explicatur Tò *oportet* in dicto textu, qui intelligendus, non absolutè, & simpliciter, sed secundùm quid, & relatè ad Operantem, vel ad Fidelium Cœtum *num.* 1. 2. Expenduntur bona, quę occasione lapsus in hæresim multoties in Operantem resultant à *num.* 3 *ad* 7 Modusque facilior traditur, quo permissio peccatorum esse queat prædestinationis effectus à *num* 7. *ad* 10. Recensentur utilitates, quas ex hæresibus eruit Ecclesiæ Cœtus à *num.* 11. *ad* 15. Altera traditur explicatio ejusdem textus, non erroribus in fide, sed animorum dissentienibus adaptati *num.* 16. 17. Qui etiam juxta priorem accipi potest cumulativè, non privativè *num.* 18.

ART. V. *An denominatio hæreticæ in propositione involvat necessariò respectum ad Proferentem?* pag. 51

Indicantur varii respectus propositionis hæreticæ, & de quo quæstio procedit? à *num.* 1. *ad* 4. Opinio sustinens non dicendam propositionem hæreticam, quæ non supponit pertinaciam in Proferente *num.* 5. Rejicitur, & impugnatur à *num.* 6. *ad* 11. Diluuntur objecta à *num.* 12. *ad finem*, nisi sermo sit de hæresi, quæ habeat denominare Proferentem formaliter hæreticum *nu.* 16. relatè ad *cap.* 4. *art.* 8. Confirmatur identitas hæresis, & propositionis hæreticæ *n.* 13. 14. de qua *art.* 2. *n.* 1. Ejusque distinctio à propositione Judaica, Athea &c. materialis ostenditur *num.* 19. & 20. Ab hæresi valet illatio, qua Proferens denominetur saltem materialiter hæreticus *num.* 21. Quænam sint conditiones, ut Proferens sit capax dictæ denominationis, ac etiam formalis? *num.* 21. remissivè ad *cap.* 4. *art.* 1. & 4.

ART. VI. *An duæ propositiones logicè oppositæ possint simul esse de fide, vel simul hæreticæ?* pag. 54.

Indicantur propositionum oppositiones, & exponitur quæstio à *num.* 1 *ad* 3. Firmatur, duas propositiones logicè oppositas, exceptis contradictoriis, posse simul esse de fide, vel hæreticas à *num.* 4. *ad* 10. Diluuntur objecta à *num.* 11. *ad finem*. Ac regulæ insinuantur dignoscendi è propositionibus oppositis quænam de fide haberi debeat, quænam hæretica? *num.* 20. 21.

ART. VII. *Qualis sit oppositio inter propositionem fidei supernaturalem, & hæreticam, quà tales tùm objectivè, tùm subjectivè consideratas?* pag. 58

Exponitur titulus à *num.* 1. *ad* 4. An detur fides naturalis Divina, & per quid à supernaturali distingui debeat? à *num.* 5. *ad* 7. Fidei certitudo major asseritur qualibet scientifica, contra Durandum *num.* 8. Innuitur falsitas propositionis 21. ex damnatis ab Innocentio XI. *num.* 9 (de qua etiam *cap.* 3. *art.* 21. *num.* 1.) Stabilitur summa omnium oppositio inter propositionem Fidei, & hæreticam à *num.* 10. *ad* 12. Diluuntur argumenta Durandi contra certitudinem fidei à *num.* 13. *ad* 20. Vbi quòd prima principia, ex quibus Fides pendet, non debeant necessariò credi fide divina à *num.* 16. *ad* 19. In quo ratio insinuatur damnationis propositionis 19. ex damnatis à laudato Pontifice. Solvitur argumentum ex oppositione inter propositionem, de cujus veritate constat per visionem beatificam, & ei repugnantem à *num.* 21. *ad finem*.

ART.

ART.

ART.

Capitum, & Articulorum.

Capitum, & Articulorum.

CAPUT QUARTUM.

De Subjecto propositionis Hæreticæ.

CAPUT QUINTUM.

De Specificativo propositionis Erroneæ.

Capitum, & Articulorum.

CAPUT SEXTUM,

Varios censurarum gradus complectens, quibus pleræque notari solent propositiones Fidei, ac Religioni adversantes.

ART. I. *An Propositio suspecta de hæresi, ac sapiens hæresim ad invicem specificè distinguantur? ubi de utriusque ab erronea, & hæresi proxima propositione, discrimine,* pag. 335.

Diversę circa hanc quęstionem exponuntur opiniones à *n.* 1. *ad* 5. Propugnatur identitas sapientis hęresim, & suspectę de hæresi, ac distinctio sapientis hęresim, & erroneæ *n.* 6. 7. 8. Traditur diversitas inter pręsumptionem, & suspicionem hęresis *num.* 9. Turrecrematæ definitio suspectę de hęresi, exemplumque, quo utitur, expenduntur *num.* 10. Rejicitur ex notatis *cap.* 5. *art.* 2. *num.* 9. *art.* 3. *num.* 10. Limitatio Suarii, Lugique opinio refertur circa propositionem hæresi, aut errori proximam *num.* 11. Cardinalis ejusdem monita pro dicta opinione, & an gravior habenda sit, erroneitatis, quam sit censura proximę hęresi? *num.* 12. Proximæ hæresi quidditas desumenda ex Theologorum extrinseca authoritate, ac ab erroneitate est distinguenda *num.* 13. Vt propositio sit proxima errori, non satis est, quòd contradicat conclusioni probabiliter ex fidei principiis erutę *nu.* 14. Idque, etiamsi dicta probabilitas afficiat illationis evidentiam *ibid.* & *num.* 15. 16. In quo rejicitur explicatio Cardinalis de Lugo de notoriè hæreticis relatè ad *cap.* 5. *art.* 2. *num.* 7. 8 9. Exprimitur Theologorum authoritas sufficiens ad constituendam propositionem hæresi proximam *num.* 17. Triplex distinguitur certitudinis gradus, & quinam requiratur ad hæresi proximam? *num.* 18. Alia proponitur explicatio proximę hęresi, per hoc, quòd aliqua propositio sit diffinibilis ut hæretica *num.* 19. Eruitur distinctio proximę hęresi ab hæresim sapiente *num.* 20. An quandoque esse queat proxima hæresi, vel errori propositio, quę talis à Doctoribus nominari non soleat? *num.* 21. Duplex innuitur definibilitas, virtualis, & formalis, ex qua inferri queat hęresi proxima propositio *num.* 22.

ART. II. *An & quomodo propositio hæresim sapiens, seu suspecta de hæresi constituatur per sensus, quem continet, duplicitatem, catholici, videlicet, & hæretici?* pag. 344.

Affirmativa sustinetur resolutio, & Antonii Saura incohęrentia indicatur *num.* 1. 2. Quòd propositio suspecta de hæresi ex solis circumstantiis habeat reddi talis, non verò ex ipsius significato, improbatur *ibid.* Non sufficit ad hęresis suspicionem, quòd proprius sensus sit hæreticus, improprius ex pia quadam interpretatione ortus catholicus, ex Piana Bulla in Bajum, & ex Concilio Basileensi *num.* 3. Canus respuitur, asserens posse propositionem sapere hæresim, quamvis sit incapax sensus Catholici, & exemplum, quod affert, discutitur *num.* 4. 5. Duplicitas sensus requisita ad sapientem hęresim exscribitur ex Cano *num.* 6. Duæ difficultates in contrarium moventur *num.* 7. 8. Quid revera sit sentiendum circa dictam duplicitatem sensus aperitur, ac pleraque conciliantur variis locis ex Piana præcipuè in Bajum Bulla, insinuata, quæ aliquam præ se ferre videntur incohęrentiam à *num* 9 *ad finem*. Vbi de propositione *Christus est creatura* movetur sermo, pręsertim ex Doctoris subtilis principiis.

ART. III. *An sola propositio suspecta de hæresi, vel sapiens hæresim denominare valeat Authorem suspectum?* pag. 349.

Non sola propositio hæresim sapiens reddit Authorem suspectum, sed etiam hujus gignere possunt denominationis effectum crimina, seu delicta, ex quibus colligi possit pravum Patrantium judicium *num.* 1. Cohærenter ad tradita *cap.* 2. *art.* 2. Id ipsum comprobatur exemplis sortilegiorum, & divinationum, & cur olim delicta hęc ad Sacrum Inquisitionis Tribunal non pertinerent? *num.* 2. Multoties Author suspectus redditur ex circumstantiis suspicionem inferentibus, quæ ex Anselmo Dandino recensentur ac explicantur à *num.* 3. *ad* 6. Simile ex indicatis *cap.* 3. *art.* 13. formatur judicium de propositionibus alicui infrà hæresim censuræ obnoxiis parilem inducentibus suspicionem *num.* 7. Effati D. Hieronymo tributi. *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis* (de quo *art. seq. num.* 8.) explicatio ex Cano non omninò rejicienda *num.* 8. Ab incohęrentia vindicantur, quæ dicta sunt *cap.* 4. *art.* 7. *n.* 5. & 13. ac *cap.* 4. *art.* 5. *num.* 4. Circa ignorantiam crassam, & affectatam *num.* 9.

ART. IV. *Per quid constituatur propositio periculosa in fide, & an confundenda veniat cum hæresim sapiente?* pag. 354.

Hieronymiani effati, de quo *art. prec.* duæ explicationes Suarez recensentur, quarum altera ad intentum præsentis quęstionis minimè conducens innuitur *num.* 1. Altera nisi moderetur juxtà mox dicenda, nec Hieronymò conformis, nec tradita ab Angelico observatur *num.* 2. Germana Angelici mens exponitur *num.* 3. Colligitur quidditas propositionis periculosę in fide, ejusque ab aliis censuris distinctio *num.* 4. 5. Adducitur exemplum vocis *Christiparæ* olim interdictæ ob perversæ intelligentię periculum, ac discrimen inter dictam vocem, & propositionem: *Unus de Trinitate est Crucifixus*, de qua *art.* 2. *num.* 10. assignatur *num.* 6.

ART. V. *Quænam sit ratio formalis constitutiva propositionis blasphemæ?* pag. 356.

Multiplex blasphemiæ acceptio, ejusque in strictiori significatione definitio ex Augustino *num.* 1. Blasphemię constitutivum traditur *num.* 2. Convicium nedum in Deum, Sanctos, & res Sacras, sed & in creaturas quaslibet, ut Dei creaturę sunt, potest esse blasphemia *num.* 3. An contumeliosus in Sanctos absque habitudine ad Deum sit formaliter habendus hæreticus? utrumque probabile *ibid.* & *num.* 4. Adducitur ex Bonuccio propositio 26. ex damnatis ab Alexandro VIII. & evincitur blasphema *num.* 5. Varii exprimuntur modi, quibus concipi potest blasphemia, quam non in factis propriè, sed in verbis consistere concluditur à *num.* 6. *ad* 8. Quęnam sit blasphemia cordis, & oris? *numer.* 9.

ART. VI. *An Propositio hæreticaliter blasphema specie distinguatur à propositione hæretica?* pag. 360.

Quælibet hęresis potest latè dici blasphemia ex Brancato, qui tamen non adeò idonea profert exempla *num.* 1. Ex indicatis *cap.* 2. *art.* 8. *num.* 38. firmatur distinctio specifica inter blasphemiam hæreticalem, & hęresim, & quęnam sit blasphemia hęreticalis, & quę simplex exponitur *num.* 2. Blasphemia secundum se nec semper continet propriè infidelitatem, nec in Proferente infidelitatem supponit, nec semper est contraria fidei confessioni. Si tamen est hęreticalis semper involuit malitiam Religioni contrariam, ac distinctam ab ea, quę est in infidelitate, sive intrinseca sit, sive extrinseca ex Suarez *num.* 3. 4. Insinuata distinctione blasphemię objectivè & subjectivè inspectæ, quid revera sit sentiendum aperitur, ac specifica distinctio blasphemię hęreticalis ab hæresi concluditur *num.* 5.

ART. VII. *An omnis propositio blasphema debeat continere aliquam falsitatem?* pag. 362.

Affirmativa resolutio verior habetur, ac Angelici menti conformior *num.* 1. S. Doctoris productis authoritatibus *nu.* 2. De omni blasphemia Aquinatem locutum è Thomistis sustinet Ferrè *num.* 3. Paritati in contrarium ex odio Dei desumptæ respondetur *num.* 4. Falsitas blasphemiæ licèt practicè affectiva, & in actu exercito sit, non tamen specu-

d 3 ca

ART.

Capitum, & Articulorum.

per rimè

oppo-

IN-

INDEX

*Opinionum, Doctrinarum, & Propositionum damnatarum à Romanis Pontificibus, Conciliis, Tribunalibus Fidei, & Universitatibus ab Ecclesia approbatis, de quibus in præsentis Scrutinij decursu fit mentio in Confirmationem, aut explicationem Censurarum, quarum quidditas, ac distinctio respectivè investiganda proponitur, addito nonnullis Asterisco * designante, quòd de eis etiam ratio obiter insinuatur, ob quam verisimiliter sint proscripta.*

c in

in diligente est, non faciat præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* * pag. 519.n.39.

A CLEMENTE VIII.

In Anonymos

Affirmantes licere per litteras, aut Internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente Absolutionem obtinere. * pag. 96.n.14. & pag. 202. num.23. 25.& 26.

A PAULO V.

In Nicolaum Copernicum

Defendentem falsam illam doctrinam Pythagoricam, Divinæque Scripturæ omninò adversantem de mobilitate terræ, & immobilitate solis. * pag.447.n.4.

AB INNOCENTIO X.

In Cornelium Jansenium

Effutientem Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, *esse* impossibilia. *Deesse* quoque illis *gratiam*, qua possibilia fiant. * pag. 126. n.6.& 11.& pag.225.n.43.

Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nusquam *resisti*. * pag.126.n.7.

Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non *requiri* in homine *libertatē* à necessitate, sed *sufficere libertatem* à coactione, pag. 126.n.6.& 11.

Quòd Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui potest humana voluntas resistere, vel obtemperare. * ibid.

Quòd Semipelagianorum error, *fuerit* Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. * pag.127.n.8.& 11. & pag.435.n.16.

AB ALEXANDRO VII.

Anno 1665. In Anonymos

Ajentes, quod quamvis evidenter tibi constet Petrū esse hæreticum, non *tenearis* denuntiare, si probare non possis. * pag.449.n.46.

Quòd Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti cartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non *censeatur* sollicitare in confessione, ac proinde non *sit* denuntiandus. * pag.426. n.50.

Quòd modus evadēdi obligationem denuntiandæ sollicitationis, si ti sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest illum absolvere ab onere denuntiandi. * ibid.

Quòd qui facit confessionem voluntariè nullam, *satisfaciat* præcepto Ecclesiæ. pag.411.n.3.& * 524.n.10.& seq.

Quòd Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. pag.422.n.3.& *pag.513.n.10.

Quòd Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur non *peccat* mortaliter, nisi ex contempta, vel inhobedientia hoc faciat puta quia non vult se subiicere præcepto. * pag. 484. n. 12. & pag. 521. n. 2.

Quòd si liber sit alicuius junioris, & moderni, *debeat* opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse à Sede Apostolica, tanquam improbabilem. * pag.517.num.36.

Anno verò 1666.

Quòd Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie *sint* revalidatæ. pag.47. n.16.& pag.195.n.5.

Quòd Libri prohibiti donec expurgentur, *possunt*, retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur. pag.195.n.5.

AB INNOCENTIO XI.

Annno 1679. Mense Martii in Anonymos.

Effutientes non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore. pag.97.n.19. * pag. 450.n.11.12.& pag.541.n.13.

Quòd probabiliter *existimari queat* Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem. * pag.20.n.12.& pag.537.n.4.

Quòd generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter *agamus*. * pag. 517.n.36.

Quòd Ab infidelitate *excusari debeat* infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. * pag.269. n.1.

Quòd, An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret *eum* condemnare non *audeant*. * pag.526.n.14.& pag.555. num.19.

Quòd probabile sit, ne singulis quidem rigorosè quinquennis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. pag.526.n.14.& pag.537.n.4.

Quòd Tunc solum *obliget*, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus. pag. 526.n. 14.

Quòd non *teneamur* proximum diligere actu interno, & formali. ibid.

Quòd Præcepto proximum diligendi satis facere *possimus* per solos actus externos. ibid.

Quòd Licitum *sit* absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, sed ut bonum Cupientis, quia nimirum obventura ei est pinguis hæreditas. * pag.370. n.6.7.

Quòd Licitum *sit* filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. * ibid.

Quòd Si à Potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum *sit consulendum*, tacere, ut peccaminosum per se non *damnandum*. pag.555.n.10.

Quòd Voluntas non *possit* efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. * pag. 61.n.19.& pag.270.n.5.

Quòd Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, *stet* cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non locutus sit Deus. * pag.59. n.9. & pag. 269.num.6.

Quòd Vocare Deum in testem mendacii levis, non

non *sit* tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* *pag.374.n.3.*

Quòd cum causa licitum *sit* jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* *pag.286. n.7.& pag.491.n.26.*

Quòd si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non *mentiatur*, nec *sit* perjurus.* *pag. 480. n. 2.3.*

Quòd Causa justa utendi his amphibologiis, *fit*, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa. *ibid.*

Quòd Qui mediante commendatione, vel munere ac Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. *ibid.*

Quòd urgens metus gravis *fit* causa justa Sacramentorum administrationem simulandi * *pag. 490.n.24.& seq.*

Quòd videatur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum pariter ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium commiti. *pag.537.n.4.*

Quòd Permissum *sit* furari non solum in extrema sed etiam in gravi necessitate.* *pag.352 n.*

Quòd non nisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere. *pag. 444.n.21.*

Quòd probabile *sit* non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat; & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* *ibid.& pag 537 n 4.*

Quòd Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus. *pag.404.n.12.& pag.484.n 15. & pag.520.n.1.*

Quòd satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo qui quatuor simul a diversis Celebrantibus audit.* *pag.422. num 3.*

Quòd Qui non potest recitare matutinum, & laudes potest autem reliquas horas, ad nihil *teneatur*, quia maior pars trahit minorem. *ibid.*

Quòd Præcepto communionis annuæ *satisfiat* per sacrilegam Domini manducationem. * *pag. 524. n.10.*

Quòd Probabile *sit* sufficere attritionem naturalem modo honestam.* *pag.454. n.22.& pag.538. n.4.*

Quòd non *teneamur* Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem. *pag.484. num.18.*

Quòd Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* *pag.516.n.34.*

Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmo directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* *pag.463.n.9.*

Quòd Proxima occasio peccandi non *sit* fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* *ibid.*

Quòd Licitum *sit* quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali nostro, vel Proximi.* *ibid.*

Eodem anno Mense Novembris.

Quòd Deus *donet* nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicuti aliquis donat alteri villam, vel librum.* *pag 502. n.1.*

Quòd Deus *subiiciat* nobis suam Omnipotentiam *ibid.*

Anno 1682.

Quòd Scientia ex confessione acquisita uti *liceat*, modò fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine Pœnitentis, nisi aliud multò gravius ex non usu sequatur, in cujus cōparatione prius meritò contemnatur.* *pag.490.n.23.*

AB ALEXANDRO VIII.

Anno 1690. Mense Augusti, in Anonymos *Tueri audentes; quòd* Peccatum philosophicum, seu morale *sit* actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; Theologicum verò, & mortale *sit* transgressio libera Divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* *pag. 323. num.15.*

Eodem Anno, Mense Decembris

Quòd in statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum *sufficiat* illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.* *pag. 518. n. 37.*

Quòd tametsì detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ, Operantem ex ipsa non *excuset* à peccato formali.* *pag. 289. n.7. & pag.518.n.37.*

Quòd non *liceat* sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.* *pag. 453. n. 20. & pag.517. n.36 & seq.*

Quòd Pagani, Judæi, Hæretici, aliique huius generis, nullum omninò *accipiant* à Jesu Christo influxum, adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.* *pag.289. n.5.6.*

Quòd revera *peccet*, qui odio habet peccatum merè ob eius turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.* *pag. 454. n. 21. & pag. 458. num. 33.*

Quòd Intentio qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè, ut cælestem obtineat glo-

gloriam, non *sit* recta, nec Deo placens. *pag.* 454. *num.* 21.

Quòd quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana. * *pag.* 42. *num.* 3.

Quòd Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate, si caruerit, vitio non *careat* quoties intuitu licèt Beatitudinis operatur. *pag.* 454. *num.* 21.

Quòd Timor gehennæ non *sit* supernaturalis. *ibid.*

Quòd Attritio, quæ gehennæ, & pænarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non *sit* bonus motus, nec supernaturalis. *ibid & pag.* 459. *num.* 37.

Quòd Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, *induxerit* non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio naturæ rei, idipsum quodammodo dictantis. * *pag.* 434. *num.* 13. & *pag.* 511. *num.* 22.

Quòd per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ *sit* inversus. * *pag.* 29. *num.* 3. & *pag.* 434. *num.* 13., & *pag.* 512. *num.* 25.

Quòd Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pænitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominùs ab Ecclesia non *habeatur* pro usu, sed abusu. * *pag.* 511. *num.* 21. & *pag.* 512. *num.* 25.

Quòd Homo *debeat* agere pænitentiam tota vita pro peccato originali. * *pag.* 522. *num* 6.

Quòd Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ *sint*, vel invalidæ. * *pag.* 358. *num.* 5., & *pag.* 432. *num.* 9.

Quòd Parochianus *possit* suspicari de Mendicantibus, qui eleemosinis communibus vivunt de imponenda nimis levi, & incongrua pænitentia, seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis. * *pag.* 442. *num* 16.

Quòd Sacrilegi *sint* judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint. * *pag.* 519 *num.* 39.

Quòd similiter arcendi *sint* à sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers. *ibid.*

Quòd Oblatio in templo, quæ fiebat à B. Virgine Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter *testetur*, quod indiguerit purificatione, & quòd Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundùm verba legis. * *pag.* 501. *num.* 49.

Quòd Dei Patris sedentis simulacrum nefas *sit* Christiano in templo collocare. * *pag.* 358. *n.* 5. & *pag.* 378. *num.* 13.

Quòd Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana *sit*. * *pag.* 358. *num.* 5.

Quòd Valeat Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intùs verò in corde suo, apud se resolvit: non intendo facere, quod facit Ecclesia. * *pag.* 284. *num.* 1.

Quòd Futilis, & toties convulsa *sit* assertio de Pontificis Romani, supra Concilium OEcumenicum, authoritatem, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate. * *pag.* 82. *n.* 2.

Quòd ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè *possit* tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. * *pag.* 115. *num.* 19.

Quòd Bulla Urbani VIII. *In Eminenti sit* subreptitia. * *pag.* 547. *num.* 29.

A CLEMENTE XI.

In Anonymos Fautores Jansenii.

Insanientes, quòd ad obedientiam Sedi Apostolicæ debitam non *requiritur*, ut Quis sensum libri Jansenii, cui titulus *Augustinus*, in quinque famosis propositionibus, interiùs, ut hæreticum damnet, sed satis sit, si ea de re obsequiosum silentium teneat * *pag.* 204. *num.* 27.

Quòd Formulæ ab Alexandro VII. præscriptæ in Constitutione *Regiminis Apostolici*, subscribere licitè possit qui interiùs non judicat in Jansenii libro, cui titulus *Augustinus*, doctrinam hæreticam contineri. * *ibid.*

A CONCILIO FRANCOFORDIENSI

In Elipandum & Felicem.

Docentes quòd Christus Dominus secundùm humanitatem sit filius Dei adoptivus. * *pag.* 30, *num.* 5.

A CONCILIO VIENNENSI

In Anonymum.

Temerè asserentem, aut vertentem in dubium, quòd substantia Animæ rationalis, seu intellectivæ verè, ac per se humani corporis non sit forma * *pag.* 303 *num.* 15.

A CONCILIO CONSTANTIENSI SESSIONE VIII.

In Vuitclephum.

Quòd si Papa sit malus, non *habet* potestatem supra fideles. *pag.* 100. *num.* 1.

Quòd Post Urbanum VI. nullus *sit* recipiendus in Papam, sed vivendum *sit* more Græcorum sub legibus propriis *ibid.*

Quòd sit contra Sacram Scripturam, quòd viri Ecclesiastici habeant possessiones. * *pag.* 430. *num* 2.

Quòd Domini temporales *possint* ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia possessionatis habitualiter delinquentibus * *pag.* 420. *num.* 11.

Quòd Decimæ *sint* puræ eleemosinæ, & Parochiani *possint* propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum auferre eas *pag.* 421. *num.* 2.

Quòd si Aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcunque tam Possessionatorum, quàm Mendicantium, *reddatur* ineptior, & inhabilior ad observantiam mandatorum Dei * *pag.* 430. 2. e *pag.* 441. *num.* 12.

Quòd Sancti instituentes Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt. * *pag.* 441 *n.* 12.

Quòd Religiosi viventes in Religionibus privatis non *sint* de Religione Christiana. *ibid.*

Quòd Fratres *teneantur* per laborem manuum victum acquirere, & non per mendicitatem * *pag.* 32. *num.* 15.

Quòd Omnes *sint* simoniaci, qui se obligant orare pro

re pro

re pro Aliis, eis in temporalibus subvenientibus. * pag. 433. num. 10.

Quòd Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria in eisdem, sint vana Gentilitate introducta, & tantùm prosunt Ecclesiæ, sicut prodest Diabolus. * pag. 240. num. 5. 6.

Quòd peccent Fundantes claustra, & Ingredientes sint viri diabolici pag. 440. num. 12.

Quòd ditare Clerum *sit* contra regulam Christi* pag. 370. num. 5., & pag. 421. num. 2., & pag. 530. num. 2.

Quòd Silvester Papa, & Constantinus Imperator *erraverint* Ecclesiam dotando. * pag. 370. num. 5., & pag. 430. num. 2.

Quòd Dantes elemosinam Fratribus Mendicantibus sint excommunicati * pag. 370. num. 5. pag. 421. num. 2. & pag. 440. num. 12.

Quòd Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles *sint* ad observanda divina præcepta, & per consequens ad perveniendum ad Regnum Cælorum, nisi apostataverint ab eisdem. pag. 440. num. 12.

Quòd nec Papa est immediatus Vicarius Christi, & Apostolorum * pag. 86. num. 24. & seq.

Quòd Decretales epistolæ *sint* apocryphæ, & *seducant* à Christi fide, & Clerici sint stulti, qui student eis * pag. 543. num. 19. & pag. 547. nu. 28. & seqq.

Quòd Imperator, & Domini sæculares seducti *sint* à Diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus. pag. 421. num. 2., & pag. 430. num. 2.

Quòd Augustinus, Benedictus, Bernardus, damnati *sint*, nisi pænituerint de hoc, quòd habuerunt possessiones, & instituerunt, & intraverunt Religiones; & sic à Domino Papa, usque ad ultimum Religiosum, omnes sunt hæretici. pag. 440. num. 12.

Quòd Omnes Religiones indifferenter introductæ *sint* à Diabolo. ibid.

Sessione XV. in Joannem Hus

Debacchantem quòd Præsciti non *sint* partes Ecclesiæ. * pag. 322. num. 12.

Quòd Nemo *gerit* vicem Christi, aut Petri, nisi sequatur eum in moribus pag. 400. num. 1.

Quòd Papa non *fit* manifestus, & verus Successor Principis Apostolorum, si vivit moribus contrariis Petro. ibid.

Quòd Obedientia Ecclesiastica *sit* secundùm adinventionem Sacerdotum Ecclesiæ, præter expressam authoritatem Scripturæ. * pag. 322. num. 12.

Quòd Si Papa sit malus, & præsertim si est præscitus, tunc, ut Judas Apostolus, est Diabolus, fur, & filius perditionis, & non est caput Sanctæ militantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum ejus: pag. 400. num. 1.

Quòd Si Papa vivat Christo contrariè, etiamsi ascenderet per rectam, & legitimâ electionem, secundùm constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet, quàm per Christum. ibid.

Quòd Non *fit* scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse unum Caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militanti Ecclesiâ conversetur, & conservetur. ibid.

Sessione eadem.

Quòd Quilibet Tyrannus *possit*, & *debeat* licitè, & meritoriè occidi, per quemcunque Vassallum suum, vel Subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocunque juramento præstito, seu confœderatione factis cum eo, non expectata sententia, vel mandato Judicis cujuscunque. * pag. 326. num. 21. & seq.

A CONCILIO BASILEENSI

in Hieronymum de Praga.

Somniantem quòd Christus quotidie peccat, & ex quo fuit Christus quotidie peccaverit. * pag. 332. num. 4. pag. 337. n. 4. & pag. 335. num. 3.

A CONCILIO TRIDENTINO

SESSIONE VI.

in Lutheranos, Calvinistas &c.

Delyrantes verum nonesse non modò infidelitate, per quam fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti * pag. 47. num. 31.

Amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva: aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse christianum. pag. 42. num. 3.

Baptizatos, liberos esse ab omnibus Sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta sunt, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint. pag. 406. num. 15.

Sessione XIII.

Ridiculum *esse* Eucharistiæ Sacramentum solemni ritu per vias publicas circum ferre. * pag. 345. num. 4.

Sessione XXIV.

Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, & in iis constituendis errasse. * pag. 406. num. 15.

Propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à Conjuge, dissolui posse matrimonii vinculum. pag. 99. num. 29.

AB INQUISITIONE HISPANICA

in Marcum Antonium de Dominis.

Evulgantem, quòd Papa in decidendis articulis, qui pertinent ad fidem, non *fit* infallibilis, absque consensu Ecclesiæ. * pag. 216. num. 18.

A FACULTATE PARISIENSI

in Hieronymum de Praga.

Tradentem, quòd Doctrina in articulis Hus contenta, nimirùm, in Ecclesia non dari unum Caput supremum, & Monarcham, præter Christum: & *Hunc* suam Ecclesiam, per multos Ministros sine uno isto Monarcha mortali, regere perfectè, & gubernare, *sit* doctrina catholica à SS. PP. egregiè explicata, & confirmata. * pag. 86. num. 24.

In Lutherum.

Asseverantem, quòd Deus Spiritum suum toti Ecclesiæ *promiserit* non alligando ipsum certis Personis, sive certo generi Personarum, putà solis

solis Præsbyteris, aliisque Clericis ad ministeria ecclesiastica deputatis, sed ipsum *voluit* esse per omnes, licèt non per singulos diffusum, & consensus totius Ecclesiæ non minus intelligitur in laicis, quam etiam in Presbyteris, & Prælatis. Sunt enim etiam Laici in Ecclesia, imo ex Ecclesia, ipsiusque soli dam, & majorem partem constituunt. * *pag.89.num.34.*

Quòd Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum *habet* jus unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu, & quicquid aliter fit, tyrannico spiritu fit. * *pag.328.num.28.*

In Anónymos.

Mentientes, negare Laicis utramque speciem esse impium, & tirannicum * *pag.370.num.4.*

Quòd per contritionem non adhibito realiter Sacramento Baptismi, vel pænitentiæ, non dimittitur crimen extra casum Martyrii, & necessitatis * *pag.458.num.34.*

Quòd Actus charitatis perfectæ, seu veræ & perfectæ contritionis absolutæ necessarius sit ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam. * *pag.459.num.34.*

PROSPECTUS ALPHABETICUS

Theologicarum omnium Censurarum Ab Apostolicis Constitutionibus, aut Conciliis institutarum, quę in hoc Scrutinio ex professò examinantur.

DE



DE
CENSURIS THEOLOGICIS,
Earumque specificis distinctionibus.



RDUAM profectò provinciam aggredimur, *Doctrinarum* exhibituri *Scrutinium*, quibus sanæ à pravis secerni valeant assertiones, catholica ab hæreticis distingui dogmata, utiles à noxiis sententiæ seligi; ut sic, neque colligendo zizania, eradicetur & triticum, neque in tritici fasciculos immittantur zizania. Verissimum namque cùm sit Varronis dictum: (*lib.6.de lingua lat.*) *In bona segete, neque nullum est spicum nequam, neque in mala non aliquod bonum*; summa proculdubiò attentio est necessaria, ne cuncta, quæ in *bona* reperiuntur, recipiantur, ut *bona*, nec quælibet, quæ extent in *mala*, respuantur ut *mala*. Quod posterius obumbratum perspicere possumus illo (*Exodi* 22.6.) *Si egressus ignis invenerit spinas, & comprehenderit acervos frugum, sivè stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succenderit*, ad S. Cyrilli, *lib.7.de adorat.in fine*, interpretationem, comparantis *hæreticorum scripta*, & *Græcanicorum Dogmatum præstigia* cum *spinis in montibus*, & *agris nascentibus*, vocantisque *frumentum*, seu *suavissimum cibum*, *quo homines vescuntur*, ... *Typum veritatis dogmatum, per quæ Credentes, veluti pane vivente, nutrimur*, indeque Sacros Doctores monentis, ut in spinis comburendis, *ne simul frumentum, & spicam lædant, hoc est: in hoc animi studio incumbant sacrorum Mysteriorum Interpretes, ne quid mutilent ex dogmatibus veritatis: aut sciat is, qui securè facere nequiverit, quòd si contigerit unà cum malis comburi aliquid eorum, quæ necessaria sunt ad utilitatem, negligentiæ suæ pœnas eum subiturum.* Ad quas idcircò evadendas, præsens paramus *Doctrinarum Scrutinium*, ut per eas, Censores soli veritati allaborantes, habentesque præ oculis nobile Zosimi Papæ *epist.*13.monitum: *magnum pondus examinis, magna desideratio: ut non sit rebus ipsis, quæ geruntur, inferior libra judicii*, æquè in sanis assertionibus approbandis, ac in pravis nota theologica, quæ eis congruat, afficiendis, securi reddantur, ne de ipsis unquam verificetur verissimum illud Sarisberiensis *lib.*5. *polycrat.cap.*12. effatum: *Judicia festinata, pœnitentiam pariunt*; sed potiùs unusquisque ipsorum cum Petro Cellensi *epist.*121. dicere valeat: *Neque subitaneus, neque repentinus soleo res magnas disponere, sed multa maturi consilii deliberatione, finis causarum appensione* imitator sic redditus Jobi de se *cap.*29.16. testantis: *Causam, quam ignorabam diligentissimè investigabam.*



CAPUT PRIMUM.

De Qualificatione, & Censuratione.



Ntequam de censuris in particulari instituatur sermo, non incongruum videtur naturam qualificationis, sivè simplicis, ac directæ, sivè compositæ, ac reflexæ, ejusque discrimen à censuratione theologica stabilire. Sicut etiam, aperire, cujus Facultatis sit tale munus doctrinalitèr exercere, & qua methodo procedendum, & an etiam propositioni mentali, theologicæ tradendæ regulæ applicari valeant? præsertim quoties examen fuerit habendum, nedùm adversùs propositionem objectivam, sed etiam subjectivam; idest non modò in sensu obvio, & ex natura suorum terminorum; verùm etiam in sensu, quem revera Author in mente habuit. Quod potest contingere, nedùm in propositionibus æquivocis, de quibus *art.*6. sed & in manifestè pravis, juxta explicationem indicandam *art.*5. non obstante, quòd circa eas nequeat præsumi diversus sensus Authoris, in quo saltem non supponatur ignorantia significationis vocum, quique cum plena deliberatione operetur, ab eo, quem offert natura terminorum, qui ubique eamdem intelligentiam habere debent, ut *suo loco* fusiùs videbitur. Sit itaque.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Qualificatio Propositionum?

1. Qualificare ex vocis etymologia componitur ex *quali*, & *facere*: undè idem in præsenti importat, ac *facere quale*, quod, aliud non est, nisi explicare naturam, & accidentia propositionis qualificatæ non *logico* modo, inquirendo qualitates *affirmationis*, aut *negationis*, vel quantitatem, idest *universalitatem*, aut *particularitatem*; sed modo theologico, investigando pravitatem, sivè bonitatem doctrinæ propositionis. Ex quo apparet, hoc examen compleri per secundam intellectus operationem, quam dicimus judicium; judicando videlicet, propositionem examinatam esse talis, vel talis conditionis, idest pravæ, aut sanæ doctrinæ; idque, sivè judicium fuerit affirmativum, quod appellamus compositionem, sivè negativum, quod dicimus divisionem. Verùm, quia hoc examen qualificativum tribui potest, non modò alicui termino simplici, seù subjecto propositionis, sed etiam integræ propositioni:

2. Ideò necesse est dividere *qualificationem* in simplicem, seu directam, & in compositam, seu reflexam. Prima exercetur circà subjectum propositionis, examinando: an secundùm regulas fidei, ac morum, ei competat prædicatum, quod studemus ipsi tribuere, vel ei repugnet, quod ab eo intendimus removere? Secunda exercetur circa integram propositionem, examinando: an ipsa in genere theologico sit sanæ, vel pravæ doctrinæ? Primam autem qualificationem vocamus simplicem, non quòd ipsa, non sit etiam compositio, quia necessariò est secunda intellectus operatio; sed dicitur simplex relatè ad alteram, quia hæc necessariò supponit propositionem, circà quam exercetur, ac circa ipsius extrema completam primam qualificationem; illa verò exercetur circà terminum simplicem, ac non supponit aliam priorem qualificationem, aut antecedens examen.

3. Quod suadetur exemplo clarissimo; nàm non possumus tradere alicui propositioni, attributum sanæ, vel pravæ, per reflexam qualificationem, nisi priùs per directam examinetur: an prædicatum conveniat, aut repugnet subjecto propositionis qualificandæ, vel censurandæ? Cùm enim c. g. Arius astruebat; *Verbum Divinum esse creaturam; ac non esse consubstantiale Patri*, Patres Concilii generalis Nicæni I. priùs ad præscriptum Sacræ Scripturæ examinaverunt, ac definierunt, prædicatum *creaturæ* essentialitèr repugnare Verbo Divino, ipsique necessariò competere prædicatum *Consubstantialitatis* cum Æterno Patre, propter eamdem numero Naturam Divinam cum eo communem. Idque per qualificationem directam, exponendo naturam

extremo.

extremorum propositionis Arianæ. Postque deventum est ad qualificationem reflexam prædictæ propositionis, applicando loca theologica, eique attributa est nota, & gradus, seu censura, quòd sit propositio hæretica, habens conditiones talis gradus infra explicandas.

4. Eruditè in suo *Tribunali sacro cap.41, num.2.* monet Pater Bordonus, qualificationem directam aliquando potiùs esse quiddificationem, cùm videlicèt prædicatum est de quidditate subjecti, vel ejus proprietas, vel ei quidditativè repugnans, vel saltèm in secundo modo dicendi per se, Quod unico verbo clariùs explicari potest, quoties videlicet prædicatum cùm subjecto facit propositionem in materia necessaria, aut respectivè impossibili. Sic, cum examinabantur prædicata creaturæ, aut Dei de ipso Verbo Divino, tunc, facta definitio, fuit quiddificatio.

5. Aliquando verò primum, ac directum examen, est propriè qualificatio, cum videlicet prædicatum contingenter convenit, aut disconvenit subjecto; quia prædicatur in quale separabilitèr, facitque propositionem in materia contingenti, ut in hac propositione: *Sola aqua naturalis est materia Sacramenti Baptismatis*. Hoc enim non convenit aquæ naturali ex natura sua, ut essentia, aut proprietas, sed merè contingenter ex ordinatione divina; per quam potuisset institui pro materia talis Sacramenti, omnis aqua, quæ apta foret lavare, & abstergere, cujusmodi est etiam aqua artificialis. Propterea consueverunt Theologi recentiores hanc quiddificationem vocare qualificationem essentialem, ad differentiam qualificationis rigorosæ, quæ dicitur qualificatio accidentalis, & per antonomasiam appellatur simpliciter, & absolutè qualificatio.

6. Putant aliqui, quòd hoc non contingit in qualificatione reflexa, quæ per eos, sola est rigorosa qualificatio, & nullo modo quiddificatio; quia cum tribuatur tantùm propositioni, & nullus gradus censuræ, aut qualitatis sit de intrinseca ratione alicujus propositionis, cum sit prædicatum ei conveniens ex institutione Ecclesiæ in Conciliis generalibus, vel ipsius Summi Pontificis; propterea semper hæc nota qualificationis reflexæ dicitur in quale separabiliter de ipsa propositione: unde asserunt, quòd qualificatio reflexa semper est rigorosè qualificatio. Sed meo videri doctrina Patris Bordoni locum etiam habet in examine reflexo; quia quamvis prædicata, quæ tribuuntur propositionibus post examen reflexum, sint instituta ab Ecclesia, nihilominùs nonnulla harum notarum explicant intrinsecam pravitatem propositionis, vi cujus possint dici quiddificativa; ut patet in ista propositione: *aliena injustè ablata non sunt restituenda*; quæ est ita prava, ut ejus malitia non dependeat ab institutione Ecclesiæ: cum ergo censura theologica *Perniciosa* ex natura rei ei conveniat, & intrinsecè, dici debet quiddificatio, & non qualificatio rigorosa.

7. Cæterùm quando aliqua propositio scandalosa promovet ruinam spiritualem, per oppositionem ad præcepta Ecclesiæ, ut hæc: *comedenda, sunt lacticinia in quadragesima*; cum propositio non sit intrinsecè mala, idest de objecto ex natura rei malo, ejus examen reflexum erit rigorosa qualificatio. quia utrobique currit eadem paritas, idest tàm in examine directo, quàm in reflexo: Seù clariùs, si nota censuræ, est ab Ecclesia instituta, fundatur in prædicatis intrinsecis propositionis, dicitur quiddificatio, aliàs erit qualificatio. Prædicatū intrinsecum dicitur, cùm præceptum, cui opponitur, est necessarium, prohibens malum, quia malum, & non econtra objectum propositionis est malum, quia prohibitum.

8. Hoc suadetur evidentèr ex ipsis principiis logicis, propositiones enim aliqua habent prædicata, quæ sunt de intrinseca sui ratione, ut esse affirmativam, negativam, universalem, particularem, cathegoricam, hypotheticam, modalem, de inesse: ita ut si hæc prædicata varientur, non remaneant eædem numero propositiones, item habent alia prędicata, quæ non sunt de intrinseca ratione ipsarum, quæque ipsis accidentaliter conveniunt, ut esse veram, vel falsam, quæ variari possunt. non variata numero eadem propositione. Defacto propositio in materia contingenti de tempore præsenti expressa, in probabiliori sententia potest mutari de vera in falsam, ac remanere eadem numero, in sua physica entitate actus, & quamvis hæc mutatio non possit contingere in materia necessaria, aut impossibili, tamen, non posse mutari, competit ei, ut talis propositio est, idest materiæ necessariæ, & impossibilis, non verò, ut propositio est, aliàs neque propositio in materia contingenti posset mutari de vera in falsam.

9. Cùm ergo qualificatio reflexa fundetur supra veritatem, aut falsitatem pro-

positionis, à qua essentialiter dependet, & hæc variari possit in materia contingenti, propterea reflexa qualificatio aliquando erit rigorosa qualificatio, & aliquando quiddificatio, cum nempè propositio variari non potest quoad veritatem. Similiter examen directum aliquando attingit, ac respicit naturam, aut propietates subjecti, aliquando ejusdem accidentia; propterea aliquando est quiddificatio, aliquando qualificatio. Sic dicere: *Christus est Deus*, est quiddificatio, & dicere: *Christus descendit ad inferos*; est qualificatio subjecti propositionis.

10. Contra hoc opponi potest id, quod communiter docent Summulistæ, videlicet veritatem, & falsitatem utique esse accidentia propositionis, sed hoc non tollere quin affirmatio, & negatio sint qualitates ejusdem, sicut universalitas, & particularitas sunt ejus quantitas, & solùm esse cathegoricam, vel hypotheticam, modalem, vel de inesse, dici de intrinseca ratione propositionis, juxta illud vulgatum Logicorum, quòd ad interrogationem, quæ sit propositio? respondetur, chathegorica, vel hypothetica; qualis sit? respondetur, negativa, vel affirmativa; quanta sit? respondetur, universalis, particularis, indefinita, aut singularis. Hinc non solùm erit qualificatio examen attingens falsitatem, aut veritatem propositionis, sed etiam examen, quod fundatur supra quantitatem, & supra affirmationem, & negationem; quia nomine quantitatis, & qualitatis veniunt accidentia; adeoque, quæ fundatur supra ipsa, debet dici qualificatio.

11. Verùm, hoc facillimè solvitur: nàm affirmatio, & negatio dicuntur à Summulistis qualitates propositionis, sed qualificantes illam in quale quid; cum afficiant propositiones inseparabiliter, quibus mutatis, aut separatis, non remanet eadem numero propositio; adeoque habent vim propietatis. Item Summulistæ nomine quantitatis propositionis, intelligunt quantitatem non molis, sed virtutis, quæ cùm sit perfectio intrinseca rei, est à re inseparabilis, & afficit eam similiter in quale quid, & nullo modo accidentaliter. Hinc si per re flexam qualificationem diceremus, *quòd aliqua propositio est affirmativa, vel negativa, particularis, aut universalis*, esset quiddificatio reflexa, sicut, si diceremus: *esse cathegoricam, hypotheticam. modalem, aut de inesse*. Unde solùm illa qualificatio, quæ innititur veritati, aut falsitati esset simpliciter qualificatio, quia fundatur in eo, quod non est de intrinseca ratione propositionis, ut sic.

12. Nonnulli graves Theologi, ut distinguant qualificationem directam à reflexa, statuunt primam qualificationem conficere, ac constituere propositionem, secundam verò supponere propositionem constitutam, & eam tantùm distinguere ab aliis. Verùm, nisi intelligant de distinctione theologica, non satis se explicant, quia utraque qualificatio constituit propositionem suam, cùm utraque sit judicium, ac secunda operatio intellectus, & utraque distinguit id, quod constituit. Prima namque distinguit subjectum ab aliis subjectis, quibus non competit simile prædicatum, sive propositio fuerit in genere entis, sive in genere moris. Secunda verò distinguit propositionem ab omni alia, cui non competat similis nota. Prima qualificatio distinguit propositiones in genere entis; secunda verò, seu reflexa, distinguit in genere theologico.

13. Item qualificatio simplex primò distinguit subjectum, & secundò ipsam propositionem, quam constituit, reflexa verò priùs distinguit ipsam propositionem, quam constituit, & secundò distinguit aliam propositionem, quam constitutam supponit; & sic non est, cur utraque qualificatio non constituat propositionem, illamque non distinguat, cum idem sit principium constitutivum, ac distinctivum; sed quòd prior qualificatio constituit propositionem de inesse, v.g. *Christus est Deus*, secunda constituit propositionem theologicè modalem v.g. *Christum esse Deum, est de fide*. Prima constituit, ac distinguit in genere entis, reflexa verò in genere theologico.

14. Quod, ut clariùs intelligatur, monemus, quòd quando supra dicebamus, qualificationem directam, seu simplicem pertinere ad subjectum propositionis, atque vocari potiùs qualificationem terminorum, quàm propositionum, id non sit intelligendum, ut semper nomine subjecti, veniat terminus simplex. Hoc enim verum est, quando propositio est cathegorica, ut illa Arii: *Verbum Divinum non est consubstantiale Patri*; quia tunc examen qualificationis simplicis cadit supra purum terminum, secùs quando fuerit propositio hypothetica, quia tunc ejus subjectum erit una integra propositio cathegorica; eò, quòd illud synchathegorema,

ma, quod unit duas cathegoricas, habet rationem copulæ, & duæ cathegoricæ rationem extremorum; unde nomine subjecti venit integra propositio cathegorica, ut patet in illa propositione Elvidii: *quia Sancta Maria, est vera Mater Dei, ideò non est perpetua Virgo*, circa quam, quando per simplicem, ac directam qualificationem, examinamus, qualiter Divina Omnipotentia composuerit privilegium perpetuæ Virginitatis cùm physica, & vera maternitate, tunc examen cadit supra cathegoricam; *Sancta Maria est physica, & vera Mater Dei*, & patet, quia id, quod affirmari debet, est altera cathegorica; idest: *esse perpetuam Virginem*. Ratio autem quare hæc qualificatio dicitur simplex,& directa, est, quia propositio inde post examen resultans, non est modalis, modo theologico, qualis deberet esse, quæ resultat ex qualificatione reflexa, seu composita.

15. Ut autèm hoc clariùs appareat, recolimus, quòd sicut Logica habet suas propositiones modales, quæ dignoscuntur per adjectionem illorum modorum: *Necesse, Impossibile, Contingens, & Possibile*; ut quando dicitur: *Contingens est hominem esse doctum*. Ita Theologia Dogmatica habet suas modales, & modi, quibus utitur sunt omnes notæ, gradus, seu species censurarum, videlicet: *Hæreticæ, Erroneæ, Superstitiosæ, & similium*, ut patet in hac propositione: *Matrem Dei non esse Virginem, Hæreticum est*: ex quo datur intelligi, quòd, nisi accedat tamquàm modus nota censuræ ipsi propositioni, qualificatio semper erit simplex, ac directa; & propositio resultans erit simplex, & de inesse, quamvis fuerit hypothetica, ut visum est; & tunc solùm erit qualificatio composita, seu reflexa, cum propositio resultans est modalis per adjectionem modi Theologiæ dogmaticæ; idest per additionem alicujus notæ pravæ ex gradibus censurarum theologicarum aut qualitatis bonæ, ut quòd propositio fuerit sana, seu sanam continens doctrinam.

16. Pro complemento hujus articuli, suggerunt Authores, cum P. Bordono *loco citato num. 3.* quòd ex eo quia ens triplex est, naturale, artificiale, & morale; ideo contingint dividere qualificationem simplicem, & directam, in naturalem, artificialem, atque moralem, quam divisionem, nos vocamus *ex parte objecti* desumptam, ad differentiam alterius divisionis qualificationis, idest in directam, & reflexam, quæ est divisio qualificationis *ex parte actus*; quia qualificatio directa, & reflexa, sunt diversi actus, una namque facit propositione m de inesse, altera verò modalem theologicam. Qualificatio verò naturalis,artificialis, aut, moralis semper facit propositionem de inesse, ut mox constabit; quamvis non sit negandum etiam in qualificatione directa, & reflexa esse aliquam diversitatem ex parte objecti, sed illa de materiali se habet; quia una qualificat subjectum propositionis; altera ipsam propositionem: nihilominus quamvis utrobique sit diversitas objectorum, tamen inter directam, & reflexam adest quoque diversitas actuum, quæ non intercedit inter qualificationes directas, naturalem, artificialem, atque moralem.

17. Ens igitur naturale est illud, quod est conforme regulis naturæ, artificiale, quod est consonum regulis artis, & morale, quod est correspondens regulis morum. Propterea contingere potest qualificatio directa circa subjecta in singulis generibus; & ideò hominem carentem oculis, qualificamus cæcum, quia non conformatur regulis naturæ requirentis oculos in homine. Item qualificamus cathedram distortam, si non habeat latera æqualia, ita exigentibus regulis artis. Similitèr, quia actus humanus exigit ex sui natura esse conformis regulis morum, ut sit honestus, propterea locutionem vocalem non concordantem cùm mentali, qualificamus actum inhonestum, idest mendacem.

18. In omnibus autem his tribus generibus qualificationum directarum, contingere potest prædicatum esse de intrinseca ratione subjecti, ac conficere propositionem in materia necessaria, v.g. *homo est corpus, cathedra habet latera, mendacium est formalis falsitas*; quo casu, ut dicebamus supra, est qualificatio in quale quid, seu potiùs quiddificatio; contra verò contingere potest,quòd prædicatum sit extra intrinsecam naturam subjecti, ac conficere cùm eo propositionem in materia contingenti v.g. *homo est albus* cùm possit esse niger, *cathedra habet sex latera*, cùm possit habere quatuor; *mendacium est jocosum*, cùm possit esse perniciosum; quo casu simplex hæc qualificatio esset pura, idest tantùm in quale, & non in quale quid.

19. Omnes autem propositiones, quas enumeravimus in his tribus generibus entium assignatis, quamvis possent esse falsæ in suo genere; nihilominùs in genere logico sunt rectæ, quia sunt conformes regulis logi-

logicis præscribentibus extrema, idest terminos ita debere distribui. Item quamvis dissonent regulis naturæ, artis, ac morum, possunt nihilominùs esse veræ, quoties videlicet prædicatum convenit subjecto, sicut est à parte rei; si namque enuncio, hominem esse cæcum, quamvis hic homo dissonet à regulis naturæ, prædicatum tamen non dissonat subjecto, sicuti est in re; adeoque non dissonat propositio à veritate. Idem patet cùm dicimus Petrus est mendax, cathreda est distorta, si prædicata conveniant subjectis à parte rei. Sed de hoc infra opportunior redibit sermo.

ARTICULUS II.

Quid sit Censura theologica? & per quid differat à Qualitate?

1. Necessariò addimus *theologica*, quia nomen censuræ est æquivocum, & æquè dicitur de theologica, ac de ecclesiastica, quæ inter se multùm differunt; cum censura ecclesiastica afficiat immediatè Personam, utpotè pœna, privans hominem baptizatum aliquo bono spirituali, censura verò theologica afficit immediate doctrinam, & mediatè Personam; nàm si doctrina est hæretica, Assertor est hæreticus saltem materialitèr. Item censura theologica aliquo modo, etsi non ita proprio, dici potest potiùs culpa, quàm pœna, quia exprimit pravitatem doctrinæ, aut personæ, & non est leve malum, Personam, aut doctrinam subjici censuræ theologicæ. Item censura ecclesiastica non tribuitur Personæ per eundem actum, quo tribuitur doctrinæ censura theologica, ut infra dicemus.

2. Et quamvis alicui doctrinæ, vel libro tribuatur pœna suspensionis, vel interdicti, quæ sunt voces exprimentes censuras ecclesiasticas; nihilominùs istæ voces sunt æquivocæ, & non significant idem, cum tribuuntur personæ, & cum tribuuntur doctrinæ, vel libro. Cùm enim tribuuntur personæ, significant privationem exercitii suorum ordinum, vel ingressus Ecclesiæ; cùm verò tribuitur doctrinæ, vel libro, indicatur illa non posse inservire christianæ eruditioni, quæ ad invicem discriminantur, & distinguntur.

3. Insuper censura ecclesiastica neque est secunda operatio intellectus, neque personæ tribuitur per actum aliquem intellectus, sed voluntatis, quia per sententiam Judicis; quamvis præsuppositivè sit judicium; at censura theologica, vel est ipsum judicium, seu secunda operatio intellectus conficientis hanc modalem theologicam: *Christum Dominum habere duas personalitates, hæreticum est*: vel tribuitur per actum intellectus, nam ipsa nota *hæresis*, cum tribuitur prædictæ propositioni per qualificationem reflexam, applicatur per actum, qui est etiam secunda intellectus operatio.

4. Quod, ut clariùs pateat, distingunt Dogmatici communiter inter censurationem, & censuram; & censurationem appellant utrumque examen, idest qualificationem, tàm directam, quàm reflexam, quibus inquirimus; *an duæ personalitates sint in Christo?* censuram verò dicunt illud attributum, seu notam, quæ resultat in propositione, per dicta examina, & qualificationes; examinatis enim ac qualificatis subjecto, ac prædicato propositionis, idest Christo, ac personalitatibus, & constito, ac definito, quòd Christus Dominus non habeat duas personalitates; & quòd Ecclesia id docuerit; tunc propositioni, illas asserenti, tribuitur nota hæresis, quæ dicitur propriè censura theologica resultans immediatè post qualificationem, seu censurationem reflexam.

5. Monent item Theologi discrimen inter *qualificare*, ac *censurare*, & inter *qualitatem*, & *censuram*, quòd censura sit nota prava, atque maligna, & censurare sit afficere prava, ac maligna nota propositiones, v. g. esse hæreticam, erroneam, aut scandalosam ac sic de cæteris; ut si diceremus; *hæretica est hæc propositio: Christus Dominus, sicut habet duas naturas, increatam videlicet, & creatam, ita, & duas personalitates, divinam scilicet, & humanam*, tunc illud prædicatum *hæretica*, quia est nota prava, & maligna, dicitur censura theologica. Qualitas verò est nota benigna, quæ tribuitur propositioni post prædictas qualificationes, seu examina; & qualificare est idem, ac per examen tribuere bonam notam propositioni, ut v.g. quòd aliqua propositio sit sana, sit pia, &c. quamvis usus usurpaverit, quòd censurare semper sit afficere prava nota propositionem; qualificare verò sit indifferens ad pariendam malignam, aut benignam notam.

6. Ex hucusque enarratis Theologi efformant descriptionem, quæ explicet naturam censuræ theologicæ hoc modo: *est nota prava ac maligna, quæ post qualificationem reflexam, atque theologicam, immediatè tribuitur*

tur doctrina. Bonitas hujus descriptionis melius apparebit, cùm infra constiterit, nullam esse *censuram* theologicam, cui non aptetur hæc descriptio, & hanc descriptionem non posse competere alteri, nisi puræ *censuræ* theologicæ.

7. Interim pro hujus descriptionis explicatione animadverti debet, quòd sicut dantur secundæ intentiones logicæ, idest quædam attributa, quæ afficiunt primas intentiones, & reflexè eis tribuuntur, post quàm illæ inter se invicem fuerint comparatæ, ut cum dicimus *hominem esse speciem*, *animal esse genus*; & similiter, sicut Grammatica suas habet secundas intentiones *nominativi, genitivi, &c. pluralis, singularis &c.* quæ resultant ex respectu, quo voces invicèm se respiciunt, quæ ab ipsa arte tribuuntur vocibus post examen reflexum, & mutuam comparationem ipsarum primarum intentionum: item Poetica suas habet, cùm unam compositionem appellat *distichon*, aliam *Tetrastichon*, unam *Epigramma*, aliam *Poema*, quas, veluti secundas intentiones post comparationem ad invicem suarum compositionum per examen reflexum illis tribuit.

8. Ita Sacra Theologia Dogmatica non modò docet per examen directum, seù simplicem qualificationem juxtà principia, & regulas fidei, *Verbum Divinum esse consubstantiale Patri*; sed prætereà per qualificationem reflexam, & compositam, docet ex iisdem principiis canonicis, illam propositionem non modò continere sanam doctrinam, seù esse *de fide*; sed oppositam esse *hæreticam*. Quare ista duo postrema prædicata se habent ad instar secundarum intentionum theologicarum; quia per comparationem harum propositionum cum regulis fidei, & aliis, quæ non suscipiunt similem notam, sed aliam diversam, V.G. *erroneæ*, *impiæ*, *temerariæ*, ac similium; illæ merentur, vel qualificationem sanæ, & *de fide*, vel malignæ notæ *hæreticæ*. Quare suo modo appellare possumus notas benignas, seù qualitates, & malignas, seù *censuras*, secundas intentiones theologicas.

9. Descendendo modò ad examen descriptionis censuræ theologicæ; in eo primo loco ponitur, *nota*, quæ stat loco generis; & est prædicatum indifferens ad malignam, & benignam, idest censuram, & qualitatem. Cùm autem dicitur *prava*, incipit differentia, per quam *censura* theologica distinguitur à *qualitate*, quæ est nota benigna. Item dicitur, *quæ post qualificationem reflexam*, quia nullum prædicatum, quod per examen etiam theologicum, dummodò fiat per *qualificationem* simplicem, & directam, tribuitur alicui subjecto, est propriè *censura* theologica; quia prædicatum, vel attributum, quod affirmatur, vel negatur de subjecto per directam *qualificationem*, ei competit, vel repugnat, aut ex natura rei, & in genere entis, vel ex ordinatione divina, vel ex institutione Ecclesiæ; quorum nulli competit ratio *censuræ* theologicæ.

10. Quod suadetur à sufficienti enumeratione omnium prædicatorum, quæ suis subjectis conveniunt in simplici, ac directo examine. Si enim dico: *Sancta Maria est vera Mater Dei*, prædicatum convenit subjecto ex natura rei, quia ipsa præstitit physicè quicquid necessarium est ad veram conceptionem filiorum. Similiter, si dicamus: *Sacramenta novæ Legis causant gratiam*, prædicatum convenit subjecto ex divina institutione talem efficaciam eis tribuente. Item si dicatur: *Sanctorum festa de præcepto sunt celebranda cùm abstinentia à servilibus*, prædicatum convenit subjecto ex institutione Ecclesiæ. Et quia hæc convenientia prædicatorum hujusmodi subjectis detegitur per examen directum, seù simplicem *qualificationem*; quamvis hæc possit esse theologica, non tamen illa prædicata erunt *censuræ* theologicæ, aut qualitates, seu notæ theologicæ, defectu *qualificationis* reflexæ, dici tamen poterunt propositiones *qualificabiles*, sicuti oppositæ possent inscribi *censurabiles*.

11. Dicitur etiam in prædicta descriptione, quòd *censura* theologica tribui debet, non solùm per qualificationem *reflexam*, sed etiam *theologicam*; quia quamplures qualificationes reflexæ pariunt prædicata, & secundas intentiones, quæ defectu examinis theologici, non sunt notæ theologicæ. Si enim dico; *omnes sunt elevati ad finem supernaturalem*, *est propositio universalis*, *Pauci verò electi*, *est particularis*; hæc prædicata, quia tribuuntur per *qualificationem* reflexam logicam, & non theologicam, ideò non sunt qualitates, aut censuræ theologicæ. Benè tamen si diceretur, *esse propositiones de fide*; quia tunc qualitas resultaret post examen reflexum theologicum erutum è Sacra Scriptura. Hoc tamen examen theologicum non semper ita strictè, ac rigorosè est accipiendum, ut excludat omninò philosophicum; sed dicitur theo-

theologicum, quia per se innititur solis principiis revelatis ad propositiones examinandas; estò quandoque in dictum finem conducant principia, & argumenta philosophica, ut aliquam dicunt cum illis connexionem, & quatenùs illis famulantur juxta dicenda *cap.2.art.7.*

12. Tandem dicitur *quòd prava nota per examen theologicum immediatè tribuitur doctrinæ, seù propositioni*; ut explicetur, quòd *censura* theologica non afficit per se subjectum propositionis, sed immediatè ipsam propositionem. Quod jam dabatur intelligi per illas particulas; *per qualificationem reflexam*; hæc namque sola attingit propositionem, quia directè, & per se non attingit subjectum ejus, aut Assertorem, seù Authorem assertionis, estò mediatè illum quoque afficere valeat; particula enim illa *immediatè* non excludit, quìn nota, seù censura theologica mediatè tribui possit Personæ, vel alicui facto externo, ut *aliquis homo est hæreticus, aliquod factum est blasphemum*, sed declarat, quòd *censura* immediatè afficiat doctrinam, & mediatè Personam, seù factum; ita ut transeat à doctrina ad Personam, non à Persona ad doctrinam. Valet enim, Propositio est *hæretica*: ergo Assertor est *hæreticus*, saltèm materialitèr; non contra, quia potest Persona esse *hæretica*, & aliquandò non asserere *hæresim*, ut si quis e.g, negaret quartam Trinitatis Personam, putans erroneè illam doceri ab Ecclesia Catholica, *hæreticus* proculdubiò esset, non tamen *hæresim* in re proferret, sed solùm ob erroneam imaginationem, qua duceretur. His præmissis:

13. Indubium est præfatam descriptionem censuræ theologicæ esse bonam, sufficientèrque explicare ejusdem naturam: & ratio est, quia non est assignabilis *censura* theologica, cui non competant omnes particulæ prædictæ descriptionis, nec est assignabile aliquod, quod non fuerit *censura* theologica, & ipsi conveniat prædicta descriptio. Hæ namque sunt proprietates rigorosæ definitionis. Primum patet, quia omnes *censuræ* theologicæ, quas usque modò Sancta Mater Ecclesia tribuit propositionibus sub Pio V. & Gregorio XIII. in proscriptione septuaginta quinque propositionum Michaelis Baii, & sub Innocentio X. & Alexandro VII. in damnandis quinque propositionibus Jansenii, & sub Innocentio XI. in proscriptione propositionum Michaelis de Molinos, aliorumque compluium, & sub Successoribus, in damnandis innumeris propositionibus Anonimorum, sunt similes notæ illis, quibus Concilium Constantiense *sess.8. & 11.* usum est in proscribendis Articulis Joannis Wiclephi, & Joannis Hutz, idest, *hæresis, suspicionis in fide, saporis hæresis, erroneitatis, scandali, seditionis, schismatis, malè sonantiæ, Blasphemiæ, impietatis, perniciei, periculi*, & similium, quibus omnibus, & singulis competunt cunctæ, singulæque particulæ propositæ descriptionis, ut discurrenti patebit: nam quælibet est *nota prava*, qua proscribitur articulus, quem afficit, & non tribuitur, nisi post *qualificationem reflexam*, quia conficit propositionem modalem theologicam, & *examen* est *purè theologicum*, quia non innititur præcipuè nisi regulis fidei; idest Verbo scripto, tradito, aut desinito.

14. Secundum suadetur, quia hujusmodi *notæ* ex praxi Conciliorum, aut Summorum Pontificum licèt mediatè, & ratione doctrinarum aliis applicentur, ut Assertori, vel facto, *immediatè* tamen non tribuuntur nisi doctrinis, seu propositionibus. Ex alia parte, non est assignabile aliquod, quod suscipiat verificationem illarum particularum, & non sit *censura* theologica; quare tantummodò *censuræ* theologicæ competit prædicta descriptio: adeòque præfata descriptio censuræ theologicæ est optima, & amplectenda.

15. Neque obstat, quòd nota *blasphemiæ* sit rigorosè, & cum omni proprietate *censura* theologica, ut patebit infra *cap.6. art.5. & sequentibus*, & tamen, non solùm competit *immediatè* doctrinæ, aut propositioni, sed etiam alicui facto simplici, ut patet in *blasphemia* facti; quod dicimus factum blasphemum, quo e.g. *quis pedibus conculcaret Sacras Imagines*, ad differentiam verbalis, quæ propositioni *immediatè* convenit. Non obstat, inquam, quia communis sensus Theologorum tenet non per se, & primò pravam notam *blasphemiæ* competere illi facto, sed derivativè, & per analogiam, ac proportionem, quam habet ad doctrinam, adeòque semper per se illa nota habet afficere propositionem, & per accidens illud factum. Non omisso, quòd *blasphemia* facti, licèt formalitèr non sit propositio, est tamen propositio, virtualiter; ideò enim illud factum est *blasphemum*, quia est conjunctum, vel conjungibile ex sui natura cum propositione mentali, quam habet, aut habere præsumitur Author facti, quòd *illud factum sit licitum*. Undè in hoc casu examinatur Author de sua intentione, & si

& si dignoscatur non habere hujusmodi judicium, non punitur, ut blasphæmus formalitèr hæreticalis.

16. Nec replicabis: benè stare potest blasphæmum factum carere pravo judicio mentali, imò componi cùm recto judicio interno, quòd sacræ Imagines sint dignæ cultu, & adoratione, adeoque non esse censurabile, & nihilominùs ex pravo affectu voluntatis, idest, motivo vindictæ procedere, ut cum, quis non exauditus ab aliquo Sancto, quem invocaverat, ejus Imaginem pedibus conculcat; in quo casu, factum, est blasphæmum, licèt illud patrans, de illius sanctitate, quem deprecatus fuerat, rectam opinionem retineat, subsistet igitur censura theologica, quin immediatè semper afficiat propositionem, ac doctrinam; quia pravus ille affectus voluntatis, non est propositio, neque actus intellectus, ut patet.

17. Clarum siquidem est etiam in isto casu posse intervenire aliud judicium pravum mentale virtualiter, & æquivalenter, videlicet, quòd *sit licita vindicta in Sanctos*, adeoque non nudum factum, sed ut conjunctum cum hoc pravo mentali judicio suscipit censuram theologicam. Et si dicatur, quòd hujusmodi factum etiam careat hoc secundo judicio mentali pravo, quòd *sit licita vindicta in Sanctos*, imo sit cum recto, & opposito judicio, quòd *non liceat*, tunc suscipit denominationem facti blasphæmi externi, quod ex sui natura possit esse conjunctum cum aliquo ex illis pravis judiciis, de quibus Ecclesia habet vehementem suspicionem, si Author facti sit suæ mentis compos, & plena deliberatione in illud prorumpat; unde fit quòd regulariter iste talis cogitur abjurare de vehementi, rariùs de levi, cum nempè series circumstantiarum vehementiam suspicionis imminuat.

18. Breviùs nihilominùs, & faciliùs solvi possunt prædictæ instantiæ per doctrinam positam in ipsa descriptione, dicendo per censuram theologicam *immediatè* affici propositionem, quatenus ex sui natura, & in actu primo exigat primò afficere doctrinam, quod non tollit, quin mediatè afficiat aliquod, quod non est propositio, ut vidimus in nota hæresis, quæ nisi priùs afficiat doctrinam, non afficit Personam, ad quam ab illa fit transitus. Idcircò applicando traditam doctrinam casui præsenti facti blasphæmi, asserimus affici illud non posse nota theologica, nisi hæc priùs apta per se sit afficere doctrinam, quæ vel actu habeatur, vel nata sit inesse in Operante deliberatè: Hinc blasphæmia non definitur *factum*, sed *dictum*, quod tribuat prædicatum repugnans Deo, aut Sanctis, vel quod removeat attributum, quod eis competit. Imò ipsum factum dicitur blasphæmia in actu exercito, in ordine ad actum signatum doctrinæ, quæ arguitur esse in mente, ad eum modum, quo, actus Religionis adorandi sacras Imagines, dicitur actus fidei in actu exercito, quia supponit actum signatum, idest, assensum in mente, quòd illæ sint adorandæ.

19. Posset etiam objici, quod nota *peccati*, vel *peccaminosi* sit pariter maligna, & prava, cumque per examen theologicum, simplex, ac directum conveniat actui simplici, & non propositioni; inde erui videtur, quòd censura theologica non semper competit immediatè doctrinæ, seu propositioni, sed aliquando simplici operationi; neque semper resultet ex qualificatione reflexa, ac composita. Verùm non urget hoc, ex quo certum est hujusmodi notam non haberi à Theologis tanquàm censuram, quamvis enim verum sit hujusmodi notam esse pravam, atque malignam, ac resultare post examen theologicum, nec non & afficere simplices operationes, hoc tamen non sufficit ad rationem censuræ theologicæ, sed præterea exigitur, ut nota conficiat propositionem modalem theologicam, qualis non est ista: *fornicatio est peccatum*; benè tamen ista: *fornicationem non esse peccatum, est hæreticum*. Et ulterior disparitatis ratio est, quia censura theologica per se respicit lineam veri, vel falsi, ad quam propriè spectat censura theologica; nota verò peccati lineam boni, vel mali attingit, quam non considerat per se censura theologica, nisi quatenùs in ea erroneum involvatur judicium, quo licitum putetur, quod est peccaminosum, vel peccaminosum, quod est honestum.

ARTICULUS III.

An usus censurandi propositiones in Ecclesia originem duxerit à Sinagoga?

1. **T**Ria sunt in praxi Ecclesiæ pro censurandis doctrinis. Primum, est examen, vel tantùm ipsorum Judicum, vel aliorum Peritorum in materiis juris divini, naturalis, atque humani, spectantis ad religionem, & mores, sive hi fuerint

rint Theologi Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Qualificatores, sive Universitates Catholicæ approbatę ab Ecclesia, vel Doctores sacrorum Canonum, quibus omnibus consultivè tantùm in Urbe convenit censurare doctrinas, eorumque laboribus utuntur Judices, idest, non modò Tribunalia sacra, quæ vocamus fidei, & Concilia nationalia, aut generalia, sed etiam ipse Summus Romanus Pontifex; extrà verò Urbem, votum Qualificatorum esse decisivum, & non tantùm consultivum, docet *Alberghinus cap. 14. num. 5. citans Rojam, & Dianam 4. part. tract. 7. resolut. 38. alios referentem*, quibus adhæret etiam *Bordonus loco citato n. 95.*

2. Secundum, est tribuere propositionibus specificam censuram, seu notam secundùm quam accedit, aut recedit à veritate fidei, aut ab honestate morum. Magis enim recedit à veritate fidei propositio hęretica, quàm suspecta de hæresi, & magis recedit ab honestate morum perniciosa, quam scandalosa, ut ex infrà dicendis *c. 7. art. 2. & 3.* ex instituto aperiemus. Tertium est infallibilitas judicii, idest, quòd Judex, cujus est authoritativè ferre sententiam diffinitivam censuræ, sit indefectibilis veritatis in docendo, itaut ejus judicio non possit subesse falsum, quia fides, ex quo est divina, habens pro objecto formali primam Veritatem indefectibilem, non potest subjici falsitati, & hujusmodi Judex unicus est, idest, Papa, cui Deus delegavit infallibilitatem prædictam in edocenda sua Ecclesia universali. Quare meritò quæritur an hæc tria præcesserint in Synagoga?

3. Nequit autem in dubium verti, in Synagoga fuisse examen doctrinarum spectantium ad religionem, & mores, faciendum à Judicibus, vel à Peritis, quos poterant adhibere; nàm habetur *Deuteron. cap. 16. v. 18.* dicente Domino: *Judices, & Magistratus constitues in omnibus portis suis, & lib. 2. Paralipom. cap. 19. v. 5. Constituit Judices terræ in cunctis civitatibus Juda*; & isti erant Judices minores, ac Tribunalia multiplicata in omni civitate. Præterea aderat aliud Tribunal, & quidem unicum solùm Hyerosolimis, cui præsidebat Pontifex, & ad illud tenebantur confugere Judices inferiores, aut etiam ipsi Clientes, quando inter se convenire nequirent, ut *Deuteron. cap. 16. vers. 8.* legitur: *Si difficile, aut ambiguum apud te judicium esse perspexeris, Judicumque inter portas suas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venietque ad Sacerdotes Levitici generis &c.* Diffinire verò difficilia, & ambigua, ac verba varia, idest oppositas sententias Judicum inferiorum, præstari nequit sine examine Peritorum.

4. Item *Levitici capit. 10. v. 8.* habetur: *Dixit quoque Dominus ad Aaron, vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis, Tu, & filii tui, quando intrabitis in Tabernaculum Testimonii, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea &c.* discernere autem, vel est ipsum examen, vel supponit examen; qui enim vult discernere inter diversa, necesse est, ut illorum diversitatem ponderet, & ex ponderatione ad resolutionem deveniat. Quòd si dicas, in intelligi de quæstionibus forensibus, civilibus, & criminalibus, id quidem verum erit, non tamen privativè, sed cumulativè, cum multò fortiùs habere debeat locum examen prædictum in materiis religionis, & morum. Restringitur ergo præsens controversia ad duo posteriora, videlicet, an apud Synagogam fuerit in usu diversitas specifica censurarum theologicarum, & supremus Judex fuerit infallibilis veritatis?

5. Dicendum est, diversitatem specificam censurarum, & infallibilitatem judicii in censurandis propositionionibus, fuisse in Synagoga. Est communis inter Theologos apud Becanum in *Analogia veteris, ac novi Testamenti cap. 10.* Primum nempè; quòd apud Synagogam erant varii gradus, & species censurarum, suadetur, quia in veteri Lege celebrata fuerunt plura Concilia Oecumenica, & in his, definita sunt diversæ controversiæ, nonnullæ pertinentes ad religionem, aliæ ad mores, cæteræ ad disciplinam, quæ definitiones non possunt parere, nisi diversas species censurarum, ut de se est evidens: Non enim negantes articulum fidei, arceri poterant eodem titulo, ac impugnantes honestatem morum, aut evertentes disciplinam ecclesiasticam; ergo in Synagoga præcesserunt diversæ species censurarum; diversæ namque pœnæ diverso titulo infigunt, & tituli hujusmodi sunt ipsissimæ censuræ, quæ afficiunt immediatè doctrinas, ac propositiones, & harum ratione mediatè Personas.

6. Siquidem Anno Mundi 2593. celebratum est primum Concilium generale Sychemiticum in Sychen summo Pontifice Eleazaro, sub Josue Rege, & Senioribus ad prohibendam societatem cum Gentilibus,

tiibus, & auferendos Deos alienos, ut habetur *Josue cap.* 24. & tradit Genebrardus *lib.* 1. *Cronologiæ ad annum* 2709. Secundum, fuit Hyerosolimitanum I. anno 3020. sub Sadoc, & Abiatar summis Sacerdotibus, & Davide Rege pro distribuendis Levitis in varias classes ad ministerium Templi, ut habetur *lib.* 2. *Paralipom. cap.* 28. & refert Josephus historicus *lib.* 7. *Antiquitatum cap.* 9. Tertium fuit Hyerosolimitanum II. sub Azaria summo Pontifice, & Ezechia Rege anno 3308. pro restituenda religione, templo, festis, & re divina, juxta dispositiones, & canones David, ut habetur 2. *lib. Paralipom. cap.* 29. & ex Spondano *in Annalibus sacris ad ann.* 3308.

7. Quartum fuit Hyerosolimitanum III. sub Helcia summo Sacerdote, & Josia Rege anno 3412. pro restituenda religione ab impiis Regibus pessundata, pro purgando templo, paschate celebrando juxta Majorum ritus, nec non & Ariolis expellendis, ut habetur *lib.* 4. *Regum cap.* 28., & tradit Genebrardus *lib.* 2. *Cronologiæ sub anno* 3526. Quintum fuit Hyerosolimitanum IV. anno 3609. sub Heliazib. S, & Nehemia Duce pro restituendo codice, & canone sacrarum Scripturarum, ut refert Chrysostomus *Homilia* 8. *in epistolam ad Hebræos*. Sextum fuit Hyerosolimitanum V. sub Eleazaro summo Pontifice pro mittendis in Ægyptum septuaginta duobus Interpretibus ad instantiam Ptholomæi Phyladelphi, ut libros Scripturæ, ex hebræis redderent græcos, ut narrat Augustinus *lib.* 19. *de Civitate Dei cap.* 24. & Josephus *lib.* 2. *Antiquitatum cap.* 2. & Eusebius *lib.* 1. *hist. eccl. cap.* 8.

8. Septimum Alexandrinum unicum anno 3859. sub Jonata summo Sacerdote, & Prolomæo Philadelpho Rege Ægypti, pro subsistentia templi hyerosolimitani Judæorum contra templum garazitanum Samaritanorum, in quo damnati sunt tanquam Hæretici cum suis propositionibus Samaritani præponentes templum garazitanum hyerosolimitano, ut habet Josephus *lib.* 13. *cap.* 6. *exemplaris græci pag.* 387. Octavum fuit Hyerosolimitanum VI. anno 3890. sub Juda Macabæo summo Pontifice, & Juda Machabæo Rege pro animæ resurrectione, & Angelorum existentia, & Spirituum, in quo damnati sunt hæretici Sadoch, & Bajeth Sadducæi negantes resurrectionem animæ, & Angelos: ut habet Bayl *in Summa fol.* 121. & Becanus *in Analogia veteris, ac novi Testamenti cap.* 10. Nonum fuit Hyerosolimitanum VII. anno 4051. sub Mathathia summo Pontifice, & Hærode Rege pro loco ubi nasceretur Christus, ut habetur *Matth. cap.* 2. Decimum tandem Synagoga habuit Concilium Hyerosolimitanum VIII. anno Christi 34. sub Caipha, qui erat Pontifex anni illius, & Tiberio Imperatore propter miracula Christi, ut habetur Joannis *cap.* 11. *v.* 47.

9. Sicut autem materiæ in prædictis Conciliis pertractatæ non dissimiles fuere ab illis, quæ discuti in Ecclesia Catholica solent in Conciliis generalibus, ac nationalibus approbatis, ita & affines eis adaptatas fuisse censuras autumare debemus; nec enim materiis adeò diversis, equalis eademque applicari poterat censura, aut nota, parùmque refert, quòd non exprimantur iisdem nominibus, quibus modò appellantur in Ecclesia, dummodò gradus sint iidem. Quod tamen nec est universaliter verum, cum constet, pleraque nomina, quibus Ecclesia catholica utitur, usurpata non minùs fuisse apud Synagogam, ut de *blasphæmia Levitico. cap.* 24. *v.* 16. & *Danielis cap.* 3. *v.* 96. & *lib.* 1. *Machabæorum cap.* 7. *v.* 38. *de impia, Deuteron. cap.* 15. *v.* 9. *de temeraria lib.* 2. *Regum cap.* 6. *v.* 7. & *Ecclesiastes cap.* 5. *v.* 1., & *Ecclesiastici cap.* 9. *v.* 25. *De scandalosa, ibidem cap.* 27. *v.* 26. *De perniciosa, ibidem cap.* 48. *v.* 6.

10. Secundum, in quo aliqua apparet difficultas, idest de infallibilitate judicii, convincitur, primò, ratione quadam universaliori, ex divina Providentia deducta, quæ si mirabiliter elucet in rerum temporallum dispositione, fortiori titulo relucere debet in rebus spiritualibus, & ad hominum æternam salutem spectantibus. Non reluceret autè si Supremus mundi Opifex homines ad supernaturalem beatitudinem conditos, aliquo in statu reliquisset orbatos mediis ad beatitudinis consecutionem simpliciter necessariis, quod sacrilegum est, cogitare de Deo, qui *Deus noster* appellari voluit, *Deus salvos faciendi*, (*ps.* 67.) Id autem prorsùs contigisset in Sinagoga, si hæc destituta supponeretur Doctore indefectibiliter illam instruente in iis, quæ ad supernaturalis vitæ possessionem essentialiter requirebantur. Cum enim pleraq; dubia, & difficultates orirentur in dies circa ea, quæ ad prædictũ beatitudinis finem spectarent, datum credendum est illis fuisse Doctorem, qui in istiusmodi instructione, errori nullatenùs esset subjectus, ne de Populo illo verificaretur, quòd esset sicut *parvuli fluctuan-*

ctuantes, omni doctrinæ vento circumducti, quódque Lex vetus defectuosa esset, & mutila, etiam in essentialibus, & simpliciter necessariis ad salutem.

11. Et defectus iste suppleri non poterat per sacras Litteras eidem traditas, ex quo de ipsismet sacris Litteris simile mox efformabitur argumentum; de eis etenim haberi possunt pleraque difficultates, & dubia, ob obscuritatem, qua concipiuntur, & ob quam illas Regius Psaltes *ps.7*. appellavit *tenebrosam aquam in nubibus aëris* juxta explicationem Clementis Alexandrini *lib. 6. Strom. versus finem*, ac proinde ad aliam regulam procedendum est, quæ universalis esset, doctisque, ac indoctis communem, nullique errori obnoxiam, aliàs cogeremur admittere processum in infinitum, eaque, alia certè esse non potuit, quàm supremus aliquis in terris Judex, qui indefectibilitatis privilegio gaudens, Populum sibi subjectum per rectas semitas, ad optatum salutis æternæ portum dirigeret. Hocve argumentum fundamentum habet in Augustino, qui *lib. de util. cred. cap.16.* ad rem, ita discurrit: *Si Dei Providentia rebus non præsidet humanis, nihil est de Religione satagendum. Si verò & species rerum omnium, quam profectò ex aliquo necessario pulchritudinis fonte manare credendum est: & interiori, nescio, qua conscientia Deum, quærendum, Deoque serviendum meliores quosque animos quasi publicè, privatimque hortatur: non est desperandum ab eodem ipso Deo Auctoritatem aliquam constitutam, quo velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum.*

12. Secundò: Postquam Josaphat Rex selegit Levitas, & Sacerdotes, *lib.2. Paralip. cap.19. v.10.* præcepit eis: *ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cerimoniis, de justificationibus, ostendite eis, ut non peccent in dominum*, ubi apparet tunc congressum Sacerdotum, & Levitarum habuisse figuram sacrarum Synodorum, ex ecclesiasticis Viris compactum; ad hunc verò congressum non pertinebat resolvere indefectibiliter præfatas quæstiones, sive, quia non possumus concedere Synedrin prædictæ infallibilitatem in definiendo, quam in lege Gratiæ ex instituto negamus Conciliis non approbatis: sive etiam, quia ibidem *v. 11.* subdit Josaphat Rex: *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit*: ergo ad hunc spectabat indefectibiliter definire authoritativè, ac judicialiter, siquidem ad Deum pertinent controversiæ de fide, religione, & præceptis in ordine ad æternam salutem, & præsidere in hujusmodi controversiis est Judicem agere: ergo in Sinagoga erat Judex infallibilis controversiarum fidei; nisi enim hujusmodi judicium fuisset infallibile, non conduxisset per certas, rectasque semitas ad æternam salutem, *& in his, qui ad Deum pertinent*, & proinde non solùm circa controversias legales, nisi hæ sumantur in latiori quadam significatione, quatenus videlicet omnes controversiæ sive de fide, sive de aliis rebus ortum ducebant ex ipsa lege, & per veram legis interpretationem debebant dirimi; ex prioribus enim particulis evidenter elucet, sermonem fieri de quæstionibus, quæ erant: *de lege, de mandato, de cerimoniis, de justificationibus* præter quas, nulla alia est assignanda, quæ à jurisdictione Pontificis, dici queat exempta.

13. Tertiò: ex discrimine, quod erat inter summum Pontificem, & alios inferiores Judices; nam quando oriebatur aliqua controversia difficilior, in cujus decisione inferiores Judices, vel dissentiebant, vel veritatem attingere non poterant, ordinabat Deus, ut Partes litigantes deferrent eam ad Pontificem, in superiori Concilio præsidentem, cum hac promissione, quòd ab eo recepturi essent, *judicii veritatem*, (*Deuteron: cap. 17. v.9.*) Si verò Pontifex in tali casu fuisset fallibilis, non accepissent ab eo *judicii veritatem*, nec promissio Dei fuisset adimpleta: ergo dicendum est in tali casu falli non potuisse.

14. Nec juvat replicare: hanc infallibilitatem non esse concessam Judici, qui præsidebat, sed toti congressui Levitarum, & Sacerdotum, qui dicebatur Synedrin, ut loco citato habetur: *Si difficile, & ambiguum apud te Judicium esse perspexeris .... Surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt, tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta Legem, sequerisque sententiam eorum, non declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.* Non juvat, inquam, quia ultra quod, sic ratiocinantes jam admitterent fuisse in Sinagoga Virtutem indefectibilem in docenda veritate fidei, esto eam fuisse adstruant, non in solo Præsidente, sed in toto Levitarum, ac Sacerdotum congressu.

15. Replicationis insubsistentia, ex contextu satis elucet, post relata enim verba; subjungitur: *Qui autem superbierit*

bierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis; morietur homo ille, & auferes malum de Israel: ex quibus patet mortis pœnam impositam eis, qui noluerint obedire *Sacerdotis imperio*, non autem eis, qui subjacere detrectaverint *Levitarum, ac Sacerdotum jussibus*, signum clarum infallibilitatem non in toto eorumdem cõgressu, sed in solo summo Pontifice resedisse. Unde quod antea dictum est, *quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem*, id de eis debet intelligi, vel tamquam consultivè se habentibus ad veritatem *Sacerdotis imperio* proferendam, vel, prout latum per ipsos judicium confirmabatur *Sacerdotis imperio*, vel, quatenus comprehendebant *Sacerdotis imperium*. Undè potius corroboratur assertum, quia si summus Pontifex indefectibilis in doctrina ad religionem, moresque spectante non fuisset, cur ergo sub pœna capitis tenebantur sequi illius decisionem? cur altera Pars cum tanto onere debebat subjacere sententiæ, quam poterat suspicari falsam, & iniquam esse? denique cur totus Populus in negotio religionis jubebatur id sequi, quod Pontifex indicabat sequi oportere, si Pontifex errare potuisset?

16. Contra primam partem asserti instari posset; quia diversitas censurarum ortum habuit in Conciliis generalibus Constantiensi, Basileensi, & à Romanis Pontificibus in Bullis suis, ut passim videre est; ergo hujusmodi species censurarum non fuerunt apud Sinagogam.

17. Respondeo primò, quamplures species censurarum potuisse non occurrere, ut patet, sicuti neque in singulis Conciliis Ecclesiæ omnes simul occurrerunt. Secundò, quia quamplures, quæ poterant occurrere, jam supra in *hoc eodem articulo n.9.* visum est, frequenter fuisse usurpatas in veteri Testamento à Sinagoga. Tertiò, quia non sunt expressæ ab Hæbræis iisdem nominibus, sed æquivalentibus; in lege autem Evangelica Summi Pontifices, Episcopi, & Doctores adinvenerunt in suis Conciliis, aut Bullis, nomina magis propria, quæ clariùs, ac distinctiùs exprimerent proprietates propositionum censurabilium notis theologicis.

18. Contra secundam partem asserti à Sectariis adducuntur plura: Primum, quòd Aaron Pontifex fuerit Author Idolatriæ, quando *Exodi 34.4.* proposuit Populo vitulum aureum adorandum; *formavit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem, dixeruntque: hi sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Quomodo ergo in Sinagoga fuit indefectibilitas judicii?

19. Respondeo; Aaron non fuisse Pontificem, quando vitulum ex auro conflavit, nec fuisse Authorem idolatriæ; si quidem Sacerdos consecratus fuit à Moyse anno secundo egressionis ab Ægypto, prima die mensis primi, quando Tabernaculum fuit erectum, ut *Exod. cap.40.v.12.* clarè patet; *applicabisque Aaron, & filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, & lotos aqua indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, & unctio eorum in Sacerdotium sempiternum proficiat*, tunc autem vitulus jam fuerat conflatus, existente Moyse adhuc in monte Syna cum Deo. *Exod.cap.31.&32.* Neque Aaron fuit author Idolatriæ, sed ipse Populus; ut *ex c.32.v.1.* eruitur; *videns Populus, quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversùs Aaron dixit: surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant &c.*

20. Secundum: Quia Urias summus Sacerdos, ablato Dei cultu, fabricavit altare Diis Assiriorum, quibus sacrificavit, ut *lib.4.Reg.cap.16.v.11.* habetur: *extruxitque Urias Sacerdos altare juxta omnia, quæ præceperat Achaz de Damasco*.

21. Respondeo: Uriam errasse quidem, sed non, dum fungeretur Judicis munere, & tanquam Præses Concilii in dirimendis controversiis legalibus, docendo populum universum; sed errasse in facto, & tanquam persona privata, ob timorem obediens mandato Regis Achaz; non ergo habuit errorem in intellectu, aut in doctrina, qua Populum instruebat, judicans honestum illud factum; ad eum fermè modum, quo discurrimus de Petro Principe Apostolorum qui *Matth.cap.26.vers.72.* dicitur negasse Christum: *& iterum negavit cum juramento, quia non novi Hominem*, quin tamen fidem interiùs amitteret per errorem in judicio, sed purum dictum scandalosum protulit per vim, & metum cadentem in virum constantem, quod postea trina confessione, fidei, & expressione amoris purgavit.

22. Tertium, quia tempore Isaiæ, omnes Speculatores Populi erant cæci, juxtà illud (*Isaiæ cap. 56. v. 10.*) *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia*: isti autèm erant summi Sacerdotes in Sinagoga: ergo non poterant habere infallibilitatem judicii, in dirimendis controversiis legalibus religionis, & morum.

Ref-

23. Respondeo suppositum esse evidenter falsum, quia summi Pontifices, non poterant esse plures, sed unus, qui residens Hyerosolimis præsidebat judicibus superioribus Sacerdotum ordinis levitici juxtà superiùs dicta. Speculatores ergo illi, vel erant pravi Sacerdotes ordinis inferioris, vel meliùs juxtà interpetrationem Hieronymi, sensus illorum verborum est propheticus,& Speculatores cæci non erant Pontifices illius temporis, sed Scribæ, & Pharisæi, qui extituri erant tempore Apostolorum, cum Jerusalem erat vastanda à Romanis sub Vespasiano Imperatore.

24. Quartum tempore Jeremiæ, Prophetæ omnes, Sacerdotesque loquebantur mendacium, juxta illud (*Jeremiæ cap.* 6. *v.*13.) *A minore quippe usque ad majorem omnes avaritiæ student, & à Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum*. Hoc autem nequit stare cùm infallibilitate judicii; ergo &c.

25. Respondeo solutionem esse clarissimam, nam ly *usque ad Sacerdotem, & Pontificem* sumitur exclusivè, & solum vult Jeremias, quòd Sacerdotes, & Prophetæ inferioris ordinis, quærentes lucra in prædictione futurorum, loquebantur mendacium; non autèm vult Pontificem in decisione controversiarum legalium, & religionis loquutum fuisse mendacium, neque eosdem Sacerdotes, ac Prophetas inferiores mentitos fuisse, dum in Concilio Pontifice approbante diffinirent quæstiones ad legem, religionemve spectantes, sed extra in loquutionibus privatis, & quoad solam futurorum, qua avaritiis inservientes ab utebantur, prædictionem.

26. Quintum.: Quia idem Jeremias propter verbum Domini publico decreto omnium Sacerdotum, & Prophetarum fuit damnatus ad mortem, quæ definitio,ac determinatio fuit impia, dum prædictione illa *urbs desolabitur*, vix per Jeremiam *c.*26. *v.*10. prolata: *audierunt Principes Juda verba hæc, & ascenderunt de domo Regis in domum Domini, & sederunt in introitu portæ domus Domini novæ, & loquuti sunt Sacerdotes, & Prophetæ ad Principes, & ad omnem Populum dicentes, judicium mortis est viro huic, quia prophetavit adversùs civitatem istam*.

27. Respondeo huic Concilio non interfuisse legitimè Summum Pontificem, sed tantùm Sacerdotes inferiores, quibus non est concessa infallibilitas, sed summo Sacerdoti, ultra quod,judicium non fuit latum servatis de jure servandis, sed tumultarie, & in seditione vulgi, ut advertit Hyeronimus, & patet, ex illis particulis textus, quibus apprehensus Jeremias dicitur ne dum à Sacerdotibus, & Prophetis sed & *ab omni Populo*, ac cætenus Principes Juda Jeremiam liberaverunt à morte, quod non fecissent, si sententia à Summo Pontifice legitimè pronunciata fuisset; ac denique dicta sententia in Jeremiam lata ad præsentem quæstionem non pertinet, non enim error ullus fuit in ea, quo ad decisionem alicujus controversiæ legalis & religionis, de qua in præsenti agimus, sed erraruut dumtaxat Sacerdotes in eo, quòd dicerent falsam esse Jeremiæ prædictionem de imminente eversione civitatis Hierusalem.

28. Sextum, quia Christus Dominus à Pontificibus, Scribis, & Senioribus Populi in publico Concilio Sinagogæ morti est adjudicatus: (*Matth. cap.*26. *v.*3:) *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & Seniores Populi in atriis Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas*, quod autem sententia exierit à Pontifice patet (*Ioan. cap.*11. *v.*49.) *unus autem ex ipsis Caiphas nomine,cum esset Pontifex anni illius, dixit: expedit vobis, ut unus moriatur Homo pro populo, & non tota gens pereat*.

29. Respondeo plura in hoc argumento in unum congeri, ac confundi, quæ sunt distinguenda,diversum namque Concilium fuit illud à Joanne relatum, in quo Caiphas protulit verba illa,*expedit* &c.ab altero, in quo lata est in Christum sententia: *Reus est mortis*,(*Matth.*26.*v.*57.) In illo asserimus Caipham erasse ex una parte, ex altera non errasse. Erravit, Christum innocentem morte dignum proferens, ex invidia, & æmulatione; non erravit,quatenus *cum esset Pontifex anni illius prophetavit*. In isto autem dicimus absolute errasse, ac proinde fuisse divina assistentia pænitus destitutum. Ratio autem diversitatis ex eo desumitur, quòd Sinagoga per Christi adventum expirare debebat, non tamen, tota simul, & eodem momento, sed successivè, & quasi per partes. Hinc in Concilio congregato in Dominica Nativitate *Matt.*2.4. ad Herodis interrogationem, ubi Christus nasceretur, reponsio,quam dedere,fuit vera,infallibilis, ex infallibili Dei assistentia promanans: *In Betleem Juda* &c. deinde assistentia paulatim defecit, cum, ut tetigimus, eadem Caiphæ locutio, falsa fuit,& impia relatè ad iniquum animum Proferentis, justa,& prophetica relatè ad Deum, sicut enim olim

lingua

linguæ asinæ Balaam motor fuit Spiritus Sanctus, quando voluit, ut annuntiaret de futura gratia; ita linguam Caiphæ *movit ad verba, quæ pronunciaret de gratia Redemptionis*, ut loquitur B. Albertus Magnus *in Evang. Io, cap.* 11. tandem assistentia totaliter defecit, nihilque proinde in ultimo Concilio contigit, in quo Redemptor noster *reus mortis* est pronunciatus, quod quicquam divinæ illius rationis ostenderet. Corruit proinde instantia utpote formata de Caipha, cum jam Pontifex revera ampliùs non esset, infallibilitatis privilegio prorsùs extincto.

ARTICULUS IV.

An Propositio etiam interna, & mentalis sit qualificabilis, & censurabilis?

1. Propositionum nunnullæ sunt merè internæ, & mentales, quæ nullo modo à mente exivere, & dicuntur per se occultæ, aliæ exierunt ab ore prolatæ, vel scripto exaratæ, vel facto aliquo, quod de sui natura illas indicare natum sit, adeoque sunt externæ. Quod adhuc dupliciter contingere potest, primò, si hujusmodi externæ propositiones, quæ exierunt à mente, ore, scripto, vel facto, sint omninò occultæ, licèt per accidens, quia nemo illas audivit, & tantùm notæ suo Authori, cum tamen sui natura potuissent ab aliis audiri, si prolationi fuissent præsentes, debitèque approximati loquenti; secundò si aliqua ex dictis viis ad aliorum notitiam devenerint; ita ut in isto gradu, propositiones sint omninò publicæ, aut saltem aliis à Proferente manifestæ.

2. Non autem in omnibus eamdem proferendam sententiam de triplici hoc propositionum censurabilium genere, ex eo facilè patet, quòd de per se occultis, sustinere communiùs soleant Theologi, eas non subjacere externo Ecclesiæ judicio, adeo ut nec reservata censeri valeant, etiam si hæresim formalem cõtineant, sed absolvi à quolibet Confessario queant. Non sic autem aliæ omnes, quæ reservationi æqualiter subjacent, ad quam sufficit quòd externè propositio indicetur, aut proferatur, ut quis subeat excommunicationem latæ sententiæ, à qua absolvi nõn possit, nisi ab Apostolica Sede, sivè publicæ, aliisque manifestæ revera sint, sive adhuc occultæ, ex quo tales non sint per se, & sui natura, sed per accidens, ut jam indicavimus. In præsenti autem non agimus de propositionibus censuralibus publicis, ac aliis à Proferente notis, sed de occultis, quæ per se tales sint, seu purè mentalibus, quarum occasione etiam de occultis per accidens, quòd nulli à Proferente innotuerint, in objectionum solutione aliquid insinuabitur.

3. Circa quod, non potest esse dubium, quin propositio omninò interna, & mentalis possit ab eodem Authore, si fuerit peritus examinari, qualificari, aut censurari, utilique labore qualificari, totum hoc negotium mentaliter ex se ipso perficiendo. Cum enim quilibet actus etiam internus, ac mentalis jam elicitus, habeat à parte rei suam malitiam, aut bonitatem, veritatem, aut falsitatem; nihil prohibet quin sit capax qualificationis, vel censuræ. Quinimò si Author reticens suum assensum circa articulum hæreticum, illum exhiberet sub specie dubii examinandum, vel cùm solemnitate Tribunali Sanctæ Inquisitionis, vel privatim alicui Doctori, nemo prohiberet hujusmodi examen.

4. Quo casu, peto, vel hæc propositio, quæ per modum dubii exhibetur examinanda, altero ex prædictis modis, est eadem numero, quæ erat omninò interna, ac purè mentalis, vel aliquo modo diversa saltèm numero? si primum, jam mentalis directè, ac per se qualificatur, aut censuratur; si aliquo modo diversa, tunc saltem per accidens, indirectè, ac mediatè illa interna, ac mentalis qualificatur, aut censuratur; quare concludendum est propositionem internam, atque mentalem, esse omninò capacem qualificationis, aut censuræ. Nihilominùs articulus non procedit de qualificatione, aut censuratione propositionis mentalis, & internæ secundùm se, & quomodocumque, sed in judicio, seù tribunali, ac foro; idest de examine juridicè faciendo ab Inquisitoribus per suos Theologos.

5. Dicendum est itaque, propositiones omninò mentales, & internas, etiam si fuerint non modò objectivè, ac materialitèr sed etiam formalitèr, ac subjectivè hereticæ, & cùm plena scientia, advertentia, atque pertinacia, non esse censurabiles à Judicibus. Mihi videtur hoc assertum evidens, sicut, & Patri Bordono *in suo Sacro Tribunali cap.* 41. *n.* 69. *per totum*, adeoque non esse in ejus examine immorandum. Primò, quia; Tribunal non potest procedere contra aliquod delictum, nisi habeat notitiam delicti, aut via denunciationis, aut clamorosæ insinuationis, aut inquisitionis. Suppositio

posito autem, quòd propositiones sint omninò internæ, ac prorsus mentales, nulla ex iis viis possunt innotescere Tribunali: ergo usque dum sic perseverant, non sunt ab eo censurabiles.

6. Nec juvat respondere, quòd si aliquis Iconomacus haberet hoc judicium deliberatum cùm plena advertentia, quòd *non debeatur Sacris Imaginibus cultus, ac veneratio*, illudque pænitus internum, ac mentale perseverans; si nihilominus aliquo facto blasphæmo *illas pedibus conculcet*, tunc etiam si propositio adhuc perseveret interna, ac mentalis, certum est Sacrum Tribunal posse procedere contra talem, adeoque in isto casu posset censurare propositionem internam prorsùs, atque mentalem, nec deductam juridice ad suum forum.

7. Non juvat inquam, quia, non est idem, posse procedere ad inquirendum an Author facti habeat propositionem in mente? ac posse procedere ad examinandam propositionem per se internam, ac purè mentalem, quia si facta inquisitione, reus non fateatur habere propositionem, Tribunal non potest procedere ad illam examinandam, quia aliàs examen esset de subjecto non supponente: hinc quamvis posset punire factum, non verò posset censurare propositionem, ut subjectivè in eo revera existentem, exteriùs tamen nullatenùs manifestatam.

8. Posset quidem punire aliquo modo illud factum materiale, imo, & quia ex eo haberet vehementem suspicionem hæresis, posset per subsidia Juris procedere ad inquirendam, & extorquendam intentionem, seù existentiam propositionis mentalis, quam si reus fateretur, jam desineret esse mentalis, & merè interna, adeoque facta externa caderet sub judicio tribunalis Ecclesię, quod sicut poterat punire factum, sibi notum, ita & propositionem tunc sibi manifestatam censurare; ergo dùm propositio perseverat esse merè interna, ac mentalis, & omninò incognita Judicibus, aut, Theologis non potest cadere sub ejus examine, ac ita se haberet, sicuti si non existeret ullo modo, & quod aliquo modo non existit, affici non potest pœna, aut præmio, laude, aut vituperio.

9. Tùm quia actus omninò interni relinquuntur soli judicio Dei, & non possunt examinari à Tribunali aliquo, docente Urbano II. relato *cap. Erubescant* 11. *dist.*30. quòd, *de manifestis quidem loquimur; secretorum autem, & cognitor, & Judex, Deus est*. Idem dicit Stephanus V. relatus in *cap. Consuluisti* 2.*quæst.*8. his verbis: *Spontanea enim confessione, vel testium applicatione publicato delicto, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro judicare, occulta verò, & incognita, illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum*. Item in tantùm propositiones qualificantur, inquantùm Judex, earum qualitate perspecta, possit procedere ad præmium, vel pœnam, juxta exigentiam qualificationis datæ. Est autem certum, & *cap. Sicut tuis literis* 33.*de Simonia* habetur, quòd *occulta delicta non sunt ab humano judicio judicanda*, & *cap. Lege tua nos*, dicitur: *Nobis datum est de manifestis tantùmmodò judicare*, & *cap. finali* 32. *quæst.*5. quòd *latentia peccata vindictam non habent*, quod intelligendum est de vindicta humana: ergo propositiones omninò internæ, & mentales non possunt à Judicibus censurari.

10. Militant contra assertum sequentes instantiæ, Prima, si hoc esset verum, valeret quoque de propositione externa, ac vocali per accidens occulta, & nota soli Authori, quia etiam ipsa non potest innotescere Ecclesiæ, nisi ab Authore manifestetur, quare si supra dictum est hanc cadere sub judicio Ecclesiæ, similitèr mentalis interna, ac per se occulta cadet sub jurisdictione Ecclesiæ; adeoque poterit censurari.

11. Respondeo non esse idem asserere quòd hæresis vocalis, & externa per accidens occulta possit ab Ecclesia reservari ne absolvatur, ac posse ab ea censurari; nos primum fassi fumus, non secundum. Tum quia quando dicitur non posse absolvi à puro Confessario, supponitur manifestata sufficientèr in ordine ad Tribunal sacramentale, in quo nihil prohibet privatim censurari, quod non negamus. Non adhuc tamen est sufficienter manifestata fidei Judicibus, ac proinde neque ab his poterit de ea proferri sententia, nisi accedat spontanea Proferentis confessio, quæ externum faciat, quod erat omninò internum, quo casu, nec negamus propositionē mentalem evadere qualificabilem, & censurabilem. Unde propositiones mentales, & per se occultæ, & aliæ per accidens occultæ, quantumvis externæ, soli tamen Proferenti notæ, in aliquo conveniunt, in aliquo discriminantur. Conveniunt, in hoc, quòd alii ab Authore illas qualificare nequeant, nisi ab eodem promantur, aliisque communicentur; differunt

runt quia omninò mentales, nec qualificantur exteriùs, nec sunt qualificabiles, non sic autem per accidens occultæ, quæ sicut sui natura ab aliis percipi valent, ita & sunt per se qualificabiles, estò per accidens qualificatio in actu secundo non possit haberi, ex quo nullus illas proferre audierit,

12. Secunda. Per hoc, quòd propositio est merè interna, ac mentalis, ac per se occulta, non tollitur, quin sit ex suis intrinsecis qualificabilis, aut censurabilis, quia omnis propositio, quomodocumque existat, dummodò existat, aut est falsa, aut vera, bona, aut mala: adeoque ex suis intrinsecis examinabilis, & consequenter qualificabilis, vel censurabilis: ergo si est talis in se, talis erit etiàm in ordine ad sacrum Tribunal.

13. Respondeo, aliud esse, propositionem esse in se censurabilem ab intrinseco, & aliud, esse talem relatè ad Tribunal; primum, est ejus prædicatum intrinsecum, ipsam sequens in omni statu, ad quod salvandum, sufficit posse censurari à Deo, vel ab ipso Authore propositionis: at ad verificandum secundum, requiritur, ut sit nota Tribunali; imò sicuti ideo est censurabilis ab Authore, aut à Deo, quia ipsis est nota, ita, nisi fuerit nota Judici, non est ab eo censurabilis: quare ad instantiam dico, propositionem mentalem, atque omninò internam, esse per se intrinsecè censurabilem radicalitèr, ac remotè, & in sensu diviso, excludente statum mentalitatis, non verò formalitèr, ac proximè, & in sensu composito, durante statu solius internæ existentiæ; sicuti dicimus, cœcus est aptus ad videndum remotè ut homo est, non proximè ut cœcus.

14. Tertia: Posset Judex Spiritu prophetico, Deo revelante, cognoscere in altero, propositionem merè mentalem, & internam censurabilem, quare nihil impediret, quin illam posset examinare, licèt existentem solùm in mente, & omninò, per se occultam.

15. Respondeo, casum esse possibilem, & propositionem esse manifestatam, sed tunc, nisi, Deo jubente, non posset judicialitèr procedi contra reum. Nos autem loquimur de qualificatione, quæ regularitèr contingit, & modo humano, ad quem est necessaria prævia notitia modo humano habenda: quia, cum hoc judicium sit voluntariè instituendum, & voluntas non feratur in incognitum, nisi objectum fuerit modo naturali cognitum, judicium non potest juridicè institui; adeo ut si reus negaret habere propositionem censurabilem, estò illa esset per revelationem nota, non posset procedi contra ipsum, nisi, ut innuimus, Deus ipse diversimodè faciendum disponeret:

16. Quarta: Indicatum est in roboranda assertione, quòd in causa facti blasphæmi, quo quis pedibus conculcaret sacras Imagines, Tribunal Sancti Officii possit punire factum, non tamen censurare propositionem, sed hoc videtur contradicere ei, quod dictum est supra *art.* 2. respondendo ad quodd; argumentum, ubi diximus blasphæmiam facti, licèt non sit propositio formalitèr, virtualitèr tamen esse, quia in tantùm illud factum est blasphæmum, in quantùm præsumitur conjunctum cùm propositione mentali blasphæma, quod repetitur etiam *capit.* 6. *art.* 5. & 6. *per totum.*, ubi manifestè dicitur non puniri tantùm ipsum factum, sed etiam judicium; modò sic; propter quod unumquodque tale, & illud magis: si ergo factum punitur propter propositionem purè mentalem; igitur punibilis, adeoque censurabilis, est propositio purè mentalis,

17. Respondeo sæpe nos dixisse, non esse necesse factum blasphæmum semper conjungi cum judicio blasphæmo formali, seu virtuali, ac interpretativo, cùm possit componi cum sano, ac recto dictamine: adeoque posse optimè stare facti punitionem, sine censura judicii. Quia verò hoc etiam potest esse pravum, non modò virtualiter, verùm etiam formaliter, tunc utique fatemur censurabile fore, cum non sit propositio mentalis, ac purè interna, sed facto jam manifestata, ac publica, quia triplicitèr propositio mentalis, & interna, fieri potest externa, videlicet dicto, scripto, & facto, ut *initio articuli* præmisimus. Hinc, vel propositio censurabilis non est conjuncta cum facto censurabili, & tunc, hoc est punibile, non illa censurabilis; vel si est conjuncta, non est merè interna, & mentalis, quia facto manifestata, saltèm præsumptivè, quam non controvertitur esse censurabilem.

18. Hujus articuli summam comprehendit Bordonus in *suo Tribunali sacro cap.* 41. *num.* 69., quòd tàm propositiones internæ, quàm externæ capaces sint qualificationis, ita, quòd deductæ ad forum contentiosum, qualificantur in ordine ad præ-

 mium,

mium, vel pœnam, etiam illæ internæ, de quibus non constat, nisi dependenter ab externis signis, cum quibus necessariò conjunguntur, vel judicantur prudentèr conjungi, quia ambæ sunt capaces veritatis, & falsitatis, bonitatis, & malitiæ; immò in actu exeunt cum una, aut altera ex his qualitatibus, in quibus fieri debet qualificatio, attentis circumstantiis personarum, locorum, temporum, & modorum, quibus contingunt fieri actus humani. A fortiori autem externi actus, qui communem habent capacitatem cùm internis qualificari possunt, quia cadunt sub sensu, & judicio hominum: ergo illos qualificare potest Judex, & quisque peritus.

19. De actibus verò internis conjunctis cùm externis constat, quia afficiuntur eadem bonitate, vel malitia, qua externi; communem enim bonitatem, vel malitiam, distinctam, vel indistinctam cum illis habent ex objecto, quod utrique propositioni est commune, eademque ratio libertatis, à quo denominatur actus humanus, reperitur in utraque; cum sint idem numero actus in ratione moris, si tempore non diversificantur, & versentur circa idem objectum; ergo possunt pariter qualificari. Propositiones verò omninò internæ, seù occultæ, per se non sunt examinabiles, quia nullam connexionem habent cum externis. Ita Nav. *tom.4. de Judic. à nu. 53. ad 68.* Graff. *tom.1. consid. un. de sponsal.* ubi (*n.6.*) *tunc*, ait, *judicari de occultis, si adsint signa exteriora.* Vide quoque Becanum *de lege humana quæst.5.n.3.*

ARTICULUS V.

An Propositio manifestè prava sit censuranda in ordine ad objectum tantùm, an etiam ad Subjectum?

1 PEr propositionem manifestè pravam non intelligimus illam, quæ ex suis terminis comparata sanctis Ecclesiæ determinationibus stabilitis in materia Religionis, & morum, seù regulis fidei, pravum evidenter habet sensum, seu intelligentiam, ut illa: *Christus non est Deus*: patet namque propositiones hujus generis qualificandas ampliùs non esse, sed qualificatas supponi, per ipsam Ecclesiæ definitionem, cui clarè opponuntur. Unde dumtaxat de iis posset examen institui non quoad pravitatem simpliciter, quæ evidens est, sed quoad pravitatis gradus, qui omninò non pateat, an nempè sit hæretica, erronea, malè sonans &c.? Ad quod examen conficiendum plena requiritur notitia quarumlibet censurarum, earumq; specificativorum, de quibus singillatim hoc opere instituetur sermo.

2. Manifestè igitur pravam vocamus propositionem illam, quæ absolutè tamquàm prava examini exponitur, quæque unicum habeat sensum, qui vel pravus simpliciter; vel bonus esse debeat, ac ut talis simpliciter judicari. Ad differentiam propositionis dubiæ, aut æquivocæ, quæ suscipere potest bonum, & pravum sensum, ut hæc: *Christus est minor Patre*; quæ, si loquamur secundùm *Divinitatem*, pravam habet intelligentiam: bonam verò, si procedat secundùm *humanitatem*; juxtà illud Athanasii in Symbolo: *æqualis Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem.* Acturi igitur articulo sequenti de propositionibus dubiis, aut æquivocis, in præsenti solùm de manifestè, seù de non æquivocè pravis, aut saltem ad sacrum Tribunal delatis, tamquam absolutè, & sine ulla ambiguitate pravis, examinabimus an censurari debeant in ordine solummodò ad objectum, vel etiam habito ad Subjectum respectu?

3. Censurare autem, vel qualificare aliquem articulum in ordine ad objectum, est illum examinare in sensu obvio, seù secundùm se, & pro ut sonat ex suis terminis, seù ex natura terminorum, non quòd termini naturaliter significent res, cùm omnes significent ad placitum humanum; sed quòd hoc placitum induxerit talem consuetudinem, quæ videtur quasi altera natura. Cum ergo termini sint materia propositionis, sunt objectum materiale examinis, præscindendo ab eo, quòd propositio sit ab hoc, vel illo Authore prolata, ex hoc, vel illo libro, aut thesi excerpta; unde dici potest examen propositionis, aut doctrinæ veluti in abstracto; hæcque eadem denominatio inde tribuenda damnationi, quæ ex hujusmodi oritur examine, ut nostra hac ætate videre est in tabulis propositionum proscriptarum per Alexandrū VII. Innocentium XI., & Alexandrum VIII., quæ prohibitæ à dictis Pontificibus fuere absque ulla designatione Authorum, qui eas docuere, aut librorum, è quibus fuere depromptæ.

4. Censurare verò, vel qualificare propositionem per ordinem ad Subjectum, no indicat subjectum, quod est pars propositionis; hoc enim contingit in qualificatio-

cationc simplici, ac directa cujuscumque propositionis, quæ proponitur qualificanda, quoties videlicet examinamus an prædicatum conveniat subjecto? sed significat Subjectum inhæsionis, seù Authorem, aut Assertorem, qui elicit, ac amplectitur illam; sitque, ut assequi valeamus, qualis fuerit sensus Assertoris, aut Fautoris? Ex quo apparet examen subjectivum præsupponere examen objectivum, illudque subsequi, quo jam censurata est propositio, tamquam manifestè, seù non æquivocè, prava, & inservit, ut dignoscatur an fuerit in Authore qualificatæ pravitatis nota affecti sensus intentio?

5. Quod adhuc dupliciter potest intelligi: primò, ut sub damnatione veniat mens ipsius Authoris penitus interna, sive hæc fuerit propositioni per ipsum manifestatæ conformis, sive non? & de hoc, quæstio non procedit, quia Ecclesia non judicat de merè internis, nisi quatenùs connexionem involuunt cum externis, estò quandoque ex externis per juris remedia deveniat ad investigationem internorum, Authores cogendo ad exprimendam mentem, qua has, vel illas propositiones docuere, vel edidere.

6. Secundò, ut sub damnatione veniat mens Authoris, sive, quæ revera fuerit, sive saltem, quæ esse debuerit, seù quam fuisse ostendunt verba per ipsum prolata, aut libri ab eo scripti, vel typis traditi: sicque proscriptas ab Apostolica Sede conspicimus quinque propositiones Jansenii in sensu ab ipsomet Jansenio intento, nec non & propositiones viginti tres Episcopi Cameracensis anno Jubilei universalis 1700. cum expressione, qua intelligi deberent damnatæ in sensu, qui colligebatur ex ipsa concatenatione sententiarum extantium in libro, quem edidit Præsul prædictus. Unde hujusmodi examen, & quæ ex ipso oritur damnatio, est veluti in concreto, ad differentiam præcedentium, quæ diximus facta in abstracto, seù independentèr ab Authoribus, seù libris à quibus, vel in quibus propositiones traditæ, aut insertæ reperiebantur.

7. Indeque etiam colligendum, videtur, examen, aut damnationem habita in concreto, non esse per se primò directa ad punitionem Authorum, aut ad Personarum damnationem. Licèt namque, cùm Ecclesia damnat aliquam propositionem, id faciat, ut fideles immunes sint ab erroribus, suspectisque doctrinis, & propterea, ut Authores earumdem ab ipsis docendis, ac tradendis resiliant, vel eas ad bonum, rectumque, per terminos clariores, & saniores, sensum reducant, & explicent; non tamen intendit Personas ipsorum macula ulla inurere, nisi postquàm in propositionum proscriptarum damnatione pertinaces reperierit, quæ pertinacia præsumenda, neutiquam est in Authoribus bonæ famæ, & catholicam redolentibus fidem, de quibus benè sentiendo, donec oppositum satis probetur, censeri debet, prædictas propositiones docuisse, vel tradidisse, quòd virus in eis contentum non agnoverint, sive quia non exactè discusserint, sive quia illationum vim, & connexionem non perfectè perceperint, sive ex alio quolibet motivo, quo excusari quidem valeant à malitia voluntatis, non tamen ab erroneitate, ut ita dicam intellectus, estò ab ipsis non agnita, quæ proindè materialis dici assolet, non formalis. His præmissis.

8. Dicendum est, propositionem manifestè, seù non æquivocè, aut ambiguè pravam, ne dum posse ab Ecclesia censurari in ordine ad objectum, & veluti in abstracto, sed etiam in concreto, & relatè ad Subjectum, seù ad ipsius Authorem. Assertum non videtur indigens probatione, utpotè, quia fundatum in Ecclesiæ praxi, utrumque examinis, ac damnationis modum exercentis, ut *numeris præcedentibus* abundè indicavimus; Unde potiùs investigandum manet, cur diversitatem hujusmodi Apostolica Sedes exerceat in propositionibus censurandis, ac damnandis, & difficultas orta præsertim videtur ex decreto fel. rec. Innoc. XII., quo ad tollenda dissidia exardentia, occasione constitutionis Alexandrinæ, qua exprimebantur quinque propositiones Jansenii damnatæ in sensu à Jansenio intento, declaravit alium non esse sensum hujusmodi, quàm sensum obvium earumdem propositionum indicatum per earumdem verba, & per verba, eorumque connexionem extantia in libro Jansenii.

9. Hoc namque posito, etiam cùm damnantur propositiones in abstracto, revera damnari videntur in concreto, nec enim damnatio eorumdem in abstracto dicitur, quia non sit damnatio propositionum in sensu obvio, quemque verba earumdem præseferunt, aliàs dici deberent damnatæ propositiones in sensu, quem non important, quod est à veritate alienum; cùm ergo damnentur in sensu obvio, damnantur

utique in sensu ab Authoribus ipsarum intento, utpotè expresso in ipsa significatione vocabulorum ubique recepta, ac eatenus nullum erit discrimen inter unam, & alteram damnationis, aut censuræ speciem, assignabile.

10. Cui difficultati occurrentes, dicimus, utique verum esse, quòd cùm propositiones damnantur veluti in abstracto, damnentur in sensu obvio, & quem verba præseferunt, ac proinde in sensu ab Authoribus earumdem intento, seu quem ex verbis, ac contextibus apparet fuisse, aut saltem esse in eorumdem mente debuisse; cùm tamen Apostolica Sedes in censura, aut damnatione non exprimit Authores, à quibus propositiones traditæ fuerint, nec libros, aut opera, ex quibus fuerint excerptæ; estò eædem dici debeant damnatæ, ac proscriptæ in quocumque inveniantur libro, ac à quocumque fuerint Authore traditæ, non ideo dici potest determinatè, & in individuo easdem propositiones damnatas, prout traditas ab hoc determinato nominatim Authore, seu ut excerptas ab hoc, vel alio determinato libro, vel opere, quòd si id assereretur, aliam veritatem non haberet prolatum, quàm authoritatis privatæ, & privati Doctoris invenientis doctrinam, aut propositionem, ab Ecclesia proscriptam, in hoc, vel illo libro, vel opere, non autem authoritatis supremæ, qua dici valeat mentem Ecclesiæ fuisse damnare eamdem propositionem, ut in hoc determinato libro, vel opere, ut ab hoc, vel illo determinato Authore.

11. Ratio autem, ob quam Ecclesia non semper explicat Authores propositionum, quas prohibet, vel libros, ac opera, in quibus insertæ reperiuntur, multiplex esse potest; si quidem quandoque id provenit, quia ad sacra ejusdem Tribunalia delati non fuerunt Authores, vel libri, sed solummodò propositiones in abstracto, quæ etiam possunt non esse ex ullo libro excerptæ, sed tantùm ab aliquibus Recentioribus ore, aut scripto in Academiis, scholis, thesibus, ac congressibus traditæ: unde satis est, quòd Apostolica Sedes eas proscribat in abstracto, uti fuere denuntiatæ, cùm præsertim hoc modo remedium sufficiens præbeatur, ne ampliùs serpant, & per catholicum diffundantur fidelium cætum.

12. Quandoque eædem propositiones non in uno, aut altero reperiuntur libro, vel opere, sed in pluribus, quæ ob nimiam multiplicitatem damnare non expedit, ac proinde damnantur in abstracto, ne per expressionem unius, aut alterius Authoris, præbeatur occasio asserendi easdem non fuisse damnatas, ut in aliis Authoribus, indeque desumendi vanos prætextus, ac effugia easdem sustinendi, ac propugnandi cùm fidelium scandalo, ac detrimento.

13. Quandoque etsi in uno, aut alio reperiantur libro, vel opere, hoc tamen tanta est in Ecclesia utilitatis, sanamque adeo redolens in reliquis doctrinam, ut non censeatur expediens propter unam, aut aliam propositionem, totum librum, ac opus damnationi subjicere, sed sufficiens habeatur suspectæ solius propositionis, aut propositionum in abstracto damnatio; ob quam rationem permittuntur communiter in Ecclesia, opera veterum Authorum, Sanctorumque etiam Patrum, quamvis in eis aliquis nævus irrepserit, cùm præcipuè eorumdem lectio non singulorum fidelium sit propria, sed doctorum, ac peritiorum dumtaxat, qui seligere valent pretiosum à vili.

14. Quoties verò Sanctæ Sedi ne dum deferuntur propositiones in abstracto, sed & libri, aut opera ipsa, sive id fiat, quia illa plena habeantur ejusmodi propositionibus, sive quia nihil aut parùm utilitatis ex delatis ejusmodi operibus, eruendum appareat, sive etiam, quia timeantur ex Authorum, seu operum indemnitate plurima oritura mala in pusillorum præsertim perniciem; Pia Mater Ecclesia de salute Catholici gregis sollicita, non tantùm propositiones in abstracto, damnat, sed easdem excerptas declarat ex hoc, vel illo determinato Authore, damnatasque exprimit in sensu, qui in eodem libro, ac opere eluceet, quique ab hoc, vel illo Authore fuerit intentus, seu intendi debuerit, ut ex obvia earumdem significatione, seu ex concatenatione sententiarum libri, aut operis abundè indicatur.

15. Non inde quis inferat, Ecclesiam in hujus generis examine ac damnatione intendere definitionem hujus, vel alterius sensus grammaticalis verborum; quatenus videlicet hæc, vel illa vox, imposita sit ad significandum ex solo hominum placito hanc vel illam rem, ut v.g. in sequenti propositione, *Deus non est Creatura*, quòd Deus significet ens à se, & Creatura ens productum, ita namque non cadit sub ejusdem definitione, sed præsupponitur ad quodlibet examen, aut censuram, recurrendum-

que

que pro ipso est ad primos vocabulorum impositores, eoque præhabito, Ecclesiæ est proprium, decernere dogmata fidei sensumque Sacræ Scripturæ explicare, ejusdemque consequenter esse proprium prorsus debet, & contraria dictis dogmatibus asserta explodere, sensusque Sacræ Scripturæ repugnantes reijcere, aliàs mutila, & defectuosa foret Ecclesiæ authoritas, penitusque, insufficiens, ut adversùs eam non prævaleant portæ inferi, si posset tantùm decernere germanum Sacræ paginæ sensum, non autem declarare qui nam sit sensus oppositus, quique dici debeat hæreticus, aut aliqua simili censura dignus?

16. Hinc itidem apparet, Ecclesiam damnando aliquam propositionem in sensu Authoris, uti fecisse tetigimus in damnatione propositionum Jansenii, non resolvere aliquam quæstionem puri facti, sed juris factum præsupponentis. Factum enim, ut persistamus in eodem exemplo, situm unicè est in eo, quòd Jansenius verè Author fuerit libri, ex quo supponuntur propositiones excerptæ, quòd verba illa hanc habeant significationem, quam nempe illis imposuere nostri Majores &c. at quòd sensus earumdem propositionum pravus sit, ac hæreticus, Verbo Dei repugnans, factum dici non debet, sed jus, cujus decisio ad Ecclesiam infallibili authoritate præditam unicè pertinet, eodem prorsùs modo, quo, ipsius est, propositionū adversantium illis, quę in Sacra pagina continētur, verum sensum expendere, & oppositū orbi catholico rejiciendum proponere.

17. Haud igitur novus aliquis modus damnandi propositiones inventus est ab Alexandro VII. aliisque Pontificibus summis latam damnationem exprimentibus in sensu ab Authoribus earumdem intento, sed ad summum per ipsos praxis perantiqua Conciliorum, & Prædecessorum aliorum Romanorum Pontificum, aliquantulùm clarior, & explicatior est reddita; quod probari facile posset inductione damnationum emanatarum contra hæreses in generalibus Conciliis profligatas unà cum earumdem Authoribus. Nisi enim damnatio habita fuisset in sensu per dictos Authores intento, nulla fuisset ratio eisdem respectivè censuris illos subjiciendi, nec motivum ullum superesset, ob quod Arianus dici deberet, e.g. qui negaret, *Verbi consubstantialitatem cùm Patre.* Nestorianus *qui admitteret duas personalitates in Christo* Eutychianus, qui *in eodem negaret dualitatem naturarum impermixtarum*, nisi re vera hæreses prædictæ damnatæ fuissent in sensu intento ab Ario, Nestorio, & Eutychete, à quibus proinde prædictam desumpsere denominationem.

18. Opponi autem primò hic potest id provenisse propter dictorum Hæreticorum pertinaciam in defensione falsorum dogmatum, quæ pertinacia, cùm in aliis non supponatur, qui protestati sunt se proprias propositiones, libros, & opera submittere S.R.E. correctioni, uti revera fecisse scimus Jansenium, non videtur, quòd in isto casu, propositiones ab iisdem prolatæ, aut editæ, damnari jure meritò queant in sensu ab ipsis intento.

19. Respondeo hanc instantiam ex æquivocatione procedere, ad quam aperiendam, notamus, nusquam nos dixisse damnatos ab Ecclesia fuisse Arium, Nestorium, & Eutychetem, quia eorum propositiones, & falsa dogmata proscripta fuere in sensu ab ipsis intento, si enim hoc esset, utique quoties Ecclesia damnat propositionem ullam in sensu Authoris, toties damnare censeretur personâ Authoris, quod falsum esse, patet ex damnatione propositionum Jansenii, quas damnatas vidimus, in sensu à Jansenio intento, quin fuerit Jansenii persona eidem damnationi subjecta. Quod ergo diximus, est, non potuisse personas Arii, Nestorii, & Eutychetis damnari, nisi propositiones, quas ipsi docuerunt, fuerint damnatæ in sensu ab ipsis intento; si namque alius fuisset sensus propositionum proscriptus, alius intentus à prædictis Hæreticis, neutiquam in his, argui potuisset pertinacia in falsis dogmatibus, quæ supponitur defendisse in sensu, in quo falsa dici non possent, nec repugnantia Verbo Dei scripto, tradito, aut definito.

20. Quod, ut clariùs appareat, notandum ducimus ex his, quæ dicturi sumus infra *cap.4. art.8.* pertinaciam videlicet duo involvere, unum præsuppositivè, idest actum intellectus, seu notitiam sufficientis authoritatis Ecclesiæ, ut proponentis aliquod esse fide divina credendum, alterum formaliter, videlicet actum voluntatis resistendi Ecclesiæ docenti, seu proprium non subjiciendi judicium authoritati ejusdem; hæc autem duo in praxi haberi non possunt, nisi propositio, ac dogma, de quibus instituitur sermo, in eodem damnato sensu negetur ab eo, qui dicitur pertinax in defensione suæ propositionis, unde ut Arius pertinax haberetur in prolatione hæ-

hæreticæ illius propositionis: *Verbum est creatura*, & tamquam pertinax anathemati, aliisque pœnis subjiceretur, necesse fuit, quòd dicta propositio objectivè accepta in obvio ipsius sensu opponeretur Sacris Paginis, ac Ecclesiæ Catholicæ menti definientibus *Verbum Patri consubstantiale*, quòdque Arius ex una parte optimè id noverit, & ex alia, persistere voluerit in dictæ propositionis defensione.

21. Verissimum ergo esse debet, quòd etsi possit damnari aliqua propositio in sensu Authoris, nulla inflicta censura in Authoris personam, quia hic, vel notitiam sufficientem non habuerit definitionis Ecclesiæ, eamdem propositionem rejicientis tanquàm hæreticam, aut erroneam, vel saltem animus paratus in eo fuerit se subjiciendi ejusdem Ecclesiæ correctioni, attamen non potest, quis anathematizari tanquam pertinax Author alicujus doctrinæ damnatæ, nisi hæc fuerit damnata in eodem sensu, quo ab eodem pertinaciter defenditur, quique ab eo, revera intendatur, quod erat probandum pro plena oppositionis solutione.

22. Secundò opponi potest quandoque Authores obscurè loquutos fuisse, aut loqui, quo casu non apparet quomodò Ecclesia possit, ne dum damnare propositiones in abstracto acceptas, sed etiam in concreto, & relatè ad eosdem Authores, ac in sensu per ipsos intento.

23. Respondeo aliud esse, sensum alicujus propositionis obscurum esse, & sensum esse æquivocum, ac plurium significationum capacem, adpræsens nos, ut protestati fumus, non loquimur, cum sensus æquivocus est, de quo, *articulo sequenti*, sed cum unius est significationis, licèt obscurè conceptæ. Et de hoc, dicimus, ad Ecclesiam pertinere resolutionem, an sensus hujusmodi obsurè conceptus sit hæreticus nec ne? eo planè modo, quo ad ipsam spectat sensum Sacræ Scripturæ explicare, ac de fide credendum proponere, quamvis obscurus ille appareat.

24. Ut enim indicavimus *num.* 11. & *sequentibus hujus articuli*, eamdem authoritatem habere debet Ecclesia in explicandis textibus, aut propositionibus Sacræ Scripturæ proponendo credendum fide divina hunc, vel alium eorumdem sensum, ac in explicandis, ac definiendis textibus, & propositionibus oppositis, tradendo eorumdem sensum germanum tanquàm rejiciendum eadem fide divina, qui sensus, vel erit ille idem, qui formalissimè intenditur ab Authore, vel certè, qui ab eodem intendi debuerit, quod satis est, ut propositio aliqua damnetur in sensu Authoris, seu in sensu, quem verba germanè intellecta præseferunt fuisse intentum ab Authore, estò hic excusari valeat ex ignorantia, inadvertentia, aut simili alio motivo, quod sufficiens sit ad indemnitatem Personæ, non autem ad indemnitatem doctrinæ, ne damnetur etiam in sensu per ipsum intento, modo explicato.

25. Benè tamen accidere potest, quòd aliqua propositio quamvis æquivoca absolutè, & in toto rigore dici non possit, ad huc tamen sit capax plurium sensuum, saltèm si cùm aliquali benigna interpretatione sumatur, quo casu Ecclesia damnans eamdem propositionem, eam accipere solet in illo sensu, qui obvius fuerit, & quem in stricta proprietate, verba præseferunt, quemque Author habere in mente debuerit, verbis utendo juxta acceptionem, ac significationem, quam ipsis dedere, & posteris habendam tradidere vocabulorum impositores, cum præsertim ex doctrina contextibus, aliisque circumstantiis satis pateat Authorem in dicta proprietate fuisse locutum, de quo clarum extat exemplum in damnatione propositionum Baji, post quarum enumerationem *in Bulla* Pii V. incipiente, *ex omnibus afflictionibus*, expressè subditur: *Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quamquàm nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, ac quæcunque super iis verbo, scriptoque emissa præsentium authoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus, deque iisdem, & similibus posthàc quocumque pacto loquendi, scribendi, & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus.*

26. Cujus damnationis tenori anno 1580. de mense Maji mirè respondit ipsiusmet Baji revocatio articulorum, quos scripserat, & docuerat, dum in ea fatetur: *plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis libellis à me olim, & ante emanatam Sedis Apostolicæ super iis censuram, conscriptis, & in lucem editis, contineri & defendi etiam in eo sensu, in quo reprobantur*, ut videre est apud Ripaldam ad calcem *tom. 3. de ente supernaturali.*

AR-

ARTICULUS VI.

An propositio æquivoca sit censuranda contra, vel qualificanda ad favorem Proferentis?

1. Propositionem æquivocam, seu ambiguam esse censurabilē, videtur extra controversiam, eo ipso enim quòd est æquivoca, seu ambigua, constituitur ex duplici sensu, altero videlicet pravo, altero sano, ut ex instituto dicemus infra *cap.* I. *art.* II. ex qua duplici intelligentia, cujus est capax, talis propositio non pôtest præscindere à periculo erroris, quod est censura theologica infra explicanda *cap.* 6. *art.* 4. *& cap.* 7. *art.* 9. sive periculum erroris fuerit in materia religionis, sive morum: est autem censurabilis censura theologica ante sui explicationem, nam si explicetur secundùm pravam intelligentiam, tunc coincidet cum propositione manifestè, seu non ambiguè prava, quam *præcedenti articulo* examinavimus, sicuti si explicetur secundùm rectam intelligentiam, eodem modo coincidit cum propositione manifestè sana, quæ catholicum redolet sensum: item æquivoca, & ambigua propositio differt à manifestè seu non ambiguè prava, quia hæc ex sui natura nequaquam admittit sensum sanū, utpote constans unica intelligentia, eaque mala, si saltem in sua rigorosa proprietate sumatur, ut etiam innuimus *articulo præcedenti*, secundæ occurrentes oppositioni; propositio verò æquivoca seu ambigua habet ex sui natura sensum mixtum; adeoque capacem sanæ ac rectæ interpretationis, nisi saltem usus invaluerit illam accipere vel absolutè juxta rectam significationem, vel simpliciter juxta pravam, quia tunc non ampliùs considerari deberet tamquam æquivoca duplicemque sensum involvens.

2. Exemplum habes in hac propositione, *Christus est minor Patre*, quæ potest intelligi *secundùm humanitatem*, & esse catholica, *& secundùm Divinitatem*, & esse hæretica; alia exempla exhibet P. Bordonus in his propositionibus: *Deus habet corpus, Deus habet sanguinem*, quæ si accipiantur pro tempore ante Incarnationem, forent blasphemæ hæreticales: si verò pro tempore subsequenti, redolerent Catholicam veritatem: unde objectivè consideratæ, in sensu obvio, possunt alicui subjacere censuræ theologicæ, ob suspicionem, quam sui natura ingerunt pravitatis in eis contentæ, ut dicetur infra *cap.* 6. *art.* 1. 2. *&* 3. *& cap.* 8. *art.* 11. & propterea monent, Authores, hujusmodi propositiones non esse proferendas sine interpretatione, & explicatione, præcipue coram Rudibus, ne isti in unico tantum sensu, eoque pravo, illas sumendo, decipiantur.

3. Dicendum propositiones æquivocas seu ambiguas esse examinandas subjectivè, seu relatè ad Authorem proferentem, & quidem censurandas adversùs eum, si posset præsumi suspectus de errore, qualificandas verò ad favorem ejusdem, si non præsumitur suspectus de aliquo errore: hoc assertum est commune apud Farinacium, & Rojas infra citandos, quibus adhæret Bordonus *in suo Sacro Tribunali cap.* 40. *tn.* 86. pro quo animadvertimus, non eodem modo accipiendum esse examen subjectivum in propositionibus æquivocis, quo loquuti sumus de non æquivocis, seu manifestè pravis *art. præced.* in istis enim Authoris sensus in rigore non inquiritur, cùm revera non lateat; si ignarus etenim ille non sit significationis vocum, idem esse præsumi debet ipsius sensus, ac ille quem verba ipsa in toto rigore præseferunt; estò adhuc Author excusari valeat, ob inadvertentiam, aut ignorantiam, ac proinde non esse pertinax, nec consequenter punibilis: in illis autem, Authoris sensus inferri non potest ex solis verbis, aut ex solo sensu, qui indicatur per verba; cùm enim hæc non unius, sed multiplicis significationis sint sui natura capacia, quarum alter sanus, rectusque sit, alter pravus, notaque theologica dignus, patet ex ipsis solis ostendi, ac deduci neutiquam posse, quænam fuerit Proferentis mens, recta, ne an prava? unde, ut hæc eluceat, ulterius examen est instituendum, ab examine totius sensus, quem verba involvunt.

4. Et quidem, si Author propositionis æquivocæ, est suspectus de aliquo errore, quia videlicet aliquando fuit in Sancto Officio punitus, tamquam reus propter blasphemias, vel habet malum testimonium circa mores perditos, sive quia est de genere Paganorum, aut Judæorum, sive quia natus aut enutritus, aut saltem conversatus in locis hæresi infectis, tunc non est ipsi credendum, quòd protulerit propositionem in sensu sano, quia præsumptio juris tunc staret contra ipsum, utpote redditum vehementer suspectum de pravo sensu, quem potuit faciliter habuisse, adeoque per

per subsidia juris est exquirenda confessio de suo interno judicio, super intelligentia, ac sensu propositionis prolatæ; hoc autem est censurare propositionem adversùs Proferentem, illamq; examinare subjectivè in ordine ad Authorem, uti discurrunt, Royas *de Hæreticis part.1. num.205.* Directorium Inquisitor. *part.3.quest.62.conf.111*, & Farinac. *quæst.187.num.11.* aliique apud ipsos.

5. Sicut econtra si Proferens, vel Author non est suspectus de aliquo errore, sed fidelis bonę opinionis,& famæ,quia oriundus ex Catholicis, semper inter ipsos enutritus,vivens in Dei timore,ac frequentans opera pia, Ecclesias, & Sacramenta, & loquatur aliquam propositionem, æquivocam, hæc nullatenus est censuranda, adversùs eum, quia præsumptio de sensu sano, ipsi favet, ac proinde standum est suæ explicationi, ut enim optimè notat Card. Albicius *in suo egregio tract. de Inconstantia in fide part.2. cap. 15. num.3.* quoties verba possunt habere duplicem sensum, debent semper interpretari in eam partem, per quam, delictum excludatur, & citat pro se Baldum, Albertinum,& Innocentium, qui omnes intelligendi sunt quoties Proferens propositionem æquivocam, ut nuper diximus, de se pravam non ingesserit suspicionem.

6. Hinc clarior elucet disparitas inter propositiones æquivocas, & manifestè seù non æquivocè pravas, quod enim de his diximus *artic. præced.* valere videlicet illationem ex doctrina, ad doctrinæ Authorem, arguendo: *doctrina est hæretica, ergo Author est hæreticus saltem materialiter*, locum non habet in propositionibus æquivocis, quæ cum imbibant sensum pravum, & sanum, non potest ex ipsis inferri potius mens Authoris prava, quàm sana, unde recurrendum est ad alias circumstantias, ad personam Authoris spectantes, adeo ut potius arguendum hic videatur ex Authore ad doctrinam,quæ licèt objectivè considerata sit suspecta ex dicendis *cap.6. art.1. & seqq. & cap.7. art.* [illegible] ob sensus duplicitatem, ut autem dicatur determinatè potiùs sana, quàm prava, aut è contra, ex Authoris qualicatibus est deducendum, modo nuper expenso, qui tanti roboris est, ut etiam si Author affirmet se protulisse propositionem in sensu sano, fides ipsi minimè habeatur, quoties contraria de eo prævalebit suspicio, & præsumptio, ut mox indicavimus.

7. Aliud itidem discrimen elucet inter propositiones æquivocas, & manifestè, seù non æquivocè pravas, ex diverso modo eas censurandi erutum. Manifestè etenim pravæ assignamus censuram actu exprimentem pravitatem sive in fide,sive in moribus, quæ in ea determinatè continetur, ex. gra. *hæretica, erronea, scandalosa*, aut *perniciosa*, Propositioni verò æquivocæ, ante ipsius explicationem, non tribuimus aliam notam nisi, *periculosa*, in fide, aut moribus respectivè, quæ videlicet non exprimat errorem, qui actu in ea formaliter, ac determinatè extet, sed periculum dumtaxat erroris; adeò ut, si æquivocatio sit in materia fidei, vocetur *sapiens hæresim*, seù *suspecta de hæresi*, juxta dicenda infra *cap.6. art.2.* si verò æquivocatio fuerit in materia morum, reducitur ad *male sonantem*, seu, quod idem est, *ad piarum aurium offensivam*, juxta explicanda infra *cap.7.art.7.* quia est de malo sono intrinseco,& absoluto, ac proinde *periculosa in moribus*, modo ibi tradendo.

8. Nostro itidem asserto favent sacri Canones, & præcipuè *cap. Intelligentia, de verb. significatione, cap. Propterea, & cap. in his, eod.tit.* in quibus clarissimè exprimitur, quòd *intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei, est sermo subjectus*, quòdque *in his, quæ ambiguitatem continent .... non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem, cùm, non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire*. Nec non, & jura civilia, ut passim videre est *in l. ex conducto 15. §. Papinianus ff. locati, l.13. de excusat. tutor. l. in ambiguis ff. de R. I. l. Paulus ff. de rebus dubiis* aliisque similibus. Cùm igitur propositio æquivoca in materia religionis, ac morum, in se ipsa non habeat unum determinatum sensum, aliàs æquivoca non esset, ut itaque tamquam determinatè prava, potiùs, quàm sana, vel è contra,qualificetur,ad Authoris intentionem, & voluntatem est confugiendum, uti benè ratiocinatur Nazarius *tract.de blasphem. qu.3. n.8.* circa propositionem affirmantem aliquid,aut negantem de corpore Dei, cujus sensus, sanus, aut pravus pendet ex Proferentis mente, an videlicet fuerit directa ad Deum subsistentem in humanitate post Incarnationem; vel ad solam divinam Naturam subsistentem in tribus Personis divinis, seù individuum Deitatis, nullo habito respectu ad humanitatem assumptam? Nazario adhæret Ricciulius *lib.5.de jure eorum, qui sunt extra gremium cap.6.n.7. & seq.* Albertinus *de Catholicis assertionibus q.34.n.48.* Fari-

Farinac. *lib.* 87. *num.* 11, Carena *part.* 2. *tit.* 16. *num.* 21.

9. Contra assertum posset instari, quia: Author non suspectus posset habere pravum sensum ob ignorantiam, quo casu propositio est censuranda subjectivè contra Proferentem; ergo propositio dubia non est examinanda ad favorem Authoris proferentis, quia propositio est examinanda ad evacuandam ignorantiam Proferentis non suspecti, quare est procedendum contra ipsam ignorantiam: adeoque est censuranda contra Proferentem, si non ad punitionem, ad minus ad emendationem, & depositionem erroris.

10. Respondeo argumentum, si benè percipiatur, nobis favere, debitam ei adaptando explicationem, quæ hactenùs dicta reddat etiam clariora. Cum enim quis probatæ fidei pronunciat propositionem æquivocam in materia religionis, & morum, debet quidem hæc in sensu sano, & rectò sumi, & interpretari, id exigente comprobata Proferentis bonitate, dummodò non præponderet notitia ignorantiæ, qua Proferens fortassis laboret, quæque in his vel illis circumstantiis, satis indicat propositionem in pravo sensu ab eo prolatam fuisse. Utroque autem casu, patet propositionem examinari relatè ad Proferentem, & in primo, ex Proferentis bonitate qualificari, ut sanam; in secundo, ex Proferentis erroneo judicio, censurari, ut pravam. Ac proindè bonitas Proferentis inservit, vel ad determinandam propositionem ad sensum catholicum, ut in primo, vel, ut in secundo, ab excusando Proferente à pravitatis imputatione, quòd non possit malitia de eo præsumi, in quo erroneitas judicii inculpabilis supponitur, & proinde formaliter hæreticus dici nequeat, quantumvis in sensu hæretico locutus fuerit, sed tantùm materialitèr, quod sufficit, ut ex eo sensus propositionis determinetur, & ad examen subjectivum, de quo agimus.

11. Non proinde inferri valet, falsò in nostro asserto stabiliri, propositionem equivocam favore Proferentis censurandam, si Proferens nulla fuerit pravitatis suspicione inustus. Eo ipso namque, quòd in Proferente supponatur judicii erroneitas, jam pravitatis suspicione non caret, non quidem, quæ sit formaliter, & imputabiliter talis, sed quæ in re, talis sit, licèt Proferenti non imputabilis, utpotè inculpabiliter eam habenti. Hocve eodem sensu, quo Proferens materiali pravitate infectus asseritur, propositio adversùs eum censuratur, quòd nempè sit e. g. hæretica, ut potè prolata ab Authore, qui licèt formalitèr sit habendus catholicus, in prolatione tamen dictæ propositionis, est considerandus, ut materialiter hæreticus. Quæ tamen censuratio, nec est censuratio ad punitionem, ex quo puniri non debeat, qui culpabiliter non operatur, nec consequenter est censuratio adversùs personam Proferentis, sed adversùs ipsius judicii erroneitatem, à qua corrigi debeat, ut benè animadvertitur in argumento, quod solvimus.

12. Quin fieri queat instantia ex *l. veteribus* 40. *ff. de Pactis*, ubi universaliter doceri videtur, quòd verba dubia interpretari debeant adversùs Proferentem. Vel enim id accipiendum est, quoties Proferens dubiæ fuerit æstimationis, seù opinionis, ob suspicionem, quæ de eo fuerit concepta, quòd sit malè affectus erga veritatem, ac puritatem rei, quam enunciat, præsertim si agatur in materia religionis, & morum, de qua in præsenti, & sic sensus erit, verba interpretanda esse adversùs Proferentem dolosum, ac de errore suspectum, quod non negavimus. Vel cum P. Bordono *in sacro Tribun. citato num.* 46. textum prædictum sumendum de solis contractibus, non autem respectu eorum, quæ pendent à mente Proferentis, maximè in ordine ad excludendum delictum, in quibus, locutio ambigua accipienda est in eo sensu, quem dat ille, qui eam protulit, ut dicitur *l.* 79. *§. de reg. jur.* ibi: *In ambiguis orationibus, maximè sententia ejus spectanda est, qui eam protulit.* In quibus terminis, ita discurrit Navarrus *consf.* 6. *de hæret. n.* 6. Hactenùs prælaudatus Bordonus, qui ad rem, alia profert jura, relatis affinia.

13. Ex hucusque expensis, colligi potest, quantæ utilitatis sit in æquivocis propositionibus examen subjectivum. Vel enim agi debet de Proferentis punitione, quo casu, si dictum examen est necessarium in manifestè, seù non ambiguè pravis, quotiès præsertim à reo negatur illas à se prolatas fuisse in proprio, & rigoroso sensu, quem verba præseferunt, fortiùs esse necessarium debet, quoties verba sui natura indicare non valent Authoris intentionem, ac mentem, ob duplicitatem significationis, cujus sunt capacia. Unde nedum exquirendæ mens, & intentio Proferentis, ut sciatur, qua pertinacia, quaque deliberatione, illa protulerit, & si in illorum prolatione plenam habuerit advertentiam, quod totum commune est propositionibus manifestè, seu non ambiguè pravis,

D sed

sed etiam, ad exquirendam veram significationem, quæ ex Proferentis intentione, & animo, adaptanda sit ipsis verbis, ut de his determinatum proferatur judicium, prava ne sint simpliciter dicenda, an potiùs recta?

14. Vel agitur dumtaxat de propositione ipsa qualificanda, aut censuranda, sive de libro, aut thesi aliqua permittendis, aut prohibendis? quod multoties quoque dependet ab examine subjectivo. Quamvis enim propositiones æquivocæ in materia religionis, & morum, sint sui natura censurabiles, ob sensus earumdem dupplicitatem, ut non semel advertimus, & fusiùs *cap. 7. art. 3.* expendemus; multotiès tamen contingere potest, quòd liber, seù propositio aliqua permittatur, æquivocatione non obstante, ob bonum Authoris nomen, quod tantæ sit efficaciæ, ut propositio, seù thesis illa, aut liber interpretationem comuniter recipiat bonam, & consequenter, quòd à proscriptione eximatur, quoties saltem nullum ex permissione timeatur scandalum, ex quo e.g. non sit liber, qui à simplicibus, ac rudibus legi valeat, sed à solis doctis, qui rectam dumtaxat de eo intelligentiam concipiunt; si enim scandalum timeretur, tunc aliud prohibitionis motivum insurgeret, de quo suo loco habebitur sermo.

15. Multotiès verò econtra, quantumvis propositio æquivoca, seu liber illam continens catholicam comuniter interpretationem recipiat, adhuc tamen prohibetur, quòd sciatur ab Authore prolatam, vel editam fuisse malo animo, & in sensu ab orthodoxa veritate alieno. Ex quo, ulterior eruitur ratio, cur nonnullæ propositiones in aliquibus libris habeantur, ut censuræ dignæ, adeoùt ob eas libri interdicantur, in aliis verò permittantur, sicuti quoque, quòd aliquo tempore licitus, & impunis sit alicujus effati usus, qui alio tempore erat damnabilis, cujus varietatis motivum, aliud tradi non potest, nisi quòd propositiones, sive opera illas involuentia, interpretationem desumere debeant à suis Authoribus, qui si suspecti sunt, pro suspectis, & illa habenda.

16. Habemus exemplum in illa propositione, *unus de Trinitate est passus*, quæ olim fuit ab Ecclesia interdicta, quòd à Severianis proferretur in sensu pravo, passionem Divinitati applicantibus, ac si ea exprimeretur per tò *unus*, adeout indè inferretur, totam Trinitatem passam fuisse; ex quo, quæ prædicantur de Deo, singulisque attributis, ac prædicatis ipsius absolutis, de tota Trinitate debeant prædicari. Postmodùm verò intellecta propositione, & comuniter accepta in veriori ipsius significatione, vi cujus tò *unus* Personalitatem designat, non Naturam Divinam, scandalique occasione penitùs extincta, permissa illa fuit, hodieque tamquam orthodoxa permittitur, imò, & constantissimè propugnatur, inhærendo presertim definitioni quintæ Oecumenicæ Synodi *can. 4.* anathema pronunciantis in eum, qui non confitetur, *unionem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali, & intellectuali, secundùm compositionem, sivè secundùm subsistentiam factam esse, sicut Sancti Patres docuerunt, & ideo unam ejus substantiam compositam, qui est D. N. J. C. unus de S. Trinitate.* Inde fit ut in examine propositionum æquivocarum, Censores invigilare specialiùs debeant super Authorum qualitatibus, cujusnam videlicet regionis sint, cujus vitæ, &c. ad plenam earumdem discussionem, rectiusque efformandum judicium.

ARTICULUS VII.

Quænam, & qualis sit methodus qualificandi, & censurandi propositiones?

1. Quoniam supra tetigimus, duplicem esse qualificationem, directam videlicet, ac reflexam, quarum prior examinat an prædicatum conveniat, aut repugnet subjecto, sive ex natura rei, sive ex ordinatione divina, sive ex constitutione ecclesiastica; posterior verò, præsupposita notitia convenientiæ, aut repugnantiæ prædicati cum subjecto eruta per præcedentem directam qualificationem, inquirit an bona qualitas, vel maligna censura sit tribuenda propositioni?

2. Idcircò prima regula hujus methodi, est examinare extrema primæ propositionis, per quam e.g. Concilium generale Ephesinum, cùm voluit tribuere notam hæresis huic propositioni Nestorii: *In Christo sunt duæ Personalitates, creata, scilicet, & increata*; priùs per directam inspectionem terminorum, investigavit ex Evangelio naturam, proprietates, & conditiones Christi; deinde distinxit concretum, & eruit phrasim personalitatis, seù subsistentiæ rigorosæ, & incommunicabilis, ex quibus deducens propositionis falsitatem, processit ad gradum falsitatis determinandum per principia theologica, idest sacram Scripturam, & Sanctos Patres, mediante

reflexa

reflexa qualificatione, & constito, quòd sacræ literæ doceant naturam humanam Christi subsistere personalitate Divini Verbi, judicavit propositionem Nestorii opponi Fidei divinæ, atque conclusit esse hæreticam, qualem jam perspicuè evicerat Sanctus Cyrillus in suis Anathematismis, quibus usum deinde est Concilium Ephesinum in definiendo præfato dogmate.

3. Prædicata autem, quæ conveniunt aut repugnant subjectis ex natura rei, seu in genere entis, ut plurimùm sunt, quæ spectant ad Divinam Essentiam, ejusque Attributa, Unitatem Naturæ, & Trinitatem Personarum, Divinas Processiones, & alias operationes ad intra, substantias, & proprietates Angelorum, & Hominum, Christi Dñi Divinitatem,& Humanitatem, naturam, & proprietates virtutum theologalium, & cardinalium, ac similium.

4. Prædicata verò, quæ conveniunt, aut non conveniunt subjectis ex divina institutione, ut plurimùm concernunt materiam, ac formam Sacramentorum, Ministrum, ac Subjectum, prædestinationem, atque reprobationem, pœnam, & gloriam, ejusque durationem. Prædicata tandem, quæ conveniunt, aut disconveniunt subjectis ex institutione Ecclesiæ, spectant ad exercitium virtutum aliquarum quantùm ad locum, ac tempus, ut v. g. in determinatione sacrum audiendi diebus festis, sicut, & ad administrationem, ac ritum Sacramentorum, & id genus aliorum.

5. Circa convenientiam, aut disconvenientiam hujus triplicis generis prædicatorum, pro adinvenienda veritate, aut falsitate propositionis per simplicem qualificationem, summè juvat præ manibus habere tractatus Theologiæ scholasticæ prædictarum materierum, non quòd hæc contineat definitas veritates circa illas doctrinas, cùm ferè omnes articuli Theologiæ scholasticæ sint inter Catholicos controversi, & tantùm probabiles, sed quòd multùm juvet ad acquirendam intelligentiam, ac proprietates terminorum, quia significata terminorum, ut docet Doctor Subtilis, probare non possumus, sed debemus stare institutionibus Doctorum, qui sunt Principes scholarum, & quorum doctrina, vel approbata est generaliter, ac positivè ab Ecclesia, vel saltèm permissa, ut doceatur in Universitatibus. Idem cum proportione dicendum est de doctrinis Philosophorum christianorum, in illis materiis, quæ subministrant fundamenta sacris doctrinis.

6. Benè perceptis terminis, eorumque proprietatibus, procedendum est ad inveniendam veritatem, aut falsitatem propositionis examinandæ, idque in triplici genere prædicatorum supra descripto, pro quo unicè inservit sacra Theologia polemica, seu dogmatica, & positiva, quia ipsa procedit doctrinis certis, divinæque revelationi innixis, idest, Verbo Dei, scripto, tradito, aut definito, quæ tria comprehendunt omnem materiam religionis, ac morum, stabilitam, tùm in genere entis, seu ex natura rei, tùm ex divina ordinatione, tùm ex institutione Ecclesiæ, idque sive propositio fuerit in materia necessaria, aut impossibili, sive possibili, spectatis rerum naturis, & proprietatibus, sive spectato modo operandi Dei ad extra secundùm Providentiam ordinariam, aut extraordinariam, ut accidit in materia contingenti, sine quorum notitia, impossibile fuerit assequi veritatem, aut falsitatem propositionis in hac simplici qualificatione, & à quibus omninò pendet qualificatio reflexa, quæ eidem propositioni attribuere debet notam pravam, seu censuram, aut bonam qualitatem; quandoquidem dogmatica monumenta infallibili via aperiunt, quæ prædicata conveniant, aut repugnent subjectis, & quo gradu conveniant, aut disconveniant, & ex qua radice oriatur connexio, aut repugnantia.

7. Tandem non est prætereundum regulas logicas suum quoq; habere locum in methodo qualificationis directæ in ordine ad veritatem, & falsitatem propositionis, & ratio est, quia nisi cognoscamus naturam, & proprietatem propositionis, an sit cathegorica, vel hypothetica, modalis, vel de inesse, ejusque materiam necessariam, impossibilem, contingentem, aut possibilem, ejusque qualitates intrinsecas, scilicet affirmationem, & negationem, & quantitatem virtutis, idest, universalitatem, particularitatem, singularitatem, ac indefinitionem; non possumus assequi, quam oppositionem, aut æquipollentiam habeat cùm doctrinis definitis, aut damnatis: & si fuerint qualificanda directè syllogismus, vel enthymema, nisi noverimus bonitatem illationis, impossibile erit ejusdem veritatem attingere, aut falsitatem, à quibus pendet universa qualificatio reflexa.

8. Quoniam autē versuties hæreticorum involucris verborum, amphibologiis, & æquivocationibus suos tegit errores, & in praxi experientia docuit, quòd propositiones

tiones indefinitæ in materia contingenti summam ingesserint difficultatem Qualificatoribus; propterea non parùm juvabit callere suppositiones terminorum, an fuerint simplices, aut personales: quibus omnibus non perspectis, ac penetratis, utraque qualificatio in æquivoco laborabit.

9. Inventa veritate, aut falsitate propositionis per qualificationem terminorum, simplicem, & directam, methodus qualificandi exigit descendere ad qualificationem reflexam, & compositam pro taxanda, propositioni, aut bona qualitate, si doctrina est sana, aut prava nota, seu censura, si doctrina conformis non est religioni, & bonis moribus. Pro quo perficiendo Theologi secundam tradunt regulam, videlicet nihil aliud habendum esse præ oculis, nisi illos gradus, seù notas, quibus Patres in Conciliis generalibus, aut nationalibus approbatis, aut Romani Pontifices uti consueverunt. Quamvis namque peritissimi Theologi conati sint novas censuras adinvenire ab iis, quæ statuerunt Concilia, aut summi Pontifices; nihilominùs experientia declaravit, eos, aut genera in species distinxisse, aut novas voces adinvenisse, non novas censuras, cùm significent illas easdem, quas tradidere Concilia, & præsertim Constansiense *sess.8, & 11.* in proscribendis articulis Joannis Vviclephi, & Joannis Hutæ, quod sequuti sunt succedentes Romani Pontifices Pius V. Gregorius XIII. Innocentius X. Alexander VII. Clemens X. Innocentius XI., & XII., & Alexander VIII., quarum singulas, supra *articulo 2.* recensuimus, & infra hoc libro ex instituto intendimus aperire, quòd earumdem explicata natura, facile erit cuicumque propositioni suam notam, ac censuram taxare.

10. Censuræ igitur, quas accepimus à Concilio Costansiensi, sunt sequentes, videlicet, *hæresis, sapientis hæresim*, seu *suspecta de hæresi, erronea, temeraria, scandalosa, schismatica, malèsonantis*, ac *piarum aurium offensivæ*. Quibus memorati Pontifices addidere sequentes, ideft, *injuriosæ, blasphema, impia, periculosa in fide, & moribus*, & aliqui gravissimi Patres conjungunt sequentes, ideft, *arrogantis, seditiosa, illusoria, decolorativa candoris Ecclesiæ*, & *aversiva à suscipienda fide, & religione*, quarum constitutiva, ac distinctiva nos curabimus investigare.

11. Et quamvis nonnullis placeat prædictis addere notam improbabilitatis, revera tamen, vel hæc, non est propriè in rigore censura theologica, quoties videlicet applicatur alicui opinioni ex privata Doctorum mente, qui illam inniti censent levibus, adeò motivis, quæ in sufficientia sint ad veram probabilitatem stabiliendam. Undè plerique Recentiores etiam post constitutionem Innoc. XI. sub præcepto S. obedientiæ prohibentis ullam Catholicorum sententiam censurare, non dubitant asserere *opinionem de sufficientia attritionis absque actu amoris Dei super omnia ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ, esse practicè certam*, & proinde *contrariam, improbabilem*, sicque passim discurrunt Cardenas *super proposition. damnat, dissert.3.n.64.* Gormatz *tract. de pænit. par.1. disp.6. sect.5. à nu.447.* Lumbier, Pisanus, Francolinus, & alii satis communiter. Vel si admitti debet tamquam censura theologica, nulla erit differentia inter ipsam, & notam temeritatis, de qua suo loco. Quod quoque est notandum in aliis similibus notis, quas forsitan lector inveniet apud Authores, quæ si bene perpendantur ad aliquam ex indicatis reduci poterunt, quin ullum assignari possit discrimen, nisi in sola vocis, & nominis varietate.

12. Ex quibus apparet, hoc interesse discrimen inter examen simplex, seù directum, & compositum, seù reflexum, quòd primum relinquit propositionem in sua natura v. g. cathegoricam, vel hypotheticam, affirmativam, aut negativam, universalem, aut particularem, & tantùm judicat prædicatum convenire subjecto, ut in ista: *Verbum divinum est consubstantiale Patri*, aut ei repugnare, ut in ista: *Spiritus Sanctus est creatura*. In quibus apparet, materiam propositionis perseverare in sua entitate, & tantùm examen directum taxare veritatem, aut falsitatem ejusdem. Examen verò reflexum, quamvis relinquat propositionem examinatam in sua natura; nihilominùs conficit propositionem modalem, & id, quod erat integra propositio cathegorica, & de inesse, evadit subjectum, aut prædicatum propositionis modalis de modo theologico, asserendo: *Verbum Divinum esse consubstantiale Patri, est de fide*; & *Spiritum Sanctum esse creaturam, est propositio hæretica*; Quare examen primum concludit veritatem, aut falsitatem propositionis; secundum verò, gradum veritatis, aut falsitatis ejusdem.

AR-

ARTICULUS VIII.

Qualis eruditio facilem reddat methodum examinandi Propositiones?

1. EXperientia didicimus non esse idem doctè, ac eruditè doctrinas qualificare, aut censurare; tunc enim tantùm doctè aliquem articulum qualificamus, cùm solummodò assignamus rationem, quare supposita ejus falsitate ex principiis divinæ revelationi innixis, hæc, vel illa prava nota censuræ ipsi conveniat; v. g. si tradere voluerimus alicui propositioni censuram scandali, & perniciei, sufficiet conficere syllogismum, cujus major exprimat naturam propositionis, *scandalosæ*; idest, quæ *ex sui natura apta est causare ruinam spiritualem proximi*, vel naturam propositionis *perniciosæ*, idest, quæ *ex sui natura apta est causare ruinam temporalem proximi*, ac deinde aptare pro minori, articulum qualificandum aptum esse causare in proximo audiente, unam, vel alteram ex enumeratis ruinis, ut concludamus illum esse *scandalosum*, aut *perniciosum*, tantùmque incumberet nobis corroborare illam minorem, in particulari ostendendo illam ruinam, quam prædicti articuli continent, sive spiritualem, sive temporalem contra nostrum proximum, sicque habebitur docta censura articuli, neque aliud requiritur,

2. Verùm ad solidiùs inveniendum pondus veritatis, aut falsitatis propositionis multùm confert sacra eruditio ecclesiastica doctrinalis; idest, quid Sancta Mater Ecclesia resolverit in proscribendis similibus doctrinis contra religionem, & bonos mores, quia difficile erit novas propositiones exorientes, quæ proponuntur qualificandæ, aut censurandæ, non habere aliquam connexionem cum ulla ex tot millibus, quæ spatio decem, & septem sæculorum à Conciliis, ac Romanis Pontificibus sunt usque ad præsens damnatæ; tali autem connexione adinventa, non modò gradus veritatis, aut falsitatis propositionis examinandæ invenitur, sed etiam faciliùs, quæ censura sit attribuenda cognoscitur, & qualificatio ne dum docta, verùm, & erudita resultans, & intelligibilior, & gratior evadet: connexionem verò hujusmodi, claritatis gratia diviserunt Theologi, cum Cardinali de Laurea *hoc loco cap*. 5. in consanguinitatem, & affinitatem propositionum recentiorum cum antiquis, quod est idem, ac dicere, in connexionem intrinsecam, & extrinsecam.

3. Illamque vocant connexionem intrinsecam, seu consanguinitatem propositionum, quæ oritur ex intrinseca natura terminorum, qua mediante aliqua propositio infertur ex alia per legitimam illationem, quòd sint propositiones invicem æquipollentes, ac proinde dicantur ad convertentiam; exemplum clarissimum habemus in ista propositione anno 1690. proscripta ab Alexandro VIII. tanquam injuriosa Sacramento Pœnitentiæ, ac scandalosa, quia aversiva à frequentatione ejusdem; *per illam praxim mox absolvendi invertitur ordo Sacramenti Pœnitentiæ*, quæ facillimè censurata fuit, quia inventa est habere consanguinitatem cùm ista; *non est impertienda absolutio sacramentalis, nisi peracta pænitentia*, damnata anno 1477. à Sixto IV. sub iisdem censuris, cujus Author fuit Doctor Petrus de Osma: conficiendo bonam illationem hoc modo; *non potest absolvi Pœnitens nisi peracta pœnitentia*; ergo *per illam praxim mox absolvendi invertitur ordo Sacramenti pænitentiæ*, & econtra; *invertitur ordo Sacramenti pænitentiæ per illam praxim mox absolvendi*; ergo *non est impertienda absolutio sacramentalis Pœnitenti, nisi peracta pænitentia*.

4. Quod clariùs evincitur, quia etiam earum propositiones oppositæ, quæ ambæ sunt veræ, similem habent consanguinitatem, ac mutuò per legitimam consequentiam inferuntur; videlicet; *non peracta pænitentia, potest Pœnitenti impertiri absolutio sacramentalis*: ergo *non invertitur ordo Sacramenti pænitentiæ per illam praxim mox absolvendi*, & contra, ex hoc consequenti legitimè infertur illud antecedens; *per praxim mox absolvendi non invertitur ordo Sacramenti pænitentiæ*; ergo *potest impertiri absolutio sacramentalis Pœnitenti non peracta pænitentia*. Ex quo apparet, quòd cum non vulgari facilitate aptata est, uni, alterius censura propter consanguinitatem, seu intrinsecam connexionem propositionum, quam facile est invenire inter propositiones censurabiles ejusdem materiæ; quare adducendo historiam Petri de Osma relatam à P. Caranza *in sua summa Conciliorum*, & à P. Portero *in suo sistemate*, eruditior conficietur censura, clariorque apparebit ratio, cur propositionem illam Apostolica Sedes proscripserit.

5. Eam verò appellant connexionem extrin-

extrinsecam, seu affinitatem propositionum recentiorum cum antiquis, quæ non sumitur ex mutuis illationibus, sed ex modo loquendi, seu phrasi consimili propositionum, quod præsertim contingit in propositionibus æquivocis, quæ possunt habere sanam, & pravam intelligentiam, quæque habent sensum catholicum, & censurabilem: aptum exemplum ad hanc affinitatem exprimendam, mihi videtur illa propositio Elipandi Archiepiscopi Toletani, & Felicis Episcopi Urcellensis, quod: *Christus Dominus secundùm humanitatem sit filius Dei adoptivus*, quæ in Concilio nationali Francfordiensi approbato proscripta fuit, tanquam sapiens hæresim, seu suspecta de hæresi Nestoriana; & ratio conciliaris fuit, quia ejus phrasis videbatur insinuare: *duas personalitates in Christo*, dividendo proinde Christi suppositum in duo, quorum alterum esset æterni Patris filius, alterum filius hominis, cujus mater esset purissima Virgo, quæ ideò non Deipara ac Mater Dei, sed Christipara, & Mater hominis dicenda foret.

6. Quamvis non desint ex Theologis, qui Christum secundùm humanitatem filium adoptivum dici posse asserant, & negent ly *adoptari* convenire supposito, sicut non desunt, qui prædictam denominationem à veritate alienam putantes, adhuc tamen negent Elipandum fuisse damnatum præcisè ob propositionem, seu sola spectatam, sed ob contextum, quo videbatur astruere dualitatem personarum in admirabili illo supposito, ut videre est apud Patrem Macedo, & alios, & præsertim Patrem Franciscum del Castillo *tom. de Incarn. disp.17.num.17.* Quocumque autem modo sumatur damnatio, patet eruditam illam fuisse ex affinitate, quam involuebat cum doctrina Nestorii, ex cujus relatione, potuit, ne dum doctè, sed & eruditè censurari, quod & in aliis propositionibus censurabilibus, ut suspectis in fide, vel hæresim sapientibus, passim verificatur.

7. Ex hac duplici connexione colligimus, quòd quamvis utraque conducat ad illustrandam doctam censuram sua eruditione, atque ad faciliùs inveniendum gradum censuræ; nihilominùs discrepant in hoc, quòd, cum connexio est consanguitas, tunc censura novæ propositionis solet, ut plurimùm esse eadem cùm censura veteris propositionis; cum verò connexio est affinitas, raró censura utriusque propositionis est eadem, quia consanguinitas importat quasi identitatem naturæ propositionum, adeòque eumdem gradum falsitatis, ac malignitatis: affinitas tamen hanc identitatem non dicit, sed aliquam tantùm proportionem, & analogiam, & ideò propositiones non habent æqualem falsitatem, & malignitatem, & consequenter diversos gradus censurarum merentur, quia prima connexio spectat ad intelligentiam communem terminorum, secunda verò sita est in diversitate significationis vocis æquivocæ, & proinde immediatiùs quidem illa inferuit ad specificum gradum censuræ theologicæ determinandum, quàm ista, utraque tamen faciliorem aperit viam ad propositionum qualificationem, & ad eruditiorem reddendam censuram, quæ adaptanda videbitur.

8. At posset ex dictis timor insurgere, quòd hujusmodi eruditio historiæ ecclesiasticæ doctrinalis, non faciliorem, ut pollicemur reddiitura sit modum censurandi propositiones, sed prolixiorem, & tardiorem, ob immensum; quo constare debet laborem, lustrandi, videlicet, innumera ferè volumina omnium Conciliorum generalium, ac nationalium approbatorum, ac perquirendi omnes congressus doctrinales Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, in quibus sunt ad examen vocatæ variæ Scriptorum etiam Anonymorum propositiones, ipsisque tributum respectivè unum vel alterum censuræ gradum, nec non & percurrendi nonnullos motus proprios Summorum Pontificum, idipsum præstantium. At vanus est hic timor, nec dignus qui à viro docto, qualis esse debet Censor, ac Qualificator adduci valeat, nec enim nos diximus id fieri sine labore, ex quo quælibet scientia, ac virtus necessariò dependet, sed solùm asservimus, quòd medio hoc labore facilior reddetur cognitio determinati gradus censuræ huic, vel illi propositioni adaptandi. Ad sublevamen autèm laboris hujusmodi, sicut ex probatissimis Authoribus selegimus monumenta probatoria explicantia species omnium censurarum cùm suis exemplis, ita suggerimus monumenta, ex quibus eruere quis posset omnigenam eruditionem historicam doctrinalem Ecclesiasticam, vi cujus censura theologica, erudita, ac venusta, gratiorque idcircò reddatur.

9. In hunc finem eatenùs monemus Gabrielem Prateolum in suo multiplici, & erudito *Elencho* exactè exhibere catalogum

gum omnium propositionum, quæ ad suam usque ætatem fuere inustæ aliqua nota maligna, ac censura, quas itidem unà cùm aliis post dictum tempus ab Apostolica Sede profligatis colligit P. Porterus hibernus in suo *sistemate*. Ad præfatos itaque, aliosque Authores, qui ejusdem generis edidere volumina, recurrat Censor, qui eruditam conficere qualificationem voluerit, comparando propositionem, quæ suo committitur examini, cum aliqua ex antiquis, ac enarrando quis fuerit ipsius Author, cujus patriæ, cujus professionis, quo tempore, & in quo Concilio, vel à quo Pontifice damnata ejus doctrina fuerit; habeatque itidem præ oculis tabulas propositionum nostro hoc ævo à Summis Pontificibus Innocentio X. Alexandro VII. & VIII. & Innocentio XI. proscriptarum, quæ licet sint Anonimorum, adhuc tamen ad eruditiorem habendam censuram, non parùm conducent.

10. Et quia, ut plurimùm vetusti Authores propositionum damnatarum proscripti sunt in Conciliis generalibus, aut nationalibus, hortamur pariter, ut sæpè evoluantur duo tomi Ludovici Bail, quibus exhibet breviter summam omnium Conciliorum OEcumenicorum, & provincialium, non modò, quæ fuerunt approbata à Romanis Pontificibus, sed etiam reprobata, aut semi approbata, ac semi reprobata, aut neque approbata, neque reprobata, explicantia breviter locum, & tempus convocationis, causam, seù motivum congregandi, numerum Patrum, nec non Præsidentium, ac Legatorum Apostolicorum, numerum sacrorum Canonum editorum, nec non Definitionum doctrinalium cùm approbatione, aut reprobatione articulorum, ac tandem pœnam Authorum, si inventi fuerint pertinaces, aut eorumdem abjurationem, ac resipiscentiam, quorum singulis, labor apprehensus plurimùm imminuetur, optatusque finis doctæ, & eruditæ censuræ obtinebitur.

11. Eidem autem laboris levamini inhærentes, præsentes elucubrationes assumpsimus pertractandas, easque ad præsens Majorum consilia, immò, & jussa exequentes, publici juris facimus integro hoc tomo, qui singulas censuras, earumque gradum comprehendet, nec non, & exempla, quæ inservire poterunt tamquam regula ad cætera ipsis similia, tres alios subsequenter fortassis edituri, quibus, & propositiones hactenùs spatio septem decim sæculorum proscriptas, alphabetico conscrtas ordine, & Authorum nomina, cum plena eorumdem notitia, cunctaque Concilia tum generalia, tum particularia, ac denique quicquid necessarium erit, ut quis doctus eruditusque Censor effici valeat, facili methodo, & absque ullo verborum fuco ac ostentatione complectemur, si tamen, & Deus Optimus Maximus opem suam conferre dignabitur, & publica ab Apostolica Sede nostræ tenuitati in dies commissa studia, otia ulla permittent privatis elucubrationibus impendenda.



CA-

CAPUT SECUNDUM.

De Propositione hæretica generalitèr sumpta.



QUONIAM gravior inter theologicas censuras nota hæresis super-eminet; ideo hoc secundum caput ejusdem generales notitias comprehendet, exordium sumens ab ejusdem nominis notione, & pravitate, seu malitia, ob oppositionem cum fide divina, cujus inalterabilem veritatem evertere nititur. Indigitabit etiam supremum Judicem, qui authoritativè illam valeat diffinire, quale delictum suspicionem inducat hæresis in Operante? an denominatio hæreticæ sit absoluta, aut relativa in propositione? & an unius speciei specialissimæ, vel subalternæ? ac tandem praxim indicabit, quam Qualificatores tenere debeant in nota hæresis propositionibus applicanda, nedùm modo quodam generico, sed & specifico, ac proprio juxta varietatem materiæ, circa quam illæ versantur.

ARTICULUS I.

Quænam sit ratio formalis constitutiva propositionis hæreticæ?

1. DEscensuri modò ad explanandas censuras in suis speciebus, earumque naturam, & conditiones, ac methodum eas dignoscendi, incipimus à censura hæresis, quæ est omnium gravissima, quæque præ reliquis ad Tribunal Sanctissimæ Inquisitionis pertinet, cui, ut Qualificatores inserviant, conserta sunt hæc monumenta. Idem autèm cum sit, ex dicendis *art. 5. hujus cap.* hæresis, & propositio hæretica, patet ipsam pertinere ad secundam operationem intellectus, seu judicium, sive affirmativum, sivè negativum, quod vocamus compositionem, & divisionem.

2. Quod tamen duppliciter potest intelligi, tùm nempè ita, ut nomine secundæ operationis, veniat assensus ipse, qui præbetur doctrinæ alicui, quæ opponatur fidei, quique revera dici solet hæresis formalis, inficiens illam elicientem plerisque pravis effectibus *art. 3. hujus cap.* recensendis; tùm pro doctrina ipsa, quæ est, aut potest esse objectum dicti assensus, & dicitur hæresis objectiva, ut quoque *cit. art. 5.* insinuabitur.

3. Interim id suadetur, ex ipsa vocis ethimologia; si quidem hæc vox *hæresis*, sive latina fuerit, descendens ab *hæreo*, ut vult Petrus de Palude *in 4. senten. distin. 13.* sive græca, à verbo græco αἱρέομαι, quod latinè sonat *electio*, ut indicat Tertullianus *lib. de Præscrip. hæreticorum c. 6.* & S. Hieronymus *in Epistola ad Titum c. 3. & ad Galatas c. 5.* semper significat sententiam, seu judicium, hærere enim per intellectum, & eligere per intellectum, judicare est: propterea Philosophorum sententiæ, seu opiniones, hæreses quandoque dictæ fuerunt, quia eas, quæ sibi magis arriderent, illorum quisque eligebat, eisque adhærebat, & ideo Cicero *in Paradoxis*, Catonis sententias vocavit hæreses, cùm dixit: *Cato ..... in ea est hæresi, quæ nullum sequitur orationis florem.*

4. Hinc apparet, quid dicendum de prima, & tertia intellectus operatione. Per illà namque non potest haberi hæresis formalis, quòd nullam importet affirmationem, aut negationem, quæ possit Operanti imputari, benè tamen objectiva, quatenus, quis concipiat integram aliquam propositionem catholicæ Religionis dogmatibus contrariam; quæ tamen, hæresis objectiva dicitur, non pro ut terminat ipsam simplicem apprehensionem, sed pro ùt apta sui natura est terminare secundam operationem per assensum in ipsam, qui sit hæresis formalis.

5. Tertiæ verò operationi (de qua *n. 13.*) ejusq; objecto competere aliquo modo, potest hæresis ratio per quamdam analogiam, & proportionem ad secundam, quia ipsa illatio, est adhæsio, atque electio virtualis ex præmissis, ac suo modo est compositio, si fuerit affirmativa, divisio, si negativa. His præjactis.

6. Dicendum est hæresim, seu propositionem hæreticam consistere in oppositione directa, & immediata cum doctrina fidei divinæ; est communis Theologis, & Cano-

Canonistis, cùm Scoto *in 3. distin.73.quæst. unica §.de primo certum est*, & Suario *in tract. de fide disp. 19. sect. 1. num. 1.* & colligitur *ex capite ad abolendam* &c. & passim *ex toto titulo de Hæreticis*, unde communiter definitur, quòd sit *error intellectus voluntarius contra aliquam fidei veritatem, cùm pertinacia assertus ab eo, qui fidem recepit*, quæ definitio quamvis explicet hæresim, & secundùm id, quod importat de præsuppositivo, idest voluntarietatem, & secundùm id, quòd dicit subjectivè, idest, Authorem in quo præhabeatur fides, & secundùm id, quod dicit de formali, idest pertinaciam, & secundùm id, quòd importat de materiali; idest errorem oppositum doctrinæ fidei divinæ, nos nihilominùs in præsenti præcipuè investigamus hæresim objectivè acceptam, formalem verò, quatenùs ad pleniorem conducit objectivæ notitiam.

7. Colligitur assertum hoc modo ex Doctore subtili *loco citato*, ubi habet: *Hæresis cùm generatur, corrumpitur fides infusa, nec stant simul fides infusa, & hæresis; unde ille, qui errat circa unum articulum, credit aliis non fide infusa, sed acquisita, quæ scilicet fuit cùm infusa præcedenti, si aliqua talis fuit, non enim in illo instanti, in quo corrumpitur fides infusa per hæresim, generatur primò fides acquisita; nam ille error non disponit ad fidem pro tunc, imò est indispositio, ut pro tunc non generetur, proinde præfuit ante illum errorem.* At non alia de causa corrumpitur fides infusa, ad generationem hæresis formalis, nisi quia importat assensum in propositionem, quæ cum doctrina fidei pugnat per directam, & immediatam oppositionem, si quidem assensus in cæteras propositiones proximas hæresi, ut sunt erronea, & sapiens hæresim, non destruit fidem, & hoc non nisi defectu directæ, ac immediatæ oppositionis cum ea; ut si præberetur huic propositioni: *Christus non est risibilis*, quæ est erronea ob oppositionem mediatam tantùm cum propositione de fide, idest, *Christus est homo*: ergo ratio hæresis consistit in pura, directa, ac immediata oppositione, cum doctrina fidei catholicæ.

8. Assertum suadetur primò, quia hæresis, & propositio hæretica sunt duo termini habentes unum, & eumdem conceptum objectivum, ut insinuavimus, cùm ergo hæresis sit judicium, fidei Catholicæ, ita directè repugnans, ut cùm illa nullatenus stare possit: propositio hæretica, est pariter tale judicium, & idcircò ratio formalis constitutiva ejusdem, est oppositio directe cùm fide catholica; assumptum est definitio hæresis edita à communi consensu Theologorum, illatum est evidens, quia secunda operatio intellectus cùm sit compositio, aut divisio, non sit nisi per affirmationem, aut negationem, quæ sunt formale judicium, ac propositio, non enim compositio, & divisio, quæ fiunt per intellectum, sunt matematicæ, aut mecanicæ, seù dimensivæ, sed spirituales inter ipsos terminos objectivè præsentes; adeoque sunt formalissimè aliqua propositio, quænam autem sit materia fidei, cui opponi debeat propositio, ut sit hæretica, in fra *sequenti capite* examinabitur, in quo trademus regulas, & mensuras, quas vocant Theologi *loca theologica*.

9. Secundò, quia; quamvis falsitas sit de intrinseca ratione hæresis, ac propositionis hæreticæ, tamen non eam constituit, ac distinguit, quia non omnis propositio falsa impetit fidem, & nisi illam impetat, non est hæretica; adeoque sola falsitas, non constituit hæresim; & patet à pari, quia sicut non omnis propositio vera, spectat ad fidem catholicam; ita non omnis falsa, est hæretica; etiam si fuerit in materia religionis, & morum; hinc ista propositio: *Christus non est risibilis* est omninò falsa, & in materia religionis, & tamen hæretica non est, sed erronea, quia quamvis aliquam mediatam, & indirectam habeat oppositionem cùm materia fidei catholicæ, quia tamen non est immediata, atque directa, non est hæretica; innumera alia exempla possent adduci propositionum falsarum in materia religionis, & morum, quæ quidem falsæ sunt, ac censurabiles aliis speciebus censurarum, ut infra patebit; nihilominùs, quia directè, ac immediatè non habent oppositionem cùm materia fidei Catholicæ, hæreticæ non possunt dici; sicut è contra propositio vera in materia religionis, non semper est de fide immediatè, ac directè, ut patet in omni propositione theologica, deducta ex una de fide, & altera lumine naturali nota, qualis est sequens: *Christus est risibilis*, quæ est conclusio theologica: ergo sola oppositio directa, & immediata, cùm materia fidei divinæ constituit propositionem hæreticam.

10. Tertiò, ex Sancto Augustino *in Enchiridion ad Laurentium cap. 21.* Postquàm enim ibi dixerat, nullum esse peccatum in quibusdam rebus errare, subdit; *postremò quale cumque illud, & quantumcumque sit, ad illam viam non pertinet, quæ imus ad Deum, quæ via, fides est Christi, quæ per dilectionem* ope-

operatur; nec enim ab hac via deviabat in geminis filiis, gratus ille parentibus error, aut ab hac via deviabat Apostolus Petrus, quando se existimans visum videre, aliud pro alio sic putabat, ut corporum imaginibus, in quibus se esse arbitrabatur, vera, in quibus erat, corpora non dignosceret; nisi cùm ab illo Angelus, per quem fuerat liberatus, abscessit, aut ab hac via deviabat Jacob Patriarca, quando viventem filium à bestia credebat occisum: in his, atque hujusmodi falsitatibus, salva fide, quæ in nobis est, fallimur, & via non relicta, quæ ad illum nos ducit, erramus, qui errores, etiam si peccata non sint, tamen in malis hujus vitæ, deputandi sunt, quæ ita subjecta est vanitati, ut approbentur hìc falsa pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis, quamvis enim hæc ab ea fide absint, per quam ad veram, certam, æternamque beatitudinem tendimus, ab ea tamen miseria non absunt, in qua adhuc sumus; nullo modo quippe falleremur in aliquo, vel animi, vel corporis sensu, si jam vera illa, atque perfecta felicitate frueremur: ergo secundùm Augustinum non omnis error, etiam in materia religionis, est strictè contra fidem; adeoque solus ille, qui est hæresis, quia directè, ac immediatè fidei divinæ repugnat, ac adversatur.

11. Possunt opponi, quæ sequuntur, primò: quia, si hæresis est electio, certè electio non est judicium, seu secunda operatio intellectus, imò nullo modo est actus intellectus, benè tamen actus voluntatis: adeoque falsum est hæresim converti cùm propositione directè, ac immediatè opposita fidei divinæ.

12. Respondeo, hæresim secundùm Philosophos dici electionem, non verò secundùm Theologos, ut dictum, ac probatum est: cum verò aliquis ex Sanctis Patribus vocavit hæresim electionem, id præstitit, quia loquutus est de hæresi demeritoriè accepta, secundùm id, quòd importat de præsuppositivo, quæ talis non est, nisi pendeat ab imperio voluntatis; quemadmodum actus fidei, ut sit formalitèr meritorius, ac supernaturalis, debet promanare ex pia affectione, per imperium voluntatis; quamvis purus assensus, formalitèr acceptus, ad secundam intellectus operationem pertineat, ut docet Augustinus *tract.26. in Joannem*, ubi habet: *Intrare quisquam Ecclesiam, potest nolens, accedere ad altare, potest nolens, accipere Sacramentum, potest nolens; credere autem, non potest nisi volens, si corpore crederetur, fieret in nolentibus, sed non corpore creditur ad justitiam. Apostolum audi dicentem* (*epist.1. ad Rom. cap.10. verf.50.*) *corde creditur ad justitiam: & quid sequitur? ore autem confessio fit ad salutem*, quod autem ipse dicit de assensu fidei, æquè de hæresi, proportione servata, est applicandum, sustinendo, quòd hæresi, formaliter, nullus adhærere potest, nisi volens, unde indeliberatus dissensus misteriis revelatis, hæresis non est, nisi materialis.

13. Secundò, quia: quamvis aliqua propositio non modò non opponatur fidei catholicæ, sed etiam sit ipsum dogma fidei, *ut resurrectio mortuorum*, adhuc apud Sacram Scripturam dicitur hæresis; nam fides catholica, *actor.cap.24.* appellatur *Secta*, & dogmata *Sectæ* sunt hæreses: ergo hæresis, seu propositio hæretica, non constituitur per directam, ac immediatam oppositionem cùm fide catholica.

14. Respondeo: hanc vocem *Sectæ* æquivocam esse, & esto frequenter usurpetur pro falsa aliqua religione, quandoque, olim saltèm, sumebatur pro vera, unde ex vocis hujusmodi usu præcisè, non valet arguere per eam importari potiùs vera, quàm falsa aliqua religio, ut ex eodem *cap. 24. actor.* quod adducitur in objecto, facilè colligi potest, siquidem *num. 4.* pessimo animo *Sectæ* nomen applicatur nostræ Religioni à Judæis infensissimis ipsius hostibus, qui accusantes Apostolum Paulum tamquam *hominem pestiferum, & concitantem seditiones*, rationem accusationis subjungunt, vocantes, *Auctorem seditionis sectæ Nazarenorum*, quibus tamen volens occurrere Gentium Doctor, abundè indicavit rectè legem gratiæ dici posse *sectam*, verbis illis: (*num.14.*) *confiteor autem hoc tibi, quòd secundùm sectam, quam dicunt hæresim, sic deservio Patri, & Deo meo, credens omnibus, quæ in lege, & Prophetis scripta sunt*, in quibus manifestè patet Apostolum de voce *hæresis*, quæ quoque à Judæis tribuebatur nostræ Religioni, expresse protestatum fuisse, ab ipsius hostibus solummodò ita appellari, *quam dicunt hæresim*, non sic autem de altera voce *Sectæ*, de qua absolutè pronunciat *secundùm sectam*, absque limitatione illa ad *hæresim* apposita, *quam dicunt sectam*, indicans, quòd nostra Religio *hæresis* nullatenùs dici valeat, nisi à perduellibus, & incircumcisis corde, denominari autem possit *secta*, in sensu tamen bono, & pro ut convertitur cum *instituto*, seu *norma*, alioque consimili nomine exprimente ad rem nostram, perfectam unionem eorum omnium, qui militabant sub Sanctæ Crucis, ac

ac Redemptoris Crucifixi Vexillo, quique Legis Gratiæ præcepta exequi adumusim profitebantur.

15. Tertiò, quia non est necesse, ut hæresis sit judicium, seù secunda operatio intellectus, directè, ac immediatè opposita fidei catholicæ, quia potest esse illatio, seù consequentia,& tertia operatio intellectus, Illatio enim opposita dogmati fidei, potest esse hæresis, cùm enim fides divina possit esse discursiva ex uno dogmate ad aliud: ergo similitèr infidelitas, ac hæresis de uno errore ad alium; assumptum est probabile inter Scholasticos asserentes conclusionem deductam,ex duplici revelata,ut in hoc syllogismo: *omnes Apostoli receperunt Spiritum Sanctum: sed Petrus, & Paulus sunt Apostoli: ergo Petrus, & Paulus receperunt Spiritum Sanctum*, esse de fide.

16. Respondeo objectum tangere difficultatem, de qua *cap. 3. art. 19.* erit sermo, ubi propositionem, ut illatam ex duplici præmissa de fide in objectionum solutione, negabimus de fide esse, in rigore loquendo, juxta quam doctrinam patet negandum pariter, esse formalitèr, & in rigore hæreticam propositionem, quæ ex altera infertur hæresi, si consideretur, ut illata, seù, quod idem est, ut formalitèr denominatur discursus. Quem tamèn adhuc *num. 2.* indicavimus impropriè, & per quamdam analogiam dici posse hæresim. Cæterùm in discursu, seù tertia operatione intellectus, duo possunt considerari, illatio videlicèt, & illatum, seu consequentia, ac consequens. Illatio, sui natura, non constituit hæresim, nec actum fidei, immò veriùs, rationem hæresis, vel fidei imminuit, ex quo illatum non unicè innititur divinæ revelationi; hæresis proindè in rigore, est ipsum illatum; seu consequens, præcise inspectum ab illatione, quæ exprimitur per *tò ergo*, & quidem id verum est etiam in opinione pugnantium propositionem illatam, ut illatam, esse de fide, vel hæresim respectivè, quia per ipsos, *ly, ut* non denotat motivum formale assensus præstandi illato, sed puram conditionem.

17. Quartò, quia Patres, ac Theologi melioris notæ docent, solam illam assertionem esse inurendam hæresi, quæ opponitur veritati catholicæ, quam omnes credere debent: ergo non sufficit oppositio ad quamcunque veritatem catholicam etiam si fuerit immediata, ac directa.

18. Respondeo assumptum esse vanum, ac impetere omnes egregios Doctores, & sanctos viros, qui de hæresibus scripserunt, ut fuerunt Irenæus, Augustinus, Phylaster, & alii ejusdem cathegoriæ, qui multos errores, hæresi notarunt, qui tamen non erant de genere eorum, quos omnes scire, ac credere tenentur, si sensus sit de actu fidei explicito, nam si loquamur de implicito, utique omnes, & singuli tenentur credere quaslibet veritates divinitùs revelatas, saltèm credendo omnia ea, quæ credit sancta mater Ecclesia Dei.

19. Et ratio ulterior est clara, quia hæresis, propositio aliqua non dicitur, relatè ad Proferentis obligationem, quam habet credendi hoc, vel illud mysterium, sed relatè ad revelationem divinam aliquid credendum manifestantem; revelatio autem divina, ejusdem roboris est, & efficaciæ, sive manifestet mysterium principale nostræ religionis, sive ostendat quodlibet aliud objectum, dummodò enim illud sciatur virtute revelationis prædictæ, semper, & æquè credi debet fide divina, & per infallibilem assensum; aliter dicere cogeremur primam Veritatem revelantem, infallibilem fore in dicendo, circa mysteria principalia, non verò circa reliqua objecta, quod est omnino repugnans. Indeque deduci facillimè posset, Deum posse vel falli, vel fallere, & consequenter mentiri, si non in rebus magni momenti, saltèm in rebus minimis. In quibus, dùm infallibilitate carere supponitur, defectus hujusmodi, debet oriri ex capacitate, quâ ipse habeat, vel ut falli valeat, vel ut fallere queat, utrumque autem, evidentissimum est, à prima Veritate in dicēdo esse penitùs alienum, etiam quoad minima, & nullius ponderis: non omisso, quòd, si in his, admitteretur Deum falli, aut fallere posse, inde sequeretur manifestè, falli æquè, ac fallere posse in rebus maximis, ad eum modum, quo si aliquis effutiret Deum posse peccare peccato levi, inde convinceretur admittere possibile in Deo peccatum grave, ex quo Deus, jam Deus ampliùs non esset, utpotè non præditus infinitæ sanctitatis prædicato, quo præcisso, non esset, cur capax dici deberet peccati levis, non verò gravis.

20. Sicut verò quodlibet objectum, utcumque minimum, credi debet fide divina, & per assensum firmissimum, & infallibilem, eo ipso, quòd revelationi divinæ innitatur, ita, & è contra propositio quælibet eidem revelationi opposita, hæretica dicenda est, seù hæresis, dum in quibuslibet objectis versetur, sive maximis,

 sive

sive minimis, æquè prædictæ revelationi erit contraria, quod sufficit, ut denominationem hæresis suscipiat. Undè ex speciositate, ut ita dicam, mysteriorum, quæ Deo revelante, didicimus, solùm inferri valet, nedùm propositiones oppositas esse, ac dici debere, hæreses, scù hæreticas, sed etiam, hanc denominationem faciliùs tribuendam eas Proferenti,&quidèm ne dum materialitèr, sed & formaliter, ac in toto rigore. Cum enim talis naturæ sint, ut illas quilibet fidelis credere teneatur, qui eas negabit,hæreticus formalis convinceretur, quòd in eo præsumi non possit, regulariter saltem, inculpabilis ignorantia, vi cujus à formali hæretici denominatione eximi valeret, ac posset. De fideli autem sum locutus, quia ex dicendis *cap.4. art.1., & 2.* ut quis etiam ante oculos Dei denominetur hæreticus, requiritur, ut saltem per baptismum flaminis Christo dederit nomen, sicuti, ut talis habeatur in foro Ecclesiæ,& ab ea sit consequenter punibilis,requiritur, ut baptismali charactere, qui ex baptismo fluminis dumtaxat exurgit, sit insignitus ex tradendis *dicto cap. art.3.*

21. Quintò, quia; Sancti Patres simoniam appellant hæresim, quos inter, Damianus ad cives Florentinos *lib. 8. ep. 11.* scribens; *Omnes*, inquit, *hujus nefandæ hæreseos peste corruptos, esse hæreticos, indubitanter asserimus*,& in *vita S.Romualdi Abbatis* simoniacos hæreticos Judæis pejores affirmat: *& venenata illa hæresis, præsertim in Episcopali Ordine, dura, & ad convertendum rigida, ut semper promittens, semper de die in diem producens, atque in futurum procrastinans. Faciliùs posset judæus ad fidem converti, quàm hæreticus latro plenè ad pœnitentiam provocari*, ergo hæresis non est sola propositio, seù judicium erroneum intellectus cùm oppositione ad fidem catholicam, sed etiàm aliquod factum propter similem oppositionem dici debet hæresis,

22. Respondeo, quòd Sancti Patres cum simoniam appellant hæresim,non sunt ita intelligendi, quòd ipsum opus, scilicet emptio, aut venditio rerum spiritualium sit hæresis, sed quòd ipsa opinio, qua Operans judicaret id sine peccato fieri posse, sit hæresis: quamvis non semper cum tali judicio hoc vitium exerceatur, eoque non interveniente, & si gravissimum peccatum sit, hæresis tamen non est, quæ non nisi per actum intellectus habetur,posset autem dicti pravi judicii suspicio præsumi in eo, qui illam publicè exerceret, unde semper verificatur, quòd in toto rigore loquendi, significatum hæresis, quòd est acrior nota censurarum theologicarum, non tribuatur, nisi judicio erroneo, ac falso, atque directè, & immediatè opposito fidei catholicæ. Hocve insinuare voluit S.Gregorius Papa Brunichildi Francorum Reginæ *lib.9. ep.115.* rationem tradens, cur præfatum execrabile crimen, sit hæresis, verbis illis: *ubi dona divinæ gratiæ venalia judicantur, ad Dei servitium, non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur.* Vide dicta *cap.1. art.2.* §. Neque obstat, *& seq.* ad pleniorem datæ solutionis intelligentiam condecentia.

23. Instabis Inquisitores Fidei puniunt tanquàm hæreticos eos, qui in aliqua cæremonia judaica, aut in aliquo ritu Saracenorum deprænhenduntur: ergo ipsum factum, & non solùm judicium est hæresis.

24. Respondeo Inquisitores, cum hujusmodi factum puniunt, respicere ferè semper, vel ad pravum judicium, quod quis habeat, ritus illos, ac cæremonias adhuc licitè, impunèque posse exerceri, vel quod habere præsumitur, adeoùt multoties non attenditur in sacro Tribunali protestatio, qua reus aliquis afferat, se judicium pravum neutiquam habuisse, cum sit protestatio contraria facto, factumque dicto prævaleat, gignens vehementem suspicionem pravi illius judicii, ut ex Farinacio, ac Pegna monet Alberghinus *cap. 8. de Protestatione num.5.* afferens indicatum exemplum de eo, qui protestatur generalitèr se credere Messiam jam venisse, & nihilominùs paschalem agnum juxta Judæorum ritum occidit: quòd si adhuc insurgas ab Inquisitoribus puniri quandoque factum aliquod, etiam si cesset præsumptio judicii erronei, & pravi, de quo hactenùs locuti sumus, statim occurram, dicendo, quòd sicuti ad fidem pertinet, ne dum actus fidei, sed & fidei confessio, juxta illud (*ad Rom.1.cap.10.vers.10.*) *corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ita ad Inquisitores ne dum pertinet punire reos judicii erronei, sivè formalitèr, sive præsumptivè, sed & reos facti, quod sit contrarium, & oppositum fidei confessioni, ad quam sumus obstricti.

25. Replicabis si Inquisitores fidei ex aliquo facto, quod parere posset suspicionem judicii erronei in Operante, quòd nempè licitum sit illud operari à fidelibus, procederent ad cognitionem delicti, sequeretur Sanctum Tribunal debere procedere contra

contra quodlibet crimen ad investigandam intentionem criminosi; nam etiam committens furtum, aut homicidium, posset id judicare sibi licere sine peccato patrari. Pro responsione hujus replicæ sit:

ARTICULUS II.

Quale delictum det suspicionem hæresis in Operante?

1. Suspicio alicujus hæresis oriri potest ex duplici capite; primò ex assertione alicujus propositionis suspectæ de fide, aut sapientis hæresim, sive formalitèr talis est, sive virtualitèr tantùm, quales esse videbimus *blasphemam*, *superstitiosam*, aliasque prædictis affines *cap.6. art.1.2.3.* Secundò ex patratione alicujus delicti, ut in objectione ad calcem *præcedentis articuli* propositam indicatur, quæ viam aperuit præsenti difficultati discutiendæ, in qua tradendam assummimus rationem præcisam, ob quam unum potiùs, quàm aliud crimen prædictam hæresis suspicionem ingerat? acturi de suspicione, quæ oritur ex verbis *cap.6.* cum sermo erit de propositionibus censurabilibus adversis Religioni *articulis 1. & 2.* ubi examinabitur constitutivum, ac distinctivum propositionis habentis saporem, seu suspicionem hæresis.

2. Quæsito respondent plerique Authores, disparitatem esse petendam ex natura ipsorum delictorum, quam ex eorumdem exemplis nituntur eruere, asserentes aliqua esse crimina, quæ ab omnibus habentur, ut talia, & proinde ab omnibus reprobantur; alia verò, quæ, & si contraria sint Religioni catholicæ, non tamen, ut talia censentur ab aliarum Religionum Sectatoribus. Sic e. g. furtum, & homicidium, malitia involvunt, ob quã ab omnibus penitùs hominibus, sivè Catholici illi sint, sivè Hæterodoxi, Judæi, aut Gentiles rejicienda, ac punienda existimantur, non sic autèm ritus nonnulli Saracenorum, aut cæremoniæ Judaicæ, quorum usus apud Saracenos, & Judæos approbatur, & veluti sacer servatur, cum tamen in Lege Evangelica explodatur, ut futilis, vanus ac superstitiosus. Quo posito, primi generis crimina in sufficientia, inquiunt, esse ad ingerendam hæreseos suspicionem, efficacia verò crimina secundi generis, ex quibus sequi certò ferè videtur, quòd illa ad praxim deducens, pro licitis teneat, ac propugnet, qualia propemodùm habent Sectatores illius Religionis, in qua eorumdem usus exercetur, ut laude, & encomio dignus. Unde si quis se circumcisioni submittat, clarissima præbet indicia vehementissimè suspicandi, infectum ipsum esse hæresis Ebionitarum, qui autumabant per Christi adventum ac mortem non fuisse Legem Mosaicam abrogatam, nec Circumcisionis obligationem extinctam, instituto, loco ipsius, majori cum gratiarum fœnore, Baptismatis sacramento. Non ita tamèn arguendum esset de eo, qui se ipsum occideret, quòd nulla sit Secta, quæ propriam occisionem laude dignam censeat, ac propugnet, ut aliquid supremo Numini gratum.

3. Verùm, hæc disparitas replicam argumenti non plenè evacuat, neque difficultatem integrè enervat, qu ia falso fundamento laborat: siquidem, si nulla est falsitas sine patrono, sicuti nulla est veritas sine hoste, ut est commune, & vulgare adagium, sequitur nullum esse crimen, de quo non possit oriri suspicio, quòd habeatur hæresis in mente operantis, quoad licitam ejus patrationem. Adeò enim hominum malitia crevit, ut vix ullum sit peccatum, quod aliquam non habuerit Sectam patrocinantem: Si namque de copula carnali agitur, jam Nicolaitæ promiscuum fœminarum abusum, licitum propugnarunt, quos sequuti sunt Floriani, & Adamitæ: simplicem fornicationem Græci à peccato eximunt teste Alphonso de Castro *lib.1. de justa hæreticorum punitione cap.1. fol. mihi 6.* omnem carnalem commistionem, quæcumque illa sit, sivè inter viros, sivè cùm fœminis, si carnalis libido nimiùm urat, Waldenses licitam judicarunt.

4. Restitutionem rei furto sublatæ, etiamsi vires suppetant, Græci non esse necessariam adstruunt, juxta Guidum Carmelitam adductum ab Alphonso de Castro *loco mox citato*. Sui ipsius occisionem, quam Deus adeo abhorret, ut veniæ locum difficillimè habere dicatur, Circumcelliones præmio remunerandam, tamquam martyrium, esse credidere. Virilis membri rescissionem, proficuam, immò & necessariam ad Deo benè serviendum autumarunt Valesii: inobedientiam subditorum, Beguardi, & Beguinæ celebrarunt, quibus subscripsit Lutherus asserens esse miseram servitutem: votorum violationem licitam somniarunt Lamperiani, & Pseudo-Apostoli. Denique, si fides adsit, nullum opus damnandum esse effutivit Eunomius.

5. Quare

5. Quare, si vera esset discriminis ratio producta, videlicet, quòd ex aliquo facto criminoso, quod ab aliqua Secta probatum esse constiterit, meritò oriatur fundata suspicio hæresis in mente Operantis, sequeretur omninò concedendum esse, quòd, si quis in aliquid crimen ex recensitis lapsus fuerit, deberet semper ejus causa ab Inquisitoribus Sanctæ Fidei judicari, procedendò ad inquirendam intentionem, atque ab eisdem puniri; hoc autem est contra praxim Ecclesiæ universalem, & contra experientiam, nam aliàs oporteret omnem fornicatorem, aut ablata restituere nolentem, aut se ipsum mutilantem, vel eunuchizantem, & quemlibet subditum inobedientem, aut voti cujuscumque violatorem, omnemque mendacem, aut perjurium, omnemque denique scelestum hominem, habere, ut suspectum de hæresi; quia nullum ex assignatis criminibus sit, quod non fuerit ab aliqua hæreticorum Secta, & propugnatum, & exercitum tamquam honestum, rectorumquemorum regulis, consonum.

6. Suffragatur etiàm ratio, si enim omnis committens crimen approbatum ab aliqua Secta, induceret fundatam suspicionem hæresis in mente peccantis, qua judicaret suum opus non esse peccatum, cùm nullum sit crimen, quod non patrocinetur aliqua Secta, sequeretur nullum peccatum committi ex sola malitia, aut ex fragilitate, sed omninò derivari debere, ex erroneo intellectus judicio, quod est contra communem sententiam Theologorum. Patet assumptum, quia peccare ex malitia, aut fragilitate importat judicium rectum de malitia operationis; multa sunt enim peccata ex pura malitia, quæ homines scientes se perversè agere, committunt, ut patet de illis, de quibus Job dicebat *cap. 34. vers. 27.* quòd *de industria recesserunt à Deo*, & de illis, qui cum proposito pœnitendi, peccatum committunt, quia nisi se malè agere crederent, nunquàm in posterùm pœnitere proponerent, & de illis, qui contra conscientiam remurmurantem delinquunt, & de illis, qui post patratum peccatum, etiàm ex enumeratis, amarè illud deflent, ac detestantur, nemo enim de eo, quod gestum licitè judicat, dolet, imò congaudet. Cùm igitur multos tales esse, & ratio dictet, & experientia doceat, non est æquum, ut de omnibus suspicemur, cùm crimen laudatum ab aliqua Secta committunt, adesse in mente illorum hæresim, qua judicent licitè illud posse patrari, quare allata disparitas pro solutione replicæ, non plenè satisfacit, nisi præsertim ita explicetur, ut non ampliùs in nudam criminum approbationem ab aliqua Secta habitam refundatur, sed in alias etiam criminum eorumdem qualitates, ac circumstantias, verè suspicionem præfatam evincentes, & concludentes.

7. Quas non inficiamur intervenire posse præcisè per hoc, quòd approbatio criminum prædictorum ab aliqua Secta, non ita generaliter sumatur, sed limitetur ad eas, quæ ad præsens vigeant; quæque aliquod ex eisdem criminibus recipiant, tamquam honestum, ac licitum, idque in speciale nostræ Religionis odium, & in præceptorū, quæ in Catholica Ecclesia servantur, irrisionem, ea respuentes veluti impossibilia, naturæ contraria, rectæque rationi difformia, Ita e.g. si quis Religiosus professus matrimonium contraheret, hic proculdubio suspectus haberetur de hæresi, non obstante, quòd ad facinus illud patrandum devenire potuerit luxuriæ stimulis agitatus, quia, ut observat Simanchas *de cath. instit. tit. 40. rubr. de Matr. num.* 10. nostra hac ætate omnes ferè Hæretici, vota Religiosorum, quæ in Romano cœtu summoperè commendantur, infensissimè abhorrent, ac detestantur, licitum esse, sanctumque pervicaciter contendentes, Religiosos professos uxores ducere, Virginesque Deo sacras Matrimonium contrahere, tantæ vesaniæ vexillum præferentibus Luthero *lib. de abrog. Miss. priv.* Calvino *lib. 4. instit. c. 12. §. 23.* Magdeburgensibus *cent. 11. c. 7.* Melanctone *in conf. Aug. art. 23.* Kemnitio *3. p. exam. Conc. Trid.* unde evenit, quòd Religiosi, etiam Sacerdotes, Apostatæ, vix ad impiorum nebulonum castra confugientes, sacrum cælibatum, cui se perpetuò obstrinxerant, sacrilegis nuptiis commutant, uti de Francisco Lamberto, Joanne OEcolampadio, Petro Martyre, aliisque, refert Canisius *tom. 2. lib. 2. de Beat. Virg. c. 13.* Tanti itaque ponderis circumstantia interveniente, admittimus hæresis suspicionem exurgere ex criminis patratione, quod in nostræ Religionis spretum à pervicacibus hostibus tanto habetur in pretio.

8. Diversimodè ideò discurrunt alii Authores cum Alphonso de Castro *lib. 1. de pun. Hæret. c. 1.* asserente, illa dumtaxat delicta ingerere suspicionem hæresis in delinquente, quorum objecta nec naturam impellunt, neque in illa, quis fomitis propensione pro-

prolabitur, & rationem assignat Author laudatus, quia sunt quædam crimina, ad quæ sumus omnes propensi, & ex natura proclives, in quæ etiam contradicente conscientia præcipites aliqualiter impellente fomite prorumpimus, ut sunt carnis voluptates, divitiarum cupiditas, honorum ambitio, & id genus similia, in quibus, nisi aliud addatur, quòd meritò suspicionem causare valeat, ex solo facto communiter putamus, quòd non possit justa suspicio oriri; & proinde si quis fornicetur, furetur, aut mentiatur, honores percupiat, suo Superiori parere recuset, aut aliquid aliud similis farinæ scelus committat, quamvis peccet; non tamen ob hoc solùm, erit de hæresi suspectus, ac si credat sibi licere, quòd facit, cùm enim ad hujusmodi peccata à carne nostra sollicitemur, sequitur, quòd quamvis illa esse mala sciamus, committere tamen non formidamus.

9. Sunt item alia peccata ab istis longe diversa, à quibus voluntas naturaliter refugit, & ad illa appetenda, nisi ab alio, puta, a vehementi passione, vel ab errore intellectus, validè impellatur, nunquam ipsa ex se ad illa moveretur; ut esset v. g. sui ipsius occisio, membri alicujus principalis mutilatio; à quibus, humana voluntas propter amorem insitum, quem habet circa suam vitam, & carnem, naturaliter refugit, quoniam, ut ait Apostolus (*ad Ephesios cap. 5. vers. 30.*) *nemo unquam carnem suam odio habuit*, & in his, ne temerè quid; quam suspicemur, priùs inquirendum est, an passio aliqua vehemens præcesserit, quæ operantem ad tam horrendum scelus perpetrandum impulerit, quo modo legimus aliquos ad temperandum effrenatæ libidinis æstum, sponte Eunuchos effectos, alios tædio angustiæ, aut doloris, quem pati non posse judicarunt, mortem sibi ipsis intulisse, ut saltem hac via dolori, & angustiæ finem imponerent. Qui autem, hæc, & similia committunt, credendi sunt ex infirmitate aut passione victos, tam horrenda scelera perpetrasse.

10. Si verò aliunde constiterit, non ex pusillanimitate spiritus, aut ex vehementi passione in talia crimina fuisse lapsos, rationabilis suspicio oritur illos tali hæresi fuisse infectos, ut crediderint ea sibi licuisse, quæ perpetrarunt: quoniam, cùm voluntas ex se ad illa moveri non posset, nec ex passione, vel infirmitate ducti in ea sint prola[illegible] ut supponimus, conjicere profectò licet eos ex errore intellectus ad ea facienda impulsum desumpsisse.

11. Tandem sunt quædam crimina, ad quæ voluntas non ex se, & ex propria propensione movetur, neque ex se illa refugit, quoniam nihil illa habent, quo possint voluntatem ad eorumdem prosequutionem allicere, vel ad fugam inducere; sed voluntas est veluti indifferens, ut ita dicam, & anceps ad ea, cùm sint illi per intellectum nudè ostensa, hujusmodi sunt cæremoniæ judaicæ, aut nonnulli Gentium ritus, v. g. religiosa Sabbati observatio, abstinentia à suffocato, & sanguine, aut aliis cibis lege Mosaica prohibitis; jejunium die dominico, æsus agni paschalis secundùm Judæorum ritum, baptizare imagines, aut corpora mortuorum, imagines Sanctorum confringere, Sacramentum Altaris conculcare &c. Quæ, cum homo facit, non apparet ipsius voluntatem, nisi ab aliquo erroneo intellectus judicio moveri; non enim movetur ab objectis, quia talia non sunt, ut possint allicere voluntatem; neque movetur ab aliquo propriæ carnis instinctu, cum nulla sit circa ea propensio, nulla inclinatio, consequens est igitur, ut ab erroneo intellectus judicio moveri dicamus, adeò ut ipsa tale opus non elegisset, nisi intellectus ei honestum, ac licitum suasisset. In his ergo, utique hæresis suscipio ex opere exteriùs patrato oritur, quiquetalia facit, meritò præsumitur credere esse bonum, quòd facit: nam ex Aristotele *tertio ethicor*; habetur: *Qualis est unusquisque, talia dicit, & operatur*.

12. Huic opinioni subscribere non renuo propter particulas illas *num.* 8. appositas, quæ alia delicta non omninò ab hæresis suspicione excludunt, sed cum limitatione: *nisi aliud addatur, quòd meritò suspicionem causare valeat*, quæ conformis est doctrinæ, quam *num.* 7. abundè indicavimus, & maximè corroborari potest validissimo argumento ex Confessariis sollicitantibus, deducto, qui proculdubiò de hæresi suspecti habentur, ex tot Summorum Pontificum Bullis pœnitentes obligantium ad eorumdem denuntiationem faciendam, si velint absolutionis Sacramentalis capaces effici. Quin valeat respondere, suspicionem hujusmodi in dicto crimine haberi earumdem Pontificiarum constitutionum vigore, præscribentium prædictum sollicitationis crimen recensendum inter delicta, quæ reos ipsorum constituunt de hæresi suspectos: etenim ex ipsismet constitutionum verbis, evidenter elucet

Sum-

Summos Pontifices, non aliquam de novo legem condidisse, decernentem ac reddentem crimen, quod sui natura aptum non foret ad hæresis suspicionem causandam, ad id idoneum ac sufficiens; sed declarasse sollicitationem ex suis intrinsecis prædictam suspicionem causare; *Nos*, inquit, *in sua Const.* incip. *cum sicut nuper*, Pius IV, quam inseruit in altera incip. *universis*, Gregorius XV, *in animum inducere nequeuntes, quòd, qui de Fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis injuriam faciant*, ex quibus verbis liquet Christi Vicarium ad Constitutionis promulgationem devenisse, ex quo in animum inducere nequivit, *quòd qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur*, & proinde ex intrinseca sollicitationis natura motum ad illam fuisse, non videtur ambigendum.

13. Nec adhuc quis replicet, quòd contra delictum præfatum ante emanationem Pontificiarum constitutionum, non possent Inquisitores procedere, ut, ex Doctorum communi testatur Bordonus, *in suo Sacro Tribun. cap.23. num.6.* ex eo inferens rationem suspicionis in dicto crimine haberi, non ex intrinseca ipsius natura, sed ex constitutionum Apostolicarum vigore ortum agnoscere, Nos namque non negavimus in sollicitationis crimen procedere Inquisitores cæpisse post emanatas prædictas Apostolicas constitutiones, sed solùm, quòd hæ reddiderint dictum crimen capax, ut ex ipsa hæresis suspicio oriretur. Hanc etenim capacitatem habet ex suis intrinsecis involventibus Sacramenti pænitentiæ abusum, quo sollicitantes, *pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigunt*, ut idem Pontifex subdit. Hæc autem ratio, ex natura sacrilegi criminis eruta, non plenè agnoscebatur, nec ab omnibus habebatur, ut talis, & proinde fuit necessaria Pontificia declaratio, per quam Sacrum Tribunal posset procedere, tamquam in delictum ad ipsum indubiè, & certò spectans. Ad eum planè modum, quo, cum Pontifex aliquam propositionem damnat tamquam erroneam, male sonantem &c: non id facit reddendo talem virtute suæ constitutionis, sed declarando, quòd talis sit, & fuerit, etsi virus ejus lateret, nec ab omnibus agnosceretur.

14. Aliæ insuper fieri possent instantiæ, ex quibus inferendum cuiquam videretur, ex ratione insinuata sequi, suspectos de hæresi fore judicandos eos omnes, qui pænitentes sollicitent ad alia criminum genera, ut furti, usuræ, simoniæ, &c. quique ad venerea inducunt, non in Sacramento pænitentiæ, sed in administratione alicujus ex cæteris Sacramentis, quòd tamen admitti non valet. Verùm prædictæ illationes, non assertum, quòd sequimur, infringunt, sed constitutionis Pontificiæ rationem impetunt. Ipsis nihilominus occurrimus juxta varia Doctorum placita, quorum aliqui, & ni fallor probabiliùs primam ex eis concedere non detrectant, cum Pegna *in direct. inq.2.p. comm.8.§. ille quoque* Acunha *quæst.8.num.9.* Freytas *in add.quæst.8 num.17.* Trimarchio *de Conf. abutente disp.4. sect.3. num.6.* cæterisque, quos sequitur Alberghinus *cap.31. de Confess. sollicitantibus §.3.* ubi *num.3.* advertit sollicitantes hujusmodi, quantumvis de hæresi suspectos, non ideò pænis Bullæ Gregorii XV. editis contra sollicitantes ad turpia fore subjiciendos. Alii econtra, eos suspectos de hæresi habendos negant, quos inter, Joseph Alderete *in tract. de religiosa discipl. tuenda lib.2.c.15.num.22.* & Portel *in addit. ad dubia regul.verb. sollicitare num.8.*

15. Prioris opinionis Patroni in eo fundantur, quòd abusio Sacramenti pænitentiæ, quam Pontifex ponderat, æque militet in sollicitatione ad venerea, ac in sollicitatione ad alia delicta, cum æquè *pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigant*, qui quolibet ex prædictis modis sollicitat, Sacramento per se ad peccatorum remissionem instituto sacrilegè abutens. Quibus tamen respondere nituntur Doctores oppositum tuentes, rationem discriminis assignantes, ex speciali venereorum turpitudine deducta, ac ex majori, quæ, ad ea patranda habetur, proclivitate, cum præsertim ex quo luxuriæ peccatis adeò sit annexa mentis excæcatio, ut ipsius filia soleat appellari, longe facilior ex ea exurgit erroneum judicium intellectus, qui jam ex cæcatus supponitur.

16. Alitèr pariter respondent Theologi alteri illationi ex sollicitatione in aliorum Sacramentorum administratione erutæ, paritati enim succumbere videntur Bordonus, *in manual. consult. sect.25. num.122.* & Leander de *Sacram. pænit. tract.5. disp.13. q.10.* contra quos pugnant Sanctarellus *de hæresi disp.46.dub.unico num.5.* Sousa *in Aphoris. Inq. lib.1. c.34. num.20.* Lezana *in summa tom.1.c.19.num.34.* Carena *tit.6. §.5.num.26.* quibus, aliisque productis, subscribit Alberghinus *cap.31. de Conf.soll.num.6.& seqq.* moti

ti, tùm ex proximiori solicitationis periculo, quod imminet in confessione magis, quàm in reliquis Sacramentis, arrepta illius medio, occasione, ex peccatis, pravisque animi, & corporis motibus, quæ Pænitentes secretò patefaciunt; tùm quòd in aliis Sacramentis sollicitatio non videatur primarium finem illorum impetere, ad quem sunt à Christo instituta, ut in Sacramento pœnitentiæ contingere innuimus.

17. Seligat jam quisque placitum, quod sibi magis arriserit, quodque revera fidei puritati asservandæ magis visum fuerit consonum; nobis interim satis sit insinuasse, delicta aliqua esse hæresis suspicionem inducentia ex intrinsecis suis, cùm nepe ad ea patranda, non alio motivo quispiam induci videatur, nisi ex præeunte erroneo intellectus judicio; alia verò, ex circumstantiis, in quibus quandoque committuntur, uti si interveniat perversus Sacramentorum abusus modo desuper expenso, si fiant in locis, ubi adsit fidelium cum hæreticis commixtio, si ejus generis appareant, quæ ab heterodoxis communissimè, ut licita commendantur, idque in speciale Catholicæ Religionis odium, aliæque prudentum æstimatione, & juxta Sanctissimæ Inquisitionis praxim potissimùm metiendæ.

ARTICULUS III.

Quanta pravitatis gravitate Subjectum, cui inest, inficiat hæretica propositio?

1. Solet hic à Theologis inquiri gravitas malitiæ hæresis formaliter acceptæ, an videlicèt major sit vel minor, malitia aliorum peccatorum, quæ præsertim opponuntur aliis duabus virtutibus Theologalibus? & communiter resolvunt maximum omnium peccatorum dici debere odium Dei, idque ea potissimùm ratione, quia Charitas, maxima est omnium virtutum. Nos nihilominùs, ad præsens à prædicta quæstione abstinemus, contenti aliquid de ea insinuare in *articuli hujus* decursu, quòd instituto nostro conformius appareat examinare hæresis pravitatem, quam in tota sua latitudine importat, damnaque quæ Subjecto, cui inest, afferat, ut inde eruatur plena tāti mali cognitio, firmiorque ab eo recessus, & fuga; cum præcipuè videatur:

2. Dicendum, hæresim majoris gravitatis esse respectu Subjecti, quod inficit, si in tota sua latitudine inspiciatur, quàm sint reliqua peccata, quantumvis duabus aliis virtutibus theologicis, hæc adversentur: Ad quod assertum, primò movemur, ex quo, eò gravius, ac perniciosius Subjecto, est aliquod malum, quò majus est bonum, quo per illud, Subjectum idem privatur; vulgare enim effatum, *contrariorum eadem est disciplina*, non minùs verificari debet de gravitate malitiæ, quæ competit alicui actui formaliter inspecto, & in suis prædicatis essentialibus, ac constitutivis, quàm de gravitate damnorum, ac nocumentorum, quæ causat in Subjectis, quibus inhæret; adeo ut, sicuti illa eò major in sua ratione formali dicitur, quò potior est bonitas per ipsam formaliter exclusa, & propterea odium Dei gravissimum censetur, quòd per illud formaliter, & per se, ac non participativè dumtaxat, ut in aliis peccatis, avertimur à Deo, qui est supremus noster ac ultimus finis; ita & ista, servata proportione, eò major est æstimanda relatè ad Subjectum, & in tota sua latitudine sumpta, quò majus est bonum, quo Subjectum ipsum realiter privatur, unde est illud Philosophi: *rectum est index sui, & obliqui*: Atqui hæresis quantumvis formaliter soli fidei opponatur, realiter tamen à Subjectis, quibus inest, non solam fidem excludit, sed & spem, ac charitatem, igitur realiter accepta, & secundùm omnia, quæ realiter involuit, tantam gravitatem aliquo modo importat, quantam bonitatem relatè ad Subjectum comprehendunt omnes tres theologales virtutes, fides, spes, & charitas, & proindè, major est pravitas ipsius, quàm sit ea, quæ aliis peccatis inest, cæteris virtutibus theologalibus, oppositis.

3. Movemur secundò, quia quamvis quodlibet, peccatum sive per se, ac formaliter sit dilectioni oppositum, & repugnans, ut innuimus de odio Dei, sivè non, semper realiter habeat trahere infusæ charitatis habitus exclusionem, quicquid in contrarium somniaverit Bajus perperàm docens: *Homo existens in peccato, sivè in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere, cum reatu æternæ damnationis*, quæ fuit sexagesima ipsius propositio ex proscriptis à Pio V. *in Const. incip. Ex omnibus afflictionibus*, aliisque suis in Romana Cathedra Successoribus, non tamen quodlibet peccatum destruit fidem, quæ perseverare potest sui natura, nedùm cum uno peccato læthali, sed & cum multis, ut declaravit novissimè fel. rec. Alexander VIII. proscribens

bens illam propositionem: *quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiam si videantur credere, non est fides divina, sed humana*, inhærendo definitioni, quam tradidit Tridentinum *sess.6. de justif. can.28.* verbis illis: *si quis dixerit amissa per peccatum gratia, simul, & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, aut eum, qui fidem, sine charitate habet, non esse verum Christianum, anathema sit*; & ante Tridentinum expresse docuit Apostolus 1. *ad Cor.*13. 2. ubi inquiens: *si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero*, &c. aperte indicavit dari posse omnem fidem in eo, qui charitate fuerit destitutus, unde meritò *lib.1.de Trin.c.*18.dixit Augustinus: *fidem sine charitate esse posse, non autem prodesse*. Igitur in ratione nocumenti, hæresis, quæ nedùm formaliter opponitur fidei, sed & realiter destruit spem,&charitatē,involvere realiter, & in tota sua latitudine debet malitiam ferè æqualem bonitati trium dictarum virtutum theologalium.

4. Quòd autem hæresis destruat realiter spem, & charitatem, probatione non indiget; de charitate enim ait *ad Hebr.c.*11.*v.*1.ideò Gentium Doctor: *sine Fide, impossibile est placere Deo*, impossibile autem id non esset, si in eo, qui fidem non haberet, charitas posset consistere, quæ, cùm vel ipsa gratia sanctificans sit, vel cum gratia sanctificante necessariò connexa, non potest non supponere Subjectum, in quo est, Deo gratum, ac placens, ipsiusque Amicum. De spe pariter idem Apostolus *ad Hebr.c.*11.*v.*1.ideò describens: *fides est substantia rerum sperandarum* exprimit fidem esse spei fundamentum, quo diruto, & illa corruit, unde Angelicus fidem respectu spei comparat cum primis principiis indemonstrabilibus, quæ dicuntur *substantia scientiæ, quia scilicet primum, quod in nobis est de scientia, sunt hujusmodi principia, & in eis virtute continetur tota scientia. Per hunc ergo modum dicitur fides esse* substantia rerum sperandarum, *quia scilicet prima inchoatio rerum sperandarum in nobis, est per assensum fidei, quæ virtute continet omnes res sperandas: in hoc enim speramus beatificari, quòd videbimus aperta visione veritatem, cui per fidem adhæremus*. Hactenùs S.Thom. 2. 2. *q.*4. *art.*1. *in corp.*

5. Nec refert respondere, hæresim non importare malitiam oppositam bonitati charitatis, seu gratiæ sanctificantis per se, ratione suæ constitutivæ differentiæ, vi cujus opponitur tantùm Veracitati divinæ, non verò Bonitati, sed tantùm per accidens, quia nempè est peccatum mortale destructivum gratiæ, & charitatis.

6. Non refert inquam, quia responsio est præventivè soluta. Nec enim nos hic inquirimus malitiam, quam hæresis importat ex suo formali conceptu, sed pravitatem, quam imbibit realiter in tota sua latitudine sumpta, & relatè, ad Subjectum, cui inest, ac proinde dicimus, quòd, & si hæresis considerata secundùm suum formalem conceptum, minùs malum sit, odio formali Dei, nihilominùs si spectemus nocumentum, quod affert, hæresis excedit ipsum Dei odium, quia odium destruit charitatem, non fidem, hæresis verò destruit, & fidem, & charitatem, ut probavimus, unde ex responsione potiùs confici potest argumentum in favorem asserti:

7. Quoniam, si actus hæresis directè destruit habitum fidei, & indirectè, ac per accidens destruit habitum spei, (idemque dic in ordine ad habitum charitatis) necesse est, quòd aliquo modo importet pravitatem oppositam nedum fidei, sed etiam spei. Assumptum est erutum, ex ipsa responsione, & patet, quia carens habitu fidei, est destitutus actu primo etiam remoto sperandi supernaturaliter, & proinde Apostolus rationem assignans certitudinis spei theologicæ 2.*ep.Tim.c.*1.12. in fidem, illam refudit: *scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare*, innuens in spe non esse certitudinem propriam, nisi participativè à fide: *spes*, inquit aptè: 2.2. *q.*18. *art.*4. *in corp.* S. Thomas, *certitudinaliter tendit in suum finem, quasi participans certitudinem à fide, quæ est in vi cognoscitiva*. Deficiente autem fide, deficit consequenter ejus certitudo, ac eatenùs non potest participari à spe, & idcircò necesse erit, quòd ad hæresis positionem, per quam proculdubiò amittitur fides, & fidei certitudo, spes pariter deperdatur.

8. Hoc docuisse videtur Sanctus Joannes de Capistrano, cum dixit: *unusquisque tantum amat, quantum sperat, & tantum sperat, quantum credit*: si enim ab actu ad potentiam tenet illatio, sicuti, qui non credit, non sperat: ita & qui non potest credere supernaturalitèr, non potest sperare. Ideòque D. Paulus *ad Hab.*11. 6. scripsit: *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia Remunerator est*, fidei necessitatem designans, ut spem æternæ remunerationis concipere valeamus, cum præsertim, ut *lib. de Doctr. Christ.* ait Augustinus: *invisa amare possumus incognita verò, nequaquam*, quod verum est

non

non de amore charitatis dumtaxat, sed & de amore concupiscentiæ, qui habetur in spe, quia non possumus appetere præmii sempiterni remunerationem, nisi prævie credamus, *quia Deus Remunerator est*.

9. Confirmatur adhuc primò, ex quo fides sit, quæ dispositivè nos efficit filios Dei, sicut Paulus *ad Galatas cap.3.26.* ait; *Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu*; Ipsa dicatur vita justorum monente Abacuch Propheta (*cap.2.4.*) *justus ex fide vivit*. Ipsa, basis, & fundamentum totius Christianæ structuræ, cui quidquid ad veram pietatem, & religionem spectat, innititur. Ipsa, firmissima petra, supra quam Deus fundavit Ecclesiam, & supra quam fundari nos omnes præcepit Apostolus (*ad Colossenses cap.1.23.*) *si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Evangelii, quod audistis*: sequitur sperare nos non posse superna, quæ promittuntur à Deo, nisi eum summè veracem, & fidelem credamus; quare per fidem credentes, & stabiles, & immobiles efficimur viva spe adhærentes promissionibus Evangelicis. Quis enim unquam de continuo, & diuturno bello, in quo conflictum immanem sustinemus juxta illud Job (*cap.7.1.*) *militia est vita hominis super terram*, nos ab hostibus liberat nisi fides? *hæc est victoria*, inquit, *ep.1. cap.5.4.* Joannes Apostolus, *quæ vincit mundum, fides nostra*; ideo contra tela inimici præceptum habemus sumere armaturam fidei, & scutum inexpugnabile, quo nequissima hostium jacula valeamus retundere.

10. Optimè propterea S. Felix Papa, Martyr, si verè ipsius sit *epist. ad Paterum Episc.* de hæresi loquens, eam dixit convellere non solam fidem, sed omnia alia fundamenta Catholicæ Religionis, quę absque dubio sunt tres omnes theologales virtutes: *hæresis quippe est nimis impia, & Evangelicæ veritatis inimica, quæ non portionem aliquam lædere, sed ipsa Christianæ Religionis conatur fundamenta convellere, quoscumque enim rapit ad se, non solùm in hoc vitium, sed in multa alia vitia ruere facit, & ipso suadente antiquo hoste, non solùm persequutores Ecclesiæ, sed etiam Sacerdotes ejus fiunt*.

11. Confirmatur secundò, quia, sicut fides cæteris virtutibus, ita è contrario ejus æmula hæresis, cunctis vitiis, & januam reserat, & viam latissimam sternit. Hinc, fideles de hæreticorum vexationibus conqueruntur apud Job: *cap.30.14.* dicentes. *quasi rupto muro, & aperta janua irruerunt super me*, quæ verba Beatus Gregorius *lib.3. moral. cap.10.* interpretans ait: *Quasi murus rumpitur, cum pravorum persuasionibus fides, quæ de Redemptore nostro, ut in quorumdam corde dissipatur, cumque perversis in hac vita potestas tribuitur, quid aliud, quam janua erroris aperitur? quasi rupto ergo muro, & aperta janua super bonos irruunt mali, cùm accepta temporaliter potestate perversi, ipsa quoque in quorumdam corde destruere manimina fidei conantur*.

12. De hæresis proinde malitia mistice Salomon *in Prov.9.13.* loquens ait; *Mulier stulta, & clamorosa, plenaque illecebris, & nihilominùs sciens sedet in foribus domus suæ, super sellam in excelso urbis loco*; prout Hieronymus explicat, inquiens: *Mulier hæc hæresis est, contraria nimirum sapientiæ, quæ sua superiùs sacramenta cecinit, stulta scilicet per fatuum intellectum, & clamorosa per garrulitatem, plenaque illecebris vitiorum, & nihil omninò sciens, sicut ait Apostolus (ad Galat. cap.6.4.) qui se existimat esse aliquid, cùm nihil sit, ipse se seducit. Sedet autem, & ipsa in foribus domus suæ, idest, in Doctoribus falsitatis, qui in penetralia perfidiei miseros fallendo perducit*.

13. Hinc hæresis dicitur peccatum gravissimum, adeò ut ab Augustino *tract.85. in Joannem*, & *lib.3. contra duas epistolas Pelagianorum c.3.* nominetur *peccatum absolutè dictum, quasi per anthonomasiam*, sic interpretans illud (*Joan. cap.15.22.*) *Si non venissem &c. peccatum non haberent* & (*cap.16.8.*) *arguet mundum de peccato*, modus autem significandi per anthonomasiam non solet usurpari, nisi quia res significata per nomen habet singularem excellentiam, vel excessum in ea ratione, qua significatur per vocem. Imò non solet dici, nisi de eo, quod est maximum in tali genere, cum ergo hoc non possit verificari de hæresi, secundùm id, quod importat de formali ex supra indicatis, sequitur verificari debere pro statu reali, seu relatè ad Subjectum, & secundùm nocumenta, quæ ipsi affert.

14. Tum quia: Hæresis radicitùs evellit justitiam, nàm, cùm fides sit fundamentum justitiæ, quod alia peccata non auferunt juxtà definitionem Concilii Tridentini *sess.6.* illud destruit hæresis, expellendo fidem, ut idem Concilium tradit, & ita omninò privat hominem justitia à fundamentis ejus; & idcircò ex Divo Thoma *in 1. ad Timoth. cap.5.6.* hæresis constituit hominem in eo statu, in quo nihil Deo placitum facere potest, quia *fine fide impossibile est placere*

cere Deo (*ad Hebr. cap.* 11.6.) non solùm quo ad personam, sed etiam, quo ad operationes, ut docet Augustinus *lib.*4. *contra Julianum cap.*3. intelligendus tamen de operè impetratorio, ac meritorio, & in ordine ad æternam salutem.

15. Tandem hæresis difficiliùs curatur, quàm cætera peccata quia hæc relinquunt fidem, per quam potest homo aliquid consequi, quo tandem ad meliorem mentem redeat; nàm, ut est vulgare apud Augustinum *epist.*105.& alibi, *fides impetrat quod lex imperat*, hæresis autem cùm tollat fidem, tollit omne principium quasi intrinsecum impetrandi auxilium, & remedium contra peccata. Accedit ex Suario *loco citato*, quòd sicut fides est radix cæterarum virtutum, ita hæresis,infinita secùm affert vitia, præsertim contra Deum, ut irreligiositatem, superstitionem, ingratitudinem, & similia: ergo &c.

16. Dictis posset opponi, primò, quia:ex quo Apostolus1.*adCorint.cap.*13.13. docet: *Fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas*; majorem bonitatem importat charitas, quam fides; adeoque major est malitia actus peccaminosi contra charitatem, quàm contra fidem, & consequenter hæresis non importabit malitiam oppositam bonitati charitatis.

17. Respondeo: Apostolum, præferre charitatem, fidei, attentis solis rationibus constitutivis, & distinctivis illarum invicem comparatarum, quatenùs una respicit divinam bonitatem primariò, & alia veracitatem, ut initio *articuli* tetigimus, & consequenter prælatio procedit in sensu, de quo non loquimur, immo & in quo fassi fumus odium Dei esse infidelitate, ac hæresi deterius, ob rationem, quam aperit D.Thom.2.2.*q.*34. *art.*2.§. *Sed contra*, dicendo; *quòd optimo opponitur pessimum, ut patet per Philosophum* (8. *Ethic.*) *sed odium Dei opponitur dilectioni Dei, in qua consistit maximum hominis, ergo, odium Dei est pessimum peccatum hominis*, non autem in sensu, de quo est quæstio, cum, in hoc non consideretur in hæresi aut infidelitate, sola oppositio,quam dicit ex suo conceptu cum fide, & contrarietas cum veracitate divina, sed etiam oppositio, quam involuit pro statu reali, & in tota sua latitudine cum spe, & charitate, quas pænitùs excludit à Subjectis, quæ,ea inficiuntur.

18. Secundò, quia actus fidei est tantùm dispositio remota ad nostram justificationem, actus verò charitatis est dispositio proxima, & ultima; imò ipse habitus charitatis est forma ipsa justificans in probabili sententia, quòd non distinguatur ab habitu gratiæ sanctificantis: ergo major est bonitas, & excellentia actus charitatis, quàm fidei: adeòque idem dicendum est de eorum habitibus; quo dato, major est malitia actus odii Dei, quàm infidelitatis, & per consequens hæc non importabit malitiam æqualem bonitati illarum; attento præsertim, quòd bonitas est mensura malitiæ ipsi oppositæ, quia carentia tantum malum importat, quantum est bonum, quo privat, juxtà regulam desuper indicatam.

19. Respondeo totum entymema esse verum, quia æquè ac argumentum præcedens, præcisè procedit de rationibus specificis ultimò constitutivis, ac distinctivis illorum habituum, ac actuum. Concedo proindè majorem esse malitiam odii Dei, malitia infidelitatis, consideratis odio Dei, & hæresi formaliter, non tamen concomitantèr, seù materialiter ratione damni illati, quia sic, in actu infidelitatis, & hæresis, non modò per se includitur malitia importata per differentiam constitutivam ultimò ac distinctivam, sed alia, quæ ad ipsum realiter consequuntur. Concedo item bonitatem esse mẽsuram malitiæ,cui opponitur; si cum proportione sumantur pro eo statu, pro quo est oppositio. Unde cum pro statu reali, in odio Dei, non sit oppositio cum fide divina, ex quo benè possit in rè haberi, cum fidei perseverantia, secùs verò in infidelitate, & hæresi, quæ in re nedum excludit fidem, sed etiam spem, & charitatem,sequitur malitiam hæresis, & infidelitatis in re mensurari debere,nedum mensura bonitatis fidei, sed etiam quodammodò bonitatis aliarum theologalium virtutum.

20. Tertiò, quia si actus infidelitatis per se, & ex sui ratione importat malitiam in re oppositam bonitati charitatis, sequeretur,omnia opera infidelium fore peccata, qui fuit error Gregorii Ariminensis, *in* 2. *d.*39. *q.*1. *art.*2. *corol.*3. Michaelis Baii *in suis assertionibus*, *assert.*26. & Catherini *in lib. Genes. c.*2. nàm omne opus infidelis procedit ex judicio erroneo infidelitatis, quare sapit infidelitatem; unde si infidelitas non potest præscindere à peccato, neque ullum opus infidelis.

21. Respondeo argumentum hoc nec ad rem esse, nec verum assumere. Nos enim nunquam diximus, hæresim opponi cum

cum charitate, eamque excludere, quòd omnes hæretici, ac infidelis actus ex judicio erroneo æquè procedant, sed quòd cum fides sit aliarum theologalium virtutum fundamentum, eo destructo, & istas necesse sit destrui. Quod intelligendum est de virtutibus theologalibus supernaturalibus, & per se infusis, de quibus hactenus factus est sermo. Cum quo optimè stat infideles elicere posse alia opera bona, non tamen meritoria vitæ æternæ, v.g. dare eleemosinam propter levamen pauperis, aut solvere stipem mercenario, cui ex justitia debetur; nec enim idem est, infidelem non posse habere opus meritorium, ac non posse habere opus moralitèr honestum, quia peccatum, & meritum non ita dividunt actum humanum ut sic, ut non mediet actus, qui non sit neque peccatum, neque meritum de quo loquimur; neque necesse est, ut actus, qui recedit à ratione meriti incidat in rationem peccati, aut ècontra; carentia namque fidei, quamvis trahat carentiam spei, & charitatis supernaturalium, non ideò tamen prava est circumstantia omnium moralium operum, in quæ non influit, nec ex ea redundat in illa, ulla positiva pravitatis nota.

22. Quartò, quia ex rationibus allatis inferri videtur, ne dum hæresim, & infidelitatem (quæ in præsenti ad invicem confunduntur) sed & quodlibet peccatum contra quamlibet virtutem patratum, quamvis non theologalem, esse relatè ad Subjectum perniciosius, magisque pravum, quàm sit ipsum Dei odium; cum enim odium Dei destruat charitatem, & opponatur soli bonitati divinæ, & peccatum quodlibet opponatur charitati non solùm, quam æque excludit à Subjecto, cui inest, sed etiam aliis virututibus saltem moralibus, sequitur quodlibet peccatum relatè ad Subjectum dicendum fore magis pravum, & perniciosius Dei odio, quod tamen absurdum esse, inficiabitur nemo.

23. Respondeo latum esse discrimen inter hæresim ac infidelitatem, & alia peccata, quòd in his nulla habeatur directa aversio à Deo, sed indirecta dumtaxat; primùm namque in ipsis est conversio ad commutabile bonum, & ex ejusmodi conversione resultat deinde aversio à Deo. Patet autem perniciosius certò esse relatè ad Subjectum, quempiam esse directè à Deo aversum, & indirectè ad bonum commutabile conversum, ut evenit in odio Dei, quàm esse directè conversum ad bonum commutabile, & indirectè aversum à Deo. At in peccato hæresis, quis etiam immediate redditur aversus à Deo, non quidè formaliter sub ratione boni infiniti, sed sub ratione summi veracis, denegando ei debitam fidem. Perniciosior autem est relatè ad Subjectum ista directa aversio à Deo, quæ secum fert indirectè aliam aversionem etiam sub ratione summi boni, quam sola aversio directa sub ratione summi boni, quæ nec indirectè involvat aversionem sub ratione summè veracis, quia per illam omnia fundamenta justitiæ evelluntur, omneque principium quasi intrinsecum obtinendi auxilium, & remedium contra peccata, per hàc verò non ita, cùm fidem in Subjecto relinquat, quæ radix est cæterarum virtutum, præcipuumque justitiæ, fundamentum, quo ad meliorem mentem redire quis poterit. Unde evenit, ut diximus, quòd hæresis antonomasticè *peccatum* denominetur, quamvis in sua ratione formali, minoris sit pravitatis odio Dei.

24. Quintò, schisma est gravius hæresi, dum legimus gravioribus pœnis hoc illud punitum. *Numeror.* namque *cap.* 16. 31. & 32. de Dathan atque Abiron habetur disruptam fuisse terram, *sub pedibus eorum: & aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum*, idque non in alterius peccati pœnam, nisi quia insurrexerint contra Moysen, & Aaron *eod. cap. num.* 2. 3. & tamen schisma non secum trahit deperditionem virtutum theologalium; ac proinde non ex quo deperditionem hujusmodi trahat hæresis, dici ideo potest peccatum omnium gravissimum.

25. Respondeo tormenta, quæ post mortem infliguntur à Deo reprobis, utique si scirentur, indicare posse peccatorum eorumdem gravitatem, juxta illud (*Apoc.* 18. 7.) *quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit; tantùm date illi tormentum, & luctum*. At in hac vita non semper Deus punit peccata ad mensuram gravitatis eorum, immò quandoque, ob altissimos suæ providentiæ fines, enormia scelera impunita derelinquit, & de levioribus sumit vindictam. Accedit, quòd cùm puniuntur scelera, id non fit ad mensuram gravitatis eorumdem ex genere suo, sed ad mensuram gravitatis, quæ competit ipsis in individuo, omnibus eorum circumstantiis inspectis, sub quibus contingere utique potest, quòd peccatum ex genere suo gravius, levius evadat, leviorisque proinde punitione dignum, unde D. Augustinus

lib. 4.

lib.4. de Bapt. c.5. fentit avaritiam ex certa scientia in homine fideli, esse gravius peccatum infidelitate ipsa, orta saltem ex ignorantia, & in casu argumenti, scelus Dathan & Abiron gravissimum fuisse indicat sacer textus designans eorumdem temeritatem ac obstinationem, cùm vocati à Moyse semel, & iterum, *responderunt, non venimus*. *Numer.cap.16.12.*

26. Hanc rationem innuit *S Th. 2.2. q.39. art.2. in corp.* inquiens: *manifestum est, quòd peccatum infidelitatis ex suo genere est gravius, quàm peccatum schismatis, licèt possit contingere, quòd aliquis schismaticus graviùs peccet, quàm quidam infidelis, vel propter majorem contemptum, vel propter majus periculum, quòd inducit, vel propter aliquid hujusmodi*, & *in resp. ad* 1. duas subnectit conjecturas, ob quas in veteri lege schisma severius puniretur idolatria, primamque desumit eò quia, *populo illi manifestum erat, jam per legem susceptam, quòd erat unus Deus, & quòd non erant alii Dii adorandi, & hoc erat apud eos per multiplicia signa confirmatum, & ideo non oportebat, quòd peccantes contra hanc fidem per idolatriam punirentur inusitata aliqua sola pæna, sed solùm communi. Sed non erat sic notum apud eos quod Moyses deberet esse semper eorum Princeps. Et ideò rebellantes ejus principatui oportebat miraculosa, & inconsueta pœna puniri*. Hocve motivum satis Moyses innuit prædictam punitionem Dathan, & Abiron prædicens; *Si consueta hominum morte interierint, & visitaverit eos plaga, qua, & cæteri visitari solent, non misit me Dominus. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum, deglutiat eos, & omnia, quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, sciatis, quòd blasphemaverint Dominum*. *Numer.cap.16.30.*

27. Altera Aquinatis conjectura eruitur, ex pronitate Judæorum ad proditiones, & schismata, *dicitur enim* (*Esdræ 1. cap.4.19.*) *Civitas illa à diebus antiquis adversùm Reges rebellat, & seditiones, & prælia excitantur in ea. Pæna autem major quandoque infligitur pro peccato magis consueto. Nam pænæ sunt medicinæ quædam ad arcendum homines à peccato, unde, ubi est major pronitas ad peccandum, debet severior pæna adhiberi*. Cæterùm de pravitate propositionis schismaticæ agemus *cap.6. art.13. & seq.* ubi videbimus, quòd licèt specificè discriminetur ab hæresi, non raró tamen illam in re involuit, & cum ea connectitur, adeout Hieronymus relatus *c. inter hæresim 24.9.2.* pronunciare non hæsitaverit, *nullum schisma* esse, quod, *non aliquam sibi confingit hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur*.

28. Investigandus autem hic esset modus, quo hæresis fidei habitum, quam diximus omnis justitiæ fundamentum, destruat, an videlicet physicè, & ex natura rei, vel potiùs moraliter, & dumtaxat demeritoriè? cujus, non una est Theologorum solutio, aliis in intrinseca hæresis prædicata præfatam vim refundentibus, duce D. Thoma 2.2. *q.24. art.10. &* 12. quem communiter sequuntur Thomistæ; aliis asserentibus, infusum fidei habitum, non nisi demeritoriè, & moraliter expelli per hæresim, & in hac sententia est subtilis Doctor *in 3. d. 23. q. un. §. ad aliud*, & post ipsum nedum omnes ipsius Discipuli, sed & plures ex Neotericis, quos inter Suarius *lib.11. de Grat. cap.7. à num.11. & disp.7. de fide sect.4. num.5.* vocans communiorem, relatis pro ea D. Bonaventura, Almayno, Gabriele & Ochamo.

29. Quæcumque autem seligatur opinio, æque ad qualificatorum munus conducit. Nobis nihilominùs magis arridet posterior, utpote sub Scoti vexillo educati, nec enim videmus quomodò illa expulsio ex natura rei, & physicè contingere queat; an nempe in genere causæ efficientis, vel in genere causæ formalis? Si enim in genere causæ efficientis, produci per actum hæresis deberet aliquod cum fidei habitu incompossibile, hoc autem esse non posset habitus erroris, sive quia ex unico actu hæresis, qui sufficiens est ad fidei habitus destructionem, non semper resultat erroris habitus, qui regulariter saltem gignitur ex actibus multiplicatis; sive etiam quia, nec habitus erroris videtur incompossibilis, cum habitu fidei; habitus namque acquisitus, & infusus sunt diversi ordinis, contraria autem ad eundem ordinem pertinere debent. Immò experientia ipsa nos docet in hæretico, qui ad fidem convertitur, adhuc cum fide infusa manere habitus acquisitos errorum, quos antea contraxerat, attento præsertim, quòd habitus acquisiti facilitatem præbeant, non potentiam, infusi verò contra, potentiam, non meram facilitatem.

30. Si in genere causæ formalis, statim insurgit difficultas, quòd actus natura sua non destruat formaliter habitum, sed actum, ad eum modum, quo motus deorsum, excludit quidem motum sursum, non tamen habitum, facilitatem, & propensionem ad eum. Et aliàs, si id esset, quo-

quoties haberetur actus hæresis in Subjecto, toties destrui deberet habitus fidei infusæ, quòd falsum esse, patet in eo, qui per moralem indeliberationem, aut ignorantiam inculpabilem, in hæresim incidit, & nihilominùs fide infusa non spoliatur, cùm ad deperditionem hujusmodi non sufficiat hæresis merè materialis, sed requiratur omninò formalis. Ac eatenùs probabiliùs videtur dictam oppositionem, ac exclusionem, moralem dici debere, quatenùs divina ordinatione sic disponente, ad positionem cujuslibet formalis infidelitatis actus, totius infusi fidei habitus consequatur amissio.

31. Ut ut autem id contingat, quod tamquam certum in hac materia defendi firmiter debet, est, revera fidei habitum per quemlibet infidelitatis actum deperdi, ut usque adhuc supposuimus, quicquid in contrarium scripserit Durandus *in 3. d. 23. q. 29.* ab omnibus Theologis meritò rejectus, præsertim post Tridentinum *sess. 6. cap. 15.* affirmans: *asserendum est, non modò infidelitate, per quam, & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non ammittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti*. Quin valeat responderi, verba Concilii non cogere, tum quòd pars illa affirmans fidem amitti peccato infidelitatis, *can. 28.* non repetatur, sed solùm pars negans amitti quolibet peccato mortali; tum etiam quia Tridentinum, non directè sed ferè obiter, & per parenthesim, dictam doctrinam tradiderit; tum denique, quia potest explicari de fide actuali, non verò de habituali.

32. Etenim, quicquid sit, an præfata veritas teneri debeat tamquam de fide? non ideo tamen absque errore potest ullo modo negari, cum *cap. 16.* idem Concilium traditam de justificatione doctrinam *catholicam* asserat: *post hanc catholicam de justificatione doctrinam*, comprehendendo quamlibet ipsius partem, ut vera esse queat indefinita locutio, quæ æquivalet universali: De fide autem illa, prædicto *cap. 15.* asseritur amitti *infidelitate*, de qua dicitur non amitti *quocumque alio peccato*, & de qua *can. 28.* subditur: *si quis dixerit amissa per peccatum gratia, simul, & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva, aut eum, qui fidem, sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit*. Hoc autem intelligi de fide habituali, indubium videtur, aliàs dicere quis etiam posset, nec sermonem esse de charitate habituali, sed actuali, cum, eodem verborum tenore, fit sermo de fide, ac de charitate. De charitate autem actuali explicari minimè posse, evidentissimum redditur, ex illis particulis, *non esse veram fidem, licèt non sit viva*, cum enim fides, & *vera* esse possit, & *viva*, sine charitate actuali, si *non viva* supponitur, id non erit, nisi ob infusæ charitatis habitualis defectum.

ARTICULUS IV.

Quomodò explicata hæresis pravitatis gravitas, cohæreat, cum Apostoli sententia: oportet, & hæreses esse?

1. Ex gravitate pravitatis, quæ ex hæresi in Subjectum redundat, cui ipsa inest, difficultas resultat super ipsius cohærentia, cum Apostoli *1. ad Cor. c. 11. 19.* sententia: *oportet, & hæreses esse*. Quæ non parùm augetur, ex quo vocabulorum Collectores, verbum, *oportet*, idem esse asserant, quòd, *expedit*, vel *utile esse*, Ciceronem, *pro Balbo*, sequentes, ita illud explicantem: *oportere, est consentaneum esse officio; licere, legibus, & juri; docere temporibus, & personis*. Confundi autem solet cum *necesse esse*, quòd estò importare videatur idem, ac *necesse*, à verbo *cesso* deductum, quòd non fit ab aliqua re cessandum, quo sensu Terentius (*in Androm*) *necesse est huic, ut subvenias*. Nihilominus revera multiplicem involuit significationem, quæ verbo *oportet* pariter convenit, eamque ex Aristotele *5. Metaph.* eruit Cardinalis Turrecremata *in Summ. de Eccl. lib. 4. p. 2. cap. 5.* innuens aliquoties per illud exprimi *impossibile esse*, quòd res aliqua aliter se habeat, ac asseritur, aliquoties *expediens esse*, quòd ita contingat, aliquoties *utile esse*, hoc aut illud, uno, vel altero modo evenire.

2. Hanc autem sensus multiplicitatem adaptando verbo *oportet*, quòd confundi cum *necesse* Scriptura ipsa insinuare videtur, in qua sicuti in Apostoli textu, quem expendimus, habetur, *oportet*, ita, & in altero *Matt. 18. 7.* in consimilem finem dicitur: *necesse est, ut veniant scandala*, advertimus, tò *oportet*, seu *opportunum esse*, sumi posse, vel absolutè, & simpliciter, adeout nullus detur casus, vel dari queat, in quo hæc, vel illa res ita esse non *oporteat*, & in hac acceptione, nec Apostolus, nec ullus fidelium asserere potest, hæresim, aut aliquod aliud peccatum esse *opportunum*, aut *necessarium*, aliàs dici deberet illā *necessariā*, pro-

propemodùm fuisse etiam in statu innocẽtiæ, quod patet fore inconveniens. Aut secundùm quid, & relatè, vel ad ipsum operantem, seu committentem peccatum, ac hæresim, vel ad cætum fidelium, seu Ecclesiam.

3. Relatè ad operantem potest quoque fieri multiplex inspectio, sed præcipua est in ordine ad ultimum beatitudinis finem, ad quem conditi sumus; & in hac consideratione, clara est Apostoli authoritas *ad Rom. 8.28.* pronunciantis: *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum iis, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti*, ex quibus verbis colligunt comuniter Theologi, peccatorum permissionem esse effectum prædestinationis Electorum, quatenùs ex ea eruit Deus in ipsis excellentius aut saltèm *permanentiùs*, ac *stabilius*, ut loquitur Angelicus *3. p. q. 89. art. 2. ad. 1.* virtutum exercitium, quibus viam sternant ad æternæ retributionis mercedem copiosiùs, & firmiùs consequendam. Sicque passim locutos legimus Sanctos Patres, quos inter:

4. D. Gregorius *lib. 33. moral. cap. 11. qui de virtute se extollit, per vitium ad humilitatem redit; qui verò acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed ut ita dixerim, medicamento vulneratur. Quid est enim virtus, nisi medicamentum, & quid est vitium, nisi vulnus; quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit Deus de vulnere medicamentum, ut qui per virtutem percutimur, vitio curemur; Nos namque virtutum dona retorquemus in usum vitiorum; ille, vitiorum illecebras assumit in artem virtutum.*

5. Augustinus 14. *de Civitate Dei cap. 13.* relatus *disp. 3. de effectibus prædestinationis par. 2. n. 98.* à Goneto: *audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderunt: salubriùs enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quàm sibi placuit, quando præsumpsit.* Et *lib. de correp. & grat. c. 19.* relatam Apostoli sententiam, adeo ait esse veram, *ut si qui horum*, (prædestinatorum) *deviant, & exorbitent, etiam hoc ipsum eis Deus faciat in bonum proficere.*

6. Chrysostomus adductus à P. Mauro *de prædestinatione lib. 2. quæst. 76. n. 5.* paritate rationis eadem Pauli verba impiis applicans, sicut justis ait cooperari mala in bonum, ita & scelestis in malum ipsamet bona: *quemadmodum autem diligentibus Deum, quæ nocitura videntur, ad utilitatem cedunt, ita vicissim Deum non diligentibus, quæ profutura videntur, damno sunt. Sic Judæos, & signorum ostensio, & dogmatum rectitudo perdidit; nam propter illa quidem dæmoniacum Christum vocabant, propter ista, Deo contrarium.* Unde pater discriminis ratio, quæ est in uno ac altero casu, quòd impiis bona cooperantur in malum, ob perversam eorumdem malitiã ex pharmaco ipso capientium venenum; justis verò mala, & peccata cooperantur in bonum ex Dei eos prædestinantis ad gloriam, misericordia ac clementia, non alitèr peccata permittentis, nisi ut inde gratiæ suæ virtute fructus dignos pænitentiæ colligat, & per eos ad præfinitam conducat beatitudinem.

7. Dissensio autem aliqua est inter Theologos quoad explicationem modi, quo mala, & peccata, seu veriùs malorum & peccatorum permissio esse queat prædestinationis effectus; & quamvis ex adductis, aliisque Patrum authoritatibus, complures deducant id contingere, quatenùs est volita ex fine præintento pænitentiæ, humilitatis, aliarumque virtutum; id ipsum tamen difficultate non caret, quòd inde inferri videatur, à Deo intendi nedùm permissionem peccatorum, sed, & ipsa peccata, ob illam eandem rationem, ob quam ferè omnes negant, reprobationem positivam malorum fieri ante eorumdem prævisa demerita: quia videlicèt si Deus priùs præfinisset damnationem Judæ ex. gra. & deinde in præfinitionis prædictæ adimplementum permisisset, Judam consensum præbuisse in Christi proditionem, Christi proditio fuisset per se volita, & intenta, ex præcedenti fine præfinitæ damnationis.

8. Quem scopulum, ut effugiamus, omissis aliis omnibus subtilibus reflexionibus Scholasticorum propriis, obiter insinuamus, Deum in priori signo ad alias præfinitiones, decrevisse gloriam prædestinatorum, ejusque gradus determinatos, executioni mandanda, per media congrua & opportuna, quæ ipse servat in suæ omnipotentiæ ærario, quæque adhuc ab eo non intelliguntur determinata in individuo, ut sint potiùs hæc, quàm alia. Dein aliquibus decernit dare gratiam, ne dùm ad eorumdem perseverantiam finalem, quæ cunctis prædestinatis debet esse comunis, sed & efficacem ad ipsos præservandos à peccatis læthalibus e.g. aliquibus verò gratiam hujusmodi efficacem non præfinit dandam, quæ præfatam præservationem à peccatis dictis, vel eorum aliquibus infallibiliter causet, cùm ad eam minimè teneatur, ex quo est beneficium liberalitet omni-

omninò conferendum juxta divinum beneplacitum, etiam suppositâ hominis elevatione ad finem supernaturalem, ad quam dumtaxat necessaria est gratia merè sufficiens, non autem efficax.

9. Prævidet indè eos, quibus gratia efficax non est præfinita ad hoc vel illud peccatum non committendum, lapsuros propriæ voluntatis arbitrio, lapsumque hujusmodi, qui sui natura opponi deberet consecutioni finis per se à Deo in primo signo intenti, cum prædestinavit ad gloriam efficaciter dandam, suæ omnipotentiæ virtute ad ejusdem finis ordinat consecutionem habendam, lapsis prædictis gratiam conferens efficacem, ut resiliant, & ex lapsu, occasionem desumant in via salutis magis, aut firmiùs proficiendi. Ac propterea peccata, eorumque permissio numquam fuit per se volita, ex primario prædestinationis ad gloriam fine præintento, sed tantùm per accidens, seu non absolutè, & simpliciter, sed conditionatè, eo fermè modo, quo quis efficacissimè decernens pergere die sequēti ad Ecclesiam D. Petri, non determinando an iter conficere debeat pedester, vel in curru, iste talis, si casus accidat, ob quem nequeat pedester iter peragere, illud certissimè in executionem efficacissimæ voluntatis ad Ecclesiam præfatam pergendi, medio curru peraget; non indè tamen valet inferri, quòd currus fuerit ab eo efficaciter volitus, ac intentus, virtute determinationis efficaciter factæ pergendi ad Ecclesiam absolutè loquendo, sed tantùm conditionatè, seu ex suppositione, quòd pedester non posset dictum iter conficere.

10. Hoc autem tetigisse sufficiat, cùm ad nostrum institutum minimè spectet scholasticas quæstiones enucleare, satisque sit ad Apostoli textum explicandum, quòd si tò *oportet* sumere velimus in ordine ad operantem, verificetur dumtaxat in eis, quos Deus labi permisit in hæreses, ut inde agnita earumdem futilitate, & stultitia, fortissimi evaderēt propugnatores catholicæ fidei, quod evenisse præ cunctis aliis comperimus D. Augustino, qui ex insigni manichæo, fortissimus fidei atleta, ac solidissimus Manichæorum aliorumque hæreticorum malleus, est effectus; aut saltem propria agnita pervicacia, superbiam in humilitatem, præsumptionem in animi demissionem, vitiaque in virtutes strenuissimè commutarunt. Hanc tamen explicationem, non plenè attingere mentem Apostoli, subsequentia verba demonstrant, quibus motivum præcedentis effati aperit, *ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*.

11. Relatè itaque ad Ecclesiam, hæreses oportere esse, affirmat gentium Doctor, *ut probati manifesti fiant*, nos sic monens, ex Augustino (*lib. de vera Relig. cap.8.*) *ut utamur etiam isto divinæ providentiæ beneficio. Ex his enim hominibus, hæretici fiunt, qui etiam si essent in Ecclesia, nihilominùs errarent. Cum autem foris sunt, plurimùm prosunt, non verum docendo, quod nesciunt, sed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum spirituales catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Ecclesia Sancta Dei probati viri, sed manifesti non fiunt inter nos, quamdiù imperitiæ nostræ tenebris delectati, dormire malumus, quàm lucem veritatis intueri. Quapropter multi, ut diem Dei videant, & gaudeant, per hæreticos de somno excitantur. Utamur igitur etiam hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam, adversùs eorum insidias asserentes, vigilantiores, & cautiores simus, etiam si eos ad salutem revocare non possumus.* Ita Augustinus qui *lib.7.Conf. cap.19.* sui ipsius exemplo id ipsum confirmat, se didicisse confitens, *in eo, quòd Verbum caro factum est, quomodò catholica veritas à Fotino falsitate dirimatur:* rationem subjungit: *improbatio quippè hæreticorum facit eminere, quid Ecclesia tua sentiat, & quid habeat sana doctrina. Oportuit enim, & hæreses esse, ut probati manifesti fierent inter infirmos.*

12. Quòd si distinctiùs recensere velimus bona, & utilitates, quæ ex hæreticis promanant, exactè ea indicat eidem Augustino innixus Cardinalis Turrecremata *in summ. de Eccl. lib.4.p.2. cap.5.* sex autem, ait illa esse, quorum primum est, major veritatis fidei elucidatio, ut *num. præced.* didicimus à prælaudato Sancto Doctore: qui *tract. de consonant. Matt. & Luc. de gener. Christi*, non dissimili pariter utitur phrasi *utiles sunt hæretici, ad inveniendam veritatem, dum calumniantur ad seducendum in errorem. Negligentiùs enim veritas quæreretur, si mendaces adversarios non haberet, oportet enim, inquit, Apostolus, & hæreses esse.*

13. Secundum est catholicorum Doctorum pigritiæ excitatio, ut evigilent, & doctrinæ insistant contra versutias hæreticorum, ne simplices decipiantur; unde Augustinus *super Gen. contra Manichæos*, dicit; *ideò divina providentia multos diversi erroris hæreticos esse permisit, ut cum insultant nobis, aut interrogant nos ea, quæ nescimus, vel sic* excu-

excutiamus pigritiam, vel divinas Scripturas nosse cupiamus, propterea Apostolus ait: oportet hæreses esse. Tertium est augmentum scientiæ, & sapientiæ in Doctoribus Ecclesiæ; unde Augustinus (*super Joannem*) *ad hoc Deus abundare permisit hæreticos, ne semper lacte nutriamur, & in brutali maneamus infantia*.

14. Quartum est, exercitium patientiæ fidelium; hæretici enim violenti per superbiam, & contumeliosi in Ecclesiam sævientes rixis, & contentionibus, exercent Ecclesiæ, & bonorum patientiam; ex eodem Augustino (*lib.16. de Civitate Dei*) *calidum est genus hæreticorum, non spiritu sapientiæ, sed impatientiæ, qua solent hæreticorum fervere præcordia, & pacem conturbare Sanctorum, sed hæc in usum cedunt proficiendi, juxta illud Apostoli; oportet hæreses esse*, & (*lib.18.*) *hæretici veris illis catholicis membris Christi malo exemplo suo prosunt, dum Deus utitur, & malis benè, & diligentibus eum, omnia cooperantur in bonum: inimici omnes Ecclesiæ vel errore excæcati, vel malitia depravati prosunt, quia si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam, si verò malè sentiendo adversantur, exercent ejus sapientiam, ut autèm etiam inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam*.

15. Quintum est augmentum meritorum in bonis, & fidelibus Doctoribus; quoniam cùm catholici Doctores circa conversionem hæreticorum, aut persecutionem, si converti noluerint, laudabili studio laborare satagunt: non dubium, quin taliter de sibi creditis talentis operantes, crescant eis merita quibus ad beatitudinem perducantur. Sextum denique est, quòd manifestetur firmitas fidei in his, qui rectè credunt, juxta illud (*Sap.36.*) *tamquam aurum in fornace probavit illos*, quod expendit præter Augustinum *nu.11.* relatum, Tertullianus *lib. de præscript. cap.1.* inquiens: *conditio præsentium temporum, etiam hanc admonitionem provocat nostram; nō oportet autem mirari super hæreses istas, sive quia sunt, futuræ enim prænunciabantur, sive quia fidem quorumdam subvertunt, ad hoc enim sunt, ut fides habendo tentationem, habeat etiam probationem*. Et iterùm (*cap.4.*) *& ideò hæreses quoque oportebat esse, ut probabiles quique manifestarentur, tàm qui in persecutionibus steterint, quàm qui ad hæreses non exorbitarint*.

16. Locuti hactenùs sumus in hypothesi, quòd Apostolus de hæresibus in toto rigore sumptis intelligi debeat, prout vidimus à Patribus fuisse intellectum. Non omittimus nihilominùs subnectere plerosque Interpretes, aliorum quoque Patrum authoritatibus inhærentes, Apostolum explicare, non de erroribus in fide, sed de animorum dissensione, in qua acceptione ita novissimè post Cornelium, aliosque, discurrit Benedictus Justinianus: *Certum mihi, atque exploratum videtur non agere Apostolum in præsentia de erroribus in fide, sed de dissentione animorum, qua privatas quisque cœnas, cæteris aut neglectis, aut contemptis, sectabatur. Hoc enim paulò post reprehendit, minimèque, ait, decere Eucharistiæ sacrificium, quod ad animorum conjunctionem, & mutuam charitatem conciliandam, plurimùm valet. Et profectò*, (*quod monuit Chrisostomus*) *si de hæreticis loqueretur, eos proculdubiò tamquam canes, & malos operarios* (*ut aliàs loquitur*) *à sacra mensa arcendos esse doceret. Nam & alibi monet, hæreticum post unam, & alteram monitionem vitandum esse*.

17. Hac autem admissa explicatione facilis est solutio objecti in calce *praced. artic.* propositi, utpotè quòd laboret in falso supposito, quòd nempè Apostolus de hæresibus in rigore sermonem habeat, cum tamen viderimus ipsum loqui de dissentionibus animorum, uti præter Chrisostomum sentiunt Theodoretus, & Theophilactus, unde prælaudatus Chrisostomus Apostoli sententiam confert cum altera Christi *nu.2.* relatam: *necesse est, ut veniant scandala*, ubi per *scandala* certè non indicantur solæ *hæreses* in rigorosa earumdem significatione, sed & cætera quælibet delicta, ex quibus *scandala* oriri solent, quæque, ut cum eodem Justiniano concludam, *non exiguam bonis afferunt utilitatem, comparatione quippè malorum, eorum vita probitas, & integritas clarior, illustriorque apparet. Hoc enim est, quod subdit Apostolus: ut, qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*. Unde est illud Augustini *in Enchir.* effatum: *Melius judicavit Deus de malis bona facere, quàm mala nulla esse permittere*.

18. Persistendo nihilominùs in priori explicatione, etiam dicere possumus Apostolum non de solis hæresibus loqui, privativè quoad alia, sed cumulativè, argumentum conficiens à fortiori, idque insinuari videtur per particulam (*&*) *oportet, & hæreses esse, quasi dicat* subdit aptè Justinianus, *etiam hæreses, nedùm schismata*. Non indè tamen negamus aliquod specialius reperiri in hæresibus, in rigore sumptis, per quod ipsis, magis, quàm aliis delictis Apostolica sententia adaptetur, illud autèm ex Alexandro de Ales aperit Cardinalis Turrecremata *loco citato* comparans hæreses, cum per.

persecutionibus, quas à Tirannis passa est Ecclesia: *non est omninò simile in aliis peccatis, & in isto; alia enim peccata, & si in se mala sint, & ex illis aliquod bonum eliciat Deus, non tamen quantum ex isto peccato: occasione enim hujus peccati maximè acquiritur exercitium Ecclesiæ, sicut ex persecutione, quæ à Tirannis infertur*, cui doctrinæ consonat adagium illud, quòd prælaudato Alensi tribuitur, *Tiranni dederunt Ecclesiæ Martyres, Hæretici Doctores*.

ARTICULUS V.

An denominatio hæreticæ in propositione involvat necessariò respectum ad proferentem?

1. Locuti hactenùs sumus *duobus præcedentibus articulis* de propositione hæretica relatè ad Subjectum, cui inest, indicando mala, & nocumenta, quæ illi afferat, modumque, quo cum eisdem cohæreat hæresum necessitas ab Apostolo asserta. Insurgit nunc difficultas, an hujusmodi relatio ad Subjectum, cui inest, sit ita de conceptu propositionis hæreticæ, ut ea præcisa, propositio hæretica denominari minimè valeat?

2. Non est autèm sermo de relatione ad Subjectum veluti materiali, quatenùs videlicèt propositio ab aliquo profertur, sed quatenùs in Subjecto consideratur animus ipsius, & intentio, quam habuit in ea proferenda, quæ in proposito dicitur relatio formalis, in eo sensu, quo *art. 3. & 4.* propositionem hæreticam diximus graviorem esse realiter ipsomet odio Dei ob praviores effectus, quibus inficit illam deliberatè pronunciantem, & pro vera pertinaciter sustinentem.

3. Duo itidem alii respectus possunt in propositione fidei repugnante considerari, alter ad objectum propositionis materiale, seu quod enunciatur, & à quo denominationem desumit veritatis, aut falsitatis, cujusmodi in ordine ad hanc propositionem *Verbum est incarnatum*, se habet ipsummet Verbum quatenùs humanitatem assumpsit per hypostaticam unionem, estque ipsius verificativum, non tamen illud, per quod dicta propositio vera dicitur veritate fidei, sed prout est vera veritate communi cunctis aliis propositionibus, quæ enunciant res, sicuti re vera existunt à parte rei.

4. Alter verò respectus est in ordine ad primam Veritatem in dicendo revelantem, *Verbum e.g. fuisse incarnatum*, à qua propositio sumit denominationem fidei, diciturque ne dum propositio vera veritate communi aliis propositionibus propriis objectis conformibus, sed veritate particulari, alias omnes veritates longè excedente, in eo sensu, in quo veritas asseri potest capax excessus. Hinc quæsitum hoc restringitur, ut videamus, an propositio aliqua falsa, ne dum falsitate desumpta ex difformitate ad objectum materiale, sed ex falsitate orta ex difformitate desumpta ab objecto formali, seu ab ipsa prima Veritate in dicendo revelante, possit per hos præcisos respectus denominari hæretica, vel ad hanc denominationem requiratur alter respectus ad pertinaciam proferentis?

5. Requiri hunc respectum tuentur pauci Theologi, quos sequitur Canus *lib. 12. de loc. theol. cap. 8.* contendens, diversum quid importare propositionem aliquam dici fidei directè contrariam, aliud esse hæreticam, quòd illa sui natura præscindat à proferentis animo, & pertinacia, hæc verò à pertinacia dicta essentialiter pendeat. Undè si propositio prædicta: *Verbum non est incarnatum* pronuncietur ab hæretico, qui pertinaciter deneget divinam Verbi Incarnationem, est hæretica; si verò proferatur ab alio, in quo dicta pertinacia non supponatur, erit quidem fidei contraria, non tamen hæretica.

6. Dicendum tamen est, propositionem hæreticam minimè denominari per respectum ad proferentis animum, ac pertinaciam, sed præcisè per oppositionem ad primam Veritatem Dei revelantem. Ita sentit Adrianus *in 4. quæst. 1. de Confess.* Ochamus *1. part. dialogor. lib. 2. cap. 11.* Covarruvias *lib. 3. variar. cap. 1.* Torrensis *de Trinit. quæst. 32. art. 4.* quos sequuntur Turrecremata, Alphonsus de Castro, Simanca, & alii apud Suarium *disput. 19. de fide, sect. 2. num. 3.*

7. Sicuti namque propositio, ut dicatur vera, vel falsa, non indiget ullo respectu, & ordine ad proferentem, quia proferens potest nescire an sit vera, vel falsa, sed ordine dumtaxat ad rem, quam significat, juxta illud vulgatum Aristotelis: *ex eo, quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*: ita & propositio, ut dicatur hæretica, necesse non est, ut consideretur relatè ad proferentem, ipsiusque animum, ac pervicaciam, sed relatè solummodò ad primam Veritatem Dei revelantem. Per illud namque additum, *hæretica*,

non significatur crimen, vel peccatum proferentis, sed gradus, seu qualitas falsitatis, quæ propositioni inest, & sufficienter desumitur ab oppositione cùm prima Veritate revelante, quæ, cùm semper, & æquè verificetur, sive proferens pertinax sit in ea propugnanda, sive non, sequitur hæreticæ denominationem non pendere essentialiter ab animo pronunciantis.

8. Insuper, quandocumque Romani Pontifices, atque Concilia damnarunt propositiones, ac doctrinas tanquàm hæreticas, non habuerunt respectum ad mentem Authorum, videlicet an illas protulerint, aut scripserint cum pertinacia, aut notitia Ecclesiæ proponentis, sed præcisè illas proscripsere propter oppositionem cùm revelatione divina. Si quidem licèt ex propositionibus eisdem, seu doctrinis, erui possit Authoris sensus, ut vidimus *cap.1. art.5.* non tamen ex eis colligi semper saltem valet Authoris ipsius pertinacia, ac pervicacia, unde evenit, quòd damnata doctrina, indemnis habeatur, qui eam protulit, ob animi promptitudinem, quæ in eo supponi debet, ac præsumi, se subjiciendi definitionibus Ecclesiæ; non itaque hæreticæ denominatio competit propositionibus per respectum ad animum pronunciantis, sed per ordinem ad primam Veritatem revelantem.

9. Validiùs id ipsum evincitur ex eo, quod diximus *cap.1. art.5. & 6.* non valere videlicèt illationem ex proferente ad propositionem hæreticam, sed potiùs è contra, si propositio est hæretica, optimè inferri proferentem fore hæreticum, non quidem formaliter, sed materialiter, si in eo bona fides præsumatur, vi cujus à culpa sit eximendus. Cùm tamen dari possit casus, quo quis hæreticus sit, & pertinax in prolatione alicujus doctrinæ, quæ tamen reverà hæretica minimè haberi debeat, ut patet in exemplo aliàs allato, de eo, qui existimans *ab Ecclesia Catholica doceri quartam Trinitatis personam*, illam pertinaciter negaret, & propterea hæreticus dici posset.

10. Quod adhuc ulteriùs argumēto ab opposito corroboratur, quia propositio vera in doctrina sacra, non dicitur tunc esse de fide, quādo fide creditur, aut ex fide profertur, sed absolutè, & præcisè, quia sufficienter proposita est, ut à Deo revelata, ac conformis primę Veritati revelanti; adeòque quia secùdùm se, digna est qualitate de fide; ergo è contra propositio falsa, illi veritati fidei manifestè repugnans, habet quemdam gradum certissimæ falsitatis, quem possumus vocare summum in illo ordine propter oppositionem ad primam Veritatem, ratione cujus indigna est, ut à Christiano credatur, quem gradum significat illa particula *hæretica*, quia explicat dictam contrarietatem ad fidem, & proinde indicat essentialem proprietatem talis propositionis, utique absque respectu ad animum loquentis.

11. Non omissa praxi Sacri Tribunalis fidei, quæ à posteriori id ipsum confirmat; nam quando in foro exteriori aliquis, ut hęreticus accusatur, quia talem asseruit propositionem, priùs expenditur, & examinatur, an propositio illa secundùm se spectata, hæretica sit, nec ne? postea verò inquiritur, & consideratur, quo animo fuerit à prætenso reo prolata, & asserta; ergo signum est, propositionem absolutè denominari hæreticam præciso respectu ad proferentem; unde illud primum à Theologis qualificatoribus ex principiis, & regulis fidei, non ex testimoniis, vel indiciis facti dijudicatur; hoc autem secundùm dein inquiritur à Consultoribus, Inquisitoribus, ac Judicibus criminis ex probationibus, & indiciis facti.

12. Adversùs assertum insurgunt primò, quia *hæresis* dari non potest absque pertinacia illam sustinentis; ergo nec propositio potest dici hæretica, nisi animo pertinaci proferatur. Sequitur illatio, quia hæresis, & propositio hæretica, idem sunt, ut constat ex communi modo loquendi, quem nos tamquam verum supposuimus *art.1. hujus cap.* unde si quæratur à Cano, cujus est objectio, qualis dicenda sit propositio contraria fidei, prolata ab homine non hæretico? Respondet, ut innuimus *num.4.* retinere generale nomen propositionis contrariæ fidei; non tamen posse hæreticam appellari.

13. Huic argumento occurrit Suarez *num.5.* negando *hæresim*, & *propositionem hæreticam* eumdem conceptum involvere, cum differant tanquàm actus, seu peccatum, & materia, circa quam versatur. *Hæresis enim propriè significat peccatum quoddam infidelitatis, propositio autèm hæretica significat materiam, circa quam illud peccatum versatur; ideòque, licèt pertinacia sit de ratione hæresis, non ideò sequitur, quòd sit de ratione propositionis hæreticæ*. Verùm licèt subtilem habeamus hanc reflexionem, & fortassis non alienam à vulgari loquendi more, non tamen ob eam recedimus à suppositione facta *cit.*

art.

*art.*1. quam passim comprobant alii Theologi cum Bordono *in suo Sac. Trib. cap.*41. *n.*81. & Cardinali de Laurea *disp.*14. *de hæref. art.*5. præsertim *num.*163.& 170. ubi firmat conclusionem, quòd *hæresis objectiva, seu hæretica doctrina est talis absolutè, absque respectu ad Authorem illius*.

14. Quinimmò nec ab ea totaliter recedit ipse Suarez, qui quamvis asserat *in rigore* esse servandam explicatam distinctionem *hæresis*, & *propositionis hæreticæ*, subnectere haud negligit distingui etiam posse ipsam hæresim in *materialem*, & *formalem*, & sic *propositionem hæreticam* appellare quandam *hæresim non formalem*, sed *materialem*, quæ necesse minimè est, ut prodeat, ex proferentis pertinacia, uti requirur ad hæresim formalem.

15. Unde ad eum modum, quo fides sumitur quandoque pro *doctrina catholica* independenter a proferente, ut in Symbolo Athanasii: *Quicumque vult salvus esse necesse est, ut teneat catholicam fidem*, quæ explicatur quænam sit: *Fides autem catholica hæc est, ut unum Deum &c.* singulisque relatis fidei articulis, concluditur: *hæc est fides catholica, quam, nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*; quandoque pro *assensu fidei*, prout definitur *argumentum non apparentium*; ita & hæresis accipi poterit, & pro doctrina fidei opposita, & pro *assensu* præstito tali doctrinæ,& hoc secundo modo necessaria est pertinacia, ut tale peccatum sit hæresis, in prima verò significatione abstrahit à pertinacia,& ita cùm propositione hæretica coincidit.

16. Falsum itaque est, quod assumitur in objecto, hæresim nempè dicere essentialiter ordinem ad proferentis pertinaciam; nisi sermo sit de hæresi, quæ apta sit denominare proferentem formaliter hæreticum, juxta dicenda *cap.*4. *art.*8. in qua acceptione id ipsum asserimus *de propositione hæretica*, quæ,ut possit denominare pronunciantem hæreticum, debet in eo præsupponere pertinaciam, minimè verò ut in se ipsa, hæresis, aut hæretica sit, absque eo quòd pronunciantem formaliter hæreticum denominet, quia sic, satis est, quòd primæ Veritati revelanti opponatur.

17. In cujus confirmationem Cardinalis de Laurea *disp.*14. *de hær, art.*5. *n.*168, producit nonnullos Sacræ Scripturæ textus ad intentum aptissimos in *Act.* namque *Apost. cap.*24. legitur *secundùm sectam, quam dicunt hæresim*, non autem appellabatur à Judæis hæresis, assensus, quem fideles præbebant articulis, quos proponit credendos catholica Ecclesia, sed ipsamet doctrina christiana in se ipsa considerata; & in simili sensu(*Act.*5.17.)*quæ est hæresis Sadduceorum*; & (15.5.) *quidam de hæresi Pharisæorum*. Et (1.*ad Corint.*11.19.)*Oportet,& hæreses esse*. Ecce subdit hic Cardinalis, *quòd Apostolus*, & *Lucas doctrinas Sadduceorum*, *& Pharisæorum, & omnes contrarias doctrinæ christianæ appellant hæreses. Patet autem,quòd non loquebantur de assensibus eorum, sed de objectis in quæ ferebatur assensus*.

18. Secundò insurgunt: Eadem propositio contraria fidei, prolata à judæo est perfida, & judaica, non hæretica, quia ille non est hæreticus, sed judæus: & similitèr prolata à pagano, ut talis est, pertinebit ad aliud genus infidelitatis: ergo signum est non dari propositionem hæreticam absolutè, & secundùm se spectatam, sed per relationem ad proferentem.

19. Respondeo, discrimen propositionum Judaicæ, Atheæ, Paganæ,& similium, esse materiale ratione materiæ relatæ ad sectas, quæ propositiones hujusmodi respectivè docent; quemadmodùm differunt propositiones Nestoriana, Macedoniana, Arriana, Calviniana, & Lutterana, penès materiam, aut Authores qui illas tradidere. Cæterùm secundùm id, quòd dicunt de formali, per hoc, quòd sunt contra fidem, omnes sunt hæreticæ. Paritas desumpta à Judæo, qui non denominatur hæreticus, ac proptereà, neque propositio ab ipso prolata erit hæretica, non subsistit; quia denominatio hæretici est subjectiva præerequirens ex dicendis *cap.*4. *art.*1. in Subjecto baptismum; at denominatio doctrinæ hæreticæ est ab objecto, ut subsistat regulis fidei, quibus opponitur, quod non est, nisi res proposita de fide ab Ecclesia.

20. Hinc benè præfatam distinctionem *materialissimam*, dicit Cardin. de Laurea *disp.*14. *de hær, art.*5. *nu.*189. rationem subnectens, *quia, à quocumque negetur Trinitas sive à Judæo, sive à Pagano, sive à Christiano, eadem res negatur, & negatio est ejusdem rationis, quia eidem revelationi opposita, & ratione Subjectorum tantùm est differentia;separetur ergo à dicentibus; quæro; est ne hæresis? utique, quia fidei divinæ contraria, etiam si nullus eam teneurit, aut teneat. Igitur independenter à proferente aut credente aliquam doctrinam fidei contrariam, hæc dicitur, estque hæretica. Et ita verè,& cum omni proprietate hæc propositio* Deus non est, *etiam si ab aliquo non intelligente, amente, aut simia scriberetur, vel à psittaco pro-*

proferretur, *est hæretica objectivè*.

21. Ex quo obiter inferas velim, quòd quoties nos diximus valere illationem à doctrina, seu propositione aliqua hæretica ad proferentem denominandum hæreticum saltem materialiter, intelligendum id veniat de proferente aliàs dictæ denominationis capaci, neque enim si proferatur à psittaco *Deus non est*; psittacus erit materialiter dicendus hæreticus. Quænam autem conditio requiratur in proferente, ut capax sit dictæ denominationis sive materialis sit, sive formalis, ex dictis sufficienter eruitur, ac accuratiùs infra examinabitur præsertim locis citatis *num*. 16. *& 19. hujus articuli*.

ARTICULUS VI.

An duæ propositiones logicè oppositæ possint simul esse de fide, vel simul hæreticæ?

1. LOgicam oppositionem attendimus penès puram quantitatem, & qualitatem, quibus constituũtur quatuor genera oppositionum, videlicet *contrariarum, subcontrariarum, contradictoriarũ*, ac *subalternarum*; & à Summulistis efformantur in quacumque materia, idest, *necessaria, impossibili*, & *contingenti*. De quibus statuunt, quòd *contrariæ* in materia *necessaria*, & *impossibili*, opponuntur non modò in qualitate, sed etiam in veritate, & falsitate; ut: *omnis homo est animal; nullus homo est animal, omnis homo est lapis; nullus homo est lapis*. In materia verò contingenti, quamvis opponantur in qualitate, ut: *Omnis homo est albus; nullus homo est albus*, non opponuntur secundùm veritatem, & falsitatem, quia utraque potest esse falsa. *Subcontrariæ*, si sint in materia *contingenti*, quamvis opponantur in qualitate, non tamen opponuntur in veritate, aut falsitate, quia ambæ possunt esse veræ: ut, *aliquis homo est doctus, aliquis homo non est doctus*. At si fuerint in materia *necessaria*, aut *impossibili* opponuntur etiàm secundùm veritatem, & falsitatem, ut, *aliquis homo est risibilis, aliquis homo non est risibilis, aliquis homo est lapis, aliquis homo non est lapis*.

2. *Contradictoriæ*, idest, quæ opponuntur, tùm in quantitate, tùm in qualitate, opponuntur etiàm in veritate, & falsitate in quacumque materia, ut *omnis homo est animal, aliquis homo non est animal; omnis homo est lapis, aliquis homo non est lapis; omnis homo est albus, aliquis homo non est albus*. Item *nullus homo est animal, aliquis homo est animal: nullus homo est lapis, aliquis homo est lapis: nullus homo est albus, aliquis homo est albus*. *Subalternæ*, quæ invicem pugnant tantùm in quantitate; si fuerint in materia *necessaria*, aut *impossibili*, non opponuntur in veritate, & falsitate; sed si *subalternans* est falsa, *subalternata* erit falsa, sicuti si *subalternans* erit vera, vera erit *subalternata*; ut: *omnis homo est lapis, aliquis homo est lapis: omnis homo est animal, aliquis homo est animal*; Item: *nullus homo est animal, aliquis homo non est animal, nullus homo est lapis, aliquis homo non est lapis*. Si in materia *contingenti*, cũ sola oppositione in quãtitate, semper attento saltèm ordinario naturæ cursu, pugnant in veritate, & falsitate, quia semper *subalternans* est falsa, & *subalternata*, vera, ut *omnis homo est albus, aliquis homo est albus, nullus homo est albus, aliquis homo non est albus*.

3. Supponendo modò veritatem horum principiorum, quærimus in *præsenti articulo*: an sicuti constat, quòd propositiones in aliqua materia, quamvis opponantur logicè, idest, secundùm qualitatem, aut quantitatem, aut secundùm utramque & nihilominùs non opponuntur secundùm veritatem, & falsitatem in genere entis, ut vidimus; ita similiter, stante eadem logica oppositione, possint non opponi oppositione theologica? Ita ut non obstante oppositione in quantitate, aut qualitate, possint non opponi secundùm fidem, & hæresim, & consequenter ambæ esse de fide, vel ambæ hæreticæ?

4. Dicendum est, duas propositiones logicè oppositas, exceptis contradictoriis, posse simul esse de fide, aut simul hæreticas Hoc assertum, quod cõmune est Theologis, quondam ab ingenioso Recentiore in hanc formam promotum audivi: *bonum est nubere, bonum est non nubere*, suntpropositiones logicè oppositæ, & tamen sunt ambæ de fide. Probabat assumptum, quia *nubere*, & *non nubere* logicè opponuntur *contradictoriè*. Verùm hanc probationem claudicare in supposito, quòd illæ propositiones opponantur logicè, sic evinco: *nubere*, & *nõ nubere* in præfatis propositionibus non habent vim verbalem, idest non faciunt officium verbi seu copulæ, uti esset, si diceretur: *Petrus nubit, Petrus non nubit*, quo præmisso: propositiones logicè oppositæ in aliquo genere ex enumeratis oppositionibus, debent constare eodem subjecto, & prædicato; quia oppositio debet esse ejusdem, de eodem, secundùm idem; enume-

ratæ

tatæ autem propositiones non constant eodem prædicato, quia *nubere*, & *non nubere* in præfatis propositionibus, non est idem prædicatum; nam *nubere* est terminus finitus, non nubere infinitus; terminus autem finitus, & infinitus non sunt idem terminus: adeoque nec idem prædicatum: quare non habent logicam oppositionem: haberent verò illam, si conficerentur hoc modo: *bonum est nubere*, *bonum non est nubere*, *vel bonum est non nubere*, *bonum non est non nubere*. At tunc absolutè acceptæ, una esset de fide, altera hæretica; non ambæ de fide.

5. Præterea, propositiones logicè oppositæ debent esse una affirmativa, altera negativa, ut patet discurrenti per singulas species enumeratas oppositionum, exceptis *subalternis*, quales non sunt prædictæ propositiones: sed istæ sunt ambæ affirmativæ, nàm in utraque dicitur *bonum est*, & negatio non afficit copulam, ut deberet, & tantùm differunt, quia una est de prædicato finito, altera de prædicato infinito: ergo non habent oppositionem logicam, quam præsens controversia debet supponere: nam quamvis verum sit, quod *nubere*, & *non nubere* opponantur *contradictoriè*, at sic non sunt propositiones, sed puri termini in abstracto sumpti; & licèt in hac præcisione opponantur, tamen relatè ad prædicatum, & subjectum bonitatis, ut accidit in adductis propositionibus, non eodem modo opponuntur, quia utrumque includit bonitatem in genere moris. Propositiones verò, quæ habent aliquam ex oppositionibus logicis, secundùm affirmationem, & negationem, in aliquo debent excludi. Dixi relatè ad prædicatum, & subjectum bonitatis, quia prædictæ propositiones possent conformari hoc modo; *nubere est bonum*, *non nubere est bonum*: sicque apparet subjectum harum propositionum non esse idem, propter eamdem rationem, qua supra dicebamus, prædicatum non idem, cum *nubere*, & *non nubere* ponebantur à parte prædicati.

6. Meliùs ergo suadetur prima pars asserti exemplo duarum propositionum de fide: Potest Deus revelare, & de facto revelavit propositionem particularem affirmativam in materia contingenti, v. g. *aliqua Persona Sanctissimæ Trinitatis est incarnata*: qua posita revelatione, jam duæ propositiones, habentes oppositionem logicam subcontrariam, esse possent ambæ de fide: ergo possunt duæ propositiones, habentes aliquam logicam oppositionem, ambæ esse de fide: antecedens evincitur, ex quo Deus ita revelavit prædictam affirmativam propositionem, ut æquè potuerit revelare, immò, & revelaverit alteram negativam *aliqua Persona divina non est incarnata*, unde vi utriusque revelationis, sunt æquè de fide sequentes propositiones, *aliqua divina Persona est incarnata*, *aliqua divina Persona non est incarnata*, quæ, ut patet, opponuntur logicè, sunt enim subcontrariæ, utpote quæ conveniunt in quantitate particularitatis, & pugnant in qualitate affirmationis, & negationis; igitur propositiones oppositæ logicè subcontrariæ in materia contingenti possunt esse ambæ de fide.

7. Item secunda pars asserti de duabus propositionibus hæreticis simul, & logicè oppositis, sic promovetur: si duæ propositiones, habentes oppositionem logicam, non possent esse ambæ hæreticæ, maximè, quia oppositio logica necessariò secùm traheret oppositionem theologicam; non enim est assignabile aliud fundamentum, nisi, quòd incompossibilitas, cur ambæ non possint coalescere in hæresim, non aliunde trahat originem, quàm ex logica oppositione ad quam necessariò consequatur. At oppositio logica non trahit secum necessariò oppositionem penès fidem, & hæresim; quia oppositio theologica penès hæresim, & fidem, non nascitur ex natura oppositionum logicarum, sed omninò dependet à libera revelatione divinæ voluntatis, declarante potiùs unam, quàm aliam: unde oppositio logica secum non trahit ex sui natura oppositionem theologicam. Patet assumptum, quia Deus potest revelare unam particularem affirmativam in materia contingenti v. g. *aliquis homo est electus*, quo dato, duæ propositiones *contrariæ* oppositæ in eadem materia essent hæreticæ. Primum patet ex illo (*Matth. cap. 22. 14.*) *Multi sunt vocati, pauci verò electi*. Secundum convincitur in his duabus propositionibus: *omnis homo est electus*, *nullus homo est electus*, quæ logicè opponuntur *contrariè*, theologicè verò non opponuntur, ut de fide, & de hæresi, cùm ambæ sint hæreticæ: ergo &c.

8. Confirmatur: Si logica oppositio traheret secum theologicam ex sui natura, sequeretur, quòd deberet trahere talem oppositionem, quam habet, & non majorem, quia nemo dat, quod non habet. Hinc quia duæ propositiones *contrariæ* in materia contingenti non opponuntur, nisi in qualitate, idest, affirmatione, & negatione, non verò secundùm veritatem, & falsitatem, cùm sint ambæ falsæ: *ut omnis homo est albus nullus homo est albus*; ideò solam oppositionem in qualitate, non autem in veritate, & fal-

& falsitate tribuere deberent propositionibus contingentibus in materia religionis, quod apertè est falsum, ut patet in exemplis adductis, *omnis homo est electus, nullus homo est electus*, quæ opponuntur in qualitate, idest affirmatione, & negatione, non in veritate, & falsitate, quia ambæ sunt falsæ, & hæreticæ. Non negamus tamen quin aliquando duæ propositiones contrariæ possint opponi, ut de fide, & de hæresi; quoniam hæ duæ propositiones: *omnes Apostoli receperunt Spiritum Sanctum, nullus Apostolus recepit Spiritum Sanctum*, tantùm opponuntur penès qualitatem affirmationis, & negationis, nihilominus opponuntur theologicè, secundum veritatem, & falsitatem in materia fidei; idest, quo ad esse de fide, & de hæresi. Idem dicendum est, si fuerint in materia necessaria, *ut omnis Persona divina est Deus, nulla persona divina est Deus*: verùm quia hoc non nascitur ex natura oppositionis contrariæ, aliàs valeret universaliter in omni casu, sed aliunde, ut infra patebit, sequitur quòd oppositio logica non trahat secùm necessariò semper, & ex natura rei similem theologicam oppositionem secundùm hæresim, & fidem.

9. Item assertum quo ad utramque partem adhuc corroboratur: Radix quare duæ propositiones contrariæ in materia contingenti aliquando sustineant simultatem hæresis, ut: *omnis homo est electus, nullus homo est electus*, & duæ subcontrariæ sint simul de fide: ut *aliquis homo est electus, aliquis homo non est electus*; & ècontra, aliquando contrariæ in materia contingenti non sustinent simultatem hæresis, ut: *omnis homo est ordinatus ad finem supernaturalem, nullus homo est &c.* & similiter subcontrariæ, *ut, aliquis homo est vocatus, aliquis non est vocatus*. Radix inquam est quia in priori exemplo contingens revelata est particularis, cum non omnes, sed *multi* dicantur *vocati*, at in secundo casu est universalis, ex quo de omnibus affirmetur esse ordinatos ad finem supernaturalem: ergo tota ratio oppositionis desumenda est à revelatione unius, & non alterius, & idcircò oppositio theologica unius cum alia, non est, nisi penes hæresim, & fidem, quia tota ratio constitutiva propositionis de fide est revelatio, unde & ipsa est tota ratio effectiva oppositionis; formalis verò, est denominatio extrinseca, ob quam una dicitur revelata, non alia; ergo in hoc puncto nullum influxum habet oppositio logica, ac propterea rectè concludatur, nihil obstare quin in materia contingenti duæ logicè opposi-tæ esse queant ambæ hæreticæ.

10. Fortiùs; Hæ propositiones, *omnis divina Persona est improducta, nulla divina Persona est improducta*: sunt ambæ hæreticæ, & tamen sunt in materia necessaria, aut impossibili, & opponuntur *contrariè* Econtra *subcontrariæ* in eadem materia sunt ambæ de fide: *ut aliqua Persona divina est producta, aliqua non est producta*. Item in eadem materia sequentes propositiones: *omnis Persona divina est alteri æqualis, aliqua est alteri æqualis*, opponuntur logicè *subalternè*, & tamen sunt ambæ de fide, sicut aliæ *subalternæ* in eadem materia sunt ambæ hæreticæ, ut: *nulla Persona divina est alteri æqualis, aliqua Persona divina non est alteri æqualis*. De contrariis in materia contingenti habes exempla in superioribus probationibus, quòd sint ambæ hæreticæ: Item *subalternè* oppositæ: *omne Sacramentum novæ legis causat gratiam, aliquod causat gratiam*, sunt ambæ sanæ, atque de fide, falsæ vero, & hæreticæ: *nullum Sacramentum causat gratiam, aliquod non causat illam*: ergo à primo ad ultimum stat propositiones esse logicè oppositas aliquo oppositionis genere, & nihilominùs esse simul ambas hæreticas, aut de fide.

11. Militant contra asserta sequentes difficultates: Prima, quia si duæ propositiones oppositæ *contrariè* in materia contingenti possunt esse ambæ hæreticæ, ut, *omnis homo est prædestinatus, nullus homo est prædestinatus*; sequeretur, quòd cùm eadem oppositione logica *contrariæ* possent esse ambæ de fide in eadem materia contingenti. Similiter si duæ *subcontrariè* oppositæ in eadem materia contingenti possent esse ambæ de fide, *ut aliquis homo est prædestinatus, aliquis non*, sequeretur posse esse simul hæreticas, quod est falsum: ergo propositiones logicè oppositæ, necesse est etiam theologicè opponi penes fidem, & hæresim. Tum quia, quare non militat in omni materia, idest etiam in necessaria, oppositio logica, & simultas fidei, aut hæresis?

12. Respondet Bordonus, *in suo Sacro Trib. cap.41.num.80.* qui nobiscum sentit in asserto, disparitatem esse, quia fides ob sui perfectionem *excludit omnem defectum, cum quo consortium habere non potest, & ideò duæ contrariæ simul esse non possunt de fide propter contrarietatem, quæ dicit imperfectionem. Econtra verò duæ contrariæ possunt esse simul hæreticæ, quia propositiones hæreticæ propter suam imperfectionem, ut ita dicam, infinitam, non respuunt quamlibet aliam imperfectionem*. Sed hæc responsio non adeò clarè aptari potest

alteri

alteri objectionis parti, in qua petitur, cu *subcontrariæ* possint ambæ esse de fide, non verò ambæ hæreticæ? ideò:

12. Disparitatem potiùs puto esse petendam ex divina revelatione, ad quam quoque recurrit Bordonus, dicendo, quòd *mysteria Dei aliam rationem non habent, quàm illius liberam voluntatem*; nàm eo ipso, quòd cadit supra particularem affirmativam in materia contingenti, non verò supra universalem, etiam si negativam, eò ipso utraque universalis est falsa, & hæretica, & ita sunt duæ oppositæ *contrariè* in argumento: sicut etiam utraque particularis, tàm affirmativa, quàm negativa, est vera; adeòque de fide, ut patet in secunda parte ejusdem objectionis. Hinc quoties in eadem materia contingenti revelata fit universalis affirmativa, vel negativa, duæ oppositæ *contrariè* nunquam erunt simul hæreticæ, aut de fide, sed necessariò una de fide, altera hæretica, ut, *omnis homo est ordinatus ad finem supernaturalem: nullus est ordinatus ad finem supernaturalem*; & idem accidit in subcontrariis, *aliquis est ordinatus ad finem supernaturalem: aliquis non est ordinatus ad finem supernaturalem*; quare oppositio theologica non est desumenda ab oppositione logica, dum una potest subsistere sine alia.

13. Secunda, quia regulæ logicales sunt communiter receptæ, & experientia comprobatæ: cum ergo istæ præscribant, propositiones, logicè oppositas, opponi etiam, quo ad veritatem & falsitatem; sequitur, quòd si duæ propositiones semel logicè opponuntur, non possunt esse simul veræ, aut falsæ: adeoque neque simul hæreticæ, aut de fide; nisi velimus asserere, Deum revelasse propositionem falsam, quod est blasphemum.

14. Respondeo; etiam in materiis non revelatis falsum esse, quòd propositiones, habentes aliquam oppositionem logicam, habeant quoque oppositionem in veritate, & falsitate; nàm propositiones *subalternè* oppositæ in materia *necessaria* non opponuntur secundùm veritatem, & falsitatem, neque in qualitate, quia ambæ, vel affirmativæ sunt, vel negativæ; sed in sola quantitate, idest, universalitate, & particularitate, ut *omnis homo est animal, aliquis homo est animal*, quæ tamen sunt ambæ veræ.

15. Replicabis: Ad minus de contraria, & contradictoria oppositione argumentum subsistit, quòd si una est vera, altera debet esse falsa: quare in tali oppositione, non poterunt simul esse de fide, aut hæreticæ, aliàs Deus revelasset falsam propositionem, ut urgebatur.

16. Respondeo, assumptum esse falsum de oppositione contraria in materia *contingenti*, in qua, cum vera sit hæc particularis: *aliquis homo est albus*, falsa tamen est utraque universalis: *omnis homo est albus, nullus homo est albus*, unde etiam in materia revelata particulari, ut: *aliqua Persona Sanctissimæ Trinitatis est incarnata*; utraque universalis, tàm affirmativa, quàm negativa est falsa, ac hæretica, ut vidimus, sicuti ambæ *subcontrariæ* sunt de fide; sicuti in aliis materiis etiam ambæ veræ, ut diximus in probatione asserti. De contradictoriis verò semper verum est, quòd non possint esse simul veræ, vel falsæ; adeoque neque ambæ de fide, neque ambæ hæreticæ; quia revelata particulari affirmativa, sua universalis negativa erit falsa; & si est revelata particularis negativa, sua universalis affirmativa, erit falsa, & idem dicendum est, si revelantur universales in quacumque materia; semper particularis erit falsa, ut præfata exempla demonstrant.

17. Urgebis: ergo regulæ logicales traditæ de oppositionibus, deficient in materiis revelatis; cum tamen communiter ab omnibus theologis recipiantur. Concedunt illatum nonnulli Theologi; asserentes regulas logicas esse mancas, utpotè traditas à puris Philosophis gentilibus, *quorum sapientia*, juxtà Apostolum (*epist. 1. ad Corinth. cap. 3. 19.*) *stultitia est*; & ad probandam defectionem regularum logicalium, adducunt exemplum duarum contradictoriarum, quæ sunt ambæ veræ, & de fide, videlicet: *omnes homines in Adam peccaverunt, aliquis homo in Adam non peccavit*, idest Christus; ita inter alios Bordonus *cap. 41. cit. num. 79.*

18. Sed mihi videtur prædictarum propositionum oppositionem nedum, non esse contradictoriam; sed nullo modo esse oppositionem; quia illæ duæ propositiones non constant eodem subjecto; quoniam *ly homo* in propositione Apostoli, non supponit pro homine essentialiter accepto, & ex natura sua; sed de puro homine propagato naturaliter, & secluso quolibet speciali privilegio, ut in Beata Virgine, quàm piè credimus præservatam; sic autem non supponit, quando dicitur de Christo: quare ambæ sunt in materia *contingenti*, & non opponuntur logicè, quia non sunt de eodem subjecto, sed sunt disparatæ; ac propterea sunt simul veræ.

19. Adde, quòd propositio Apostoli non est universalis, comprehendens homines possibiles, quia Deus potest producere alios homines, eo modo, quo Adamum, non naturaliter propagatum; qui tamen non possent comprehendi: Tum quia terminus ille synchategorematicus, *omnis*, non semper significat universalitatem, sed aliquando multitudinem, eo modo, quo nec propositio Davidis est universalis: *omnis homo mendax* (*psal.* 15.11.) quia est de fide, Christum, ejusque Matrem nunquàm peccasse venialiter. Quod tamen dictum volo de propositione Apostoli, uti sonat præcisè, non ad intentum ipsius, loquentis de solis hominibus ex Adam descendentibus, quo sensu, viget prior responsio. Ob quam autumo oppositiones logicales non deficere in materiis revelatis; saltèm quoad omnia, sed in quacumque materia retinere eamdem oppositionem secundùm qualitatem, & quantitatem: licèt secundum veritatem, & falsitatem, quæ fundant fidem, & hæresim, à revelatione, ut visum est, omninò dependeant.

20. Ex hactenùs autem expensis colligere licet, quòd in hujusmodi materiis revelatis, quoties propositio de fide est universalis affirmativa, toties hæretica est, tùm universalis negativa, tum particularis itidem negativa: sic cum de fide sit sequens propositio: *omnis homo est elevatus ad finem supernaturalem* hæretica erit, ne dum universalis contraria: *nullus homo est elevatus ad finem supernaturalem*, sed & particularis paritèr negativa: *aliquis homo non est elevatus ad finem supernaturalem.* Sicuti paritate rationis, si de fide erit universalis negativa, e.g. *nullus homo potest salvari absque aliquo baptismo flaminis, fluminis, aut sanguinis*, hæretica erit tàm universalis affirmativa contraria; *omnis homo potest salvari absque ullo ex dictis baptismatibus*, quàm particularis affirmativa: *aliquis homo potest salvari, non baptizatus ullo Baptismo*.

21. Si autem de fide fuerit propositio aliqua particularis affirmativa, ut: *aliquis homo est prædestinatus ad gloriam*, hæretica erit solummodò universalis negativa: *nullus homo est prædestinatus ad gloriam*, non verò particularis negativa, *aliquis homo non est prædestinatus ad gloriam*, quæ potest esse, immò est vera, ac de fide; & similiter si de fide erit particularis negativa; *aliquis homo non est prædestinatus ad gloriam*, hæretica erit, universalis affirmativa contraria: *omnis homo est prædestinatus ad gloriam*, non particularis affirmativa; quam mox vidimus esse quoque de fide.

ARTICULUS VII.

Qualis sit oppositio inter propositionem fidei supernaturalem, & hæreticam, quà tales, tùm objectivè tùm subjectivè consideratas?

1. Discussis oppositionibus logicalibus inter propositiones fidei, & hæreticas, penès qualitatem, & quantitatem earumdem, quas materiales vidimus esse, seu fundatas in objectis fidei materialibus, & proinde capacibus universalitatis, particularitatis, aliarumque affectionum ad quantitatem propositionum spectantium; investiganda in præsenti est, oppositio, quæ inter *fidem*, & *hæresim* intercedit, *quà tales*; prout nempe considerantur in ordine ad objectum formale, cui *fides* innititur, *hæresis* verò opponitur, ac repugnat.

2. Quoniam verò ex dictis *cap.* 2. *art.* 3. *n.* 19. 20. objectum fidei formale, seu prima Veritas revelans, indivisibilis prorsùs est, & æquè concurrens ad quodlibet objectum revelatum, indivisibilis quoque erit, & oppositio cum ipsa *in esse talis*; & proinde semper *totalis*; ita quòd æquè propositioni universali revelatæ, e. g. *omnis homo est elevatus ad finem supernaturalem*; opponatur formaliter altera universalis hæretica; *nullus homo est elevatus ad finem supernaturalem*; ac particularis negativa: *aliquis homo non est elevatus ad finem supernaturalem*, imò & singularis: *Judas non est elevatus ad finem supernaturalem*, ut satis *eodem articulo* insinuavimus.

3. Ideòque in eo sensu, quo à plerisque Theologis propositio de fide, potiùs *veritas* veluti in abstracto denominatur, quàm *vera* in concreto, propositio ipsi opposita, & hæretica, eadem ratione potiùs itidem *falsitas* veluti in abstracto inscribitur, quàm *falsa* in concreto; & propterea hæresis in anathematismis dici assolet absolutè, & simpliciter *error*, non prout ex hujusmodi voce ortum agnoscit denominatio *propositionis erroneæ*, quæ est nota hæresi inferior, sed quatenùs exprimit qualitatem oppositionis, quam hæresis importat cum fide, ut sicut hæc est essentialiter vera, ita & illa essentialiter falsa, in quacumque materia formetur, dummodò repugnantiam prædictam involvat, vi cujus antonomasticè *erroris* afficitur denominatione.

Quæ-

4. Quæstio autem non est limitata *ad propositionem de fide, & propositionem hæreticam* inspectas dumtaxat *objectivè*, sed ad eas se extendit etiam *subjectivè* consideratas, ut inde eluceat, ne dùm qualitas repugnantiæ, quam important istæ propositiones e. g. *Verbum est incarnatum, Verbum non est incarnatum*, independenter omninò à quocumque respectu ad proferentem illas, & ratione solius ordinis ad primam Veritatem revelantem ineffabilis mysterii Incarnationis existentiam, sed etiam qualitas repugnantiæ, quam imbibunt attenta adhæsione, qua ferri debet in priorem ex illis, quicumque elicere voluerit actum fidei, & pertinacia, qua alius quilibet tantum mysterium revelatum discredens, assensum præbet in propositionem oppositam: *Verbum non est incarnatum*, falsam positivè putans alteram revelatam: *Verbum est incarnatum*.

5. Quæ quoque est ratio, ob quam *in quæstionis titulo* apposita sit restrictio illa, *supernaturalis*. Licèt namque omninò inter se conveniant fides naturalis divina, quam admitti debere probabilius esse cum Subtili censemus, & fides supernaturalis, si objectivè dumtaxat considerentur, quòd penitùs idem sit objectum formale earumdem, nempe prima Dei Veritas revelans, & eatenùs æquè verus esse debeat actus fidei naturalis, ac supernaturalis, dùm æquè prædicta prima Veritas influat in unum, ac alterum, plurimùm nihilominùs discrepant, si *subjectivè* sumantur, quia actus supernaturalis, utpotè promanans ab habitu fidei infuso, est essentialiter verus, ut enim arguit, *Scotus*(*quodlib*.14.*art*.5.§.*alia differentia*) *fides infusa non potest inclinare ad aliquod falsum*; *inclinat autem virtute luminis divini, cujus est participatio, & ità non nisi ad aliud, quod est conforme illi lumini divino: actus igitur credendi in quantùm innititur isti fidei, non potest tendere in aliquod falsum*.

6. Contra verò, actus fidei naturalis divinæ potest esse falsus, quia, cum nullum supponat in eliciente habitum superioris ordinis, nullamque virtutem divini luminis influentis, cessat quælibet ratio, quæ causare valeat in ipso essentialem certitudinem: unde notat *ibidem* Subtilis Magister, quòd *fides acquisita communitèr innititur assertioni alicujus testis, qui posset deficere*; licet enim per ipsam assentiamur objectis revelatis ob primam Veritatem revelantem, hæc tamen prima Veritas revelās non innotescit nobis, nisi per homines, vel per Angelos, qui ut potè fallibiles possunt nos decipere, repræsentando, adesse revelationem divinam hujus, vel alterius objecti, quæ revera non adsit.

7. Quòd si detur casus indicatus particula illa *communitèr*, quo nempe prima Veritas ipsa revelans immediatè, & se ipsa nostro intellectui se communicet, indeque intellectus in actum fidei naturalem prorumpat, dictus actus, & si certissimus esset, id tamen ab extrinseco haberet, non ex sui natura, nec certitudine subjectiva proveniente ab habitu, vel lumine aliquo intellectus, vi cujus non possit tendere in revelationem non existentem, sed falsò putatam; *innititur igitur*, optime concludit Scotus, *actus credendi fidei infusæ tanquàm regulæ certæ, & omninò infallibili, à qua actus habeat, quòd non possit esse falsus, sed innititur acquisitæ tanquàm regulæ minùs certæ, quia non per illam repugnaret actui, quòd esset falsus, vel circa falsum objectum*: unde sufficiens eruitur discriminis ratio, ob quam propositio contraria alteri, quæ sit objectum fidei naturalis, hæresis in rigore dici nequeat, quia nempè hoc nomine, non quælibet propositio repugnans cuicumque fidei indigitatur, sed quæ adversatur fidei indefectibili, modo explicato.

8. Hinc jure meritò Theologi fere omnes inferunt contra Hugonem de Sancto Victore *lib*.1. *de Sacr*.*p*.10. *cap*.1. & Durandum *in* 3.*d*.23.*quæst*.7. *num*.10. fidei certitudinem majorem esse qualibet alia, etiam, quæ sit scientiæ propria, & primorum principiorum, quod quoque passim supponunt tanquam indubitatum Sancti Patres, Chrisostomus *hom*.2. *in epist*. *ad Heb*. ubi expendens fidei definitionem ab Apostolo traditam, *argumentum non apparentium*, subdit, *idest majorem certitudinem de illis faciens, quàm de his, quæ videntur*. Basilius *hom*. *in Psal*.115. asserens *fidem persuadere præ omnibus rationabilibus methodis* ideòque rationabiliter dicere solitus erat Augustinus: *faciliùs dubitarem me vivere, quàm esse vera, quæ audivi*, qui cæterique Patres similibus formulis utentes, edocti super hac veritate fuere ab Apostolorum Principe *ep*.2.*cap*.1. pronunciante *firmiorem habemus propheticum sermonem*, imò & ab ipsamet Sapientia Patris, *Lucæ c*.21.33. testante: *cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*.

9. Unde colligi potest solidissimè ab Apostolica Sede proscriptam fuisse propositionem illam, quæ est *vigesima prima* ex damnatis ab Innocentio XI. *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cùm notitia*

titia solùm probabili revelationis, imò cùm formidine, qua quis formidet ne non locutus sit Deus, & si enim id posset verificari de assensu fidei naturali, qui licet *divinus* dici valeat, quòd tendat in primam Dei Veritatem revelantem, non tamen *supernaturalis*, quia non procedit ex habitu infuso, & ex lumine superioris ordinis, vi cujus prædictæ primæ Veritati revelanti adhæreat modo infallibili, & per consequens omni spoliatus formidine; non tamen locum habere potest in assensu fidei supernaturalis ob oppositum tendendi modum, vi cujus ante prælaudatum Pontificem relatæ propositionis falsitatem satis ostendit Tridentinum *sess.6. cap.9.* ubi asserens; *quilibet dum se ipsum, suamque infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest*, mox subdit fundamentum dictæ formidinis, ex eo desumptum, quòd de hujusmodi *gratia* fidem non habeat, *cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum; se gratiam Dei esse consecutum*. Ex quibus omnibus:

10. Dicendum propositionem fidei supernaturalis, & hæreticam, qua tales opponi ad invicem oppositione summa in linea intellectuali, qua major dari non possit, quam proinde claritatis gratia liceat appellare *theologicam*. Assertum non videtur ulteriori indigens probatione, quòd ex præmissis fit erutum, ac deductum. Siquidem si *objectivè* dictæ propositiones inspiciantur, & in earumdem esse formali, patet esse contradictorias, quarum altera affirmativa, altera negativa, & propterea altera vera, altera falsa. Si verò etiam *subjectivè*; ità propositio de fide est vera, ut ipsi repugnet ne dùm falsitas, sed & falsitatis saltem deliberata formido, hæretica ita est falsa, ut nulla de ea haberi valeat vel levis, veritatis suspicio. Cùmque veritas propositionis fidei major sit, qualibet alia veritate, etiam primorum principiorum, & consequenter falsitas propositionis hæreticæ excedat itidem quamlibet aliam falsitatem propositionum falsarum, ex illo vulgari effato: *contrariorum eadem est disciplina*, clara redditur illatio, quòd ad invicem opponantur summa oppositione, qua major dari neutiquam queat.

11. Oppositionis verò summitatem diximus *theologicam*, & quidem essentialiter, seu in linea supernaturali; cùm enim etiam fides divina naturalis *theologica* pariter possit inscribi, quòd primæ Veritati revelanti innitatur, non tamen est in rigore, & in re essentialiter talis, ob defectibilitatem modi, quo in dictam primam Veritatem revelantem dirigitur, vel nempè revera existentem, vel falsò putatam, ut existentem. Inde autem infertur, quòd dictam oppositionem nos cognoscere nullatenùs valeamus, nisi virtute revelationis, quæ revera existat, ea namque præcisa, quamvis has propositiones e. g. *Deus est omnipotens*, *Deus non est omnipotens*, agnoscamus esse contradictorias, & priorem essentialiter veram, falsam posteriorem, non tamen asserere possemus eas opponi oppositione *theologica* in linea supernaturali, quòd nota nobis non sit earumdem divina revelatio.

12. Quin instari queat, id quoque verificari suo modo de aliis virtutibus theologalibus supernaturalibus, quas S. Thomas *1.2.q.62. art.1. in corp.* theologicas, dici asserit, *quia*, unà cum fide, *sola divina revelatione in Sacra Scriptura traduntur*; & eatenùs *esse totalitèr ab extrinseco*, ut habet *quæst.63. art.1. in corp.* Hac namque doctrina ultrò concessa, verissimum adhuc est, quòd dictæ virtutes ad lineam intellectualem, seu *veri* non spectent, sed ad lineam voluntatis, & *boni*, ut Sanctus Doctor tradit *cit. quæst.62. art.3. in corp.* & proinde divinam revelationem non exigunt nisi *præsuppositivè*, & quatenùs connectuntur cum fide, & ab ea dependent, quòd nempe (ex eodem *art.4. in corp.*) *non potest in aliquid motus appetitivus tendere, vel sperando, vel amando, nisi quatenùs est apprehensum sensu, aut intellectu. Per fidem autem apprehendit intellectus ea, quæ sperat, & amat, unde oportet, quòd ordine generationis fides præcedat spem, & charitatem* Ac propterea *theologica* denominatio, quæ per se communis est tribus theologalibus virtutibus, quæ æquè Deo immediatè innituntur, & quidem essentialiter, licet sub diversa ratione formali, in sensu tamen, de quo hic loquimur, est specialiori quidem modo propria fidei, & ex ea promanans in oppositionem hæreticæ propositionis cum ipsa, quàm sit respectu aliarum, quibus competit veluti *participativè*, prout innuimus etiam *artic.3. num.7. hujus cap.*

13. Solvenda nunc manent objecta, quibus Durandus impetere intendit fidei certitudinem, sive quia fides componi queat cùm aliqua adminùs indeliberata dubitatione, ac formidine, quam tamen prorsùs excludit scientia; sivè quia certitudo evidentiæ major appareat, certitudine adhæsionis, dum illa intellectum ad sui as-

sen-

sensum cogit, hæc vero sit voluntaria, & libera; sive denique quia certitudo fidei dependet à certitudine saltem primorum principiorum, uti est illud: *quodlibet, vel est, vel non est*; quod ad quamcumque veritatem se extendit.

14. Inefficacia nihilominùs hæc sunt, & ex primo solum inferri, ait Suarez *disp.6. de fid.quæst.13 num.23.* fidei actum, secundùm quid esse minùs certum ex imperfectione intellectus, simpliciter tamen esse certiorem, ad quod sufficit, ut excludat omnem deliberatam formidinem, & ulterior ratio esse potest, quam tradit P. Franciscus del Castillo *disp.8.de fid.quæst.3 num.22* quia scilicet certitudo non est illa, quæ destruit omnem dubitationem, sed quæ destruit omnem dubitationem incompossibilem cum ea; unde cum certitudo fidei sit libera, solùm est ipsi repugnans dubitatio libera, non verò indeliberata. Non omisso, argumentum procedere contra fidem habitualem, cum qua stat simul indeliberata dubitatio, non verò cum actu fidei, de quo loquimur, ut *ibidèm* advertit laudatus Scoti discipulus.

15. Ad secundum dicimus, certitudinem evidentiæ, duo involvere, *certitudinem* videlicet, & *evidentiam*, sicuti certitudo fidei secum fert *obscuritatem*, cogere autèm intellectum, non provenit ex formalitate *certitudinis*, sed ex altera *evidentiæ*, in qua non negamus scientiam perfectiorem dici posse ipsa fide, quæ est *obscura*, sed cum imperfectione hujusmodi, adhuc perfectior est dicenda ob formalitatem *certitudinis*, quæ in fide fortior est, & indefectibilior.

16. Ad tertium *loc.cit.* Suarez negat certitudinem fidei pendere ex primis principiis lumine naturali notis; sed ab eisdem, ut creditis; undè si aliquod est primum principiùm, quod necessariò involvatur in assensu fidei in eadem materia, etiam est ipsa fide creditum, neque fides pendet ab illo, ut naturaliter cognito, ut v.g. si credo Deum esse Trinum, *necessariò credo non esse unicum in Persona, neque esse quatuor Personas, non propter principium naturale*, quodlibet est, vel non est, *ut naturale est, sed quia ipsamet fides, quæ facit credere affirmationem esse veram, facit etiam credere negationem esse falsam*.

17. Necessitatem tamèn non video, cur ad intentum prima principia necessariò debeant fide divina credi; cùm meo videri occurri argumento possit, dicendo, quòd cognitio quantumvis naturalis, & evidens primorum principiorum, non concurrat ad actum fidei, tanquàm ratio motiva assensus, sed tanquàm prævia dispositio, per quam notificetur nobis divina revelatio, immediatè afficiens, non minùs veritatem affirmativæ, *Deus est Trinus in Personis*, quàm falsitatem negativæ, *Deus non est Trinus in Personis*: ad eum planè modum quo *cap.2.art.8.num.16.* cum eodem Suarez ratiocinati sumus de propositionibus particularibus contentis in suis universalibus revelatis.

18. Ad cujus solutionis clariorem intelligentiam, juvat animadvertere, quòd, cum diximus, certitudinem subjectivam fidei provenire ab habitu talis virtutis infuso, id non restrinximus ad habitum prædictum independenter à pia voluntatis affectione in eandem certitudinem influente; cùm enim ex dictis *num.14.* fides nostra sit libera, juxta Tridentini *sess.6. cap.6.* definitionem: *liberè moventur in Deum credentes*, sequitur prærequiri ex parte voluntatis piam supernaturalem affectionem, quæ intellectum ad assensum moveat, non obstante revelationis obscuritate.

19. Idcircò Apostolica Sedes proscripsit propositionem illam ordine *decimam nonam* inter damnatas ab Innocentio XI. *voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*, si enim, id esset verum, nec fides libera esset, quia unicè pendens *à pondere rationum ad assensum impellentium*, nec esset certa ea certitudine, quæ debet esse fidei propria, quamque in præsenti expendimus, quia cùm rationes impellentes illam in se non habeant, nec possunt in fidei assensum refundere.

20. Rationes proinde prædictæ præsuppositivè se tenent ex parte dispositionum, per quam innotescat nobis revelatum esse hoc, vel illud mysterium, cui postea, non ex motivis, sed ob primam Veritatem revelantem certissimè ac firmissimè assentimur per actum procedentem ab habitu fidei infuso, & ex pia voluntatis affectione, ipsiusque imperio. Sic itaque in casu, primum illud principium: *quodlibet est, vel non est*, cæteraque similia non se habent, tamquam ratio motiva, sed ut præsuppositiva, ut dignoscamus revelationem divinam æquè afficere veritatem affirmativæ revelatæ. *Deus est Trinus*, ac falsitatem ipsius oppositæ *Deus non est Trinus*; qua habita cognitione, primæ assentimur per actum fidei summa certitudine certum, secundæ verò

si,

si, quod absit, adhæreamus, actus erit summa certitudine falsus, & hæreticus.

21. Objici insuper potest non benè saltèm oppositionem prædictam *summâ* asseri; quamvis enim talis dici valeat comparata ad quaslibet propositiones falsas, & oppositas aliis veris veritate naturali, etiam si hæ sint circa prima ipsa principia, non tamen hujusmodi prælationis excessus dictæ oppositionis est admittendus, si comparatur cum oppositione, quæ intercedit inter propositionem, de cujus veritate constet per visionem beatificam, & alteram ipsi oppositam, & repugnantem.

22. At huic quoque objecto in promptu est responsio, quòd ut *summa* dicatur aliqua oppositio, non est necesse, ut nulla alia detur ipsi æqualis, sed sufficit, quòd nulla habeatur, à qua excedatur. Licèt autèm non desint Authores, qui certiorem existimaverint beatificam visionem ipsa fide, & consequenter majorem oppositionem dicere propositiones contrarias in ordine ad propositiones cognitas per visionem, quam ad propositiones revelatas, ut præter alios sustinent Lorca. 2.2. *disp.* 18. *num.* 8. Ægidius de Præsent. *lib.* 11. *de Beatitud. q.* 5. *art.* 3. *p.* 7. Coninckius *disp.* 4. *de fid. dub.* 4. *num.* 56.

23. Dictam tamen opinionem rejiciendam putamus cùm doctissimis Recentioribus, quos è Scoti schola expressè sequutus est Franciscus del Castillo *disp.* 8. *de fid. q.* 3. *num.* 18. optimè arguens, ex quo major certitudo formalis solùm proveniat à principiis magis certificantibus in genere causæ efficientis, quæ causaliter æquè certificantia esse respectu visionis, & fidei, indè colligitur, quòd sicut habitus infusus fidei, est participatio divini luminis, & consequenter necessariò, & essentialiter inclinans in verum: ita lumen gloriæ (in quocumque consistat) est æquè participatio divini luminis, & non potens propendere nisi in verum. Evidentia autem, quæ exurgit ex visione, clarum quidèm reddit objectum, quod per fidem esset obscurum; non tamen certius, & proindè esto perfectior entitativè dici queat, non tamen excedens in certitudine.

24. Nec replices, ex visione oriri majorem objecti attingentiam, & penetrationem: ex hac namque non ideò infertur major certitudo, quæ non à penetratione objecti desumitur, sed à principiis magis certificantibus, unde etiam, qui videt canem aliquem movere caudam, magis hujusmodi objectum penetrat eo, qui ob divinam revelationem credit canem Tobiæ caudam movisse; non per hoc tamen certitudo major inferri debet in primo, ac in secundo, imò potiùs è contra; ac etenùs, & si visioni concedi queat aliqua major perfectio entitativa, non tamen perfectio in ratione certitudinis, ut eruitur ex Scoto *in* 3. *dist.* 13. *quæst. unica* §. *& cum dicis*, ubi licèt comparet actum fidei cum naturali actu intelligendi primorum principiorum; doctrina nihilominùs, quam tradit, præsens evincit intentum, si debita cum proportione applicetur.

ARTICULUS VIII.

An nota hæresis sit censura unius speciei specialissimæ, vel subalterna?

1. **E**Xamen *hujus articuli* prima facie apparet merè speculativum, adeoque inutile ad nostrum institutum, sed à vero aberrat quicumque sic judicat, cùm revera omninò necessarium sit, ut ex eo resolvatur, *an propositio mediatè, seu indirectè, aut virtualiter revelata sit hæretica? an tantùm erronea?* & si enim omnes admittant illam distinctionem inter revelata, non tamen conveniunt, an opponi quomodocumque revelatis, mereatur notam hæresis? & idcircò præsens controversia proponi solet sub aliis terminis, videlicet: *an nota hæresis sub se habeat plures gradus?* non quidem numero distinctos secundum majorem, aut minorem gravitatem in eadem linea, quos admittendos omnes fatentur in sensu explicando *num.* 4. sed specificos, quos hæresis proculdubiò comprehendet, si sustineatur esse species subalterna, excludet verò si asseratur species tantùm athoma, & specialissima.

2. Dicendum est, notam hæresis esse speciem athomam non habentem sub se plures gradus specie diversos: ita cùm communi Theologorum Suarez *disp.* 19. *de fide sect.* 2. *num.* 6. *& seq.* & suadetur primò, quia in hoc puncto pariformiter est discurrendum de propositione hæretica, sicut de propositione de fide, sive ea formaliter accipiatur, sivè materialiter, ac per consequens sicut specificativum, seù objectum formale fidei est unum, & indivisibile, scilicet divina Veracitas revelans; ita specificativum propositionis hæreticæ esse debet oppositio cùm hujusmodi Veracitate, quia quot modis contingit distinguere unum

unum oppositorum, tot modis contingit distinguere, & aliud. Cùm ergo habitus fidei sit unus specie athoma, sub se non habens nisi individuos habitus fidei multiplicatos ad multiplicationem fidelium, ita nota hæresis non habet sub se, nisi gradus individuales sine distinctione specifica habituum, aut propositionum hæreticarum, si formaliter considerentur; materialiter namque acceptæ, possunt etiam genere distingui ratione materiæ; unde sicuti in isto exemplo (Matt. *cap.24. 35.*) *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, sunt materialiter plures specie distinctæ propositiones de fide, sed formaliter ejusdem speciei athomæ; ita pariter earum opposita erunt unius speciei athomæ hæreticæ formaliter consideratæ, materialiter autem different genere, & plusquam genere juxtà multiplicitatem, & varietatem rerum importatarum per ipsas.

3. Secundò, quia Divina Veracitas diversis modis applicari potest doctrinis, primò videlicet per ipsummet Christũ Dominum suæ vivæ vocis oraculo discipulos instruentis, & modus hic dicitur *Divina Traditio*. Secundò mediantibus Scriptoribus Canonicis, & dicitur *Sacra Scriptura*. Tertiò per Concilium generale approbatum, aut solum Papam definientem; & dicitur *definitio de fide*, & proinde regulas fidei esse tantum tres dicimus, videlicet, *verbum traditum, verbum scriptum, ac verbum definitum*. At iste diversus modus applicandi divinam Veracitatem articulis, qui proponuntur credendi, non inducit specificam distinctionem in eorum oppositis *formaliter* acceptis, sicuti calores non differunt specie per hoc, quòd unus producatur à sole, alius ab igne, alius à motu, alius à vino: ergo neque illa diversitas applicationis divinæ Veracitatis ad articulos inducit diversitatem formalem in oppositis.

4. Tertiò, quia omnis propositio de fide, quatenùs talis, æquè certa est, quia innititur primæ Veritati, quæ est in maximis, & in minimis æquè verax: ergo æquè certum reddit hominem de omnibus, quæ affirmat, quæcumque illa sint, dummodò revelatio æquè in singula immediatè cadat: adeoque propositio hæretica, quatenùs destruit quamcumque veritatem fidei, ejusdem speciei, aut gradus erroris est, ac falsitatis, quo ad suum formale; nàm quantùm ad materiale non nego in propositionibus dari majorem, & minorem gravitatem, petitam ab articulo magis, ac minùs necessario; aut sub alia qualibet ratione; attamen quo ad gradum falsitatis ejus, existimo in eo non distingui plures gradus secundùm magis, & minus, sed omnem propositionem hæreticam esse æque falsam, & hæreticam, quia æquè cùm pertinacia credita, sufficit ad corrumpendum universum habitum fidei.

5. Authores, qui existimant, propositiones hæreticas formaliter acceptas specie distingui, sunt, Turre cremata, Canus, Pegna, & Corduba relati à Suarez *loc.cit.* quorum primum fundamentum est; quòd sicut quædam propositiones spectant directè ad fidem v.g. *Christus mortuus est, & resurrexit*; aliæ tantùm indirectè, ut *Christus est substantia, ens &c.* ita aliquæ propositiones directè opponuntur fidei, ut, *Christus non est mortuus, nec resurrexit*, aliquæ tantùm indirectè, ut, *christus non est substantia, non est ens, &c.* cumque posteriores differant à prioribus, eo quòd, ex opposita *indirectè* sequitur alia directè opposita fidei, quia si *Christus non est substantia, non est homo*, quod non contingit in propositionibus directè oppositis fidei, ideò ex hoc inferunt hujusmodi propositiones hæreticas *indirectè* oppositas fidei, specie distingui à propositionibus hæreticis directè fidei oppositis; adeoque propositio hæretica ut sic, non est species athoma formaliter sumpta, si sub se plures continet species.

6. Verùm hoc primum fundamentum deficit in supposito, quia propositio *indirectè* opposita fidei ex eo, quòd quodammodò dicitur indirectè hæretica, habet suam speciem, in qua collocatur, idest sub *erronea*, quæ differt specie ab hæretica, ut infra *cap.5. artic.1.* ex instituto dicemus, sicque non sunt duæ species hæresis, sed *hæresis*, & *erroneitatis*; quia illud syncathegorema *indirectè*, ita minuit oppositionem cum fide, ut transferat ad speciem distinctam, eò quia propositio hæretica debet opponi fidei, cum iisdem terminis propriis, aut formaliter æquipollentibus, & non sufficit quæcumque oppositio, aliàs confunderemus etiam cum *hæretica*, alias species idest *suspecta de fide*, ac *periculosa in fide*, quæ sine controversia specie distinguuntur *ab hæretica*, quòd autem oppositio *directa* differat specie ab *indirecta* & quòd illud syncathegorema *indirectè* distrahat, aut minuat oppositionem, ut illam transferat ad speciem distinctam; patet, quia voluntarium directum, & indirectum variant speciem, cùm illud sit omninò necessarium ad constituen.

stituendum assensum hæreticum, voluntarium verò indirectum non sufficiat, & certum sit, assensum hæreticum differre specie ab assensu non hæretico, ut dicemus infra *cap.4. art.3.*

7. Secundum fundamentum est, quòd sicut aliqua propositio est de fide *primariò*, tamquàm *per se* necessaria ad beatitudinem ut *Unitas, & existentia Dei, Incarnatio, Nativitas, Mors, & Resurrectio Christi*; alia verò *secundariò*, & quasi *per accidens*, ut v.g. quòd *Isaac fuit filius Abrahæ* (*Gen. cap.22.3.*) ita aliqua propositio est *primariò*, ac *per se* hæretica, quia opponitur propositioni, quæ *primariò*, & *per se* est necessaria ad beatitudinem: alia *secundariò*, ac *per accidens* opposita, cùm nempe opponitur propositioni *per accidens* de fide: adeòque cum ista distinctio sit specifica, & attingat rationem formalem fidei; & hæresis, sequitur has propositiones hæreticas: *Deus non est unus, Christus non est mortuus* differre specie ab alia, *Isaac non est filius Abrahæ*; adeòque propositionem hæreticam formaliter habere sub se plures species.

8. Sed hunc dicendi modum solidè evertit Suarez *loc. cit.* advertens non sumi ex formali ratione fidei, sed ex materia, vel ex fine, ad quem, seu propter quem per se primò revelatur fides hominibus data, est enim fides, ut per illam possint homines ad æternam salutem pervenire, & ideò mysteria, quorum cognitio est *per se* necessaria ad beatitudinem consequendam, dicuntur quasi *directè*; & *per se primò* credita, alia verò secundum se spectata inferiora sunt, & non omnibus simpliciter necessaria ad salutem, quia tamen per occasionem fuere revelata, seu scripta, dicuntur *indirectè*, vel *secundariò* ad fidem pertinere; nihilominùs tamen in omnibus illis supposita revelatione est æqualis certitudo, ac veritas, quia immediatè revelata in propriis terminis, aut formalitèr æquipollentibus; & ideò omnis propositio contraria est æquè formaliter hæretica.

9. Quibus addo, quòd sicut formalis ratio specificativa habitus, aut actus fidei supernaturalis non est finis propter quem Deus fidem nobis dedit, sed ejus summa Veracitas in dicendo applicata mysterio; ita hæresis formalitèr sive actualis, sive habitualis, si detur, nòn specificatur ab isto fine à Deo intento, sed ab oppositione cum eius summa Veracitate. Hinc est, quòd si assensus præstitus, *Unitati, ac existentiæ Dei*, quia Deus summè Verax id revelat, est unius speciei athomæ; quia idem Deus summè Verax revelat *Isaac fuisse filium Abrahæ*; erit ejusdem speciei, quia utrique propositioni assentimur, quia Deus revelans summè Verax est, & de materiali se habet illud discrimen in hujusmodi propositionibus, ac suis oppositis.

10. Tertium fundamentum, præsertim Cordubæ, est distinguere propositionem de fide in *immediatam*, ac *mediatam*, primamque explicat per esse *per se* revelatam, secundam per esse revelatam in aliquo principio per se immediate revelato, ex quo per evidentem illationem sequitur. Exemplum primæ esset: *in principio creavit Deus, cælum, & terram*. (*Gen. cap.1.1.*) exemplum secundæ esset: *Deus vult Judam salvum fieri*, quæ evidenter infertur ex illo principio *immediatè*, ac *per se* revelato: *Deus vult omnes homines salvos fieri*. (*1. ad Timoth. cap.4.16.*) addita minori, quòd *Judas sit homo* adeòque iste modus dicendi sustinet, has propositiones de fide specie differre, & illis oppositas propositiones hæreticas similiter specie distingui formaliter consideratas, cui nonnulli addunt aliud exemplum de *Christi risibilitate*, *mediatè* revelata in illa, *Christus est homo*, quæ est *immediatè* revelata, & ex qua tanquam ex principio evidentèr infertur.

11. Verùm quamvis indubitatum sit, aliquas propositiones esse *immediatè* revelatas, alias verò *mediatè* tantùm, quatenùs in suis universalibus *immediatè* revelatis cōtinētur: nihilominùs, aut si differunt specie, non sunt ambæ hæreticæ, sed alterius notæ; aut si specie non differunt, habemus intentum, quòd nota hæresis sit species athoma formaliter considerata. Item approbo distinctionem duplicis propositionis rævelatæ *mediatè* adductam à Suario *loc. cit. num.10.* videlicet duobus modis contingere posse, ut una propositio contineatur in altera revelata, uno modo tanquàm in re omninò eadem cum illa, vel saltem tanquàm pars ibi contenta, licet confusè secundùm nostrum modum concipiendi, & exemplum posset esse *de salute Judæ* supra propositum: alio modo tanquam quid distinctum, vel tanquam effectus in causa, sicut in hac propositione *immediatè* revelata: *Christus est homo, mediatè*, seu *virtualiter*, hæc revelata censetur, *Christus est risibilis*. Si autem sumatur hoc secundo modo, patet argumentum vim non habere, ob rationem allatam *nu.6.* quia nempè sicuti dictæ propositiones non sunt ambæ de fide in eo rigore, quo in præsenti loquimur, ita & oppositæ non sunt ambæ

ambæ hæreticæ, sed prior *hæretica*, posterior *erronea*.

12. Amplectuntur nobiscum ferè omnes præfatam distinctionem duplicis revelationis, *mediatæ*, sed nonnullis videtur non omninò cohærens, quod idem P. Suarius subdit, videlicet, loquendo ergo primo modo de propositione mediatè revelata, verum est propositionem illi contrariam esse hæreticam, quia propositio sic revelata est simpliciter de fide, & ratio est, quia licèt illa propositio, quoad nos, & secundùm nostrum modum concipiendi confusè, dicatur *mediatè* revelata, tamen in re cadit, seu extenditur revelatio ad ipsam etiam *immediatè*. Incohærentiam autem probant primò ratione deducta ex ipso Suario, qui explicans modum secundæ propositionis *mediatè* revelatæ subdit: *At verò loquendo de propositione tantùm posteriori modo mediatè revelata, & in se non definita per Ecclesiam, probabiliùs est, illud non sufficere, ut contraria propositio sit simpliciter hæretica; nimirùm, quia illud non sufficit, ut talis propositio sit simpliciter de fide, sed tantùm certa theologica certitudine, ut notavit Gerson (in tract. de vita spirituali lect. 3. & in alphab. 14.)*

13. Ex hac verò explicatione, sic in hunc sapientissimum Authorem argui posse autumant: Non minùs continetur in universali illa: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, particularis altera: *Deus vult Judam salvum fieri*, quàm continetur in ista, *Christus est homo*, hæc altera, *Christus est risibilis*. In re namque, sicuti Judas identificatur tanquam pars cum toto, cum collectione *omnes homines*; ita & risibilitas identificatur tanquam proprietas cum *humanitate*, *seu rationalitate*, quæ est hominis constitutivum; & sicuti *risibilitas* non immediatè exprimitur per tò *homo*, sed mediante *rationalitate*, quæ *immediatè* importatur, ita & Judas non *immediatè* designatur per tò *omnes homines*, sed *mediatè*; unde eodem modo, quo valet illatio: *Christus est homo, ergo est risibilis*, valet quoque & alia: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, igitur *vult Judam salvum fieri*. Vel itaque utrumque illatum erit theologicum, & consequenter utraque propositio utrique illato contraria, erit *erronea*, vel si posterius *de salute Judæ*, erit de fide, pariter de fide tenendum & prius, *Christus est risibilis*, ut plenè doctrina cohæreat.

14. Hoc tamen non obstante, veram censeo doctrinam P. Suarii, quam quoque tradiderat *disp. 3. de fide sect. 11. num. 6.* videlicet, quòd propositio particularis, seu singularis contenta in aliqua universali revelata tanquam pars in toto, *sit de fide*, uti se habet allata nuper super salute Judæ: *Deus vult Judã salvum fieri*, quæ includitur tanquã pars constitutiva in altera universali revelata; *Deus vult omnes salvos fieri*, & consequenter propositio opposita particulari seu singulari hujusmodi est *hæretica*, qualis esset, *Deus non vult Judam salvum fieri*. Propositio verò, quæ in altera continetur tanquàm effectus in sua causa, vel alio simili connexionis modo *de fide* non est; sed *theologica*, quatenùs inferri potest ex una præmissa de fide, & altera naturali, & ita se habet propositio, *Christus est risibilis*, quæ quidem continetur in hac, *Christus est homo*, non tamen, quia tò *risibile* sit ullo modo prædicatum hominis, constitutivum, vel partiale, sed quòd, sit proprietas ipsius inde promanans, tanquam effectus à sua causa; unde legitimè infertur, quòd propositio prædictæ opposita, *Christus non est risibilis*, *hæretica* dici nequeat, sed duntaxat *erronea*.

15. Non itaque ratio, cur singularis illa, *Deus vult Judam salvum fieri*, sit de fide, innititur soli identitati reali, quæ intercedit inter Judam, & universalem dictionem *omnes homines*; sic namque, vim haberet argumentum in contrarium *num. 13.* formatum; sed potiùs, identitati formali, quam tò *Judas* dicit, cum *omnes homines*, veluti pars cum suo toto, virtute cujus revelatio divina non minùs *immediatè* afficit tò *omnes homines*, quã *ipsummet Judam*, inter eos contentum, ac comprehensum.

16. Siquidem, ut optimè idem Suarez *cit. num. 14.* ratiocinatur, per illam revelationem, qua nobis innotescit *Deum velle omnes homines salvos fieri*, significatur verum judicium, quod Deus habet de adequato objecto ejusdem revelationis; illud enim judicium est fundamentum testimonii divini, in Deo autem non est cognitio confusa, sed distinctè judicat de omnibus, quæ revelat, quamvis multa unico comprehendat verbo; confusio idcircò se tenet ex parte nostra, utpote qui audientes. *Deum velle omnes homines salvos fieri*, non illicò habeamus notitiam singularium omnium hominum, qui sunt objectum divini illius judicii, ac propterea confusione hujusmodi sublata, habitaque cognitione, quòd in dicto divini judicii objecto fuerit comprehensus *Judas*, sequitur, quòd sicuti respectu divini judicii, idem prorsus est, ne dùm in re, sed in ratione ipsa formali, *salus om-*

nium hominum, ac *salus Judæ, Petri Pauli & cæterorum*, de quibus fieri valeat sufficienter inductio, ac distributio, ita & respectu nostri, revelatio *immediatè*, nedùm afficiat universalem exprimentem *salutem omnium hominum*, sed & quaslibet singulares, quæ universalem efformant, ac constituunt; inter quas est præfata *de salute Judæ*.

17. Quod totum evidentiùs elucescet applicando in præsenti, quæ dicemus *cap.3. art.4. & 5.* ubi discrimen assignabitur inter *propositionem alteri contentæ in terminis formaliter æquivalentibus in Sacra Scriptura, oppositam*, quam sustinebimus esse *hæreticam*, & *propositionem oppositam, alteri contentæ in Sacra Scriptura, in terminis illativè æquivalentibus* quam à nota *hæresis* eximemus, contenti interim insinuare propositionem particularem, ac singularem respectu universalis revelatæ, comparandam esse tanquam quid *formaliter æquivalens*, & si non totaliter; propositionem verò explicantem proprietatem, effectum, &c. respectu propositionis exprimentis essentiam, &c. se habere solummodò tanquàm quid *virtualitèr*, & *illativè æquivalens*.

18. Solvenda esset instantia, quæ in argumento allato videtur insinuari, ex eo deducta, quòd, sicut risibilitas Christi legitimè infertur ex ipsius humanitate revelata, ita & salus volita Judæ, infertur ex voluntate salvandi omnes homines: quoties autem locum habet illatio, fides excluditur. Sed ne eadem pluries repetamus, responsionem innuimus inquirendam *cap. 3. articulo 19.*

19. Omittere autem hic minimè volumus, quòd ex hactenùs expensa doctrina, melioris notæ Theologi inferunt, de fide videlicèt credendum quòd hic *numero Pontifex*, seù *Clemens XI.* sit verus, ac legitimus Christi Vicarius, ac Divi Petri Successor; non quidem virtute revelationis particularis directæ dumtaxat ad Sanctissimum Dominum nostrum, sed virtute revelationis universalis, qua, ut inquit Cardinalis de Lugo *disp.1. de virt. fid. div. sect.13. §.5.* revelavit Ecclesiam non erraturam, ibi enim *continetur non errare in agnoscendo hoc individuo pro vero capite, & regula visibili fidei catholica, in quo graviùs, & periculosiùs erraret, quàm circa aliquod objectum fidei particulare, quod non esset fundamentum aliorum, sicuti regula visibilis est fundamentum doctrinæ fidei, & Ecclesia, quæ ideo super Petrum, & ejus successores fundata dicitur.*

20. Ac eatenus laudatus Suarez *disp.5. de fide sect.8. num.18.* monet, quòd contrarium sentientes *vix poterunt sustinere certitudinem fidei in rebus definitis à Pontifice, nisi consequenter dicant, non solùm Pontificem verum, sed etiam nec reputatum ab Ecclesia posse errare in non definiendo.* Hoc autem difficile admodùm videtur, ac durum, & propterea in decreto, quod condidit Martinus V. in Concilio Constantiensi, quod incipit, *Inter cunctas* præcipitur, hæreticos, qui ad catholicæ Ecclesiæ gremium admitti petierint, æquè interrogandos esse, *utrum credant, quòd B. Petrus fuerit Vicarius Christi habens potestatem ligandi, & solvendi super terram*: ac etiam *utrum credant, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, sit Successor B. Petri habens supremam potestatem in Ecclesia Dei?* Unde Dominicus Gravina *lib.1. Cath. præscript. adversùs hæreses præscrip.6. cont. un. art.3.* absque restrictione illa Suarii, *vix poterunt &c.* non irrationabilitèr affirmavit, quòd, *esset universa dogmata fidei evertere, nisi certificarentur fideles de regula fidei individua, & signata, qualis est authoritas hujus Papæ definientis &c.*

21. Id ipsum paritèr comprobat efficaciter P. Porterus in sua egregia *Securi Evangelica p.2. cap.8. art.3.* duabus præsertim paritatibus, quarum prior sic ab ipso efformatur: *de fide est dari hodiè in mundo veram Christi Ecclesiam, de qua tamen non habemus novam revelationem, sed quando Christus revelavit, & per Apostolos docuit, eam esse veram, quæ evidentibus credibilitatis signis, visibilis, & credibilis pro diversitate temporum conspicitur, in hac revelatione inclusit illam, quæ hodie in mundo est, Ecclesiam; unde antiqua illa revelatio de Ecclesia facta, nobis quotidiè proponitur, & applicatur per notas, & signa credibilitatis denotantia Ecclesiam. Sic etiam in revelatione facta olim de Petro, & ejus authoritate, includuntur singuli Pontifices successivè existentes, & futuri, nobisque præfata revelatio proponitur, & applicatur per communem Ecclesiæ consensionem, & testificationem.*

22. Posterior; *sicut in Persona singulari Aaronis consecrati in Pontificem, & Caput Synagogæ, includebantur singuli successivè Pontifices futuri usque ad tempora Christi, & sicut in Synagoga non requirebatur nova revelatio ad credendum hunc, vel illum pro temporum diversitate fuisse verum Pontificem, sed tantùm sufficiebat nova applicatio per Synagogæ testificationem, & consensionem facta; similiter in Ecclesia Christi sufficit antiqua revelatio de novo applicata huic, vel illi Pontifici: unde sicut de fide est, primitivam Ecclesiam gubernatam fuisse à Capite visibili, ita de fide est hodiè eamdem* Chri-

Christi Ecclesiam regi etiam à Capite visibili, & hoc Caput, esse Romanum Pontificem inclusum in prima revelatione, nobis per Ecclesiæ testificationem, & consensionem applicata, sicut Concilium Ephesinum, & Calcedonense suo tempore testificabantur, cum proprio nomine indigitabant Romanos Pontifices, scilicet Cælestinum, & Leonem, in qua re, illa Concilia non poterant errare.

23. Quartum fundamentum contra assertum desumi potest ex Cardinali de Lugo *disp. 20. de fide sect. 1. num. 8*, quòd etiam si veritas formalis, eadem, & æqualis sit in omnibus propositionibus veris, nec possit una conformitas esse major altera, si semel supponatur omnimoda, & totalis, id tamen nō procedere in falsitate formali, per quam benè potest una propositio esse suo objecto difformior altera. Unde sicuti si in hoc cubiculo e.g. essent decem homines, magis distaret à vero, qui diceret nullum esse, quàm qui diceret esse solos novem, sicut magis distant decem à nullo, quàm à novem; ita in proposito magis distat à vero, qui dicit in Eucharistia esse solū panem, quàm qui dicit esse in hostia solum corpus Christi sine sanguine; atque ideò erit ejus hæresis magis falsa, & major hæresis, & per consequens magis falsa, majorque hæresis erit propositio aliqua universalis fidei repugnans, ut ista: *nullus homo est elevatus ad finem supernaturalem*, quàm altera particularis, *aliquis homo non est elevatus ad finem supernaturalem*; quia prior totum negat, quod affirmatur per propositionem universalem de fide: *omnis homo est elevatus ad finem supernaturalem*; non autem posterior. In quo etiam sensu posset dici major hæresis negans Dei attributa intrinseca, quàm negans opus aliquod Dei extrinsecum, quia, qui negat attributa Dei intrinseca, negat etiam eorum possibilitatem, cùm in prædicatis Dei necessariis, quod non est, non possit esse, quam tamen possibilitatem non negat, qui solùm negat de facto tale, vel tale Dei opus ad extra positum esse.

24. Respondeo, quòd & si totum id admittatur, non inde tamen sequitur majoritatem illam falsitatis spectare ad veritatem formalem fidei, quæ eadem cum sit in quolibet ex adductis exemplis, aliisque similibus, sequitur ejusdem falsitatis esse formaliter quælibet propositio iisdem exemplis opposita. Neque perfectè currere videtur paritas desumpta ex decem hominibus existentibus in cubiculo, quorum quilibet per suam existentiam concurrit ad verificandam propositionem, *decem homines sunt in cubiculo*, ac idcircò uno ex eis non existente, ita deficit ejus intrinsecum verificativum, ut tamen non quo ad omnes sui partes, si seorsim accipiantur, falsa omninò remaneat, quod contingit, quia est verificativum, quod integratur divisibiliter ex pluribus. At in propositione fidei alitèr res se habet, quia idem indivisibile verificativum, nempe *prima Veritas revelans* æquè afficit omnes, ac singulas partes illius universalis: *omnis homo est elevatus ad finem supernaturalem*, ut non possit ullo modo verificare partem propositionis, quin verificet aliam, nec propterea virtute illius, potest esse verum, quòd *aliqui homines sint elevati ad dictum finem*, si verum non est, quòd *omnes sint elevati*.

25. Qui negat itidem attributa Dei intrinseca, negat utique eorum possibilitatem, si non formaliter, saltem virtualiter; at hoc ipsum accidentale est in ordine ad veritatem formalem fidei, quia eodem modo injuriam infert in primam Veritatem Dei revelantem, qui negat attributa præfata, ac qui negat opus aliquod Dei ad extra, cum æquè denegetur assensus in rem, quam obstringimur credere, quia prima Dei Veritas revelans ita se habere testari dignata est.

26. Ratio igitur intrinseci, & extrinseci, sicuti nullatenus attenditur ab eo, qui assensum præstat præcisè, quia prima Veritas, revelavit; adeo ut, non major fidei actus resultet ex assensu in objectum Deo extrinsecum, quàm ex assensu in prædicata ipsi intrinseca, ut fatetur ipsemet Arguens, ita, & qui dissentit, cùm, eodem modo opponatur primæ Veritati revelanti, non majorem hæresim formaliter committit negando opus Dei extrinsecum revelatum, quàm attributa Dei intrinseca itidem revelata.

27. Neque in proposito saltem vim habet, quòd veritas debeat esse totalis conformitas; & ideo incapax majoritatis, & minoritatis, non falsitas, quæ, cùm sit difformitas, potest per eam una propositio reddi magis difformis, quàm altera. Cùm enim objectum formale cujuslibet propositionis revelatæ verè supponatur indivisibile, sicut propositio non potest esse vera, quæ totaliter non conformetur eidem, ita, & opposita nequit esse falsa, quin totaliter sit difformis.

28. Locum proinde habere utcumque potest allata doctrina in propositionibus, quarum verificativum divisionem patitur, uti *num. 24.* insinuavimus circa exemplum per Arguentem allatum *decem homines sunt in cubiculo*, quæ, ut sit vera, exigit, quòd revera *decem* existant, ut sit falsa, sufficit, quòd

tinus deficiat; ita tamen, ut, si duo deficiant, magis erit falsa, quia magis recedens ab enunciatione, qua asserebatur, *decem homines esse in cubiculo*. Id tamen provenit, quia verificativum, istius divisibile in seipso est, & quilibet ex decem, suo modo concurrit ratione sui, licèt simul cum aliis; at in propositionibus fidei non ita, cùm omnino per accidens sese habeat numerus decem hominum, si Deus revelaret decem homines esse in cubiculo, ex quo idem indivisibile objectum formale reddit veram dictam propositionem, si esset revelata: *decem homines sunt in cubiculo*, ac istam aliam, si esset itidem revelata; *unus homo est in cubiculo*.

29. Ex quo ulteriùs inferimus, quòd in materia fidei, & revelata, & si locum habeant oppositiones logicales, de quibus egimus *artic.* 6. ratione materiæ per ipsas importatæ, non tamen si consideretur earumdem objectum formale, seu prima *Dei Veritas revelans*, quæ, cùm eadem sit, respectu omnium, & singularum propositionum revelatarum, æquè ipsi opponetur propositio contraria, etiam, si erit universalis, ac si, erit particularis, aut singularis. Unde revelata hac propositione: *omnes homines sunt elevati ad finem supernaturalem*; æquè hæresis erit asserere, *nullus homo est elevatus ad finem supernaturalem*, ac dicere; *aliquis homo non est elevatus ad finem supernaturalem*; imò & in singulari: *Judas non est elevatus ad finem supernaturalem*.

30. Posset nihilominùs dici, & quidem conformiter ad tradita *nu.*14. *& seq.* quòd, cùm objectum materiale propositionis revelatæ est universale, tunc illa propositio sit æquivalens virtualiter pluribus propositionibus, cùm, idem videatur æquivalenter esse: *omnes homines sunt elevati ad finem supernaturalem*; ac quòd *hic homo est elevatus ad finem supernaturalem, hic alter est elevatus ad finem supernaturalem*, & sic de cæteris, enumerando singulos contentos sub universali dictione *omnis*; unde qui negat illam universalem, per aliam itidem universalem, *nullus homo est elevatus ad finē supernaturalē*; illi magis opponitur, non *intensivè*, ut reddatur major hæresis, sed *extensivè*, ut sint æquivalenter plures hæreses; quatenus videlicet negat singulas illas propositiones, quibus æquivalet universalis, nempè, *hic homo est elevatus ad finem supernaturalem, hic alter est elevatus &c.*

31. In hoc autem sensu non detrectamus admittere, quod ait Arguens de eo, qui *negat attributa Dei intrinseca*, quòd nempè neget etiam possibilitatem, & per hoc neget duo objecta revelata, (ut supponimus) nempè existentiam, & possibilitatem, qui autem negat opus extrinsecum, negat solam existentiam, & proinde unicum objectum revelatum. Nos autem non loquimur de multiplicitate actuum ejusdem generis, imò & speciei, sed de diversitate specifica, per quam una hæresis *formaliter*, & *intensivè*, sumpta, sit major, ac *specificè* diversa ab alia.

32. Quintum fundamentum eruitur quoque ex eodem: Dupliciter quis potest committere hæresim, vel nempè negando primam Veritatem revelantem esse infallibilem, vel negando solùm, primam Veritatem hoc vel illud objectum revelasse. Patet autem, quòd qui posteriori modo errat, minùs errat, quam qui priori modo errat, & hoc, non ratione objecti materialis; igitur ratione objecti formalis. Antecedens est clarum, & vim habet præcipuè in schola Scotistarum, qui sustinent, quòd hæretici possunt habere fidem divnam, non tamen supernaturalem, quòd adhuc possint credere aliqua objecta, quia Deus revelavit, ut expresè habet Subtilium Princeps relatus *art.*1. *num.*7. hoc autem ideò contingit, quia hæretici negantes aliquos articulos, non negant Deum esse primam Veritatem infallibilem; si enim hoc negarent, evidentissimum esset, quòd negando unum articulum, negarent omnes, sed negant dumtaxat, Deum revelasse hoc, vel illud objectum, ac proinde remanet in ipsis capacitas assentiendi aliis, quia illa Deus revelavit.

33. Respondeo solutionem hujus argumenti deducendam ex dictis *art.*5. *hujus cap.* ubi vidimus propositionem hæreticam, & hæresim considerari posse *objectivè*, ac relatè solùm ad objectum formale, seu primam Veritatem revelantem, & relatè ad *Subjectum*, à quo profertur; cùm autem hic inquirimus, an propositio hæretica, seu hæresis, sit major altera? non loquimur de propositione hæretica, seù hæresi *subjectivè* sumpta; sic namque, dubium non est, quòd possit esse major, vel minor etiam intensivè, juxtà majorem, vel minorem pertinaciam proferentis illam, aut ob aliud simile motivum, quod ex proferentis qualitatibus eruatur, quamvis revera neque sic accepta, apta sit causare in rigore diversitatem specificam, sed de propositione *objectivè* considerata, respectu cujus, vis argumenti penitùs corruit. Si.

34. Siquidem, sive hæreticus deneget *Trinitatem* e. g. quia culpabiliter teneat, Deum *Trinitatem* non revelasse; sive, quia censeat, Deum revelantem, non esse infallibilem, semper propositio, *Trinitas non existit*; eodem modo opponitur primæ Veritati revelanti, quia semper, & eodem modo est contradictoria alterius revelatæ, *Trinitas existit*; unde tota differentia se tenet ex parte Subjecti, quatenus in eo, qui negat illam, culpabiliter judicans non fuisse revelatam, non supponitur adeò clarus, & expressus contemptus primæ Veritatis revelantis, qui habetur in altero denegante, Deo inesse infallibilitatis prædicatum.

35. Ex quo, applicari etiam potest solutio tradita præcedenti argumento; qui etenim denegat *Trinitatem existere*, quòd censeat culpabiliter, *Deum illam non revelasse*, unicam infert Deo injuriam, per dissensum præstitum uni mysterio revelato; qui verò illam negat, quòd teneat, *Deum infallibilem non esse*, multiplicat injurias, quia pluribus mysteriis dissentit, *Trinitatis*, videlicet, & *infallibilitatis Divinæ*. Imo sic, cuncta mysteria evincitur discredere ob rationem indicatam in ipsomet argumento; semel namque posito, quòd *Deus non credatur infallibilis*, cessat non minus, motivum nos obligans ad credendum hoc mysterium particulare, quàm quodlibet aliud revelatum, aut revelabile.

36. Hoc verò non verificatur in eo, qui *Trinitatem* negat, quòd censeat pervicaciter, *Deum non revelasse*, ex quo, cum adhuc credat *Deum infallibilem esse* in suis revelationibus, si existimet *Deum revelasse* e. g. *mundum conditum in principio*, potest huic objecto assentiri per fidem, non tamen, quæ sit supernaturalis, & promanans ab habitu infuso, sed quæ sit naturalis, & ex habitu fidei divinæ naturali acquisito, juxta Subtilis principia, quæ in eodem argumento indicantur, quæque tanquàm probabiliora complexi sumus *art.7. num.5*.

37. Ultimũ fundamentũ confici posset ex comparatione propositionis hæreticæ, & blasphemiæ hæreticalis, quæ specie ad invicem distinguntur; unde licèt omnis blasphemia hæreticalis sit hæresis; non ideò tamen omnis hæresis est blasphemia hæreticalis: sic ista propositio: *nullũ Sacramentum Ecclesiæ imprimit caracterem*, est hæretica, quòd directè opponatur definitioni Tridẽtini *sess. 7. de sacram. in gen. can.9.* anathema pronunciantis, in eum, *qui dixerit in tribus sacramẽtis Baptismo, scilicet confirmatione, & ordine, non imprimi caracterẽ in anima*; non tamen est blasphema, sicuti hæc alia, *Deus non est misericors; dum punit æternis cruciatibus momentaneam delectationem*, quæ est hæreticaliter blasphema.

38. Sunt qui, ab hoc argumento se liberent, contendendo differentiam inter propositionem hæreticam, & hæreticaliter blasphemam, esse solummodò materialem. Quia verò nos *cap.6. art.6.* sustinebimus, admittendam re vera specificam distinctionem, aliter objecto occurrimus, dicendo differentiam prædictam non esse in linea veri, vel falsi, quasi quòd propositio hæreticaliter blasphema, dici possit magis falsa, ac fidei opposita, propositione solùm hæretica, aut è contra; sed esse, quia blasphemaliter hæretica, ultra oppositionem, quam involuit cum fide, imbibit quoque rationem convicii, ut distinctiùs dicto *cap.6. artic.6.* examinabimus.

ARTICULUS IX.

An pro dignoscendis ultimatè, & indefectibiliter propositionibus fidei, & hæreticis, sufficiat Spiritus privatus, Lumen naturale, vel particulare credendorum Examen?

1. QUoniam determinaturi sumus quisnam sit Judex, qui possit ultimatè, & indefectibiliter definire, quænam sint propositiones hæreticæ, quænam de fide? primò contra hæreticos pugnam aggredimur, qui, cum sint Romani Pontificis infensissimi hostes, nil intentatum relinquunt, ut ipsum explodant à ratione infallibilis regulæ fidei, & præsertim ultimatæ, de qua loquimur, confugientes propterea ad varia alia regularum genera, quarũ aliæ, licèt revera admitti debeant, uti sunt, S. Scriptura, divinaque Traditio, (quæ tamen utinam ab omnibus hæterodoxis admitteretur) non tamen solis ipsis inniti possumus, ex dicendis *seq. art.* aliæ verò prorsùs insufficientes, & futiles, de quibus nunc agimus, *Spiritus* scilicet *internus*, *Lumen naturale*, & *Examen* eorum, quæ proponuntur credenda, ab unoquoque pro libito institutendum.

2. Dicendum est neque *Spiritum privatum* cujuscũque particularem, neque *Lumen naturale* intellectus, neque *Examen* corum, quæ proponuntur credenda, posse esse regulam

lam infallibilem, per quam valeamus dignoscere unam propositionem esse de fide, aliam esse hæreticam, easque ad invicem distinguere. Hoc assertum est commune cunctis catholicis, ac firmiter, ab omnibus tenendum, & quoad singulas ejus partes breviter in præsenti stabiliendum, ac firmandum.

3. Et primò *Spiritum privatum*, non posse esse hujusmodi regulam fidei, eique minimè fidendum, monent Ezechiel (13.3.) *Væ! Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident, quasi vulpes in desertis Propheta tui*; & Joan. Apost. (*ep.*1.*c.*4.) 1.) *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum*; de quibus *lib.*3. *Reg. cap.*22. 23. legitur: *Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic sunt*. Indè autem ineluctabile argumentum eruitur, quòd regula fidei, præsertim si sit *ultimata*, omnibus debeat esse communis, ac patens, non verò à cujuslibet veluti dependens arbitrio, ut olim efficacissimè *contra Faustum lib.*11. *cap.*7. invehebatur D. Augustinus, *sed dicas, inde probo, hoc illius esse, illud non esse*, canonicum videlicet, ac authenticum, *quia hoc pro me sonat, illud contra me. Tu es ergo regula veritatis? quidquid contra te fuerit, non est verum. Quod si alius simili insania existat, & dicat: immò illud, quod pro te sonat falsum est; hoc autem, quod contra te, verum est . . . . quid ages? quò te convertes?*

4. Ac ita de facto se gerere quoscumque sectarios indubitabile est, facileque cuilibet apparebit, qui eorumdem errores ad invicem pugnantes considerare voluerit; statim enim animadvertet cum Portero *in securi Evang. p.*2. *dist.*4. *art.*4. Protestantes asserere Regem Angliæ esse caput Ecclesiæ, Pruritanos negare admitti posse ullum Ecclesiæ caput. Lutheranos cùm suo Luthero fateri realem præsentiam, quam mordicùs rejiciunt Calvinistæ cum suo Calvino; sicque discurrendo per alia mysteria, affines prædictis contrarietates reperiet, quarum singulas respectivè, singulorum *Spiritus* dictat. Idcirco impossibile, & chimericum est in eo regulam fidei constituere, qui unitatem non inducit, sed dissipat, non pacem gignit, sed dissidia, rixas, & contentiones, Christum non sequitur, sed solvit, ut de eo 1. *Joan.* 4.3. verissimè pronuncietur: *omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.*

5. Accedit hujusmodi *Spiritum privatum*, non esse nisi inspirationem aliquam particularem, de qua inquirendum remanet, an sit secundum affectionem commodi naturæ corruptæ in isto statu? an secundùm affectionem justitiæ? vel enim inspirationes hujusmodi supponuntur actus indeliberati voluntatis, & ignorare facillimum erit an sint pravæ, an piæ affectiones? intentivè an sint à Deo, an à natura ad malum inclinata? vel actus deliberati voluntatis, sicque ultimata fidei regula, ultimus, ac independens controversiarum in materia religionis Judex, erit quodlibet placitum cujuscumque hominis, & proinde nulla ampliùs fidei unitas, nulla credendorum concordia, nulla articulorum conformitas, nulla dogmatum cohærentia, & eatenus vanè, & futiliter clamat *ad Eph.*5. 5. gentium Doctor. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

6. Neque quicquam incontrarium evinci potest ex Scripturæ testimoniis, quibus acatholici abuti solent, scilicet (*Isaiæ* 59. 21.) *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posuit in ore tuo, non recedent* &c. (1. *Jo.*5.10.) *Qui credit in filium Dei, testimonium habet in se ipso.* (*Joann.*3.8.) *Spiritus ubi vult spirat.* (*Matth.*16.17.) *caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* Siquidem tò *Spiritus* in textu Isaiæ, vel indicat spiritum propheticum ei concessum, qui nusquam deficere debebat, nec Dei verba recedere de ore ipsius, & seminis sui, idest posterorum suorum, scilicet Prophetarum, & Apostolorum usque in sæculi consumationem, ut placet D. Hieronymo; vel dicta verba sunt æterni Patris ad Filium Christum Dominum, super quem fixè, & jugiter requievit Spiritus Domini, ut sentiunt Procopius, & Cyrillus; vel, & probabiliùs, verba sunt Dei ad Ecclesiam designanta Spiritum Sanctum, qui per fidem, & charitatem in ea diffusus est. *Spiritus ergo hic primò*, ait in dictum textum Cornelius à Lapide, *est fidei, & veritatis, qui assistit Sion idest Ecclesiæ, ejusque capiti Romano Pontifici ne in fidei definitionibus erret - . . . . Secundò Spiritus hic est charitatis, & sanctitatis.*

7. Testimonium, quod in eo, qui credit in Christum adesse, dicit D. Joannes, non est, nisi ipsa Dei Veritas revelans, ideò namque credit, quia tenet Deum revelasse: Aut dicas testimonium esse ipsam fidem, qua credimus testimonio Dei, & sensus erit: qui credit, habet singulare Dei donum, puta fidem, quæ includit testimonium

nium Dei, quod eum confirmat, stabilit, & roborat ad Christi confessionem retinendam, ac propagandam. Divo autem Petro utique non caro, & sanguis, sed Pater revelavit; non ergo *Spiritus privatus*, qui in singulis residet, sed ille, ob quem, *beatus* vocari meruit Apostolorum Princeps, *Beatus es* (ait Hieronymus apud D. Thom. *in cat. aur. super cap.16. Matth.*) *Simon Bar-Jona. Quare? quia non revelavit Tibi caro, & sanguis sed revelavit Pater; quod caro, & sanguis revelare non potuit, Spiritus Sancti gratia revelatum est: ergo ex confessione fortitur vocabulum, quod revelationem ex Spiritu Sancto habebat, cujus & filius appellandus sit: si quidem Bar Jona in lingua nostra, sonat filius Columba.*

8. Evidentiùs inde redditur quàm inaniter *ad Lumen naturale* sectarii confugiant. Siquidem mysteria nostræ fidei, aut sunt in materia necessaria, quæ dicimus esse ad intra, quæque spectant tùm ad Unitatem divinæ Naturæ, ejusque prædicata intrinseca, independentiæ, immensitatis, omnipotentiæ, omniscientiæ, ac similium; tùm ad Trinitatem Personarum, earumque processiones; aut sunt in materia contingenti; adeoque liberè à Deo ad extra determinata, ut mysterium Incarnationis, judicium universale, resurrectio mortuorum, processus justificationis, institutio Sacramentorum, privilegia purissimæ Virginis Matris Dei &c. Cum ergo illa primi generis sint supernaturalia, quoad substantiam, ut nullo modo acies nostræ mentis ea valeat attingere, & multò minùs diffinire quicquam circa illorum existentiam: Alia verò, quæ sunt secundi generis, cum sint à Deo decreta pro divinæ suæ voluntatis beneplacito, quin ullus fuerit ipsius consiliarius, non nisi ex eodem dependere unicè debet eorumdem cognitio.

9. Quod, argumento à fortiori, probat Sapiens (*cap.9.16.*) *Difficile*, inquiens, *existimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cùm labore. Quæ in Cælis sunt, quis investigabit?* nullus profectò, nisi Deus ipse dignetur manifestare, quod intellectus nostri tenuitatem superat; ideòque (*Daniel. 2. 28.*) *& est Deus in Cælo revelans mysteria* (*psal.50.8.*) *incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* (*Eccles.3.25.*) *plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi.* (*Matth. 11.25.*) *abscondisti ea sapientibus, & revelasti ea parvulis* (*1. Corinth. 27.*) *loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo Principum hujus sæculi cognovit*; Quibus innixus D. Dionysius *cap.1. de divin.nom.* dixit: *Deum esse supra substantiam, & cognitionem*; cui consonant Patres omnes, quorum aliquos videre est apud Gravinam *lib.1. Cath. præscrip. adversùs hæref. præscrip.1. controv. unica.* unà cùm solutionibus objectorum, quæ hic inserere, quod nullius videantur ponderis, brevitati consulendo, visum est abstinere.

10. Corruit pariter particulare cujuslibet *Examen*, quod ex naturali lumine ortum ducens, non potest quidpiam lumine naturali perfectius parere. Mirumque prope modum est, quòd hæretici, qui erroribus obnoxios adstruunt Romanos Pontifices, & Concilia generalia, in quibus pro articulorum decidendorum examine conveniunt ferè omnes totius orbis Episcopi, adeo deinde fidant privato hominis cujuspiã examini, ut illud asserere non dubitent, admitti debere tanquàm ultimatam, & indefectibilem fidei regulam: sed fortè non verebuntur respondere, utique examen habitum à catholicis sive seorsim, sive in unum congregatis, fallibile esse, fideque indignum, non verò examen, qvod fieret à sectariis, immo, & à sectariorum singulis.

11. Non omisso, quòd nomine *Examinis particularis* controversiarum, & articulorum fidei, de suo formali nulla exprimatur resolutio, sed pura consultatio, ac motivorum expensio hinc inde pro utraque parte controversiæ. Id autem, quod admitti debet ultima regula credendorum, & agendorum, determinatum esse debet, non anceps, & per consequens quid potiùs ex *Examine*, & cõsultatione resultans, quàm ipsum *Examen*, & consultatio. Ad quod si sectarii recurrant, nihil novi per tertiam hanc regulam statuere convincuntur, sed vel ad *Spiritum privatum*, vel ad *Lumen naturale* obstricti erunt redire; quorum vi *Examine* cujuslibet fidei controversiæ peracto, illud credendum seligant, quod fatuo, ac vertiginoso eorumdem arbitrio magis arriserit.

12. Egregiè quoque in *Examen* prædictum insurgit doctissimus Porterus *in sua securi Evang. p.2. dist.4. quæst.1. art.2.* tùm ex immenso onere, quod inde exurgeret in singulis hominibus, tùm ex indaginis ipsius incertitudine. Quod namque excogitari potest majus onus eo, quo quilibet in particulari obstrictus censeri debeat examinare, an Sacræ Litteræ sint à Spiritu Santo dictatæ?

ctatæ? an quo ad omnes partes à Tridentino approbatas? an intelligi literaliter debeant, vel figurate? an præferenda versio hæretica, caldaica, latina, &c? quid sit explicitè credendum? aliaque ejusmodi innumera, ad quorum distinctam investigationem, dato etiam, quòd hæc ab uno quoque fieri posset, nec tota vita sufficeret, quam totam proinde posset quis peragere, præfato *Examine* non dum confecto, ut contingere sepissimè potest, saltem iis, qui pueri decedunt, ac de quorum salute, sicut, & de salute rudium, mulierum, mutorum, cæcorum, qui, vel per imperitiam, vel ob alia obstacula dicti *Examinis* laborem nequeunt sustinere, prorsùs esset desperandum, *cùm sine fide impossibile sit placere Deo* (*ad hæbræos* 11.6.)

13. Præfatam difficultatem eruendi è Scriptura quid credere debeamus, etiam si de solis principalioribus mysteriis sermo esset, tetigit Angelicus 2.2. *q.*1.*art.*9.*ad* 1.ex ea inferens Apostolici Symboli necessitatem: *veritas fidei in Sacra Scriptura diffusè continetur, & variis modis, & in quibusdam obscurè, ita quòd ad eliciendum fidei veritatem ex Sacra Scriptura requiritur longum studium, & exercitium, ad quod non possunt pervenire omnes illi, quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem, quorum plerique aliis negotiis occupati, studio vacare non possunt, & ideò fuit necessarium, ut ex sententiis Sacræ Scripturæ aliquid manifestum summariè colligeretur, quod proponeretur omnibus ad credendum, quod non est additum Sacræ Scripturæ, sed potiùs ex Sacra Scriptura, sumptum.*

14. At inquiunt, examen prædictum faciendum non esse nisi Spiritu Sancto invocato, & consulto. Sanè Spiritum Sanctum Sacræ Scripturæ *tabellionem* vocavit Seraphicus Doctor apud Card. de Laurea *disp.*3. *de fide art.*5. §.4. *n.*222. inquiens *Scriptura est magis authentica, & plùs observanda, quando per manum publici tabellionis est confecta, iste tabellio est Spiritus Sanctus.* Eo idcircò ducente, nullo errori esse possumus obnoxii; sed undè constabit, quòd quis Spiritum Sanctum eo, quo decet obsequio, reverentia, humilitate invocaverit? undè, quòd Spiritus Sanctus ad invocationem cujuslibet illicò magister aderit, & instructor? ubi nam Spiritus Sancti promissio singulis hominibus facta? non singulis certè Christus, sed solis Apostolis *Jo.*15.26.dixit: *Paraclitus docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*, & propterea gentium Doctor (1.*ad Cor.*12.) *numquid, omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ, numquid omnes Doctores?* & (*ad Eph.*4. 11.) *ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, Doctores*, rationem subnectens (*vers.*14.) *ut non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.*

15. Ad laboris arduitatem, & incertitudo consequitur: per quam fit necesse, ut in atheismum prorumpat, qui *Examini* hujusmodi innititur. Placet autem relati Porteri verbis uti, ne ab ipsius ratiocinationis subtilitate, & efficacia, quidpiam demam illis alia substituens: *Nulla est alia credendi regula, secundùm sectarios, præter particulare cujuscumque scrutinium, quo consulto Spiritu Sancto, quilibet, & qualibet scrutatur Scripturas: ergo nulla est publica authoritas, aut jurisdictio inter christianos docendi, proponendi Verbum Dei, controversias judicandi; ergo ejusmodi jurisdictio, ac potestas in rebus fidei examinandis, ac decidendis, spectat ad singulos, & singulas, ad lanificos, sutores, mulierculas, cauponarias, lotrices: ergo proscribendi sunt omnes ministelli, prædicantes, superintendentes, pseudo Episcopi; delendus ex articulis reformationis Anglicanæ Primatus Ecclesiasticus Regis: ergo nec uxor marito, nec ancilla hæro, non filii parentibus, non plebs suo Ministro in rebus fidei, vel religionis obedire debet: ergo quicumque apud sectarios prædicandi onus exercet, debet malè mulctari, & extra eorum Synagogas fieri, cùm singuli, & singulæ per particulare examen sint sibi Minister, Doctor, Ecclesia, Synagoga: ergo similiter, & rectè proscribent à se totam excucullatorum, monachorum, & apostatarum colluviem, ex quibus suos ministellos assumunt: ergo tota prætensa reformatio erit, & est instar confusionis Babylonicæ, in qua nullus ordo, nulla subordinatio, nullum regimen, nulla authoritas, sed in qua regnent sectarum divisiones, sententiarum diversitates, ac sempiternus tandem horror inhabitet, & ita esse apud modernos sectarios luce meridiana clariùs constat.*

16. *Sed sistamus parùm, & videbimus præcipitem istius regulæ vertiginem; quòd enim Scriptura sit Verbum Dei, quòd hic sit verus ejusdem Verbi sensus, quòd hæc doctrina cum isto Verbo concordet; quòd hæc, & ista mysteria sint de necessitate salutis credenda, nulli mortalium creditur secundùm sectarios, sed soli cujusque particulari examini, quo singuli, & singulæ consulto Spiritu Sancto scrutantur Scripturas, & examinant, an talis doctrina concordet cum sacro textu? sed cùm secundùm eosdem sectarios præfatum examen sit fallibile, & errori obnoxium, incertum erit ex eorumdem principiis, an prædicta*

illa omnia benè discernat: ergo incertum est juxtà hanc regulam, quæ secundùm sectarios est fallibilis, an Scriptura sit à Deo dictata? quis sit verus illius sensus præsertim in articulis necessariò credendis? quæ mysteria spectent ad fidem divinam? ergo juxtà eamdem, dubium est, an detur mysterium Trinitatis, Incarnationis? an sit futura resurrectio mortuorum? an extremum judicium? an detur paradisus, gloria æterna, vel infernus? quia horum omnium certa, vel incerta cognitio, secundùm sectarios pendet à particulari cujusque scrutinio, quod falli, & errare potest: ergo ista regula præcludit omnem viam assequendæ doctrinæ revelatæ, vel acquirendæ salutis æternæ, quia ubi non est certa cognitio, ubi non potest esse certa fides, salus est impossibilis; ergo tandem ex ista regula nullam firmam certitudinem habent sectarii, vel de Verbo Dei, vel de sacra doctrina, vel de ullo mysterio fidei; ergo tandem ista regula præcipitat eosdem sectarios in atheismum.

17. Hucusque Porterus, quem longè ante præivit D. Augustinus 12. *conf. cap.*25. id ipsum breviùs comprobans: *Veritas tua Domine, nec mea est, nec illius, sed omnium, quos ad ejus communionem publicè vocas; terribiliter admonens nos, ut nolimus eam privatam habere, ne privemur ea. Nam quisquis id, quod Tu fruendum omnibus proponis, sibi propriè vendicat, & suum esse vult, quod est omnium, à communi repellitur ad sua, idest à veritate ad mendacium.* Et Nazianzenus (*orat.*33. *quæ est* 1. *de orat.*) *Non cujusvis est, ô viri christiani, de Deo disputare, non, inquam, cujusvis. non adeò hæc res est vilis, & eorum, qui etiamnum humi serpentes terrenis studiis occupantur. non omnium quidem est . . . . . Hæretici porrò eò rem deduxerunt suis quæstionibus, quas ubique seminant, ut magnum fidei nostræ mysterium exigua quædam articula esse videatur.*

ARTICULUS X.

An pro dignoscendis ultimatè propositionibus fidei, & hæreticis, sit Sacra Scriptura sufficiens, sive se sola, sive cum divinis conjuncta Traditionibus?

1. DEmonstrata futilitate spiritus privati, ac mendacis, naturalisque luminis, ac particularis credendorum examinis, *sacræ Scripturæ* regula sese offert examinanda, quam sectarii venerari contendunt, cùm revera incredibili spernant audacia, horrenda contemnant temeritate. Discutiendam autem accingimur *sacram Scripturam*, sive seorsim, sive cum Traditionibus divinis conjunctam, non quòd *divinæ Traditiones* in pretio haberi apud hæterodoxos censeamus, sed quòd ex divinis *Traditionibus* insufficientiam *Scripturæ* deducentes, paritate rationis, eas quoque alio adjutorio egentes agnoscamus, ut inde viam ad ultimam fidei regulam, quæ Judex supremus omnium controversiarum in materia religionis esse queat, aperire possimus.

2. Dicendum solam *sacram Scripturam* sive se sola, sive unà cum *divinis Traditionibus* consideretur, insufficientem esse pro dignoscendis universaliter, adequatè, & ultimatè propositionibus fidei, & hæreticis. Assertum ab omnibus defenditur Catholicis; & quò ad solam *Scripturam*, efficax est indicata probatio *cap.*1. *art.*3. *num.* 11. ex ipsius obscuritate deducta, de qua loquens *ep.*2.3.10. Apostolorum Princeps, *quædam esse difficilia intellectu*, ait, *quæ homines indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem*; Regula autem fidei ultimata, & infallibilis, talis propemodùm est constituenda, quæ nulli nævo, vitio, aut corruptioni subjaceat; debet uniformiter applicari, ut per ipsam omnia regulentur ad propriæ exigentiæ mensuram; non verò secundùm ipsa utentis arbitrium, ut quoque *præcedenti articulo num.*17. ex Augustino innuimus; non igitur esse potest regula ultimata, & infallibilis fidei *sacra Scriptura, quam aliter interpretatur Arius, aliter Apollinaris*, ut ait Lirinensis *lib. con. proph. voc. novit.* & nos addere possemus, *aliter Lutherus, aliter Calvinus*, quæque *vitio malæ intelligentiæ temerata, non secundùm qualitatem sui sensus perpenditur, sed in alias res, pro arbitrio legentis, secùs, quàm veri ratio postulat, derivatur*. Verba sunt Nazianzeni, *ep. ad Nicobolum*.

3. Sacra Scriptura insuper non omnia continet, quæ sunt fide tenenda; unde Apostolus Paulus *ad Tessalon.*2.14. tenendas præcipit *Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam*. Non omnibus esse potest communis, sed ad summum paucis sapientioribus, & doctioribus, qui etiam pro ejusdem intelligentia à Deo exposcere intellectum debent cum Davide (*psal.*118. 34.) *da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*, quicquid mentiantur sectarii, alio ejusdem psalmi seducti versiculo: *lucerna pedibus meis verbum tuum*; indeque Scripturam ipsam omni authoritate exuentes, ut olim *lib.*32. *contra Faustum* argumentabatur Augustinus: *Videtis vos agere, ut omnis Scri-*

pturarum auferatur authoritas, & suus cuique animus author sit, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet; & idcircò B. Jacobus Apostolus *cap.3.* monebat: *Nolite plures magistri fieri*, eos reprehendens, qui, ut ait Hieronymus scribens ad Paulinum, *docent, antequam discant volentes esse legis Doctores, non intelligentes* (*1. ad Tim.1.*) *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Quinimmò nec sapientiores ipsos sufficiẽtes se solis esse posse ad veram, germanamque totius Scripturæ intelligentiam, testatus est D. Petrus *ep.2. cap.1.20.* dicens, *quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit*, rationemque subjungit: *non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Dei homines*.

4. Non igitur teneri potest pro ultimata fidei regula, in qua tot sunt difficultates, ut ipsam proprio ingenio interpretari satagentes, potiùs veritatem jugulent, quàm reperiant, ut ex fidei hostibus agnovit Calvinus ipse, relatus à Dominico Gravina *lib.3. cath. præscript. adversus hæres. præscript.2. controv.2. art.1.* in hanc formam Anabaptistas, qui Scripturis malè intellectis abutentes psychopanichiam docebant, redarguens: *Christiani videri volunt, & dicuntur, quia aliquot capita locorum communium delibarunt, & cum nescire aliquid pudeat, de omnibus confidentissimè, quasi ex tripode respondent. Hinc rursum tot schismata, tot errores, tot fidei nostræ scandala, qua occasione nomen, ac verbum Dei blasphematur inter impios. Tandem* (*quod est caput mali*) *dum obstinatè tueri pergunt, quod semel temerè effutiverunt, oracula Dei consulunt, ex quibus errorum suorum patrocinia quærant. Ibi, Deus bone! quid non invertunt? quid non depravant, atque corrumpunt? ut ad sensum suum, non dico, inflectant, sed vi invertant? scilicet* (*verè dixit Poeta*) furor arma ministrat. *Haccinè est discendi via? versare, ac volutare Scripturas, ut libidini nostræ serviant? ut sensui nostro subjiciantur? quo nihil est stolidius. Sonticam pestem, & verissima zizania inimici hominis, quibus vult obcæcare verum semen, & adhuc mirantur, unde tot sectæ inter eos, qui primùm nomen Evangelio dederunt, ac renascenti Verbo*.

5. Nec dissentit Lutherus ab eodem Gravina pariter relatus, sic alloquens: *cum singulæ sectæ pro se, suæque sententiæ confirmatione Scripturam torquentes, eò res reducebatur, ut Scripturæ authoritas vilesceret, & tandem ignominioso, & blasphemo nomine, liber hæreticorum diceretur, quasi inde omnes hæreses ortæ essent, quia singuli hæretici Scripturæ testimonia allegarent*.

6. Denique de ipsamet Scripturæ existentia, non dissimile confici potest argumentum, quòd non sciatur ex ejus verbis à Deo esse quoad omnes partes revelatam; ubi enim in sacris litteris id legitur? & si legitur, unde innotescit Deo dictante id scriptum? Catholici item libros omnes, quos Tridentinum probavit veros, divinos, genuinos, venerantur. Acatholici non ita, quæ suis somniis, & mendaciis adversantur pervicaciter respuentes; an igitur, & hujusmodi dissensionis conciliatio ex sola Scriptura erui poterit? non certè. *Qui scitis viri boni*, interrogat proinde hereticos *contr. 3. de Eccl.* Albertus Pighius, *hæc, quæ citatis, esse Pauli? illa Petri? Matthæi, Lucæ, & aliorum? numquid vidistis autographa istorum scripta manu, & cum eis contulistis, ut concordare sciatis hos, ex quibus ista nobis profertis, codices? & ut vidissetis autographa, quis tamen, singulorum caracterem proprium internoscere vos docuit? Qui, ut familiari cum eisdem viventibus vobis consuetudine esset cognitus, quis tamen vos certos reddidit, quòd scribentes nusquam erraverint, nusquam dormitaverint, ut homines? quòd ipsi tantùm se præbuerint organa dictantis ea Spiritus?*

7. Alia itaque est quærenda fidei regula, quam licèt idem Pighius ad Traditionem referat, Origenis authoritate fultus, dicentis: *ex Traditione didici de quatuor Evangeliis, quòd hæc sola, absque ulla contradictione suscipi debeant in omnibus, quæ sub cælo sunt Ecclesiis Dei*; non id tamen accipiendum, ita ut *Traditio* ipsa, ultimata, & adequata haberi debeat, cum ob rationis paritatem æquè de ea insurgere valeant pleręquę controversiæ, ad quas dirimendas alio egemus Judice, regulaque ultimata, quæ divinas ab humanis segreget, illasque credendas, has rejiciendas præscribat. Unde tempore Sanctorum Stephani Papæ, & Mart. ac Cypriani Ep. & Mart. acris orta fuit dissensio super rebaptizatione hæreticorum, contendente Cypriano, quòd Traditio allata à Christi Vicario Stephano, non divina esset, sed humana, *quæ est ista obstinatio?* scripsit proinde ad ipsum, *quæve præsumptio, humanam traditionem divinæ dispositioni anteponere? nec animadvertere, irasci Deum, quoties Divina præcepta solvit, & præterit humana traditio?* Stephanus verò è contra hæreticos non rebaptizandos, ex divina Traditione ortum ducere asseverabat. Tunc igitur Judex fuit necessarius, & quidem distinctus ab ipsa Traditione, quæ dubia censebatur, & à sacra Scriptura, in qua nihil expresse de dicto

dogma-

dogmate; nec quidem alius, nisi ipsemet Stephanus, qui toti Ecclesiæ proposuit Traditionem, negantem licitam rebaptizationem prædictam, tamquam *divinam*, & propterea *de fide* tenendam.

8. At videamus quibusnam mediis pro Scriptura certare contendunt hæretici, ejusdem Scripturæ promentes testimonia, quibus vel hortamur ad eam perscrutandam: (*Jo.5.39.*) *scrutamini Scripturas*, vel *utilis* ea asseritur *ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* (*2. ad Timoth.3.16.*) vel veritatis lucerna definitur esse (*ps.118.105.*) *lucerna pedibus meis Verbum tuum*, ac proinde D. Athanasius (*lib. cont. Gentes*) *sufficiunt sanctæ, ac divinitùs inspiratæ Scripturæ ad instructionem veritatis*. Hieron. (*in cap.6.Matth.*) *vox Domini auditur in Civitate ejus Ecclesia, & in Scripturis sanctis quotidiè personat*, & (*in ps.98.*) *omne, quod loquimur debemus affirmare de Scripturis sanctis. Non habet tantam authoritatem sermo dicentis, quantam Domini præceptum*, & (*in cap.23. Matth.*) *quod de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnetur, qua probatur*.

9. Verùm, quis unquam negare ausus est Scripturam esse fidei regulam ab omnibus tenendam, ab omnibus venerandam, veluti, *epistolam omnipotentis Dei ad creaturam suam*, ut loquitur D. Gregorius *lib.4. ep.40*' non hoc profectò inficiati sumus, sed *unicam, adequatam*, ac *ultimatam* illam esse, *solamque* sufficere: fidei utique regulam esse Scripturam ex instituto trademus *cap.3.* sed quam recipi, ut authenticam, Traditione constet, Conciliorum definitione, Apostolicæ Sedis authoritate, cujus germanum sensum Ecclesia nobis aperuit, quamque supremus Christi Vicarius amplectendam præcepit, veram à falsis interpretationibus secernendo. Hinc Lirinensis *lib. cont. proph. novit. cap.2.* objectum præfatum proponens: *hìc forsan requirat aliquis, cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis, superque sufficiens, quid opus est, ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ adjungatur authoritas?* solidissimam profert solutionem *num.2.* indicatam, quòd nempè *Scripturam sacram præ ipsa altitudine, non uno, eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia alitèr alius, atque alius interpretatur; aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Iovinianus, Pelagius, Cœlestius, aliter postremò Nestorius; atque idcircò multùm necesse est propter tantos, tam varii erroris anfractus, ut prophetica, atque apostolicæ interpretationis linea, secundùm ecclesiastici, & catholici sensus normam dirigatur.* Argutè propterea sacram Scripturam *contr.3. de Eccles.* Albertus Pighius cæreo nasui comparavit, *qui sicut horsum, illorsumque facilè se trahi permittit, & quò traxeris, haud invitus sequitur; ita & illæ se flecti, duci atque etiam in diversam sententiam trahi, accommodarique ad quidvis patiuntur, nisi quis veram illam, inflexibilemque earumdem amussim, nempè ecclesiasticæ Traditionis authoritatem, communemque sententiam iisdem adhibeat*.

10. Dogmatum catenùs veritas, est in litteris sacris, non tamen *omnis* expresse, sed vel explicitè, vel implicitè, & virtualiter, aliàs Traditiones expungendæ à fidei regulis essent, quòd, etsi hæretici ultrò admittant, sunt tamen pro nunc redarguendi ipsiusmet D. Athanasii in argumento allati *serm. de Incarnat.* testimonio universaliter pronunciantis: *qui Traditionibus hæret, extra præcipitium est*; Traditionum autem veritates implicitè sunt in Scriptura, quatenùs nos præcipit illas tenere, & adamussim servare: & circa mysteria ipsa principalia nostræ fidei, nec expresse ea contineri in sacris paginis, probat Augustinus *lib.3. contra Maxim. Arian. cap.3.* objecto in divinitatem Spiritus Sancti confecto: *da*, inquis, *testimonia, ubi adoratur Spiritus Sanctus*; occurrens retorquendo argumentum; *tu ubi legisti Patrem Deum ingenitum vel innatum? & tamen verum est*.

11. Quòd si explicitè omnia continerentur, non tamen ea claritate, quæ cunctis obvia esset, & patens, nec semper litteraliter designata, cum pleraque sint, quorum *littera occidit*, ut inquit Apostolus *2. ad Corinth. 3. 6.* Id autem proculdubiò sola Scriptura non exprimit; ex quo fit, ut qui nimis litteræ cortici adhærent, quique Scripturam, solo Scripturæ ductu intelligere student, præcipites in errorum, hæresumque baratrum ruunt, ut observavit Augustinus *epist. 222. ad Consent.* aureis illis verbis: *Omnes hæretici, qui Scripturas in authoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potiùs sectentur errores, ac per hoc, non quòd eas contemnant, sed quòd eas non intelligant, hæretici sunt*; & (*tract.18. in Joan.*) *neque enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur, non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè, & audaciter asseritur*.

12. His adhuc non acquiescit calvinista Gomarus duorum Pontificum fretus authoritate, Divi nempe Leonis, & Divi Clementis, quorum alter *ep.10. ad Flavianum* de Eutychete loquens, asserit, *in rebus ipsis obscuris ad sacras litteras recurrendum*; ex quo sequi videtur non benè ex obscuritate inferri solius Scripturæ insufficientiam; alter (*ep.5.*) *Scripturam* appellat *integram, & firmam veritatis regulam*; Si autem *integra*; igitur *adequata*, ac proinde sola sufficiens, aliaque non indigens,

13. Impiam planè calumniam in Sanctos Pontifices ab impio catholicæ fidei adversario colliget, qui cum Costero *in apolog. pro 2. part. Enchir. sui contra Gomarum* animadvertet, quid reverà habeat Divus Leo adversùs Eutychetem: *quid iniquiùs, quàm impia sapere, & sapientioribus, doctioribusque non credere? sed in hanc insipientiam cadūt, qui, cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad apostolicas litteras, nec ad evangelicas veritates, sed ad semetipsos recurrunt; & ideò magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere. Quam enim eruditionem de sacris novi, & veteris Testamenti paginis acquisivit, qui nec ipsius Symboli initia comprehendit? & quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur istius adhuc senis corde non capitur.*

14. Haud igitur reprehenditur Eutyches, quòd *Scripturas* non legerit, sed quòd doctioribus, & sapientioribus non crederet, quòd nolens intelligere, ut benè ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo; quòd veritatem fidei in sacris litteris legitimè intellectis detrectaverit reperire; quòd privatum propriumque judicium ipsius Ecclesiæ judicio superbè prætulerit, ut quoque ex pessima hæretici illatione evidenter evincitur his verbis conceptam, *quam piam, & gravem sententiam, si, ut debebas, amplecteteris, non tam indignè sacrarum litterarum interpretationem, postposita Scriptura, ex judicio Ecclesiæ potissimùm depromendam judicares*; quæ tamen verba solidè in arguentem laudatus Societatis Jesu Theologus contorquens, *quam piam*, ait, *& gravem sententiam, si, ut debebas, amplecteteris, non tàm indignè judicium tibi de sacrarum litterarum sensu arrogares, & Ecclesiæ catholicæ derogares,*

15. Id ipsum clarissimè docet S. Clemens, cujus postremis, innixus hæreticus, præcedentia, ex quibus eorumdem germanus sensus apparet, indigno obducit silentio, Ea igitur sincerè promamus, quæ catholicum nostrum assertum apertè confirmant, non dirimunt: *Relatum est nobis, quòd quidam in vestris partibus commorantes adversantur sanis doctrinis, & prout eis videtur, non secundùm Traditiones Patrum, sed juxta sensum suum docere videntur*; utinam locutionem istam pervicaces novatores accuratè perpenderent! *multas enim quidam, ut audivimus, vestrarum partium secundùm ingenium hominum ex his, quæ legunt, verisimilitudines capiunt; & ideò diligenter observandum est, ut lex Dei, cum legitur, non secundùm propriam ingenii intelligentiam legatur, vel doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis divinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte præsumpsit, sed fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecùs adulteretis, alienum, & extraneum debetis quærere, aut quoquomodò ipsum ex Scripturarum authoritate confirmare, sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis; & ideò oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam à majoribus secundùm veritatem sibi traditam servavit, ut & ipse possit ea, quæ rectè suscepit, competenter asserere. Cum enim ex divinis Scripturis integram quis, & firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, si aliquid etiam ex Traditione, ac liberalibus studiis, quæ fortè in pueritia attigit, ad assertionem veri dogmatis conferat; ita tamen, ut ubi vera didicit, falsa, & simulata decliinet.*

16. Neque ab expensis hactenùs absurdis, & inconvenientibus liberari se autument hæretici, Scripturæ regulam amplianda per additionem, quam ei facere assolent *apostolici Symboli*, asserentes ex utroque simul sufficientem illam evadere, authoritate D. Leonis, etiam freti ad Pulcheriam Augustam scribentis; *ipsa catholici Symboli brevis, & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tàm instructa sit munitione cælesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo ipsius gladio possint detruncari.*

17. Omisso namque, quòd etiam de *Symbolo* ipso, dubia ab hæreticis pleraque sint mota; an sit revera apostolicum? an recipiendum simpliciter, vel cum exceptione à Servetianis apud Coccium *lib.6.ar.20. tom.1.* requisita, quatenus Verbo Dei consentit? an quò ad omnes, & singulos articulos, quibusdam hos, quibusdam alios negantibus; cunctis verò in illum conspirantibus; *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam*; hoc, inquam, omisso, etsi conditum *Symbolum* ad fidelium levandum laborem diximus *art. praced. num.13.* ob summariam in eo contentam articulorum fidei noti-

notitiam, cunctis fidelibus per se (licèt non eodem, quoad singulos, gradu) necessariam, non inde tamen sequitur cuncta credenda in eo exprimi, sed magis principalia; nec enim in eo quicquam explicitè legimus, (ut aliquod promamus exemplum) de Eucharistiæ mysterio, ac de modo, quo miraculosè sub speciebus sacramentalibus continetur Christus, nisi quatenùs Deus *Omnipotens* credendus proponitur: *quòd miraculosè*, ait S. Thom. (2. 2. *quæst*, 1. *art*. 8. *ad* 6.) *ibi corpus Christi continetur, concluditur, sub omnipotentia, sicut & omnia alia miracula, quæ omnipotentiæ attribuuntur*.

18. Unde sicut, aptè hic *disp*. 3. *de fide sect*. 4. *num*. 56. Cardinalis de Lugo *contextura corporis humani certis artubus, & articulis, connectitur, ne dissolvatur, sic in fide nostra sunt aliqua magis principalia, & capitalia, quæ si dissolverentur, facilè reliqua fidei contextura rueret; & sicut in speculabilibus reperiuntur specialia principia, & universalia, quæ virtute particularia illa continent, tamquam aliorum summa, & in operabilibus similiter, præter principia naturaliter indita, quæ sunt regulæ generales, & mensura omnium agendorum, sunt etiam particularia, nempe speciales regulæ à principiis universalibus derivatæ, quales sunt leges humanæ, ita & in credibilibus reperiuntur principia universaliora, quæ continent virtute reliqua minùs principalia, quæ ad universaliora ordinantur. Talia sunt articuli fidei, qui sunt præcipua christianæ fidei capita, ad quæ Scripturæ, Traditiones, & omnia, quæ ex illis deducuntur, revocantur*; verba sunt Dominici Gravinæ *in cath. præscrip. adversùs hæres. lib*. 2. *præscrip*, 2. *contr*. 2. *art*. 3. ex quibus obitèr colligas *articulos* fidei in præsenti sumi juxta strictiorem significationem, non verò in ea latitudine, qua plerùmque aliis in locis accipimus, pro quibuslibet videlicet fidei veritatibus.

19. Omnia proinde hæreticorum objecta *Symbolo* diluuntur, sed *Symbolo* benè intellecto, & explicato, particularibus veritatibus, ex universalioribus, quæ in eo exprimuntur erutis, & deductis; quam tamen explicationem, & deductionem, non à singulis faciendam esse, nec à spiritu cujuslibet privato, nec per examen ab unoquo, que habendum, est concludentissimè probatum, dum eædem omninò rationes militent de *Symbolo*, quas de *Scriptura* congessimus; quæ quoque inserviunt, ut inferamus necessitatem, quæ fuerit in Ecclesia, *Symbola* multiplicandi.

20. Cum namque hæretici pessimè Apostolorum *Symbolum* interpretantes innumeros contra articulos in eo comprehensos suscitarint errores, æquum fuit ad fideles magis, magisque erudiendos, Symbola alia edere, quibus apertiùs, & explicatiùs fidem confiterentur, & ab errorum scopulis redderentur immunes; *in omnibus Symbolis*, habet Angelicus (2. 2. q. 1. *art*. 9. *ad* 2.) *eadem fidei docetur veritas; sed ibi oportet populum diligentiùs instrui de fidei veritate, ubi errores insurgunt, ne fides simplicium per hæreticos corrumpatur; Et hæc fuit causa, quare necesse fuit edere plura Symbola, quæ in nullo alio differunt, nisi quòd in uno pleniùs explicantur, quæ in alio continentur implicitè, secundùm quòd exigebat hæreticorum instantia*.

21. Ad aliud itaque confugiendum auxilium, aliud exquirendum est magisterium, alia expetenda est *regula*, quæ ipsius *Scripturæ* notificet sensum, *Traditiones* secernat, *Symbolum* explicet, quæstiones dirimat, difficultates solvat, diluat objecta; quod non mirum videri hæreticis debere à minori ad majus arguendo prælaudatus Sanctissimus Doctor Augustinus *lib. de utilit, credendi cap*. 7. inductabiliter probat: *Si enim nulla disciplina, umquam sine præceptore dictante addiscitur, quomodò sine alio duce, qui nos dirigat, perdifficiles Scripturæ sensus, recondita in ea contenta mysteria percipere, ac assequi umquam poterimus? nulla imbutus disciplina Terentium Maurum sine magistro attingere non auderes. Tu in eos libros, qui quoquomodò se habent, Sancti tamen, divinarumque rerum pleni propè totius humani generis confessione diffamantur, sine duce irruis, & de his sine præceptore audes ferre sententiam?* Nec dissentit *epist. ad Paulin. c*. 6. D. Hieronymus: *Nulli Rethores, Philosophi, Geometræ, Musici, Astronomi, Medici, imò Mechanici, Fabri, Lanarii, Fullones, absque Doctore esse possunt. Sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi hæretici præsumunt, lacerant, docent, antequam discant*.

22. Concludamus idcircò cum Catholicis, *sacram Scripturam*, sicut & *divinas Traditiones*, nec non & *fidei Symbolum*, fidei quidem regulas esse, sed *inanimes*, & *mortuas*, ut Theologi loquuntur, quòd se solis ad veritatem in omnibus assequendam sufficientes non sint, sed regulæ alterius vivæ indigentes ministerio, & ope, de qua, videlicet Augustinus (*lib. contr. epist. fundam. cap*. 5.) *Ego verò Evangelio non crederem; nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas* quamque *sequentibus articulis* enucleandam aggredimur. AR-

ARTICULUS XI.

An admitti in mundo debeat Regula aliqua credendi viva, sensibilis, & indefectibilis pro dignoscendis, ac definiendis propositionibus fidei, & hæreticis sufficiens, & an ea esse debeat Ecclesia Catholica?

1. PArùm esset hæterodoxorum deliramenta evertisse, nisi firmissimum fidei nostræ fundamentum stabiliamus, ad quod eos converti Spiritus Sancti ductu peroptare debemus; hic namque, ut ait Irenæus *lib.4. in prol.* esse debet finis, in quem dirigendæ sunt nostræ omnes contra acatholicos disputationes, ut nempe *eos omnes retusos, non longiùs finamus in erroris procedere profundum, neque ignorantiæ præfocari pelago, sed convertentes eos, in veritatis portum faciamus suam percipere salutem.* Hujus itaque fini allaborantes.

2. Dicendum censemus Regulam infallibilem fidei, quæ ejusdem dogmata firmet, quæstionesque dirimat, esse debere vivam, ac sensibilem, Spiritus Sancti assistentia præditam, cui omnes, & singuli sub Christi vexillo degentes, imò, & omnes, qui ad finis supernaturalis, ob quem conditi sumus, consecutionem cupiunt pervenire, tenentur per se caput submittere, ac obedire, credendo, quæ per illam proponuntur credenda, rejiciendo, quæ rejicienda præcipiuntur; illamque aliam esse non posse, quàm Ecclesiam catholicam. Conveniunt in asserto omnes, singulique catholici, quos inter, aliquale dissidium esse potest, quoad determinationem circumstantiarum in particulari Regulæ hujusmodi, de quibus *art. seq.* certaturi interim cùm solis hæreticis.

3. Veritas autèm asserti per evidentem illationem sequitur ex hactenus stabilitis. Si enim *Sacra Scriptura*, se sola, apta non est ad quaslibet dogmaticas controversias dirimendas, & ad genuinum sui sensum aperiendum: si *Traditio divina*, in se ipsa, dubia quandoque esse potest, & anceps, si *fidei Symbolum* non omnes continet veritates credendas, nec est à plerisque quæstionibus immune, neque ad tot superandas difficultates, quicquam virium habeat *spiritus privatus, naturale lumen, & particulare credendorum examen*; quid inde inferri potest, nisi, quòd altera sit exquirenda *Regula*, quæ sit *viva*, & proinde valeat objecta dissolvere, verum sensum revelatorum manifestare, obscuraque genuinè explicare; sit *sensibilis*, & eatenùs omnibus communis, omnibus patens; sit *indefectibilis*, & idcircò nulli obnoxia errori in sacris paginis interpretandis, in traditionibus secernendis, in doctrinis definiendis, in hæresibus proscribendis, in fidei symbolis, ad exurgentes prò temporum varietate sectas infringendas, condendis, cæterisque stabiliendis credendorum puritati apprimè necessariis.

4. Sanè adeo clara, & evidens est hujusmodi veritas, ut ab ipsismet hæreticis, plerùmque inveniamus admissam, estò, non sine manifestissimis contradictionibus, quibus in singulis assertis omnes eorumdem libri sunt pleni. Si quis autem præfatam adversariorum confessionem discere cupiat, aureum adeat Dominici Gravinæ opus *Cathol. præscript. adversùs hæres. cap.6. Meth. analysis*, ex quo unam, vel alteram hic subnectendam satis sit nobis seligere, ut quoque ex illis etiam eruatur, non aliam esse debere *Regulam*, quam inquirimus, nisi *Ecclesiam*.

5. Lutherus in *præceptorio* de ea sic loquitur: *Ecclesia non potest errare, quilibet in devotione sua potest errare. Ecclesia regitur à Spiritu Sancto. Dico mea sententia, nulli esse licitum judicium suum, suam opinionem, suam devotionem sequi, sed authoritatem Ecclesiæ, & captivandum sensum in obsequium Christi, quia scriptum est*: stultus est qui confidit in corde suo. Et (*in resp. ad dial. Prier*) *Nam & ego gratias ago Christo, quòd unam hanc Ecclesiam in terris ita servat ingenti, (& quod solùm possit probare fidem nostram esse veram) miraculo, ut nunquàm à vera fide, ullo suo decreto erraverit, nec tot baratris pessimorum morum, diabolus efficere poterit, ut penès hanc, non maneret ab origine sua canonicorum Bibliæ librorum, & interpretationis authoritas, & authoritatis sincera professio.*

6. Calvinus Michaelem Servetum impugnans *pag.105.* asserit *quòd si Ecclesia à Spiritu Sancto destituta fuisset, mentitus foret qui semper aliquem sibi populum in terra fore promisit, quando sol, & luna fulgebunt; scimus quid passim de æterno Christi Regno testentur Prophetæ. An ejus sedem in cælis locant?* & explicans illud (*Isaiæ 69. 21.*) *hoc fœdus meum cum eis*, sic loquitur: *promittit, inquam, propterea inæstimabili bono Ecclesiam nunquam privatum iri, quin Spiritu Sancto regatur, & fulciatur cælesti doctrina. Parùm enim esset nobis semel offerri Evangelium, nosque spiritu donari, nisi apud nos perpetuò resideret.* Et infra; *promissio hujusmodi*

modi est, *Dominum sic adfuturum Ecclesiæ, sicque ejus curam habiturum, ut eam vera doctrina privari non sinat*.

7. Ita locuntur hæretici, imò, & hæreticorum duces, & benè, si semper in hujusmodi locutionibus persisterent, & idcircò hæretici ampliùs non essent, si de Ecclesia, quam regi à Spiritu Sancto dicunt, rectè sentirent. At cum Ecclesiam *invisibilem* faciant definientes cætum esse, & congregationem Sanctorum, eorumque, qui aguntur Dei ipso sanctificante Spiritu; cumque inter veræ Ecclesiæ notas adnumerent puram doctrinam Evangelii, & Sacramentorum administrationem consentaneam Christi Evangelio, ad eadem revertuntur absurda, quæ *articulis præcedentibus* impugnavimus; Quomodo enim ad Ecclesiam pro Scripturarum interpretatione, pro dogmatum explicatione, pro errorum rejectione confugere valebimus, si ea nobis occulta, abditaque supponitur? quomodò ex puritate doctrinæ Evangelicæ dignoscemus illam, dum unusquisque ipsorum, puritatem hujusmodi apud suos asserat asservari, ac custodiri? *Non dubitamus* nos, ait Albertus Pighius *contr. 3. de Eccles.* pro catholicis egregiè certans, *apud nos puram esse doctrinam Evangelii, quantumvis alioqui vita nostra impura sit, & administrationem Sacramentorum consentaneam Christi Evangelio; eam nempe, & ejusmodi, quale ante annos mille, imò ab initio apud Patres nostros orthodoxos fuisse invenimus: nec ullum in eis jota additum, detractum, aut mutatum invenimus. Illis, contra videtur, apud se esse veram doctrinam Evangelii, & secundùm eam, administrationem Sacramentorum sibi persuadent, errare autem omnes, qui ab ipsis dissident. Et cum inter se non consentiant, sed aliter pleraque Martinus, aliter Philippus, aliter Bucerus, aliter OEcolampadius, aliter Zuinglius, alitèr Pomeranus, aliter Pellicanus, cæterique definiant, cuique tamen eorum suum pulchrum videtur. Quisque sibi persuadet apud se esse veram doctrinam Evangelii*.

8. Ad Ecclesiam itaque confugiendum obsequentissimè confitemur, non tamen invisibilem, cùm *in nullum* ex Augustino (*lib. 17. con. Faustum c. 11.*) *nomen Religionis congregari homines possint, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur*; sed quæ cunctis patens, qui mentis oculos claudere malitiosè noluerint, esse debeat, non quæ Sanctorum dumtaxat sit cætus, sed quæ fidelium omnium sit congregatio; sive boni, sive mali in ea sint, sub una tamen fide, sub uno supremo Capite viventes. Non quòd quilibet ipsorum doctor esse debeat, & instructor, sed quòd in universo grege *Spiritus Sanctus posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (2. *Actor.* 20. 29.) Ad eam, inquam, de qua Christus (*Matth. 18. 17.*) *Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*, quod explicans subdit, *qui vos audit, me audit, qui vos spernit me spernit* cui inhærens Apostolus (*ad Heb. 13. 17.*) *obedite præpositis vestris, ipsi enim vigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*.

9. Invisibilem, abditamque inquirat Ecclesiam, *qui ambulans in tenebris, nescit, quò vadit*; (*Joan. 3. 20.*) quique *malè faciens, odit lucem*. Nos verò illi addicti firmissimè, credimus, in qua *quosdam quidem posuit Deus primùm Apostolos*, (1. *ad Corint.* 12. 18.) *secundò Prophetas, tertiò Doctores*, illi, in qua scire valeamus, *quomodò oporteat in Domo Dei conversare, quæ est Ecclesia Dei vivi* (1. *ad Tim.* 3. 15.) *cujus in sole posuit tabernaculū* (*ps. 16. 6.*) idest ex Augustino *in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto, non quæ lateat velut operta, In sole posuit tabernaculum suum, quid vos hæretici fugitis in tenebras? Quid per angulos fugitis? Quid latitare conamini? Ipse Sponsus posuit in sole, hoc est in manifestatione, tabernaculum suum, hoc est Ecclesiam suam.* Et (*tract. super. epist. D. Joannis*) *Ecclesia ejus in sole reposita est, non est in nocte, sed in die*; & (*lib. 1. de unitate Eccl. cap. 25.*) *Hinc fit, ut Ecclesia vera neminem lateat*, & (*lib. 2. contra Crescon. cap. 36.*) *ipsa est, quæ non in aliqua parte terrarum, sed ubique notissima est*.

10. *Visibili*, huic Ecclesiæ competunt, & reliquæ qualitates, quæ necessariæ sunt, ut Judex esse valeat controversiarum fidei; seu ultimata, ac adequata credendorum Regula, à qua, ut habet Augustinus relatus (*c. si quis 23. q. 4.*) *si quis fuerit separatus, quantumcumque laudabiliter vivere se existimet, hoc solo scelere, quòd à christianitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum*. Competit namque firmitas, & stabilitas, utpotè quæ super petram est ædificata, *& portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam*. Competit perpetuitas juxtà Christi promissionem: *ecce ego vobiscum sum usque in consumationem sæculi* (*Matth. 28. 20.*) juxtà Prophetias Davidis *Deus fundavit eam in æternum* (*psal. 37. 9.*) *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*psal. 86. 1.*) ut Augustinus exponit. (*Isaiæ* 60. 11.) *Aperientur jugiter portæ tuæ die, ac nocte, non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, Reges earum adducentur; gens enim, & regnum quòd non servierit tibi, peribit*;

peribit; ut observat Cyrillus Alexandrinus, aliique Patres communiter.

11. Competit præsertim, & *Infallibilitas*, ex indicata Christi assistentia orta, & ex Spiritus Sancti magisterio per eumdem Patris Unigenitum promisso, (*Joan.14.26.*) *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia*; idest non solis Apostolis, quibuscum loquebatur, sed & eorum Successoribus per ipsos designatis, prout paulò ante expresserat (*ibid. 16.*) *alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*, ut proindè intitulari debeat: *Ecclesia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis* (*1.ad Timot. 3.14.*) Ac idcircò ei non obediens *ethnicus est habendus, & publicanus* (*Matth.18.17.*) quòd re vera *non possit in cælo habere Patrem, qui noluit in terris Ecclesiam habere Matrem*, ut loquitur August. *lib. de Symb. cap.10.*

12. Ecclesiam hanc duraturam *donec occurramus omnes in virum perfectum* (*ad Eph. 4.13.*) *donec per resurrectionem omnium, destruatur inimica mors* (*1.ad Cor.15.26.*) non aliam esse posse, nisi *Catholicam*, ex ipso *Catholicæ* nomine eruit Augustinus *lib. contr. epist. fundamenti cap.4.* quod *universalitatem* designans unam ex præcipuis qualitatibus ultimatæ regulæ fidei exprimit, quòd nempè omnibus esse debeat communis, omnibus patens; quamvis autem hæretici blaterent, penes ipsos esse veram Dei Ecclesiam, si tamen à Paganis, vel aliis quibusvis interrogentur, ubi sit *Catholica* Ecclesia? sua conventicula designare non audent, quia *Catholica* sola est per universum orbem diffusa cohærenter ad Christi præceptum: *Euntes in mundum universum, docete omnes Gentes* (*Matth.28.19.*) *Prædicate Evangelium hoc in universo mundo, & universæ Creaturæ*. (*Marc. 15.14.*) *Tenet me in Ecclesia*, ait Augustinus, *ipsum* Catholicæ *nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia obtinuit, ut cum omnes hæretici* Catholicos *se dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad* Catholicam *conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere* Nec aliter loquitur Cyrillus (*Catech.18.*) *Si iveris in aliquam urbem, non petas ubi sit Ecclesia, vel domus Dei? nam hæretici dicunt se habere domum Dei, & Ecclesiam. Sed petas ubi sit* Catholica *Ecclesia, id enim nomen proprium est hujus Sanctæ Ecclesiæ matris omnium nostrum*; ac si dicat, si hoc petas, nullus hæreticorum suam Ecclesiam ostendet.

13. Sola ipsa pariter est antiquissima, cujus nullum initium tradi potest, quàm ab ipsomet Christo, quod de hæreticis quibuslibet minimè verificatur, quorum quælibet secta, vel ex ipso, quo appellatur nomine, unde exordium sumpserit, satis ostendit; *quoniam omnis hæresis ab aliquo ducit originem, qui à Christo defecerit, à nomine authoris, suos sequaces nominat*, inquit Justinus M. *in dial. cum Triphone*, & Cyprianus (*lib. de verit. Eccl.*) *non enim nos ab illis, sed illi à nobis discesserunt*. Sola in dogmatibus firma, & constans, tanquam veritatis columna immobilis perseverans, cùm in hæreticis perpetuæ contradictiones, mutationes innumeræ, continuæ in credendis oppositiones, & varietates, ob quas optimè August. inferebat, quòd si cōtradictiones in eis cessarent, illicò nobiscum consentirent *priùs apud se ipsi consentiant, & ita fiet, ut à nobis nulla ex parte dissentiant* (*lib.1. de pec. merit. cap.14.*) & Tertullianus (*lib. de præscrip. hæret.*) *cum sibi adversantur, fidem nostram confirmant*.

14. Ac ut omittam alias omnes proprietates, ex quibus Catholicæ Religionis veritas redditur evidenter credibilis apud Polemicos inquirendas, sanctitatis videlicet, unitatis, miraculorum, &c. Sola ipsa *Apostolica* dici meretur, utpotè *quæ ab Apostolis legitima successione deducitur* ex Tertulliano (*lib. de præscrip. haret.*) *quæ ab Apostolis fundata, usque in diem hanc successivè durat*, ex Hieronymo (*tom.2. adversùs Luciferianos*) *quæ ab Apostolica Sede per successionem Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus culmen authoritatis obtinuit*, ex Augustino *lib. de utilit. credendi, cap.17.* quem proindè *in ejus gremio* tenebat *ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum* ex eodem *contr. epist. fund. cap.4.* Sola sub uno supremo Capite, Christique Vicario, ac proindè sola sub uno supremo Judice, à quo in reliquos omnes in credendis firmitas, in dogmatibus constantia, in mysteriis stabilitas procedunt, cujusque virtute Ecclesia ipsa prærogativas desuper expensas, privilegiumque permaximè infallibilitatis in decidendis fidei controversiis, ac fecernendis propositionibus fidei, ab hæreticis, agnoscit, ut *sequen. art.* ostendetur. Interim hæc innuisse visum est, non quòd censeamus esse pro materiæ dignitate discussa, sed quòd vel leviter indicata, abundè sufficiant ad præsens intentum, ac ut dicere possimus cum Lactantio Firmiano (*cap.4. divin. Instit.*) *Sola Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet, hic est fons veritatis, hoc est domiciliū fidei*, & cum Cypriano

priano (*lib. de unit. Eccl.*) *adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est*; immò, & cum Apostolo Joanne (*Apoc.* 5. 9. 10.) *redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo; ex omni tribu & lingua; & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum.*

15. Aliqua nunc addenda in objectorum, quæ hæretici congerunt, solutionem, præsertim adversùs *visibilitatem* Ecclesiæ, quòd ipsa fidei objectum esse debeat, adnumeratur namque inter fidei articulos in symbolo contentos, *Credo Sanctam Ecclesiam*, si autem fidei objectum est, non potest *visibilis* esse, aliàs fides non ampliùs esset *argumentum non apparentium*. Quod confirmant, quia Apostolorum tempore, à quibus conditum nos Catholici asserimus symbolum, revera Ecclesia abdita erat, & abscondita, angustisque locorum spatiis circumscripta. Nec omittunt Scripturæ textus: *non venit regnum Dei cum observatione, neque dicent; ecce hic, aut ecce illic, ecce enim regnum Dei intra vos est*. (*Luca* 17.20.) *veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate.* (*Joan.* 4.23.) *& ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis.*

16. Credimus utique sanctam catholicamque Ecclesiam, sed eo planè modo, quo Christus Dominus Thomæ Apostolo dixit: *quia vidisti me Thoma credidisti* (*Joan.* 20.29.) super quibus verbis movens eamdem hæreticorum difficultatem magnus Gregorius *hom.* 26. *in Evang.* respondet: *aliud vidit, aliud credidit, à mortali quippe homine Divinitas videri non potuit, hominem ergo vidit, & Deum confessus est.* Nos ergo Ecclesiam visibilem propugnantes, aliud propemodùm videmus, aliud credimus. Fideles videmus, Pastores videmus, Christi Vicarium videmus, non tamen eorumdem fidem videmus, non eorum potestatem, non Christum cujus vices in Summo Pontifice confitemur. In quo postremo, est observanda disparitas, inter nos, & Apostolos, ab Augustino tradita apud Hammiltonium in *Calvin. demonst. confus. lib.* 1. *cap.* 22. quòd nos caput non videmus, sed credimus, membra videmus, illi contra caput conspiciebant, *& de corpore capiti credebant; similes illis sumus, & nos videmus aliquid, quod ipsi non videbant, Ecclesiam per omnes gentes: & non videmus aliquid, quod ipsi videbant, Christum in carne constitutum.*

17. Angustis locorum spatiis erat Apostolorum tempore Ecclesia circumscripta, sed per totum orbem proximè diffundenda, juxta illud (*psal.* 71. 8.) *dominabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum*, quod explicans glossa ex Augustino desumpta, *ostendit*, inquit, *quæ sit amplitudo regni, sic latum est, quod dominabitur à mari, idest à quolibet fine terræ, usque ad mare, idest usque ad quemlibet finem terræ diffundetur; tam latè dilatabitur Ecclesia, & à flumine Jordanis dominabitur, ubi vox Patris intonuit super Christum*, hic est filius meus dilectus; *inde ergo doctrina ejus incæpit, inde authoritas magisterii dilatatur usque ad terminos orbis terræ prædicato Evangelio regni Christi, inde regula baptismi per totum mundum emanavit.*

18. Eadem proinde Ecclesia, quæ Apostolis viventibus viguit, eadem, quam nunc toto orbe diffusam conspicimus; sicut namque non alius homo dicitur puer, alius adultus, ita non alia Ecclesia in suis primordiis, ac veluti infantia, alia in sui dilatatione, seu in sua veluti maturitate; semper catholica, quia semper universalis, tùm propter præcepta, quæ omnes ex tunc, esto non pro tunc, obligabant; tum propter dilatationem infallibiliter futuram. Semper quoque visibilis, semper invisibilis, visibilis tunc in capite, invisibilis in membris non adhuc existentibus (paucis exceptis) sed futuris: visibilis nunc in membris, invisibilis in capite Christo. Omni tempore invisibilis, quò ad fidem, quò ad sanctitatem, quò ad virtutes; ob quas *regnum Dei intra nos* esse dicitur; regnum scilicet, quod est *pax, justitia, gaudium in Spiritu Sancto*, in quo Deum colimus, ne dùm nempè adorationis exterioribus signis, sed internis actibus, ob quos fideles, *domus spirituales* indigitantur.

19. At sit, inquiunt hæretici, Ecclesia visibilis, negari saltem non potest, specialiter ad eam pertinere electos, & prædestinatos, quibus solis credendum est communicatum infallibilitatis privilegium non aliis. Concedimus utique mixtos in Ecclesia reperiri justos, & impios, electos, & reprobos; hoc namque docuit ipsa Sapientia Patris Ecclesiam comparans *nunc sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti.* (*Matth.* 13.47.) *quia nunc bonos, malosque communitèr, quasi permixtos pisces fidei sagena continet*, ex D. Gregorio; nunc agro in quo simul cum bono semine inventa sunt, & zizania; nunc areæ, in qua cum granis permiscentur, & paleæ, nunc decem virginibus, quarum quinque prudentes, quinque verò fatuæ describuntur.

20. Pessima tamen inde eruta illatio, cunctisque absurdis exposita, quæ vitare

 cona-

conamur. Si enim solis electis, & justis infallibilitatis privilegium est concedendum, quis noverit hos justos esse, illos impios, hos prædestinatos, illos reprobos? Sanè plerique ex justis sunt reprobi, plerique ex impiis sunt prædestinati; imò prædestinati etiam sunt nonnulli, quos ad præsens extra Ecclesiam conspicimus, Turcæ, Judæi, Infideles. Numquid igitur ad hos, qui de nostra fide iniquè sentiunt, recurrere debemus in fidei controversiis resolvendis, ac decidendis? minimè.

21. Ecclesiæ igitur illud privilegium est, prout complectitur bonos, & malos, dummodò in unitate fidei firmiter viventes, Non, ut innuimus, quòd ipsorum singuli errare in fide non possint, sed quòd errori obnoxium esse, chimericum sit, id, in quod Ecclesia Christi Vicario Duce consentit, id quod credendum proponit Ecclesiæ Romanus Pontifex, à quo tanquàm ex capite in membra tota infallibilitatis ratio ad fideles omnes descendit, vivæque regulæ nomen, & denominatio toti Ecclesiæ tribuitur; èconrra verò, ab eo recedere, omnium heresum ac schismatum fons erit, ac radix, dicente Cypriano (*lib.1. ep.3.*) *Non enim aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm indè, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus vice Christi cogitatur*, ut sequenti articulo distinctiùs discutietur, ubi quoque multiplicitas infallibilitatis ad majorem, tùm præsentis asserti, tùm dicendorum, clarioremque intelligentiam enucleabitur.

ARTICULUS XII.

An, & quomodò ultima, & adequata, pro dignoscendis propositionibus fidei, & hæreticis, Regula, supremusque infallibilis controversiarum fidei Judex, sit habendus Romanus Pontifex ex Cathedra docens?

1. Præcipuam omnium in hac materia quæstionem discutiendam proponimus, in qua nedùm hæterodoxos agnoscemus adversarios, sed & nonnullos, qui licèt catholico glorientur nomine, ac proinde fide divina teneant Ecclesiæ infallibilitatem, eamque obsequentissimè profiteantur firmissimam *veritatis columnam*, adversùs quam portæ inferi nullatenùs valeant prævalere; negant nihilominùs firmitatem hujusmodi in Ecclesiam à supremo ipsius capite, Christique Vicario agnoscere originem, quem proinde erroris capacem, autumantes; etiam si totam Ecclesiam doceat, subnectunt tunc solùm ejus decreta ad religionem spectantia, amplecti debere, tamquam fide divina tenenda, cum, vel condita sunt in generali Concilio, vel ipsis, Ecclesiæ totius consensus accesserit.

2. Cui opinioni adeò aliqui tenaciter adhærent, ut in propositiones summoperè Apostolicæ Sedi injuriosas non vereantur prorumpere. Hujus furfuris proculdubiò extitit, quam sub die 31. mensis Julii anno 1668. in oratione quadam funebri Mecliniæ habita in exequiis Joannis Wachtendoneck dictæ civitatis Archiepiscopi, Antonius Bonuccius, *in suis Vindiciis decr. Alexand. VIII. adversùs propos. ab eo damnatas sect.29. in fine* pronunciatam refert: *decreta Sedis Apostolicæ, tamquam falsa, tamquam noxia, tamquam somnia, tamquam fabulas, tamquam superflua abolenda, antiquanda, conculcanda esse, si discordent ab Evangelio, Apostolis, Prophetis, Canonibus Spiritu Dei constitutis, & totius mundi reverentia consecratis.* Nec melioris propemodùm notæ censendi, qui propositionem vigesimam nonam, ex profligatis à prælaudato Pôtifice, sustinere non erubuerunt; *futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum authoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.*

3. Dicendum, Romanum Pontificem ultimam, & adequatam regulam pro dignoscendis, & secernendis, ac definiendis, & respectivè proscribendis propositionibus fidei, & hæreticis, habendum esse, supremumque controversiarum fidei Judicem, etiam extra Concilium, & independenter, ac in priori ad Ecclesiæ consensum, cujus decreta ad religionem spectantia fide divina ab omnibus tenenda, ab omnibus, captivando intellectum in ejusdem fidei obsequium, veneranda. Asserti veritas evidenter inprimis infertur ex iis, quæ diximus *cap.1. art.4. præsertim num.15.* Si enim infallibilitatem hujusmodi admittendam viderimus in summo Pontifice hæbræorum, longè potiori jure admittere eam obstringimur in summo Pontifice legis gratiæ; ut enim arguit seraphicus doctor sanctus Bonaventura (*in suo Breviloquio 6.part. cap.16.*) *si partibus discordantibus, non esset, qui manum posset mittere in ambabus, fuisset Synagoga felicior, quàm Ecclesia, quia illa habebat unum summum Pontificem, qui omnes discordias poterat termi-*

terminare, ut patet ex deuteron. cap. 16. à nobis adducto supra cap. 1. art. 3. num. 3.

4. Siquidem lex vetus, ad legem gratiæ comparata, se habet tamquam quid *imperfectum* ad *perfectum*, ut, ex Apostolo ad Galat. 3. 24. illam *pedagogum* vocante, infert 1. 2. q. 91. art. 5. in corp. S. Thomas, *hoc modo*, (videlicet, *sicut perfectum, & imperfectum, in eadem specie, sicut puer, & vir*) *lex divina distinguitur in legem veterem, & legem novam, unde Apostolus comparat statum veteris legis statui puerili existenti sub pedagogo; statum autem novæ legis, statum viri perfecti, qui jam non est sub pedagogo*. Ex hoc autem, tantùm abest, quòd verificari queat, quidpiam perfectionis ad fidei conservationem potissimùm spectans, admitti posse in veteri, quod in nova deficiat, ut potiùs hæc esse debeat impletiva omnium defectuum, qui in illa reperiebantur, ut probat q. 107. art. 12. in corp. idem S. Doctor: *Lex nova comparatur ad veterem, sicut perfectum ad imperfectum; omne autem perfectum adimplet id, quod imperfecto deest, & secundùm hoc, lex nova adimplet veterem legem, in quantùm supplet illud, quod veteri legi deerat*.

5. Hoc verò totum falsissimum esset, si in lege veteri supponeretur summus Pontifex specialissima infallibilitatis prærogativa in fidei quæstionibus decidendis, & in dogmatibus definiendis, insignitus, qua careret summus Pontifex novæ legis; quo proinde obnoxio erroribus in Ecclesia docenda, hæc proculdubio imperfectior dicenda foret Synagoga, & per consequens status *institutus ad figurandum mysterium Christi*, ex eodem q. 102. art. 4. in corp. ipso figurato Christi mysterio, excellentius esset, ac nobilius, & planè sub ea ratione, sub qua præcipuè lex nova, veteri deberet esse præstantior, nempè in regulæ infallibilis fidei continentia, Angelico itidem asserente, quòd *potissimum in lege novi testamenti, & in quo tota virtus consistit, est gratia Spiritus Sancti, quæ datur per fidem Christi* (q. 106. art. 1. in corp.) ac idcircò *per legem novam* efficiantur homines, *filii lucis* (*Jo.* 12. 7.) *credite in lucem, ut filii lucis sitis . . . .* (*& ad eph.* 5. 8.) *eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (q. 108. art. 1. §. *Sed contra*.)

6. Clarè quoque eadem veritas ex dictis *articulo præcedenti* erui poterit, verissima quadam præmissa hypothesi, quòd nempè omnia illa elogia, quæ in eo sunt tradita de Ecclesia veluti in *abstracto* sumpta, Romanæ competant, & de Romana plenissimè verificentur, adeò ut ad convertentiam dicantur, Ecclesia catholica, universalis, ac Ecclesia Romana, quæ ex Pelagio 2. (*epist.* 13.) *per antonomasiam est Ecclesia*, sicuti idem prorsùs censetur, *extra Romanam Ecclesiam* quempiam esse, ac simpliciter *extra Ecclesiam catholicam*; *Quicumque*, de Romana loquens Ecclesia, ait Hieronymus relatus (*c. Quoniam* 24. q. 1.) *extra hanc domum comederit agnum, prophanus est*.

7. At certè, non alia id contingere potest ratione, nisi quòd Romanæ Ecclesiæ Episcopus, idem sit totius orbis, & Episcoporum omnium Episcopus; illeque, super quem Christus *fundavit Ecclesiam*, non sine divino instinctu ac præcepto propriam in Romana Ecclesia sedem fixerit, eam constituens cæterarum Ecclesiarum magistram, ac matrem, à qua in eas, tamquam à fonte in rivulos, veritas cunctorum dogmatum descenderet, ac derivaret: *qui Cathedram Petri*, dicebat propterea Cyprianus (*c. Qui Cathedram dist.* 93.) *super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat*.

8. Idipsum tamen altiùs inspiciamus, & licèt ad asserti veritatem præsupponi deberent D. Petri, & Successorum ejus authoritas, & primatus, nedùm supra singulas Ecclesias seorsim, sed & super eas collectivè acceptas, & etiam in Concilio congregatas; nihilominùs, cum ex hujusmodi authoritate, & primatu, rectè colligendum sit infallibilitatis privilegium in Romano Pontifice, cumque in propositione per Apostolicam Sedem proscripta *numer.* 2. relata, *futilis* dicta authoritas, enuncietur, indeque *futilis* quoque inferatur, & in fidei quæstionibus decernendis infallibilitas, probationes præsentis asserti in tria capita distinguere opportunum censemus; & in primo prædictam D. Petri authoritatem supremam; in secundo continuationem in ea plenissimè penès Romanos Pontifices residente; in tertio infallibilitatem ex præmissis æquè D. Petro, ac suis Successoribus in fidei controversiis definiendis, & decidendis, exurgentem, perbreviter firmabimus.

9. Authoritas itaque, & Primatus D. Petri à sanioris mentis Catholicis abundè colligi videtur ex duplici Christi promissione, (*Matth.* 16. 19.) *Beatus Simon Bariona. . . . . Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum*, cui innixi Patres, & Concilia supremam D. Petro in totam Ecclesiam authoritatem communicatam,

nusquam dubitarunt. Chrysostomus, (ut nonnulla eorumdem testimonia promamus, quæ etsi penes doctissimos Scriptores passim legantur, *hoc nihilominùs*, ait ad intentum *par.1. antiq. illustr. diss.1. cap.1. nu.3.* Schelestrates, *habet sæculum nostrum infelicitatis, ut centiès dicta contra noviter opposita cogamur repetere.*)

10. Chrysostomus, inquam, (*hom.8. ad popul. Antioc.*) ei, videlicet Petro, *per totum orbem terrarum Ecclesiæ præsidentiam tradidit*; & (*hom.55. in cap.16. Matt.*) *universo terrarum orbi Petrum Christus præposuit*. Augustinus, (*serm.49. de Verb.D.*) *in Petro uno Christus firmat Ecclesiam*. Theodoretus Cirensis Episcopus (*ep.ad Renatum Presb. Rom.*) *tenet ista Sedes*, Romana, *gubernacula regendarum cunctis orbis Ecclesiarum*. Magnus Gregorius (*lib.4. Reg. epist. 75.*) *cunctis Evangelium scientibus liquet, quòd voce dominica sancto, & omnium Apostolorum Petro, Principi, totius Ecclesiæ, cura commissa est, ipsi quippe dicitur: Tu es Petrus &c.* Leo itidem magnus (*serm.3. de sua ad Pont. assumpt.*) *de toto mundo, unus Petrus eligitur. . . . ut quamvis in populo Dei, multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus.* Meritòque catenùs in sacro Constantiensi Concilio *sess.15.* reprobatum, rejectùmque legimus articulum septimum Joannis Hus: *Petrus non fuit, neque est caput Ecclesiæ sanctæ catholicæ.*

11. Eodem pariter verborum tenore loquuntur sacri Interpretes super alteram promissione, seu ejusdem promissionis parte. D. Petrus Damianus, (*serm.26. de S.Petro*) *unus est, quem prænobilitant singularis primatus insignia, Clavicularius regni cælorum.* Magnus Greg. (*epist. ad Mauritium Aug.*) *ecce claves regni cælestis accepit, potestas ei ligandi, & solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur.* Rupertus Abbas (*vol.4. Evang. lib.1. cap.25.*) *unum, & singulare unius est Petri privilegium, cui singulariter dictum est*: tibi dabo claves regni cælorum.

12. His tamen, aliisque hujus generis authoritatibus, obvia est responsio nonnullorum pro Ecclesiæ superioritate in Pontificem Romanum pugnantium, ex Concilio (si tamen fas sit Concilium appellare) Basileensi *in epist. responsoria data Legatis Eugenii Papæ*, ajente: *etsi Papa major sit in Ecclesia; non tamen major est tota Ecclesia; Uni autem, quare dictum sit:* Tibi dabo claves regni cælorum; *sancti Doctores exponunt, ut unitatem designaret Ecclesiæ; & ideò ab unitate exordium proficiscitur, ut Ecclesia una demonstretur, & Petrus quando claves accepit, (ut dicit Augustinus) Ecclesiam significavit*: quod videre est sæpissimè in operibus sancti Doctoris, & præsertim *serm.26. de diversis*, ubi hæc habet; *Petrus multis locis Scripturarum apparet, quòd personam gestet Ecclesiæ, maximè illo in loco, ubi dictum est*; Tibi dabo claves regni cælorum. *Numquid istas claves Petrus accepit, & Paulus non accepit, & cæteri Apostoli? aut non sunt istæ in Ecclesia claves, ubi peccata quotidiè dimittuntur? sed quoniam in significatione, personam Petrus gestabat Ecclesiæ, quod illi uni datum est, Ecclesiæ datum est.*

13. Verùm, utinam in sensu germano Augustini, ratiocinarentur, qui prædictæ responsioni adeò fidunt! animadverterent profectò Petrum repræsentantem Ecclesiam dici à S. Doctore, non tamquam purum signum, rem significatam nequaquam continens, non ut aliquod particulare Ecclesiæ membrum, sed tamquam aliquod sub se habens Ecclesiam, ad eum modum, quo Princeps repræsentat regnum, Dux, exercitum, Paterfamilias, familiam, Pastor, oves. Unde *serm.13. de Verb. D.* ait *esse Petrum Ecclesiæ unicæ typum. Ipse enim Petrus in Apostolorum ordine, primus*, & infra; *in illo ergo uno Apostolo, idest Petro in ordine Apostolorum primo, & præcipuo, in quo figurabatur Ecclesia*, & iterum (*in ps.108.*) *cujus Ecclesiæ ille agnoscitur gessisse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit*, & (*tract.134. in Jo.*) *cujus Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate Personam.*

14. Hacve ratione in textu, qui *num. praced.* adducitur, signanter conclusit: *quod illi uni datum est, Ecclesiæ datum est, Nota*; subdit ingeniosè Schelestrates (*part.1.antiq. illust. diss.1. cap.2. art.2. num.29.*) illi uni datum est. *Uni ergo Petro datæ sunt à Christo claves, nec dicit, quod Ecclesiæ datum est, illi datum est; sed cum emphasi; quod illi uni datum est, Ecclesiæ datum est. Hæc est* (subdit Lupus) *ab illo uno fonte in omnes Apostolatus, & Episcopatus, Collegas, & Successores traductum est, & usque ad finem sæculi traducendum.*

15. Ratio hujus doctrinæ est in promptu, & eruitur ex verbis ipsius promissionis: *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam* (*Matth.16. 18.*) *& tibi dabo claves regni cælorum* (*ibid.19.*) quæ nulli alteri expositioni locum præbent, vi cujus exclusus maneat ab acceptione clavium, & primatus, singularis, & individua persona Petri evidentissimè expressa per nomen ipsius proprium *Simonis*, per nomen

Patris *Barionæ*, per nomen ei impositum *Petræ*; per laudationem confessionis *Beatus es* (*Matth.16.17.*) per trinam repetitionem pronominis tibi, *revelavit Tibi, dico Tibi, dabo Tibi*, per causalem, *quia Tu es Petrus*; per remunerationem confessionis; *& ego dico tibi*; per particulam conjunctivam *Petri*, & *Petræ*: *Tu es Petrus, & super hanc Petram*, & per demonstrativam *hanc Petram*.

16. Ad quid autem tot circumstantiis designare Petri personam, si immediatè Petro non erat directa promissio? *Memento* appositè ajebat Tertullianus (*lib. Scorpiaci contr. Gnosticos cap.10.*) *claves hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse*. Si nomine *Petræ*, super quam ædificanda erat Ecclesia, non singularis persona Petri, sed Ecclesia intelligitur; nomine Ecclesiæ ædificandæ quid venit? numquid super Ecclesiam ædificandam, promisit Christus se ædificaturum Ecclesiam? numquid danda erat Ecclesia super Ecclesiam? Certè cum Patres dicunt, fidem esse fundamentum virtutum, non dicunt, virtutes omnes esse fundamentum virtutum, sed virtutes fundatas omninò distingunt à virtute fidei, quæ est fundamentum earum.

17. Imò, cum ipsimet hæretici per tò *Petram*, & reliquas particulas, non Petri personam, sed Petri *fidem* autumant exprimi, non distinguentes inter concretum, & abstractum, & inter rationem formalem, quæ divinæ promissionis, & subjectum, cui ista dirigebatur, non dicunt *fidem* ædificandam super *fidem*, sed Ecclesiam, super *fidem*, ædificandam, cum sole clarius sit, ædificiū à fundamēto distingui. Et hunc fuisse semper omnium catholicorum Patrum sensum, ipsorum authoritates, quarum plures in unum collectas apud prælaudatos Polemicos, & apud eruditissimum Schelestratem *p.1. antiq. illustr. diss.1. cap.1. & seq.* curiosus inveniet, attentè revolventi, clarissimè constabit.

18. Ex hac distinctione fundamenti, & ædificii facillimè eruitur diversitas inter promissionem factam Petro, & aliam factam omnibus Apostolis (*Matth. 18. 18.*) *quæcumque alligaveritis &c.* Cum enim prior promissio omninò infallibilis fuerit, infringi per posteriorem non poterat. At in prima, Apostoli omnes, sive distributivè, sive collectivè accepti, non fuerunt significati per *Petram* fundamenti, sed per ædificium, seu Ecclesiam ædificandam; igitur in posteriori constitui non poterant æquales in ratione fundamenti cum Petro, qui proinde specialiter remuneratus dici non posset per promissionem priorem, si per posteriorem fieri debebat æqualis. Fuit igitur facta cæteris Apostolis à Christo promissio potestatis ligandi, atque solvendi &c. sed primò, ipsis non danda, nisi per Petrum, ut præter alios innumeros docent magnus Leo *serm.3. in anniverf. de sua consecr.* & Angelicus Doctor *4. contr. Gent.76.* & *in 4. sent. dist.24. q. ult.*

19. Secundò, ita ut, quod omnibus collectivè fuit promissum, soli, & uni Petro intelligatur promissum, quodque singuli possent in determinatis diæcesibus, & provinciis, posset Petrus ubique, ut habet Origenes *tract.6. in Matth.* Tertiò, ita ut Ecclesiæ regimen perfectissimum fore concipiatur, & consequenter Monarchicum, Aristrocatico temperatum, è quibus Monarchicum soli Petro competat, Aristocaticum etiam aliis in partem sollicitudinis vocatis, ex prælaudato Leone *epist.84. ad Anastasium Tessalonicensem*.

20. Quartò, ita ut Apostolis nulla in Petrum authoritas, benè tamen Petro in Apostolos, sive seorsim, sive collectivè acceptos, tamquam capiti in membra ex Hieronymo *lib.1. contra Jovinianum*, qua de causa, aptissimè Petrus dictus sit *Apostolorum Doctor*, à Chrysostomo (*ferm. in Petrum, & Paul.*) *per totum Orbem terrarum Ecclesiæ Præsidens*, ab eodem (*hom.80. ad popul.*) *Caput, & Princeps*, à Cyrillo Alexandrino, (*lib.12. in Joan. cap.64.*) *Apex Apostolorum*, ab eodem (*lib.13. thesaur. cap.2.*) *Supremum omnium Caput, & Præses Apostolorum*, à Cyrillo Hierosolym. (*in cathec.2.11.& 17.*) *Christianorum Pontifex*, ab Eusebio Cæsareensi (*in Chron. ad ann.44. Christi*) *Archibierarcha*, seu *Hierarcharum Princeps*, à S. Germano Patriarcha Constinop. (*in theoria Mystagogica tom.2. bibl. SS. PP. Græcorum*) *Pastor Pastorum*, ab Eusebio Emisseno (*ferm. de S. Joan. Evangelista*) (*Pastor humani gregis*, ab Isidoro (*de vit. & mort. Sanctorum 69.*) *Principalis Christi Vicarius, & Princeps Apostolorum*, ab Anselmo (*in cap.16. Matth.*) *Antistes totius Ecclesiæ*, à Damasc. (*Orat. de transfig.*) *Princeps Ecclesiæ Christianorum*, ab Ephrem *ferm. de transfig.* quos omnes aliosque preeminentiæ titulos ipsemet Christus indicavit, nedùm per promissionem Petro factam, sed etiam, quia numquam promisit aliquod, vel dixit communiter Apostolis ad bonum Ecclesiæ spectans, quod specialiter soli Petro non promiserit; aut dixerit.

21. Sic omnibus dixit: *faciam vos fieri pisca-*

piscatores hominum (*Matth.4.19.*) singillatim Petro: *Ex hoc eris homines capiens*(*Lucæ* 5.10.) Omnibus: *euntes prædicate* (*Marc.16.14.*) Petro: *pasce oves meas* (*Jo.21.17.*) Omnibus, *quæcumque alligaveritis*. (*Matth.18.18.*) Petro: *quodcumque ligaveris* (*Matth.16.19.*) Omnibus: *ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum*, (*Lucæ* 22.31.) sed ad Petrum sermonem convertit: *Simon*, *Simon*: Omnibus: *Pater sancte serva eos* (*Io.17.11.*) Petro: *ego oravi pro te* (*Lucæ* 22.31.) Omnibus *non potuistis una hora vigilare* (*Matt.26.40.*) Petro: *Simon dormis?* (*Lucæ* 4.23.) Omnibus, & singillatim Petro; *dicite discipulis ejus*, *& Petro* (*Marci* 16.7.)

22. Nec obest, quòd reliqui Apostoli dicti sint fundamenta Ecclesiæ (*ad Ephes.2.20.*) *sup ercædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*, & (*Apoc.21.19.*) *& murus Civitatis habens fundamenta duodecim, & in eis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni*. Utique enim ipsemet gentium Doctor explicat, quo sensu, Apostoli sint fundamenta, nempe ratione muneris Apostolatus, prædicationis, & fidei, ob quam sicut ratione prædictionis de ipsa factæ, Prophetæ ipsi dicuntur Ecclesiæ fundamenta, licèt nulla in ipsis supponi queat jurisdictio in Ecclesiam, ita ratione dilatationis per Apostolos, quorū *sonus in omnem terram exivit*, *& in fines orbis terræ verba eorum* (*psal*, 18.5.) habitæ, Apostoli dici possunt, & quidem potiori jure, Ecclesiæ fundamenta, non verò ob jurisdictionem, quam ratione muneris Episcopatus umquam habuerint in totam Ecclesiam, ut ex dictis *numero præcedenti* satis liquet.

23. Vel dicimus, omnes Apostolos ita dici fundamenta Ecclesiæ, ut in ipsis omnibus unicum agnoscatur fundamentum, nempe *Petrus*, & in hoc uno, duodecim, applicando doctrinam D.August. (*in ps.86.*) *Una porta Christus*, *duodecim portæ Christus*, *quia in duodecim portis Christus*. Cum enim D. Petrus Christi Vicarius unicè electus fuerit, ac proinde à Christo communicatam habuerit plenissimam potestatem ad totius Ecclesiæ gubernium necessariam; quid mirum si eodem modo fiat sermo de Apostolis comparativè ad Petrum, ac de Apostolis comparativè ad ipsum Christum, cujus persona, & authoritas, exprimebatur in Petro?

24. D. Petri primatu firmato super universam Ecclesiam collectivè etiam sumptam, parùm immorandum videtur in secundi capitis discussione, ex quo, lis esse non videatur inter Catholicos, Romanum nempè Pontificem, Petri Successorem esse, cunctisque frui prærogativis, Petro, qua supremo Ecclesiæ Capiti concessis, & per consequens plenissimè in eo perseverare primatum, Petro, & omnibus ipsius ad sæculi finem futuris Successoribus promissum. Hinc damnatum legimus in Constantiensi Concilio *art*, 37. Wiclephi; *nec Papa est immediatus Christi Vicarius*, *& Apostolorum*; decretumque in Bulla Martini V. ut non reciperentur ad catholicæ Ecclesiæ gremium redeuntes hæretici, nisi faterentur se credere Papam canonicè electum, supremam habere potestatem in Ecclesia Dei, ut innuimus *artic*, 8. *num*. 20. ideoque Parisiensis Facultas *hæreticam quoad singulas partes* censuit propositionem Marci Antonii de Dominis; *doctrina in articulis Hus contenta*, *nimirùm*, *in Ecclesia non dari unum Caput supremum*, *& Monarcham præter Christum*, *suam Ecclesiam per multos Ministros sine uno isto Monarcha mortali regere perfectè*, *& gubernare*, *est doctrina catholica à SS. Patribus egregiè explicata*, *& confirmata*.

25. Specialiùs dogma hoc definitum autumant innumeri Theologi in Concilio Florentino (*can*, 5.) *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem*, *& Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum*; *& ipsum Pontificem Romanum*, *Successorem esse B.Petri Principis Apostolorum*, *& verum Christi Vicarium*, *totiusque Ecclesiæ Caput*, *& omnium christianorum Patrem*, *ac Doctorem existere*; *& ipsi in Beato Petro pascendi*, *regendi*, *ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino Nostro J.C. plenam potestatem traditam esse*; & in Concilio Lateranensi V. *sess*. 11. ubi postquam declarantur Concilii Basilensis decreta nullius fuisse roboris, subjungitur; *Cum etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem*, *tamquam authoritatem super omnia Concilia habentem*, *Conciliorum judicandorum*, *transferendorum*, *ac dissolvendorum*, *plenum jus*, *& potestatem habere*, *nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio*, *dictis Sanctorum Patrum*, *ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum*, *sacrorumque Canonum decretis*, *sed propria etiam eorumdem Conciliorum definitione*, *manifestè constet*, & præsertim Chalcedonensis, de quo, ad rem nostram percurri poterit *polemica historia* P. Laurentii Luchesini complura ex ea pro Romano Pontifice eruentis conjecturas, & argumenta. Quo itidem in Concilio *act*.16. pars illa Canonis sexti Nicæni œcumenici primi, quæ in vulgatis Conciliorum editionibus deest: *Ecclesia*

sia Romana semper habuit primatum, restituta reperitur, eaque deinceps usi sunt pro primatu Romani Pontificis tuendo, non pauci Apostolicæ Cathedræ supremi Rectores, Bonifacius primus, Gelasius, Adrianus primus, Nicolaus primus, quorum luculenta testimonia, legenda indicamus apud Schelestratem *antiq. illust. part. 2. diss. 3. c. 9. per totum*.

26. Ne autem à brevitate, quam polliciti sumus, recedere videamur, rationes hujus dogmatis in summam redigentes, Romani Pontificis primatum colligi inprimis dicimus ex titulis, quibus à Conciliis, ac à Patribus insignitur, quorumque plures prælaudatum Chalcedonense generale Concilium exhibet, S. Leonem magnum, tunc temporis Petri Sedem tenentem appellans, nunc antonomasticè *Apostolatum*, & *Apostolicum*, ejusque Romanam Sedem *Caput omnium Ecclesiarum*, nunc *Dominum*, & *Patrem*, nunc *Sacrorum Principem*, nunc *universalis Ecclesiæ Papam*, nunc *Synodi ipsius Ducem*, *Magistrum*, *Caput*, nunc *Vineæ Christi Custodem*, nunc *Episcopum Romanæ, & universalis Ecclesiæ*, quibus, sicut aliis innumeris, qui communissimè à Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus ei tribuuntur, *Christi Vicarius*, *Petri successor*, *Pastorum Pastor*, *Episcoporum Episcopus*, *Episcoporum Caput*, inscribi Romanus Pontifex neutiquam posset, si integer primatus Petro à Christo concessus, in eo plenissimè non resideret.

27. Nullus nihilominùs tàm celebrium titulorum exprimit intentum tanta claritate, ac soliditate, quàm ille, quo Pontifex Romanus nedum *Interpres vocis S. Petri*, sed & ipse *Petrus* indigitatur. *Petrum per Leonem locutum* conclamarunt Chalcedonenses Patres; attendenda *obedienter*, *quæ à Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt*, Eutycheti scripsit D. Petrus Chrysologus, *quoniam B. Petrus qui in propria Sede, & vivit, & præsidet, & præstat quærentibus, fidei veritatem*, & ex Græcis ipsis Gennadius Scholarius *in lib. de prim. Rom. Pontif.* scribere non omisit; *Petro omnes jure divino caput inclinant, & Primates Mundi, tamquam ipsi Domino Jesu obediunt*, quòdque loquantur de Romano Pontifice apertiùs indicant, subsequentia; *debemus nos, ut qui membra sumus, capiti nostro Romano Pontifici, & Apostolicæ Sedi adhærere*. Qua autem verisimilitudine nominari posset *Petrus* Romanus Pontifex, si Petri Successor cum tota potestatis plenitudine non esset, si eodem quo ipse non frueretur primatu, si æquè, ac ipse toti Ecclesiæ collectivè acceptæ non præsideret, si tota ipsa simul sumpta non esset jurisdictione superior?

28. Titulorum excellentiæ adjungenda, & alia signa exercitæ perpetuò per Romanum Pontificem potestatis supremæ, quæ expendit Suarez *disp. 10. de Rom. Pontif. sect. 2. à num. 51.* ad quem lectorem remittimus, innuentes dumtaxat ea consistere in jurisdictione, quam semper habuit Christi Vicarius in cunctos alios Episcopos, confirmando eorumdem electionem, dispensando cum ipsis, aliisque fidelibus, in ecclesiasticis canonibus, condendo leges, & præcepta universos obligantia, compellendo, quoslibet fideles ad eorumdem observantiam, admittendo appellationes, ab Episcopis, Primatibus, Patriarchis, Conciliis, ad suum tribunal habitas, curam, & sollicitudinem impendendo in infidelium conversione, universalisque Ecclesiæ propagatione, novos erigendo Episcopatus, erectosque restringendo, dividendo, &c. Legatos, & Vicarios destinando ad Civitates, ad Provincias, ad Reges, ad Concilia. Ex quibus omnibus *evidenter satis constat Romanum Pontificem à principio nascentis Ecclesiæ, & habitum, & existimatum esse Pastorem universalem, & hujusmodi potestate, & dignitate usum fuisse; nam ea omnia, manifestissima sunt munera ejus, qui in totam Ecclesiam jurisdictionem habet, & in alium non possunt ulla ratione convenire*. Ita rectè concludit Theologus Societatis.

29. Ad tertium jam accingimur firmandum propositæ quæstionis caput, quod nostro instituto præcipuè convenit, super Romani Pontificis infallibilitate in definiendis controversiis fidei, ac profligandis hæresibus; quoties nempe id præstet docendo universalem Ecclesiam, ipsique proponendo, quid in materia religionis fide divina credere, quid rejicere oporteat. Illud autem sequitur ex capitibus præcedentibus, ex quibus, sicut communis, & eadem visa est ratio, quare non minùs D. Petro collatus fuerit primatus in totam Ecclesiam etiam collectivè sumptam, prout videlicet complectitur totius orbis Ecclesias sub uno capite Christo, & sub uno ipsius visibili Vicario militantes, quàm reliquis ipsius usque ad sæculi consumationem futuris Successoribus; ita, & pariter commune censeri debet non errandi privilegium, & æquè competens Petro, ac aliis quibuslibet Ecclesiæ catholicæ navim regentibus, & gubernantibus. Neque enim Petri successores plene dici possent, si primatum cum eo com-

commune habentes, carerent dein illa prærogativa, fine qua, mutila redderetur tanta dignitas, ac ad conservandam in Ecclesia fidem, prosùs inepta, pænitusque insufficiens.

30. Attento præsertim, quòd illæ eædem Christi promissiones, quibus Petro, & Successoribus conspeximus communicatum primatum, æquè, & hoc privilegium exprimunt, licèt etiam expressiùs indicetur per illam ejusdem Unigeniti orationem æterno Patri directam: *Rogavi, ut non deficiat fides tua*, explicando, id non fecisse pro Petri singulari individuo, sed relatè ad totam Ecclesiam, & quatenùs Caput esset constitutum, ex quo in cunctorum fidelium membra indefectibilitatis caracter eidem obtentus descenderet: *& Tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; Ex quibus, ecce D. Bernardi *ep.190. ad Innoc. Papam* solidissima argumentatio: *oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, & præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippè hujus prærogativa Sedis; cui enim aliquando dictum est*; ego rogavi pro Te, ut non deficiat fides tua? *ergo quod sequitur, à Petri Successore exigitur*, & Tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Id quodam modo necessarium: tempus enim est, ut vestrum agnoscatis, Pater amantissimè principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cujus tenetis, & Sedem, si vestra admonitione corde in fide fluctuantia confirmatis, si vestra authoritate conteritis fidei corruptores.* Ubi in his vel levis mentio generalis Concilii? ubi consensus Ecclesiæ, qui arbitrariè necessarius prætenditur quantumvis minimus apex?

31. Planè nihil, quia, si aliqua hujusmodi habita fuisset mentio, Christi verbis minimè cohæreret, in quibus, tantùm abest, quòd præfatus consensus exigitus credi valeat, ut potiùs sit censendus exclusus. Satanæ cribrationem ad omnes extensam protulit Sapientia Patris: *ecce Satanas expetivit vos*; ubi tamen ad orationem pro infallibilitatis privilegio obtinendo pervenit, non ampliùs plurali numero est usus: *rogavi pro vobis*, sed singulari: *rogavi pro Te*, & iterum, *ut non deficiat fides tua*: nec pluraliter dixit; *vos aliquando conversi*, sed singulariter: *& tu conversus confirma fratres tuos. Nimirùm*, inquit S. Leo IX. (*epist. ad Petrum Patr. Antioch.*) *solus est ille, pro quo, ne deficeret ejus fides, Dominus, & Salvator asserit se rogasse, dicens*: Simon, Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum: ego autem rogavi pro Te, ut non deficiat fides tua; & Tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in sæculum sæculi; sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.*

32. Nec minùs luculenter veritatem hanc comprobat enucleata hucusque promissio Petro facta de ædificanda super eum Ecclesia, tamquam *supra Petram*, ex cujus soliditate totius ædificii penderet soliditas, *dignusque* Petrus efficeretur *certè, qui ædificandis in domo Dei populis, lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum*, ut loquitur Augustinus *ferm.28. de Sanctis*, & propterea Christus statim subjunxit: *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, insinuans adversùs *Ecclesiam* non prævalituras, ex quo super *Petrum* solidissimam fundata esset, adversùs quam, si portæ inferi vim possent habere, haberent pariter adversùs totum ædificium ei innixum, *manifestum est* (*in dictum textum*) Origenes, *& si non exprimatur, quòd nec adversùs Petrum, nec adversùs Ecclesiam portæ prævalere poterunt inferorum; nam si prævalerent adversùs Petrum, in quo Ecclesia fundata erat*, attende per pulchram illationem, *contra Ecclesiam etiam prævalerent.*

33. Inanis profectò esset modus hic arguendi, si nè portæ inferi *adversùs Petrum* prævaleant, esset necessarius consensus Ecclesiæ, per Authores propositionis damnatæ requisitus. Qui quoque interrogandi sunt, de quo Ecclesiæ consensu loquantur? cum enim, ut rectè advertit *lib.2. contr. Parmenianum* S. Optatus Milevitanus Episcopus, *certa membra sua habeat Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Ministros, & turbam fidelium*, dubium rationabiliter oritur, an singula hæc membra consentire debeant? cui, si affirmativè respondebitur; igitur etiam laici, illique omnes, quos, in Sectarios agentes, enumeravimus *art.9. num.3.* quis autem hoc audiens non exhorreat? judices videlicet fidei declarari eos, quorum est non definire, sed obaudire; non docere, sed discere; non præcipere, sed parere; non præire, sed subsequi?

34. Planè si id assereretur (uti reverà assertum asserit Cardinalis de Aguirre in egregio suo opere cujus titulus: *Authoritas infallibilis, & summa Cathedra S.Petri tract.3. disp.*

disp.39.sect.3.) à quodam Recentiore, cujus nomini judicavit eminentissimus Scriptor parcendum) è tenebris oblivionis ferè revocaretur opinio impiissimi Apostatæ Marci Antonii de Dominis (*lib.1.cap.12.n.42.*) verbis illis conceptam: *Deus Spiritum suum toti Ecclesiæ promisit, non alligando ipsum certis personis, sive certo generi personarum, puta solis Presbyteris, aliisque Clericis ad ministeria ecclesiastica deputatis, sed ipsum voluit esse per omnes, licèt non per singulos diffusum; & consensus totius Ecclesiæ non minùs intelligitur in laicis, quàm etiam in Presbyteris, & Prælatis; Sunt enim etiam laici in Ecclesia, imò ex Ecclesia, ipsiusque solidam, & majorem partem constituunt*; quam tamen propositionem meritissimè Parisiensis Facultas *hæreticam* pronunciavit, *& statûs Ecclesiæ perturbativam, quatenùs ad fidei propositiones statuendas consensum laicorum requirit*, facileque ex ipsa ad *spiritum privatum* hæreticorum in rebus fidei confugiendum, posset vel mediocris notæ theologus per legitimam illationem evincere.

35. Si non omnia, & singula membra sunt pro *consensu*, qui necessarius prætenditur, exquirenda; quæ igitur? omnes ne Ecclesiastici, etsi per solam clericalem tonsuram statui huic adnumerati? omnes Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri? an verò soli Episcopi? eligant quamvis partem pro libito, dummodò simul promant Scripturæ testimonia, divinas Traditiones, Patrum authoritates illam corroborantes, quod certissimè nusquam eveniet, ex quo nullæ prorsùs sint ejus generis authoritates, quæ ea efficacia, & claritate gaudeant, quam inesse conspeximus Christi promissionibus soli, & uni Petro directis, ut propterea si has extorquere per vim non vereantur, ut *Ecclesiæ consensum* necessarium adstruant, multò faciliùs erit, & illas absque ulla violentiæ umbra sanè, & germanè intelligere, ac interpretari, salva semper Romanorum Pontificum infallibilitate à Christo obtenta in Petro.

36. Præfatus itidem consensus est ne exquirendus ab Ecclesia in Concilio congregata, vel ab ea per totum orbem diffusa? utroque modo sufficientem illum asserunt adversarii sanioris mentis, qui de authoritate, & infallibilitate generalium Conciliorum rectè sentiunt. Nec aliter valent respondere, quòd sole clarius sit, permulta fidei dogmata definita fuisse in œcumenicis Synodis, innumera alia primis præsertim nascentis Ecclesiæ sæculis, sine illis, quæ curiosus reperiet apud prædictum Cardinalem, temporum servata serie congesta (*disp.3. per plures sectiones*;) De his autem sic definitis, aut definiendis fidei veritatibus, adhuc explorandum remanet, an omnium, & singularum Ecclesiarum consensus sit exigendus, vel aliquarum? Si non omnium; quarum igitur? quælibet proprium consensum expetendum exposceret; quælibet germanam Scripturarum interpretationem gloriaretur adinvenisse; quis itaque in hujusmodi dissentionibus Judex? quæ ultimata fidei regula? Si omnium, & singularum consensus, actum erit de cunctis illis definitionibus hactenùs habitis, dissentientibus particularibus nonnullis Ecclesiis? actum de præcepto Paschatis celebrandi die Dominico renitentibus Asianis Episcopis, ac proinde ab Ecclesiæ corpore abscissis; actum de rebaptizandorum hæreticorum asserto per Apostolicam Sedem profligato, contradicentibus non paucis Africanis Episcopis etiam in Synodis congregatis; actum de cæteris qui buslibet fidei decisionibus, quarum propemodùm nulla reperietur, quæ aliquam non habuerit contradicentem particularem Ecclesiam, aliquos non fuerit experta reluctantes Episcopos.

37. Concilia verò generalia si spectemus, infallibilia ea esse, nullus inficiatur, qui catholico nomine glorietur, quamvis innominatus Author, de quo *num.34.* id ipsum, quod de solo Rom. Pontifice asseruit, etiam de œcumenicis Synodis affirmare nec erubuerit, inquiens; *quæ autem de Pontifice diximus, ad Concilium generale pro rata portione referri possunt*. In qua tamen assertione, etsi hæresis, & impietatis veniat redarguendus, non tamen inconsequentiæ, cùm, legitima, prorsus videatur illatio ex fallibilitate Rom. Pontificis ad fallibilitatem generalis Concilii; ex quo, limitatio illa Pontificiæ infallibilitati arbitrariè affixa, *dummodò Ecclesiæ consensus accesserit*; æquè adaptari poterit, & authoritatibus quibuslibet pro infallibilitate generalis Concilii adducibilibus. Quin replicari valeat, Ecclesiam in his sufficienter repræsentatam; si namque repræsentatio in Romano Pontifice residens, tamquam in supremo Pastore, Capite, Duce, Petra fundamenti, Christique vices gerente, insufficiens prætenditur ad limitationem præfatam excludendam, insufficiens etiam erit, & repræsentatio, quam involuit generale Concilium.

38. Potissimùm tamen id comproba-

tur, quia in ipsomet generali Concilio, non alia infallibilitas sit agnoscenda, nisi quæ dependeat ab approbatione, & confirmatione ipsius Romani Pontificis, qua seclusa, sicuti quodlibet ædificium corruere necesse est, quod careat fundamento, ita & tota fidei soliditas ruet, quæ *Petræ* firmissimæ, super quam ædificatam Ecclesiam non semel vidimus, innixa non fuerit. Neque ipsamet Concilia generalia ullam uspiam agnoverunt infallibilitatem à Romanæ Sedis influxu seclusam, sed eo planè modo, quo fassi sunt in Successoribus Petri, primatum super totam Ecclesiam, ac supra seipsa quantumvis legitimè congregata, ut *nu*.24. abundè insinuavimus, ita & totius infallibilitatis fontem, originem, radicem, in eorumdem oracula, approbationem, confirmationem refundi debere apertissimè declararunt, ut ex luculentissimis testimoniis, quæ promunt Cardinalis de Aguirre (*tota* præsertim *disp*.24.) Luchesinius (*in sua historia polemica Chalced. Concilii*, & *in secundo ex tractatibus ex polemica eadem historia erutis*,) Bellarminus, Suarez, cæterique polemici, evidentissimè evincitur.

39. Hinc angelicè prorsus Angelicus (2.2.*q*.1.*art*.10.) movens quæstionem; *utrum ad Summum Pontificem pertineat fidei symbolum ordinare*? quod est totius catholicæ fidei texera, mysteriorum articulos continens, sub quibus continentur, & reliqua, fide divina tenenda, affirmativè illam resolvit, id eruens, §. *Sed contra*, ex quo *editio symboli facta est in Synodo generali, sed hujusmodi Synodus authoritate solius Summi Pontificis potest congregari . . . ergo editio symboli ad authoritatem Summi Pontificis pertinet*. Claudicaret autem absque dubio modus hic arguendi, si in Synodo generali, vel alia infallibilitatis ratio in decretis fidei agnosceretur independens à Romano Pontifice, vel infallibilitas coalesceret deberet ex consensu æquè Romani Pontificis, & Concilii, vel denique ita in Romano Pontifice resideret, ut non nisi per accessum *consensus Ecclesiæ* perficeretur, & compleretur. Sic namque, argueret S. Doctor à potestate, vel sola generalis Concilii, aut consentientis Ecclesiæ, vel cumulativa cum Romano Pontifice, ad potestatem solius Romani dumtaxat Pontificis.

40. Angelici igitur mens est prorsùs infringens temeritatem damnatæ propositionis, de qua *num*.2. eique è diametro opposita, unde sicut in hac, duæ sunt partes, in quarum prima contradicitur Primatui Romani Pontificis, in altera dirimitur infallibilitas, veluti inferendo, & quidem per illationem legitimam, consequens aliàs falsissimum ex præmissa itidem falsissima: *Romanus Pontifex non habet Primatum, seu superioritatem in Concilium generale, & in Ecclesiam; igitur extra ipsum, & in priori ad Ecclesiæ consensu, ac ipso non accedente, infallibilitatis privilegio non gaudet*; ita statuendo superioritatem Christi Vicarii in Concilium, & in Ecclesiam, authoritatemque in eo congregandi Concilia generalia, & consequenter ea transferendi, facultates perstringendi, limites potestatis ipsius ampliandi, vel restringendi, infert S. Doctor, authoritatem condendi fidei symbolum, privilegiumque in eo solo, idest independenter à Concilio, (cujus convocationem (*quæst*.10.*de pot*.) infra adducenda, necessariam fore excludit,) & à quolibet *Ecclesiæ consensus* accessu.

41. Audiamus iterum Aquinatem (*in corp.art*.) id expressiùs exprimentem: *Respondeo dicendum, quòd nova editio symboli, necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo authoritatem pertinet editio symboli, ad cujus authoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur*, perpendatur major hæc propositio, & apertè conspicitur authoritas *finaliter* determinandi, *quæ sunt fidei*, non in Ecclesiæ membris, quæ in verbis illis designãtur, *ut ab omnibus inconcussa fide teneantur*, sed in alio ab Ecclesiæ membris independenti, quidque credendum cunctis illis præscribente. Ecce nunc argumenti minor: *hoc autem pertinet ad authoritatem summi Pontificis, ad quem majores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur* (*in decretalibus tit. de baptismo cap. majores*); *Unde & Dominus* (*Lucæ* 22.22.) *Petro dixit, quem summum Pontificem constituit*: ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.

42. Ulteriorem forsitan dogmatis rationem aliquis peroptat? *& hujus ratio, est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ, secundùm illud* (1.*ad cor*.1.10.) id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, *quod servari non posset, nisi quæstio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur; & ideò ad solam autoritatem summi Pontificis pertinet nova editio symboli, sicut & omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare synodum generalem, & alia hujusmodi*.

43. Sic argumentatur Angelicus, nec diversimodè objectioni respondet ex eo desum-

sumptæ, quòd *nova symboli editio interdicta est sub anathemate authoritate universalis Ecclesiæ*; & quidem in generalibus Conciliis Ephesino, & Chalcedonensi congregatæ. Postquam enim dicit, *per hujusmodi sententiam Synodi generalis non est ablata potestas sequenti Synodo novam editionem symboli facere*, quid inde concludat inspiciamus: *Unde pertinet ad summum Pontificem, cujus authoritate synodus congregatur, & ejus sententia confirmatur*.

44. Nihil eatenùs præter puras voces, ac verba profert Natalis Alexander (*disp. 8. sæcul. 11. & 12.*) ut Angelicum explicet, post particulas: *ideò ad solam authoritatem Romani Pontificis*, addendo sequentem parenthesim (*non exclusa tamen Concilii generalis divina, supremaque authoritate*) & infra, rationem adjungens, quia S. Thomas, *in ipso quem laudavi articulo, Concilio generali non derogat, sed pontificiam cum ipso conjungit, ut ex argumento præliminari, & ex responsione ad secundum, compertum est*, productisque Angelici verbis: *Ex quibus perspicuum est, ipsum novi symboli editionem (ad solam authoritatem Romani Pontificis pertinere) dixisse, non excludendo etiam (divinam Episcoporum authoritatem) de controversiis fidei in Synodis judicantium, sed authoritatem utramque conjungendo Summi Pontificis, & Synodi, quam Summus Pontifex congregat, & authoritate sua confirmat*.

45. Quis jam non videat meras has esse voces, meraque verba? quæstio, ut diximus, quam movet Angelicus, est de Summo Pontifice, nulla habita mentione Concilii, *utrum ad Summum Pontificem &c.* conclusio est, de Summo Pontifice: *cum Summus Pontifex caput sit Ecclesiæ &c.* probationes concludunt de Summo Pontifice, cum particula: *ad solam authoritatem Summis Pontificis ..... pertinet ad Summum Pontificem*. Nonne ergo arbitraria est parenthesis per Natalem adinventa ad pontificiam infallibilitatem imminuendam? Si particula illa: *ad solam authoritatem* aliarum authoritatum non excludit consortium, quænam alia illud unquam excludet?

46. Perpendat insuper sanctissimi sui Præceptoris, cujus institutum, æquè, ac doctrinam profitetur, paritatem in ipsamet conclusione insertam: *Ad illum maximè spectat symbolum fidei edere, sicut etiam generalem synodum congregare*: & dicat an synodum generalem congregare, sit solius Summi Pontificis, an vero Summi Pontificis, simul, & synodi? Non certè hoc secundum, quia aliàs supponi deberet Concilium ante Concilium; illud nempè, cujus authoritate congregandum aliud esset, hoc, quod congregari deberet. Quòd si solius Summi Pontificis, generali Synodo exclusa, est congregare Concilium, solius erit Summi Pontificis edere symbolum fidei, ut paritas perfecta sit, insinuata per particulam, *sicut*, quæ etiam extat in §. *sed contra* (*n. 39.*) relato, quem tamen non pigeat iterum expendere.

47. Si enim de authoritate Romani Pontificis cumulativè cum Concilio ageret Angelicus, dignetur Natalis vim argumenti S. Doctoris parumper exprimere: *editio symboli facta est in synodo generali*, hæc est major propositio, in qua, vel involuitur Romanus Pontifex, vel non? Si posterius, igitur à Synodo generali proceditur ad Romanum Pontificem, & ita, sicut in præmissa, venit Synodus sine Romano Pontifice, ita & in illato debebit venire Romanus Pontifex sine Concilio, nisi dicere velit, argumentum esse hoc modo concipiendum: *Synodus generalis potest edere symbolum sine Romano Pontifice. Ergo poterit cum Romano Pontifice*, quod motæ quæstioni minimè responderet, contextui non congrueret, & ab Angelico ingenio foret omninò alienum.

48. Si prius, addatur nunc minor; *sed hujusmodi Synodus authoritate solius Summi Pontificis potest congregari*; & inspiciatur, si inde inferendum sit: ergo *editio symboli spectat ad Romanum Pontificem, & Concilium*, ad Natalis intentum. Ad quod fane evincendum, hoc integrum esset argumentum: *editio symboli facta est in Synodo generali cum Romano Pontifice, atqui Romanus Pontifex Synodum generalem congregat: igitur Romanus Pontifex simul cum Synodo generali symboli condendi habet facultatem*. In quo, quid amplius infertur, quod non sit in sola majori? quid ad illationem conducit minor propositio de authoritate congregandi Synodum generalem? non ne illud ipsum verificari etiam deberet de quolibet alio Episcopo in Synodo votum habente? ita planè.

49. Ideoque non illa, est illatio sancti Doctoris, sed sequens: *ergo editio symboli ad authoritatem Summi Pontificis pertinet*. Argumentique robur est desuper indicatum; cum enim tota Concilii authoritas, totaque infallibilitas originem trahat a Romano Pontifice, qui illud convocet, illi præsideat, illud confirmet; si Concilii proprium est, condere fidei symbolum, id ipsi pariter competet soli Romano Pontifici, qui est fons, & radix authoritatis, & infalli-

bilitatis Concilii, & proindè hujus necessitatem sanctus Doctor alibi apertè excludit pro rebus fidei decernendis, nempe (*quæst. 10. de potentia art. 4. ad 13.*) ubi in prædictorum corroborationem, sic ratiocinatur: *sicut posterior Synodus potestatem habet interpretandi symbolum a priori Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explicationem, ita etiam Romanus Pontifex hoc sua authoritate potest, cujus authoritate sola, Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur, quæ omnino patent ex gestis Chalcedonensis Synodi; nec est necessarium, quòd ad ejus expositionem faciendam universale Concilium congregetur, cum quandoque id fieri prohibeant bellorum dissidia, sicut in sexta Synodo legitur, quòd Constantinus Augustus dicit, quòd propter imminentia bella universaliter Episcopos congregare non potuit, sed tantùm illi, qui convenerunt quædam dubia in fide exorta, sequentes sententiam* (notet hæc Natalis) *Agathonis Papæ determinarunt, scilicet, quòd in Christo sint duæ voluntates, & duæ actiones, & similiter Patres in Chalcedonensi Synodo congregati, secuti sunt sententiam Leonis Papæ, qui determinavit Christum esse in duabus naturis post incarnationem.*

50. Frustra idcircò Natalis ob oculos ponit *divinam Episcoporum authoritatem*; etenim quæcumque ea sit &, quomodocumque ipsis communicata, talis semper ea esse debet, ut verificetur, & Episcopos ipsos Romani Pontificis curæ commissos, esse ab ipso in fidei doctrina pascendos, cui proindè Unigenitus Patris, ne dum dixit *pasce agnos* sed etiam *pasce oves*, idest Episcopos; *cui, non dico Episcoporum*, ait (*lib. 5. de considerat.*) divus Bernardus, *sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè tota commissa sunt oves, si me amas, Petre pasce oves meas? quas? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certè regni? oves meas (inquit) cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

51. Episcoporum itaque concedimus esse fidei symbolum condere in generali Synodo congregatorum; si a Romano Pontifice ad id congregentur, si cum debita dependentia ab eodem se gerant, si, ut loquitur Angelicus, Romani Pontificis *sententiam sequantur*, ac a Romano Pontifice eorum sententia confirmetur; & proindè si Episcoporum erit id præstare, a fortiori id ipsum solius Romani Pontificis erit proprium, ex vulgari illo effato, cui tota Angelici ratiocinatio apparet innixa: *propter quod unumquodque tale, & illud magis.*

52. Hæc, etsi leviter, delibasse, sit satis ad nostrum institutum, & ad supremam firmandam fidei regulam, ultimatam, & adequatam, Judicem que controversiarum in materia religionis exurgentium designandum. Solvenda nunc essent objecta, quæ tamen ad vitandam *articuli* prolixitatem omittimus, sive ex dictis diluenda, sive cum suis responsionibus *sequenti cap. art. 14.* proponenda. Unum hic remanet observandum, ad præcludendam aliquam æquivocationem, quæ forsitan parere utcunque posset, quod non semel *in hoc, & præced. art.* diximus, non aliam videlicet in Ecclesia infallibilitatem agnosci posse, nisi quam habet à Romano Pontifice ex ipso in illam promanantem.

53. Pro cujus maiori intelligentia, duæ cum communi Theologorum distinguendæ infallibilitatis species; altera, quæ dicitur judicialis, & definiens fidei quæstiones; altera quæ dicitur personalis, & consistit in assensu ipso præstando fidei dogmatibus, ac definitionibus super controversiis religionis habitis. Primam, diximus, & iterum dicimus, ultimatè, finaliter, adæquatè in solo Romano Pontifice residere, ipsoque præsidente, vel saltem confirmante, ac approbante etiam in generalibus, imò & in particularibus Synodis. Posteriorem verò non repugnamus agnoscere in Ecclesia, cujus virtute eam credimus non defecturam, adeout semper in ea vigeat fides catholica, semperque adsint fideles, qui in fidei unitate conserventur, supremoque visibili capiti adhæreant, ejusque definitionibus obsequenter assentiant, donec omnium efficiatur *unum ovile, & unus Pastor.*

54. Abscedat igitur ab obedientia Romani Pontificis hæc, vel illa particularis Ecclesia, non tamen evenire casus poterit, quo omnis abscedat, sed semper firmissimè esse debet Ecclesia universalis, & catholica, universalitate doctrinæ, universalitate præceptorum, & etiam universalitate dilatationis, ut verificetur illud (*psal. 18. 5.*) *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, adeout in qualibet orbis parte sint, qui Romanum Pontificem venerentur, qui fidem ab ipso propositam amplectant, ut ac de quibus cum Cyrillo (*in lib. Thes.*) quem (*opusc. 1. con. Græc. c. 21.*) citat Angelicus, dici valeat; *ut membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romano Pontifice, à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus.*

55. Juxta distinctionem hujusmodi, de-

desumenda itidem explicatio doctrinæ traditæ *num.* 25. de Ecclesia Romana, quam infallibilem diximus infallibilitate judiciali, quòd in ea, tamquam in propria Sede residcat Christi Vicarius, juxta quam acceptionem, Maximus *in epist. ad Orientales* apud S. Thom. (*opusc.* 1. *contr. Græc. c.* 68.) *omnes fines orbis, qui Dominum sincerè receperunt, & ubique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in Ecclesiam Romanorum, tamquam in solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ fidei recipiunt.* Nec diverso tenore loquuntur Cyprianus (*lib.* 1. *epist.* 3.) Hieronymus (*lib.* 3. *apol. contra Ruffinum,*) Nazianzenus (*in carm. de vita sua ante med.*) Martinus Papa V. in *Bulla*, quam edidit approbante Constantiensi Concilio, & alii passim Patres, Romanique Pontifices.

56. Ex hac autem infallibilitate judiciali, quæ in Ecclesia Romana ratione Capitis residet, & ex Capite, sua denominatione ipsam Romanam Ecclesiam afficit, eruitur & altera personalis, qua *populus*, & *clerus Romanus non potest errare, ita ut omnes omninò errent, & nulli fiat in Romana Ecclesia fideles. & Pontifici adhærentes, tametsi enim unusquisque seorsim errare potest, tamen id fieri non potest, ut omnes errent simul, & tota Romana Ecclesia apostatica efficiatur*, verba sunt Bellarmini *lib.* 4. *de Rom. Pontif. cap.* 4.

57. Ex quo, fortior eruitur extensivè saltem ratio, cur apud fideles idem sit *fides Catholica, ac fides Romana*, aliquemque *Catholicum dici*, ac *Romanum*, principaliter quidem, & sufficientissimè, ex quo Romanæ Ecclesiæ Pastor idem sit ac totius Ecclesiæ Episcopus, Christi Vicarius, Petri successor, infallibilitatis judicialis privilegio gaudens in credendorum definitione, propositione, & decisione; minùs principaliter, quòd ipse populus, & clerus Romanus infallibilitatem personalem habeat modo nuper indicato. Quem vocabulorum permixtionem *Catholici*, & *Romani*, ac eorumdem adinvicem convertentia, non nova, & recens est, sed antiquissima, ut (*ad an. Christi* 45. *num.* 10.) luculenter ostendit Cardinalis Baronius ex eorumdem hostium fidei testimoniis.

58. *Sed illud unum sic habeto; adeo hæc certa, atque explorata haberi, ut antique usu illud esset receptum, tam apud nostros, quàm apud cæteros, has voces* Romanus, & Catholicus *absque distinctione usurpari solitas, ita ut, idem esset dicere* Romanus, *quòd* Catholicus, *idque monstrari potest, non tantùm nostrorum testimonio, & exemplo, sed etiam hostium assertione ecce quippe Theodosius junior Imperator* in ea epistola, *quam scripsit* ad Acacium Episcopum Beræensem, *hac ait*: vosque probatos Romanæ Religionis Sacerdotes esse manifesto argumento declarate, *extat hæc epistola* in actis sacrosanctæ Synodi Ephesinæ, tom. 5. Concil. edit. Peltan. *Addâ & de Arianis exempla, Victor Uticensis* de persecutione Wandalica lib. 1. *hæc a Jocundo Africano homine ad Theodoricum Arianorum Regem in Africa, refert dicta*: Poteris, inquit, cum diversis afflictionibus interficere; nam si gladio peremeris incipient Romani Martyrem prædicare, & *Gregorius Turonensis* (de gloria Martyrum cap. 79.) & ex persona eorumdẽ: quid putatis (dicebat unus ex illis) quod nunc isti Romani dicant? & (eodem lib. cap. 25. *de Arian. Principe*:) cogitavit intra se, dicens, quia ingenium est Romanorum (Romanos enim vocitant homines nostræ religionis) ut ita accidat, & non sit virtus Dei, & *inferiùs* (eodem lib. cap. 20.) ex persona itidem Ariani hominis hæc ad suos dicentis: si consenseritis dictis meis exercebimus hodie cachinnum de hoc Romanorum presbytero, *hoc est, Catholico Sacerdote*.

59. Nec pro conclusione *articuli* omittimus obiter animadvertere cum Bellarmino *loc. cit.* diversum quid, adhuc esse, Ecclesiam Romanam non posse errare *persistente Romæ Apostolica Sede, secùs autem si sedes auferretur*, & Ecclesiam Romanam non posse errare, vel deficere, *quia nec Sedes Apostolica possit umquam Roma aliò transferri; & quidem secundùm priorem sensum, propositio nostra*, (idest: quòd *neque Romana particularis Ecclesia* possit errare in fide) *est verissima & fortasse tam vera, quàm illa prima de Pontifice...... At secundùm posteriorem sensum, Ecclesiam Romanam non posse deficere, est quidem pia, & probabilissima sententia, non tamen adeò certa, ut contraria dici possit hæretica, vel manifestè erronea*. Hæc Eminentissimus Author aliaque fusiùs, quæ in eo perlegi poterunt.

ARTICULUS XIII.

An Romanus Pontifex infallibilitatis privilegio gaudeat etiam in materia morum?

1. Abundè hactenùs videtur stabilitum in Romano Pontifice privilegium infallibilitatis in materia religionis, & fidei, quoties aliquod dogma fide tenendum proponit, aut tamquam hæreticum quid rejiciendum præscribit ex Cathe-

thedra loquens, universalemque docens Ecclesiam. Examinandum nunc sese offert, an similis infallibilitatis privilegio gaudeat Christi Vicarius in resolvendis itidèm ex Cathedra, ac tamquam omnium fidelium, Magister, & Judex, materiis ad mores spectantibus, decernendo e, g. aliquam propositionem *scandalosam* esse, *perniciosam* &c. & licèt eadem quæstio excitari posset de aliis propositionum censuris in materia fidei, quæ tamen *hæresis* nota inferiores sunt, ut quòd aliqua propositio sit *erronea*, *sapiens hæresim*, *periculosa in fide* &c. ab hac tamen nos ad præsens consultò abstinemus, quòd de ea pertractaturi simus *cap.3.* cum de *propositionibus oppositis definitioni Ecclesiæ*, nec non & de nota *præsumptuosæ* sermo erit instituendus.

2. Dicendum est Romanum Pontificem loquentem ex Cathedra, universalemque docentem Ecclesiam, non posse esse erroribus obnoxium, docendo, præcipiendo, judicando, ac approbando, vel rejiciendo, ac proscribendo propositiones ad morum materiam spectantes. Ita passim Theologi cum Suario (*disput.5.de fide sect.8, num.7.*) Bellarmino (*lib.4.de Romano Pontifice cap.5.*) De Lugo (*tract.de fide disput.20.sect.3, nu.109.*) quos, aliosque citatos sequitur Cardenas (*in sua Crisi theol.cap.1.& 2.super propositionibus ab Innoc.XI. damnatis.*)

3. Errare namque in genere, ex Augustino (in *Euchir. cap.17.* & *lib. contr. Acad. cap.4.*) nihil est aliud, *quàm approbare falsa proveris, aut vera pro falsis*, & proinde errare in materia morum, idem est, ac judicialiter, & ex Cathedra approbare, & definire, aut præcipere turpia tamquam honesta, & econtra, reprobare honesta veluti turpia. Quod, si in Papa universalem Ecclesiam docente contingeret, necesse foret totum errorem in Ecclesiam refundi, quæ dum Pastoris sui vocem audire, & sequi perstringitur, non potest non amplecti, ut honesta, quæ Pastor ipsi exhibet, ut honesta; nec, non respuere, ut turpia, quæ Pastor respuenda, ut turpia judicaverit. Hoc autem manifestè repugnaret Christi promissionibus *art. præcedenti* relatis, illique præsertim, qua pollicitus est, portas inferi nullum habituras robur adversùs eam.

4. Et si enim primariò intelligendæ veniant in ordine ad dogmata, propositionesque ad fidem spectantes, quæ cæterarum virtutum omnisque justitiæ est fundamentum, secundariò nihilominùs se extendunt ad materiam morum, aliter mutilæ forent & defectuosæ, nec per eas, earumque impletionem, perfectè Ecclesiæ suæ Christus providisset. Ecclesiæ *Pastor primus, ipse Christus fuit*, ait Pius Papa II. *in Bulla retract.* quam extensam habes apud Cardinalem de Aguirre (*tract.1. de auctor. infallib.Roman. Pontif. extra Conc.disp.16.sect.1.*) *& Pastor bonus, qui posuit animam suam pro ovibus suis. Secundus Pastor Petrus extitit ab ipso Domino institutus, atque omni potestate donatus, quæ ad benè regendas commissas oves necessaria dicitur; alioquin Christus, qui Sapientia Patris est, & omninò sapienter egit, Ecclesiæ suæ haud sufficienter providisset, quod est nefarium asserere.*

5. Idipsum evincit paritas de Synagoga (*art.præced. num.3.4.*) indicata, in qua supremus Pontifex nedum infallibilis erat quoad definitiones fidei, sed & in resolutionibus ad morum materiam pertinentibus, quam innuunt verba illa (*Deut.17. 10.*) *Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram*; quorum sensus, non est, obediendum esse summo Sacerdoti, quoties *docuerit juxta legem ejus*, ac si quandoque potuerit contra ipsam docere, sed quòd diversimodè ab ea docere absolutè nequiverit; aliàs inutile, & frustraneum fuisset divinum præceptum recurrendi ad summi Sacerdotis judicium, dum, eo prolato, altera ex partibus illud expostulantibus, contra quam sententia pronuntiabatur, opponere semper potuisset, latam *juxta legem*, eam minimè fuisse; unde Septuaginta verterunt: *& custodies valdè, ut facias secundùm omnia, quæ sancita fuerint tibi secundùm legem, & juxta judicium, quod dixerint tibi facies*; & Sanctes Pagninus: *juxta sermonem legis, quem docebunt te, & secundùm judicium, quod dicent tibi, facies*, ideoque meritò mortis supplicio afficiendus decernitur, *qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo*.

6. Fortiùs ex 2.*Paralip.*(19.11.) ubi legitur: *Amarias autem sacerdos Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit*: (& *ex cap.18.Exodi 19.*) ubi Jetro Socer Moysi, sequens præbuit consilium: *esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent*; non igitur in solis fidei materiis, sed & in materiis morum, nisi quis velit effutire, solam fidem ad Deum pertinere, non rectos mores, adversùs Christi Domini monitum (*Matth. c.19. 17.*) *si vis ad vitam ingredi serva mandata*; indeque possibile effingere, quòd promanare

V4.

valeat ad Ecclesiæ instructionem tamquam sanctum, quod revera, est dictis mandatis adversum, ex Cathedra ejus, qui à D. Bernardo (*lib.2. de consid.cap.8.*) dicitur: *Sacerdos magnus, summus Pontifex, Princeps Episcoporum, Hæres Apostolorum, primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus*.

7. Nec aliter loqui potest, qui in dies, symbolum fidei recitans, profitetur Ecclesiæ sanctitatem: *credo sanctam Ecclesiam catholicam*, ut fert communis usus, omninò sequendus, vel *credo in sanctam Ecclesiam, catholicam*, ut posse dici existimavit Anselmus relatus ab Angelico (*in 3. dist.25.*) Sive enim articulum hunc fidei explicemus ob particulam, *in*, referendo *ad Spiritum Sanctum, qui sanctificat Ecclesiam*, ut sit sensus: *credo in Spiritum Sanctum sanctificantem Ecclesiam*, ut habet idem Angelicus (*2.2.q.1.art.9. ad 3.*) sive, & meliùs, particula illa omissa, immediatiùs tendendo in ipsam Ecclesiam, semper fidei objectum est, ejusdem Ecclesiæ *sanctitas*, ideft, ut definit D. Dionysius (*cap.12. de divi.nomi.*) *ab omni immunditia libera, & perfecta, & omninò immaculata*, de qua propterea (*cant.4.7.*) *tota pulcra es amica mea, & macula non est in te* (*ps.64.5.*) *Sanctum est Templum tuum Domine mirabile in æquitate* (*Apoc.21.2.*) *vidi Civitatem Sanctam Jerusalem* (*1. ad Corint.3.17.*) *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*.

8. Sancta autem cum, ex indicatis (*articulo 11 nu.19.*) dici nequeat ob sanctitatem personalem, quæ sit in fidelibus Ecclesiam constituentibus, quorum singuli, dum peregrinantur à Domino, sive Pastores sint sive agni, sive membra, sive Caput, dicere cum D. Joanne (*epist.1. cap.18.*) debent: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, id proculdubiò erit ratione sanctitatis doctrinæ, & præceptorum, quibus fideles ipsos instituit in ordine ad vitam æternam, juxta monitum illud (*Lucæ 1.74.*) *serviamus Domino in sanctitate, & justitia, coram ipso omnibus diebus nostris*.

9. Quæ verò præceptorum sanctitas in Ecclesia admitti poterit, si in supremo ipsius visibili Capite capacitas supponatur præcepta condendi fideles omnes obstringentia, quibus inhonesta præscribantur facienda, tamquam honesta, & econtra honesta prohibeantur, & interdicantur tamquam immunda? Ad quid ergo à Christo promissus Ecclesiæ *Spiritus veritatis* (*Joan. c.16.13.*) qui docere deberet usque in sæculi finem *omnem veritatem*, si summus ipsius Vicarius non *Spiritu veritatis*, sed potiùs *spiritu mendacii* in legibus condendis, in præceptis ferendis, duci umquam poterat in universorum fidelium scandalum, & perniciem? Ad quid Apostoli ore (*ad Ephes.5. 3.*) hortatur nos Spiritus Sanctus: *fornicatio, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet*, si dein per *ejus organum* (sic namque appellatum à Patribus scimus Romanum Pontificem) obligari, seducique possumus ad amplectenda, ut media ad æternam salutem, quæ à salute ipsa sunt aliena?

10. Filios lucis appellat Doctor Gentium fideles *ad Ephes. cap.5.8.* imò ipsamet *lux in Domino*, suadens, *ut filii lucis ambulare*, cujus *fructus*, inquit, *est in omni bonitate, & justitia, & veritate*; at, si lucis ejusmodi fons in Christi Vicario residens, verti potest in tenebras, quibusnam nos radiis ex ignorantiæ, ac materiæ caligine liberabimur? quomodo vivere poterimus *in bonitate, in justitia, in veritate*, si, quæ sunt bona, semel prohibeantur per supremum Ecclesiæ Pastorem, ut mala; justa, ut injusta, vera, ut falsa? absit sanè id vel suspicari de eo, quem Christus designavit in Pastorem Pastorum, à quo nempe pasci in æternùm deberent non minùs *agni*, quàm *oves*, hoc est non minùs greges, quàm gregum Custodes, seu, ut loquitur (*disp.5. de fide sect.8. n.1.*) Suarez, *totum gregem à minimo usque ad magnum, qui per agnos, & oves significatur*; & longè ante ipsum (*lib.2. de consid. cap.8.*) Bernardus: *habent illi*, idest Episcopi, *sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modò ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem, quæris: ex verbo Domini, cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè, & indiscretè commissæ sunt oves?* si me amas, pasce oves meas. Et infra: *cum quisque cæterorum* Episcoporum *habeat suam, tibi una commissa est grandissima navis facta ex omnibus, ipsa universalis Ecclesia, toto orbe diffusa*.

11. Jure meritò propterea Martinus V. in Concilio Constantiensi, in Bulla, quæ incipit: *Inter cunctas pastoralis curæ*, quæ legitur ad Concilii calcem post damnatos errores Wiclephi, & Jo. Hus, examinandos præcepit, quotquot ex hæreticis, aut de hæresi suspectis, cuperent ad Ecclesiæ catholicæ

catholicæ gremium admitti, *utrùm credant, quòd illud, quod sacrum Concilium Constantiense universalem Ecclesiam repræsentans, approbavit, & approbat, in favorem fidei, & salutem animarum; quod hoc est ab universis Christi fidelibus approbandum, & tenendum; & quod condemnavit, & condemnat esse fidei, & bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum, & asserendum?* Ac, ut exemplum definitionis ad mores pertinens promamus, pro eo inserviat altera ex interrogationibus, quæ fieri debebant indicatis ad fidem reversis; *utrùm credant, quòd consuetudo communicandi personas laicales sub specie panis tantùm ab Ecclesia universali observata, & per sacrum Concilium Constantiæ approbata, sit servanda, sic quòd non liceat eam reprobare, aut sine Ecclesiæ authoritate, pro libito immutare; & quòd dicentes pertinaciter oppositum præmissorum, tamquam hæretici, vel sapientes hæresim, sint arcendi, & puniendi?*

12. Et quamvis interrogationes prædictæ conceptæ sint in favorem approbationis habitæ per Concilium Constantiense, visum tamen jam est *artic. præced.* id ipsum competere soli Romano Pontifici, à quo in Concilium quodlibet emanat infallibilitas, & signanter in Constantiense, quod, sicuti œcumenici, ac legitimi rationem obtinuit in rebus fidei ob Pontificiam confirmationem, ita & in plerisque aliis, nullius habetur momenti, quòd simili non fuerint corroboratione munita. Cæterùm non desunt authoritates, & exempla intentum suadentia immediatiùs de Romano Pontifice se solo morales propositiones approbante, aut damnante. Et quo ad authoritates, hujusmodi sunt illæ, quæ, ut in simili diximus *num.4.* etsi primariò intelligendæ sint, quoad pontificiam approbationem in materia fidei, secundariò tamen ad morum materiam extendi debere, indicatur per particulam *præsertim*, aut similem, quæ sui natura non exclusiva alterius est, quoad substantiam, quam potiùs importat, ac designat, sed tantùm quoad modum, quatenùs illud alterum non æquè principaliter importetur.

13. Sic autem loquentes videmus S. Bernardum (*epist.* 190. *ad Innocent. Papam*) *oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala regni Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt;* Innocentium I. (*ep.93. ad Patres Concilii Millevit.*) *per omnes Provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanant, præsertim quoties ratio fidei ventilatur*. Innocentium III. (*in cap. majores de Bapt.*) *majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas intelligit, qui eum, quærenti Domino, quem Discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabit*: Tu es Christus filius Dei vivi. Magnum Gregorium (*lib.4. ep.52.*) *Si quam verò contentionem (quod longè faciat divina potentia) de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine, judicio Sedis Apostolicæ indigeat, examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.*

14. Nec minùs clara extant exempla, quibus pleni propemodùm sunt *libri Decretalium*, responsa continentium Romanorum Pontificum, ad dubia, quorum major pars versatur circa materiam morum, ex singulis terrarum orbis partibus Apostolicę Sedi delata. Quòd si recentiora illis addere velimus, in promptu erunt condemnatio ę nanata à Sixto V. (*const.45. Detestabilis*) contra contractus societatis cum certis quibusdam conditionibus, & pactis, variis in Provinciis iniri solitos, quos *usurarios*, & *illicitos* declaravit; & prohibitio habita per Clementem VIII. illius propositionis: *licere per litteras, aut internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, ac, ut alia silentio obducam, notissima sunt, cunctisque obvia decreta Romanorum Pontificum nostris hisce temporibus edita contra permultas propositiones majori ex parte super morum materia versantes, ad quarum proscriptionem se devenisse protestatus est Alexander VII. *ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via; pro pastorali solicitudine in rectam semitam evocaret*, & Innocent. XI. *Ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis à fel. rec. Alexandro VII. prædecessore suo inchoatum prosequi volens* &c.

15. Verùm ex his eisdem Alexandri, & Innocentii constitutionibus, posset quis primum argumentum conficere contra stabilitatem Pontificiam infallibilitatem in materia morum, ponderando particulas illas *interea*, quæ extat in illa Alexandri VII. & *pronunc*, quæ est in alia Innoc. XI. indicantes, definitiones factas, perpetuas sui natura non esse, sed mutabilitati obnoxias, ex quo idem videatur, dicere *pronunc, statuimus*, ac dicere, *hoc statuimus, interim, dum aliud*

non

non apparet. Patet autem, quòd, si mutabilia decreta pontificia admittantur, ea, infallibilitatis prærogativa prædita esse non possint, cùm infallibilis veritatis esse nequeat, quod quandoque verum est, quandoque valeat esse falsum.

16. Movet hanc difficultatem Didacus Hurtadus *in sua theol. reform. diss. proœmiali q.5.* respondetque,, verbum *pronunc* non respexisse, nisi ad mutationes quasdam, ,, quæ decursu temporis possunt accidere, ,, unde scandalosæ, ac perniciosæ esse desinant aliquæ ex illis doctrinis, quæ his ,, censuris notabantur,, Quòd si replicetur ipsi, quo pacto mutabilitas dicta componitur cum pontificia infallibilitate, statim replicat,, quòd licèt illæ prout à Pontifice ,, emanarunt, non fuerint, neque futuræ ,, sint errori expositæ, adhuc tamen in his ,, omnibus, quæ ad jus positivum spectant, ,, decursu temporis mutationem aliquam ,, intervenire posse, quæ illarum scandalum ,, tollat,, quod probat exemplo propositionis *trigesimæ septimæ* ex damnatis ab Alexandro VII. *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ*, quæ etsi ad præsens scandalosa sit, à scandalo nihilominùs posset cessare, si revera aliquis R. Pontifex illas revalidaret. In his verò quæ immediatè spectant ad jus naturale, licèt præfata mutatio formaliter, & ob novum, quod superveniat jus, nequeat intervenire, posset tamen, ratione, aut materiæ, aut circumstantiarum adhuc contingere, ut propositio, quæ uno tempore est scandalosa, talis alio tempore minimè censeatur.

17. Me tamen judice difficultati ex particulis *pronunc*, & *interea*, erutæ, faciliùs occurreretur dicendo, eas minimè referri debere ad prohibitionis limitationem, *dum aliud non apparet*, sed ad solam restrictionem illarum propositionum, quæ determinatè prohibentur, suspenso *pronunc*, & *interea* judicio super aliis æquè ad Apostolicam Sedem delatis, aut deferendis. Clarum hoc est in decreto Alexand. VII. ex verbis illis: *Dum similium propositionum examini, cura, & studium impenditur, interea idem Sanctissimus* &c. idemque evinci potest quoad decretum Innoc. XI. in quo Pontifex plurimas propositiones theologorum, & Eminentissimorũ Cardinalium Inquisitorum examini subjecisse asserit, & dein *statuit*, ac *decrevit pro nunc sequentes* . . . . . *damnandas* . . . . . *Non intendens* . . . . . *alias propositiones non expressas, & sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacunque parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenùs approbare*.

18. Non indè tamen negamus, in propositionum proscriptione attendi potissimùm debere Romani Pontificis mentem, modumque prohibitionis, an nempè illas damnet, tamquam juri divino, aut naturali contrarias? an ratione circumstantiarum, ob quas in perniciem cedant animarum? an in ordine ad hoc, vel illud determinatum tempus? ex quibus vel similibus reflexionibus facilè colligi poterit, quandoque unam, eamdemque propositionem nunc censura dignam censeri, nunc verò à prava nota immunem, absque infallibilitatis pontificiæ præjudicio, quod præsertim contingere posse in propositionibus æquivocis deliba- vimus *cap.1. art.6. num. præsertim 14. & seq.* etiamsi agatur de propositionibus ad fidem spectantibus, cum præcipuè proscribuntur, non tàm ob pravitatem intrinsecam, quàm ob extrinsecam ex Authorum intentione derivatam. Sufficit igitur, ut Pontifex infallibilis habeatur in propositionum quarumlibet damnatione, quòd illæ in eo sensu, & sub ea consideratione, ac circumstantiis, sub quibus damnantur, tales propemodùm reverà esse certissimè debeant, adeò ut chimericum prorsùs sit attentis omnibus verificari, quòd Pontifex vel approbet turpia, scandalosa, sacrilega, pro honestis, rectisque morum regulis congruentibus, vel ècontra, reprobet hæc ut turpia, scandalosa &c.

19. Simili pariter modo inspiciendum est, an in propositionibus modalibus censura feratur in propositionis cujuslibet *dictum*, vel dumtaxat in *modum*, quo afficitur, ac concipitur; si enim afficit *modum*, potest censura quandoque cum aliquali probabilitate veritatis *dicti* consistere. Sit exemplum in propositione prima ex damnatis ab Innoc. XI. *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiori* &c. in qua *modus* propositionis, super quem cadit prohibitio, est in primis particulis, *non est illicitum*; *dictum* verò, est opinio ipsa probabilis de valore sacramenti; sit igitur casus, quo quis conscius pontificiæ damnationis baptizet infantem forma illa: *ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*; quam aliqui probabiliter putant sufficientem; iste talis proculdubiò reus efficeretur pontificiæ prohibitionis, ac præcepti non reducendi ad praxim dictam opinionem; quo tamen non obstante, probabiliter

adhuc vera ab aliquibus censetur quoad validitatem opinio illa, & proinde forma relata ad baptismum sufficiens; semper tamen usus ipsius erit *illicitus*, quia sacramentum exponeretur frustrationi, ad quam vitandam Apostolica Sedes prædictam modalem propositionem damnavit; & sub ea forma baptizatus, esset saltem sub conditione rebaptizandus.

20. Eruenda itidem ex dictis responsio est ad aliam difficultatem non dissimilem illi, quam expendimus *num.* 17. discurrendo de constitutionibus Alexandri, & Innocentii, relatè ad tempus præteritum, modo, quo ratiocinati de illis sumus in ordine ad tempus futurum, quicquid citatus Hurtadus sentiat, particulas illas *pronunc*, & *interea*, tempus præteritum etiam excludere, omissisque subtilibus distinctionibus, quibus ipse utitur ad intentum firmandum, satis colligi dicimus ex constitutionum earumdem proœmio, intentionem Pontificum fuisse, non jam condere jura nova, sed *salubre opus* perficere *in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis*; qui autem segregat, non reddit, sed supponit adesse pascua noxia, & innoxia, ad eum planè modum, quo, cum quis onus suscipit segregandi zizania à frumento, supponit zizania in area adesse, non ea seminat, quod cohæret & iis, quæ diximus *cap.* 2. *art.* 2. *num.* 12. *& seq.* ubi sufficienter notavimus, extensionem ad tempus præteritum intelligi debere dumtaxat quoad rationem formalem, ac motivam prohibitionis, seu quoad solam pravitatem, quæ in propositionibus damnatis erat in priori ad prohibitionem, licèt non agnosceretur adeò clarè, nec ab omnibus, & à qua proinde excusabantur quotquot eam inculpabiliter ignorabant.

21. Validius ad excludendum tempus præteritum est Hurtadi argumentum, quod conficit ex *Bulla* Sixti V. *ordine* 45. *incip. Detestabilis*, contractus societatis cum certis conditionibus, & pactis damnare, & prohibere asserentis cum aperta expressione *posthac ineundos*. Unde, inquit Hurtadus, „ neque obligavit sua condemnatione, ac „ reprobatione ad judicandum, seu censendum, ejusmodi contractus, quos *morbosos, contagiosos*, ac *perniciosos*, *sapientesque usurariam pravitatem* appellat, atque ea propter illos damnat, prohibetque in posterùm, fuisse tales secundùm se, & „ antecedenter, sed solùm statuit illos usurarios, & illicitos posthàc censeri debere, „ ac in posterùm non licere &c.

22. Adhuc tamen particulam præfatam *posthàc* non in omnibus exclusivam censemus præteriti temporis; satis namque Sixtus explicat, præfatos contractus antecedenter ad sui prohibitionem pravos fuisse, dum ait, se eos prohibere *antequàm in communem fidelium perniciem latiùs serperent*; igitur jam *serpebant*; non enim, ait, *ne serperent*, sed, ne *latiùs* (quod comparativum est) *serperent*. Noluit proinde Pontifex sua authentica declaratione contractus antea habitos cū eisdem pactis, fœneratitios, nullos &c. decernere, sed hoc reliquit Theologis discutiendum, non quidem quoad pravitatem eorumdem, an revera inesset, vel non? sed quoad pravitatis cognitionem, an in contrahentibus fuerit, necne? & an inculpabilis eorumdem ignorātia apta foret ad eos absolvendos, necne, à restitutione pretii ultra sortem accepti? At quoad pravitatem contractuum, abundè eam adesse indicavit, & quidem nedùm per comparativum prædictum, sed & pluribus aliis particulis, quibus fassus est, se usum dictorum contractuum *cum magno dolore* audivisse, finemque suum esse, *pro pastorali sollicitudine gregem dominicum suæ fidei creditum ab omni offensione, & æternæ vitæ discrimine tutum in viam salutis dirigere*.

23. Non possumus idcircò non approbare limitationem, qua suam explicationem perstringit ipsemet Hurtadus, ad sensum hactenùs indicatum, magna saltem ex parte pertrahens „ Neque ob id contendo, „ nullam ex eis fuisse antecedenter scanda„ losam activè, & propriè, sed dumtaxat „ ajo, id non fuisse authenticè, & expresfè, „ ac immediatè declaratum à summis „ Pontificibus in his decretis, quæ omnes, „ & singulas ex æquo respiciunt, nec de his „ potiùs, quàm de aliis aliquid pravius de„ cernunt, ad modum, quo plures ex ipsis „ optimo jure potuissent reprobari, ac con„ demnari, declarando, eas esse, ac fuisse „ falsas, temerarias, vel errori proximas, „ & tamen nihil horum ibi declaratur, li„ cèt prohibitio adjuncta, & ejus modus „ sit planè similis ei, quo solent interdici „ doctrinæ hisce censuris subjectæ.

24. Occurrendum nunc est duorum præ aliis Romanorum Pontificum dictis, quæ assertam Pontificiam infallibilitatem in materia morum videntur infringere. Alexander III. alter eorum est, alter verò Innocentius III. quorum prior Salernitano Archiepiscopo scribens, *cap. licèt. de sponsa duor.* matrimonium ratum, legitimèque con-

contractum non dissolvi per subsequens aliud matrimonium, quantumvis juramento firmatum, & etiamsi carnalis copula in secundo fuerit habita, subdit: *quamvis aliter à quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Posterior *cap. Quanto, de divortiis*, docens, matrimonium inter fideles baptizatos, & catholicos contractum, non dissolvi per hæresim, seu apostasiam à fide alterius conjugis, pariter subjungit; *licèt quidam Prædecessor noster sentiisse aliter videatur*, Cœlestinus videlicet III. qui contrarium respondit *cap. laudabilem de convers. infid.* ut olim habebatur, & ad præsens extat in collect. Antonii Agustini *collect. 2. tit. 23. cap. 2.*

25. Non una, & eadem ad Alexandri textum est Theologorum, ac Canonistarum responsio. Aliqui enim cum Valentia *2. 2. disp. 1. q. 1. punct. 7.* contendunt Pontificem loquutum fuisse emphaticè, & per exagerationem, non quòd reverâ sui Prædecessores id licitum judicaverint, sed quia non licere tradit, tamquam adeò certum, ut id firmissimè tenendum statuat, etiamsi Prædecessores sui aliter judicasse putarentur, juxta phrasim, qua usum scimus *ad Galat. 1. 8.* Doctorem Gentium, verbis illis: *si Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quòd evangelizavimus, anathema sit.* Quod confirmari potest, ex quo Alexander, ut advertit Suarez *lib. 4. de leg. can. cap. 14. n. 10.* non designat, qui fuerint illi Pontifices aliter sentientes, nec ulla de hujusmodi eorumdem contrario judicio sufficiens habetur notitia.

26. Alii, quos non rejicit ipse Suarez, supponentes, posse Pontificem ex justa causa dispensare in matrimonio rato, non consumato, ita se gessisse autumant Pontifices illos, quos innuit Alexander, non videlicet sententiando, aut respondendo, aut ferendo regulam universalem in omnibus casibus servandam, sed in aliquo particulari casu dispensando, quòd crederent sufficiens adesse ad dispensationem hujusmodi motivum, in quo, si errarunt, error facti fuit, ac particularis, nec redundans in totius Ecclesiæ perniciem, & ideò summis Pontificibus minimè repugnans.

27. Alii communiùs, & textui conformiùs cum Cano *lib. 6. de loc. cap. 8. ad 3.* Bellarmino *lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 15.* Covarruvias *2. p. quarti cap. 7. §. 3. num. 15.* quos citat, & sequitur Suarez *num. 11.* cum quo novissimè sentit Emanuel Gonzalez in *dictum cap. Licèt. de spons. duor.* asserunt, judicium illud Prædecessorum Alexandri, quicumque fuerint, fuisse per sententiam latam in aliqua particulari causa, & secundum opinionē privatam, ac ideò ineptum ad inducendam generalem regulam, & ad inferendum ullum præjudicium infallibilitati pontificiæ, quam defendimus, cum nempè loquuntur ex Cathedra, universalem Ecclesiam docentes, regulamque firmantes, quam omnes, & singuli teneantur amplecti, illique se perpetuò conformari.

28. Similiter quoque responderi potest ad alteram objectionis partem, Cœlestinum videlicet tertium responsum dedisse cuidam privatæ consultationi juxta propriam opinionem, non definitivè, & ex Apostolici magisterii plenitudine, idque non sine aliquali formidine, ut ex particulis illis; *non enim videtur nobis; quòd si prior maritus redeat*; quæ ut inquit Suarez, *sunt privatum sensum aperientis, non definientis, aut certam doctrinam tradentis.* Cum quo, ex Bellarmino notandum insuper censemus, resolutiones ipsas Innocentii, & Alexandri, nec natura sua fuisse ex Cathedra prolatas, & ad docendam universalem Ecclesiam. Legenti siquidem integram Alexandri epistolam, quæ extat *in Conc. Later. p. 6. c. 8.* in ea conspicíet, quòd Pontifex declarat, se velle aperite, quid sentiat, nec de omni matrimonio rato, *quamvis alii aliter sentiant, aliter etiam à quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Innocentius autem suum responsum protulit verbis illis: *non credimus*, quæ certè legem universalem minimè important.

29. Absit tamen, ut quis inde concludat, constitutiones præfatas ad præsens non habendas ut regulas universales, perpetuas, ac infallibilis firmitatis; id namque prorsùs falsum est, non quidem in vim responsorū per præfatos Pontifices habitorum, sed quòd per Gregorium IX. juri canonico insertæ jam fuerint, & pro generalibus legibus tradita universali Ecclesiæ, illudque Innocentii etiam definitum *sess. 24. can. 5. de sacr. Matr.* in Tridentino: *si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.*

30. Opponi adhuc Pontificiæ infallibilitati in materia morum potest, quòd assistentia Spiritus Sancti, ne erret, est solummodò in definitionibus, quæ Scripturæ sacræ, aut Traditionibus divinis implicitè saltem innituntur, & in divina revelatione fundamentum habent, non verò in defini-

tionibus, quæ ex naturalibus principiis, & rationibus eruuntur. Hoc autem sæpissimè evenit, cùm de materia morum aliquid decerni debet, quoties videlicet honestas, vel inhonestas alicujus actus præcepti, vel prohibiti, non pendet solùm ex principio revelato, sed etiam ex aliquo alio principio jurisprudentiæ, vel philosophiæ moralis, quod lumine naturæ evidenter cognoscitur, ut quòd matrimonium aliquod sit validum, vel invalidum; contractus simoniacus, vel licitus &c.

31. Facillima tamen est solutio Theologorum, apud Cardinalem de Lugo *disput. 20. de virt. fid. div. sect. 3. num. 3.* duplicem in Romanis Pontificibus assistentiam Spiritus Sancti distinguentium; alteram, quam possumus appellare directam, quia est dumtaxat circa doctrinas revelatas; alteram, quam dicere utcumque liceat indirectam, tendentem circa doctrinas naturales, & naturali lumine cognoscibiles; non quidem omnes, sed eas solummodò, quarum cognitio deservit, & necessaria est ad doctrinam salutis stabiliendam, & judicandam. Unde sicuti Doctores solent distinguere in Romanis Pontificibus duplicem potestatem jurisdictionis; directam videlicet, & indirectam; illam, quæ tendat in spiritualia; hanc, quæ exerceatur in temporalia, non per se, & ex ratione ipsis intrinseca, sed in ordine ad spiritualia, ad quæ ordinantur; aliàs potestas ipsa in spiritualia insufficiens prorsùs esset ad Ecclesiæ gubernium, si quoties necessitas id exposceret, non posset pro gregis sibi crediti salute uti potestate altera in temporalia.

32. Ita in casu Romanum Pontificem habere asserimus promissam sibi divinitùs assistentiam quasi directam, quoad revelatorum cognitionem, & definitionem; quasi verò indirectam circa alias doctrinas naturales, non ratione ipsarum, sed ratione vel earumdem rerum revelatarum, vel quatenus ad spirituale animarum regimen est necessaria earumdem cognitio, ne fideles à via salutis aberrent, & ne idem Christi Vicarius noxia pro innocuis præbeat pascua, vel innoxia prohibeat tamquam noxia; quod, si faceret, Ecclesia jam non esset immunis ab errore in fide, ut advertit Bellarminus *lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 5.* id probans: *nam fides catholica docet, omnem virtutem esse bonam, omne vitium esse malum; si autem Papa erraret præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, teneretur Ecclesia credere, vitia esse bona, & virtutes malas, nisi vellet contra conscientiam peccare.*

33. Præfata distinctio Romani Pontificis, ut docentis universalem Ecclesiam, ac ut agentis, vel etiam consultationibus respondentis in casibus particularibus, & ex propria peculiari sententia, si præ oculis habeatur, perplures aliæ objectiones solvi poterunt, à quibus prolixitatem vitantes referendis cessamus. Ad majorem tamen distinctionis præfatæ explicationem, cum Vincentio Ferre Ordinis Prædicatorum *tract. de fide q. 13. §. 11.* monemus, dupliciter posse errorem contingere in decretis pontificiis ad mores pertinentibus; primò, cum leges, quas ferunt, non sunt universales, totique Ecclesiæ directæ, & de his locum habet authoritas Innocentii III. *cap. à nobis de sent. excomun.* inserta: *Judicium Dei, veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, semper innititur; judicium autem Ecclesiæ, seu Romani Pontificis, nonnumquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpè contingit, & falli; propter quod contingit interdùm, quòd qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententia innodatus.*

34. Unde fit, quòd subditis quandoque liceat Pontifices supplicare pro legum ipsis impositarum mitigatione, suspensione, mutatione, & abrogatione, motiva humiliter proponendo, ob quæ mitigatio, suspensio, mutatio, abrogatio, utilis habenda sit, & proficua, ut ex ipsis Rom. Pontificibus monuit *cap. Si quando de rescriptis* Alexander III. *Si quando aliqua tua fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes, sed qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava fuerit nobis insinuatione suggestum.*

35. Errori quoque potest obnoxius reddi Pontifex, cùm leges ipsas communes applicat ad has, & illas personas in particulari, vel cum uno, aut altero dispensat; sic namque, nec se gerit, ut Ecclesiæ totius Magister, universum docens dominicum gregem, sed agit innixus motivis ipsi repræsentatis pro dispensatione in casibus particularibus obtinenda; eodemque modo punit, juxta allegata, & approbata, delinquentes, & idcircò evenire facilè poterit aliquis error, vel nimiæ facilitatis in dispensando, vel nimii rigoris in puniendo, & proinde verificari quod Innocentius innuit *num. 33.* allegatus.

36. Addi posset ex Bellarmino *lib. 4. de Rom.*

Rom. Pontif. cap. 5. & alter modus, quo in Rom. Pon. compatibilis fit error, cum nempe jubeat aliquid, *quod non est bonum, neque malum, sed tamen est inutile, vel sub pœna nimis gravi illud præcipiat*; tunc namque *non est absurdum dicere, posse fieri, quamquam non est subditorum de hac re judicare, sed simpliciter obedire*. Ita Author Eminentissimus, postquàm assertum, quod propugnamus, exemplis declararat: *Non potest fieri, ut Pontifex erret præcipiendo aliquod vitium, ut usuram, vel prohibendo virtutem, ut restitutionem, quia hæc sunt per se bona, vel mala. Nec potest fieri, ut erret præcipiendo aliquid contra salutem, ut circumcisionem, vel sabbatum, vel prohibendo aliquod necessarium ad salutem, ut baptismum, aut Eucharistiam, licèt hæc non sint per se bona, vel mala*.

37. Duo ex asserto colligere solent Theologi corollaria, inferentes, errare Pontificem Romanum non posse, tùm in Religionis alicujus approbatione, tùm in canonizatione Sanctorum. Quorum primum esse intelligendum *quoad substantiam Religionis approbandæ, quicquid sit de circumstantiis, ut esse possunt, vel in approbatione Religionis non necessaria, vel in nimia multitudine earum, quamvis etiam in his non sit temerè ferendum judicium*, ut animadvertit Suarez *disput. 5. de fide sect. 1. num. 9.* qui per *substantiam* venire subdit, *quòd Religio approbata non solùm non sit noxia, vel inutilis, sed etiam simpliciter sit via ad perfectionem*; quo sensu est Theologis ferè omnibus commune, uno excepto Cano *lib. 5. de loc. cap. 5.* quem *graviter errasse*, ait prælaudatus Suarez. *In Jure*, inquit pro corollario *opusc. 19. cap. 4.* Angelicus (25. q. 1.) *dicitur: nulli fas sit, sine statu sui periculo, vel divinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare. Cum ergo per Apostolicam Sedem Religiones aliquæ institutæ sint ad prædicta, manifestè se damnabilem reddit, quicumque talem Religionem damnare conatur*.

38. Ratio autem ex asserti probationibus deducitur; cum enim Pontifex infallibilis habendus hactenùs visus sit in regulis morum toti Ecclesiæ proponendis, sequitur & infallibilem esse in Religiosorum institutorum approbatione, per quam ea, ut perfectionis semitas Ecclesiæ toti commendat, regulasque ipsorum veluti canonizat, ut sanctas; quin obstet authoritas tùm Concilii Lateranensis ad tollendam *gravem in Ecclesia Dei confusionem* ex nimietate Religionum ortam, prohibentis, *ne quis de cætero novam Religionem inveniat, sed quicumque voluerit ad Religionem converti, unam de approbatis assumat*, tùm Lugdunensis sub Gregorio X. *cap. 23.* vetantis, *ne aliquis de cætero novum Ordinem, aut Religionem inveniat, vel habitum novæ Religionis assumat*; tùm variorum Romanorum Pontificum, pleraſque Religiones ab Apostolica Sede approbatas extinguentium.

39. Concilia namque præfata, ultra quod de nimietate loquantur, quam ab asserto excepimus cum Suario *num. 37.* intelligi debent, seclusa semper Apostolicæ sedis approbatione, ad coercendam illorum audaciam, qui inventiones novarum Religionum pro suo arbitratu fingebant; in eis vitam propria authoritate Religiosam agentes; nusquam verò Concilia somniarunt quid noxii reperire in Religiosorum Institutis approbatis per Christi Vicarium, quod nempè viam salutis non aperirent, sed præpedirent, rectisque moribus non congruerent. Quinimmò Constantiense *sess. 8.* Wiclephum damnavit in eo, quòd illa nociva fuerit ausus asserere. Poterit quidem contingere, potestque in dies evenire, quòd Religio aliqua, cujus optimum fit institutum, vel ob sectatorum ejus pravitatem, & malitiam, vel ob alias extrinsecas circumstantias, utilis ampliùs non sit in Ecclesia Dei, quamvis Institutum sui natura optimum sit, & proinde non mirum, si vel ad rigoris moderationem, vel etiam ad extinctionem earumdem ipsimet Romani Pontifices deveniant, nullum Prædecessoribus, qui eas approbarunt, præjudicium inferentes; eo modo, quo multoties leges ipsæ Pontificiæ revocantur, non quia malæ sui natura censeantur, sed quia propter circumstantias, aliasve causas, minus necessariæ, aut secundùm prudentiam minùs reputantur idoneæ; de quo lariùs idem Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 17. à n. 17.*

40. Non minùs certum videtur alterum corollarium de Sanctorum canonizatione, de qua agens Angelicus, tres objectorum classes, seu materias distinguit, in quarum prima collocat rigorosa fidei objecta, circa quæ, impossibile prorsùs, ait esse, quòd Ecclesia erret; *Si consideretur divina Providentia, quæ Ecclesiam suam Spiritu Sancto dirigit, ut non erret, sicut ipse promisit (Jo. 14.) quòd Spiritus adveniens doceret omnem veritatem, in necessariis scilicet ad salutem; certum est, quòd judicium Ecclesiæ universalis errare impossibile est; Unde magis est standum sententiæ Papæ* (advertat hic Lector, S. Thomam ab Ecclesia transitum denuò facere ad Papam, indicans manifestè, idem omninò esse Eccle-

Ecclesiam universalem non errare in fidei definitionibus, ac Papam non errare, à quo in Ecclesiam infallibilitas ipsa judicialis descendit) *ad quem pertinet determinare de fide, quam in judicio profert, quàm quorumlibet sapientum hominum in scripturis, opinioni; Cum Caipham, quamvis nequam, tamen quia Pontifex, legitur, etiam inscium prophetasse (Jo. 11.)*

41. In secunda ponit, *quæ ad particularia facta pertinent, ut, cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi*, & in his (subdit) *possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes*. In tertia statuit, Sanctorum canonizationem, quam dicit *medium inter hæc duo*, subjungens; *quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, piè credendum est, quòd nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit*. Ex quibus ultimis verbis, in sequentem formam Cardinalis de Laurea *disput. 6. de objecto materiali fidei, in quæst. facti art. 3. num. 81.* argumentatur; „ Si igitur honorare Sanctos, est professio „ fidei, quia creditur eorum gloria; quòd „ canonizati sint Sancti, est objectum fidei. „ Evidens est consequentia. Virtus etenim „ fidei non potest inclinare, vel tendere, „ nisi in ea, quæ sunt intra latitudinem sui „ objecti: neque potest aliter sciri, quòd „ aliqui sint Sancti, & gloria fruantur, nisi „ per fidem, aliàs firmitas fidei, non posset „ firmiter inclinare, quia objectum esset „ naturale, & contingens. Concludens ergo „ est D. Thomæ argumentum, & eò „ magis id dixisset post Concilium Tridentinum, & post formulam professionis fidei à Pio IV. (*Const. 89.*) stabilitam, inter „ quæ est; *profiteor, Sanctos unà cum Christo regnantes venerandos esse, atque invocandos, eosque orationes pro nobis Deo offerre, atque eorum reliquias esse venerandas*; istæ autem „ reliquiæ sunt canonizatorum; ergo si „ credimus, eos, & eas venerandas, & hoc „ fide divina, credimus pariter, eos esse Sanctos; quod argumentum est evidens.

42. Suarez *disp. 5. de fide sect. 8. num. 8.* corollarium unà cùm omnibus Catholicis propugnans, de fide tamen illud non putat; *& ideò* (inquiens) *quamvis hæc illatio non sit de fide, constat, esse satis certam, & contrariam esse impiam, ac temerariam*; loquitur autem de eo, prout infertur ex catholica assertione, quod Pontifex definiens res credendas ex Cathedra, sit regula fidei, non verò relatè ad præsens assertum, quod quoque ponit tamquam aliquod illatum, non explicans, an sentiat, esse de fide, sed solùm referens, à D. Antonino sustineri de fide 3. *p. tit. 12. cap. 8. §. 2.* à Cano *lib. 5. de loc. cap. 5.* parùm distans à fide; ab aliis Recentioribus quid adhuc paulò minùs, licèt ex probatione, quam subdit, colligi videatur, ipsum in sententiam D. Antonini propendere; innixa siquidem est exemplo communionis Laicorum sub una specie, de qua *num. 7.* subdit; *& ideò hoc habetur tamquam certum de fide juxta Concilium Tridentinum (sess. 22. cap. 1.) sed in hac, & simili materia, ut Ecclesia id teneat, sufficit approbatio Pontificis, imò illam tenetur Ecclesia sequi; ergo, ut Ecclesia non erret, necesse est, ut Pontifex in tali materia errare non possit.*

43. P. Vincentius Ferre celebris Thomista *tract. de fide q. 13. §. 9. num. 24.* absolutè pronunciat „ hæresim manifestam esse, asserere, quòd Pontifex potest errare in ferendis legibus toti Ecclesiæ communibus, „ si tantùm attendatur ad substantiam legis, „ idest ad id, quod proponit sequendum, „ vel vitandum, lex„ Cum tamen §. 5. n. 11. dixerit, de fide immediatè non esse, „ hunc „ hominem canonizatum esse verè Sanctum, & in cœlo regnare, & §. 7. *nu. 16.* id negare, habeat tantum esse, *impium, scandalosum, temerarium, ac prorsus falsum*; inde §. 19. *num. 27. & 28.* arguens ab uno ad aliud conatur disparitatem assignare; ex quo, cum revelatum sit (*Matth. 23. 3.*) *omnia quæcunque dixerint vobis servate, & facite*, „ revelatum „ est, quòd Pontifex proponens toti Ecclesiæ, ut regulam morum, aliquam legem „ suam, nihil perniciosum, aut malum „ proponat. Unde quæcunque materia, hoc „ ipso, quòd est materia legis pontificiæ „ præcontinetur in Verbo scripto sacro „ quoad esse moraliter bonam, quamvis „ eadem materia secundùm se non præcontineatur; & infra„ de eo, quòd omnis lex „ à Pontifice lata, & proposita toti Ecclesiæ „ sit bona, habetur revelatio; illa enim universalis: *omnia quæcunque dixerint vobis servate, & facite, comprehendit universaliter omnem materiam in singulari, quæ est materia legis Pontificiæ.*

44. Totum autem hoc non verificari contendit in canonizatione Sanctorum, quia „ lex de cultu canonizati non habet „ pro materia immediata sanctitatem canonizati, sed tantùm habet pro materia „ immediata cultum canonizati; hic autem „ cultus est bonus in re, etiamsi canonizatus in cœlo non sit; nam, ut sit bonus, sufficit quòd eum dictet prudentia. Unde „ dum quis colit prudenter, benè, & sanctè „ colit, quamvis id, quod colitur, in re, ita

non

" non sit, sicut judicatur esse. Posita ergo " lege de cultu canonizati, tantùm infertur, " quòd de fide sit, quòd talis cultus est bonus, & conveniens, &, cum benè componatur cultum esse bonum sinè eo, " quòd sanctitas, quæ ejus objectum est, " in re sit, stabit benè, quòd de fide sit, cultum illum toti Ecclesiæ præceptum, esse " sanctum, etiamsi de fide non sit, quòd " sanctus, qui colitur, verè sanctus sit.

45. Visum est corollarium hoc aliquantò fusiùs extendere, quòd ad asserti pleniorem notitiam permaximè conducat, præcipuam contra illud difficultatem involvens, cui ut per partes respondeamus, nō dubitamus in primis affirmare alterum nostrum de fide tenendum, licèt oppositum sentientes non omninò judicandos dicamus hæreticos, ob rationem, vi cujus Bellarminus, opinionem, quæ docet, Pontificem posse docere hæresim, si absque generali Concilio definiat, ait non esse *propriè hæreticam, nam adhuc videmus ab Ecclesia tolerari, qui illam sententiam sequuntur* (*lib.4. de Rom.Pontif. cap.2. in fine.*) Prior autem asserti pars, in qua convenimus cum P. Ferrè, inde colligitur, quòd illæ eædem promissiones Christi, ex quibus infallibilitas pontificia firmatur in decidendis quæstionibus fidei, firmatur pariter quòad leges condendas, ac definitiones promendas in materia morum, juxta interpretationem Patrum, communemque Ecclesiæ sensum, ut idcircò nulla appareat discriminis ratio, ob quam authoritates Scripturæ universalissimo modo conceptæ in ordine ad veritates tùm in materia fidei, tùm in materia morum, quòad illas intelligi debeant de infallibilitate fidei, non verò quòad istas.

46. Non obstat decretum Martini V. relatum *num.*11. in quo reprobantes communionem sub una specie dicuntur *tamquam hæretici, vel sapientes hæresim arcendi, & puniendi;* si namque ex disjunctiva illa inferri posset, non esse hæresim, contradicere definitioni pontificiæ in materia morum, id ipsum esset dicendum de definitione generalis Concilii, vel de pontificiis definitionibus, etiam accedente consensu totius Ecclesiæ, qualis proculdubio erat illa, de qua loquitur Martinus V. quod tamen à nullo Catholicorum admittitur. Explicandum proinde, vel quòd *pertinaciter oppositum* tuentes, non illud propugnent, formaliter authoritatē Ecclesiæ denegando, sed potiùs extorquendo, & per vim explicando, quo modo, etiamsi ab hæresi liberari utcumque valeant, non tamen ab eo, quòd hæresim sapiant. Vel cum P. Ferre, duo consideranda sunt in decreto Martini V. alterum, *quòd non liceat eam consuetudinem reprobare*, alterum, *quòd non liceat sine Ecclesiæ authoritate pro libito immutare;* primum igitur negantes, puniendos asserit Pontifex, ut *hæreticos*, quia sic, se opponerent objecto immediato fidei; negantes verò posterius, quod non videtur adeò immediatè objectum fidei, tamquam *hæresim sapientes*.

47. Eamdem infallibilitatem agnoscendam jam censemus in summo Pontifice circa Sanctorum canonizationem, quam quoque ab ipso præstandam, iisdem Scripturæ testimoniis comprobamus, & in qua facienda Romani Pontifices se agere perpetuò protestantur ducti Spiritus Sancti instinctu, & afflatu, ut videre est inter alias innumeras in *const.*1. Cœlestini III. assignantis causam dilationis canonizationis S. Ubaldi, *ut nobis, & fratribus nostris, quid potiùs agendum esset, Spiritus Sancti gratia revelaret;* in *const.*21. Sixti IV. pro Seraphico Ecclesiæ Doctore: *Nos igitur Dei nutum, & voluntatem sequentes, esse Sanctum, & catalogo Sanctorum adscribendum fideliter, firmiterque teneri decernimus;* in *const.*38. pro S. Francisco Minimorum Institutore: *Nos humiles Deo gratias agentes, quòd corda nostra illuminare dignatus est;* in *const.*82. Sixti V. pro S. Didaco: *publico nostro, & hujus sanctæ Apostolicæ Sedis testimonio, quæ à Spiritu Sancto gubernatur* &c. & infra, *ut Spiritus Sancti gratia illustrati de fratrum nostrorum consilio deliberare possemus*.

48. Ac propterea itidem utuntur prægnantibus illis verbis, quæ infallibilitatem determinandi, qua gaudent, apertissimè indicant, dicentes: *decernimus, definimus, pronunciamus*. Ita Bonifacius IX. *in const.* V. pro Sancta Brigitta; Adrianus VI. in *const.*5. pro S. Bennone Episcopo Misnensi; Clemens VIII. in *const.*27. prò S. Hiacintho; Paulus V. in *const.*27. pro S. Francisca Romana, & in *const.*67. pro S. Carolo Borromeo; Gregorius XV. in *const.*21. pro S. Teresia, cæterique omnes Romani Pontifices, qui Dei Servos Sanctorum catalogo adscripserunt, ac universis Christifidelibus adorandos proposuerunt, nec non rigorosissimè, & sub anathemate obligarunt, ut eos tamquam Sanctos, ac Cœli Cives perpetuò venerarentur.

49. Haud verò inficiamur nos, posse dici aliquod objectum cultus, quin ipsius sanctitas sit de fide; adoramus siquidem hostiam consecratam, quin de fide teneamus esse

esse consecratā,& consequenter in ea contineri Christum; veneramur Beatos, seu quos Ecclesia permittit, ac indulget, posse adorari, veneramur sacras Reliquias, quin de fide sit, eas esse revera hujus, vel illius Sancti, quem colimus,& proindè in arguendi modo Cardinalis de Laurea *nu.*41. relato, aliquem adesse non diffitemur excessum. Firmiter tamen negamus, posse aliquod objectum *definitivè* à Rom. Pont. *ex Cathedra* proponi *ex Spiritus Sancti* instinctu, adorandum à *tota Ecclesia* tamquam certò *Sanctum*, quin ipsius sanctitas sit de fide tenenda. Arbitrariè siquidem dictum videtur, quod Ferrè *q.*12.§.6.*n.*13. habet, verbum videlicet *definimus* in canonizationum Bullis non accipi pro definitione fidei, sed pro sententia ultimò definitiva, indicante, Pontificem in canonizatione processisse via juridica, & juxta allegata,& probata. Sic enim actum erit de Pontificiis quibuslibet definitionibus, quæ semper poterunt sic explicari, etiamsi ad eas se devenisse Pontifices affirment *ex Spiritus Sancti instinctu*, & *assistentia*, ut passim affirmare innuimus, cum aliquem Sanctorum catalogo adscribunt.

50. Neque ab hac doctrina alienum autumamus Angelicum, qui etsi in Sanctorum canonizatione, quam vocat objectum *medium*, non utatur particula *certum est*, qua usus fuit in prima objectorum classe, sed altera *piè*; inde tamen non sequitur, ipsum non agnoscere in his certitudinem fidei, sed ad summum de hujusmodi eorumdem certitudine fidei, non adeò nobis *certò* constare, æquè nempè, ac de primæ classis objectis, quod transmittere non renuimus, Non omittendo insuper advertere, S. Doctorem non dicere *piè tenendum*, sed *piè credendum*, innuens per τὸ *piè* non amoveri, quod asserit, à fidei objecti limitibus, sed indicari solummodò *credendum* illud esse *piè*, idest *ex pietate* Sanctis debita, quorum venerationem dicit *fidei professionem*.

51. In hanc namque formam arguit: Honor, quem Sanctis exhibemus, *quædam professio fidei est, qua sanctorum gloriam credimus*; igitur *piè credendum est, quòd nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit*. Ut autem ista illatio vim habeat, debet error Ecclesiæ, qui in dicto judicio adesset, refundi in fidei professionem, de qua fit sermo in antecedenti: si enim cum dicto errore judicii consistere posset *fidei professio*, qua SS. gloriam credimus, non sequeretur ex *fidei professione*, quòd Ecclesia non possit errare. Et catenus per Angelicum infallibilitas Ecclesiæ in Sanctis canonizandis refunditur in infallibilitatem fidei, quæ in ipsa residet, cohærenter ad ea, quæ 2.2.*q.*224.*art.*5. *in corp.* tradit; *ad fidei veritatem non solum pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio, qua quidem fit, non solùm per verba, quibus aliquis confitetur fidem, sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit*.

52. Corruit ideò, quod ait Ferre, legem de cultu canonizati non habere pro materia immediata sanctitatem canonizati, sed tantùm cultum canonizati. Habet enim cultum canonizati, non quomodocumque, sed tamquam protestativum gloriæ ipsius Sancti canonizati, quod motivum non adesset, si Sanctus revera non esset. Et ideò S.Thomas non pro sola certitudine cultus, sed pro certitudine sanctitatis, & gloriæ canonizati, ad Spiritus Sancti instinctum recurrit, sic primo argumento respondens: *Pontifex, cujus est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicujus per inquisitionem vitæ, & attestationem miraculorum, & præcipuè per instinctum Spiritus Sancti, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei*. Quin replicare quis valeat: protestationem non tendere in sanctitatem, & gloriam hujus individui canonizati, sed in gloriam Sanctorum in genere, quia sic argumentum Angelici præceptoris invalidum redderet, ex quo in eo non servaretur constantia terminorum, posset que quis antecedens concedere, quòd nempe honor, quem Sanctis exhibemus, *sit quædam professio fidei, qua Sanctorum gloriam credimus*, & negare consequentiam, *quòd nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit*; & ratio esset in promptu, quia hoc errore non obstante, adhuc honor exhibitus Sancto erroneè credito, esset *professio fidei, qua Sanctorum gloriam* in genere *crederemus*, in quo nec Ferre ipse dissentit, §.6. *n.*14.

53. Discurrendum itaque de canonizatione SS. censemus, eo modo, quo tetigimus supra *hoc eodem cap. art.*8. *num.*18. *& sequentibus* discurrendo de hoc numero Romano Pontifice, quòd nempe fidei objectum sit, tamquam quid particulare in suo universali contentum; quòd enim hic numero Pontifex acceptetur tamquam fidei regula, ad intentum per accidens se habet, ad quod satis est, quòd aliquod particulare includatur in aliquo universali revelato, ut pars objecti illius, esto non se habeat, ut ratio cæterorum, ac ut regula ad alia fidei objecta. Quomodò autem id in casu canonizationis verificetur, videri fusiùs poterit apud Cardinalem de Laurea (*disp.*6. *de* *object.*

object.mater. fidei in quæst.facti art.3. per totum cum satis nobis hic videatur innuere, in sacris literis manifestatos in genere sufficienter esse, quotquot salvandi sunt, & cum Christo perpetuò regnaturi, per delineationem qualitatum, seu virtutum, quas, qui finaliter possidet, infallibilitèr est Sanctorum inferendus cætui, uti, ex Spiritu Sancti afflatu, interrogationi; *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* David respondit: *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam* &c.

54. Ex his autem generalibus revelationibus, sub quibus comprehenduntur implicitè singuli perpetua donandi beatitudine, Romanus Pontifex, prævio examine vitæ, & miraculorum, sanctoque afflante Spiritu, omnem ipsi veritatem communicante, quæ ad Ecclesiæ regimen spectet, ex implicito statu eruit ad explicitum, hunc vel illum, quem cathalogo Sanctorum ad scribit, Unde est, quòd in Bullis Canonizationum, nec Romani Pontifices indicare omittunt, se ad illas devenisse prædictis generalibus revelationibus etiam inhærentes; *Et quia Veritas*, inquit Nicolaus V. *const.* 2. §.18. pro S. Bernardino Senensi, *mentiri non potest, Dei filius dicens*; qui mihi ministrat me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit; (*Joan.*11.26.) *cum sciamus, hunc virum ministrasse Christo, & ipsum fuisse secutum, certissimum tenere debemus, ut ubi est Christus, sit etiam Bernardinus. Ergo quia cum Christo sunt omnes Sancti, de Omnipotentis Dei misericordia, qui non deserit Ecclesiam suam &c. decernimus, declaramus &c.*

CAPUT TERTIUM.

De Specificativo propositionis hæreticæ.

Quamvis in *præcedentibus capitibus* nonnulla dicta obiter sint de fidei regulis, à quibus desumitur specificativum veritatum catholicarum, & consequenter etiam distinctivum earumdem à propositionibus hæreticis, istarumque constitutivum; adhuc tamen de iis, accuratiori calamo, in particulari, operæ pretium est pertractare, *præsens caput* pluribus *articulis* juxta regularum fidei multiplicitatem dividendo, plurésque earumdem occasione quæstiones intermiscendo, quę conducere videbuntur ad intimiorem ipsarum notitiam, ac ad secernendas eas à cæteris, quæ ut fidei regulæ haberi non debent. Sit itaque

ARTICULUS I.

An propositio opposita alteri positæ in Sacra Scriptura, quæ literaliter, & in terminis propriis, accipi debeat, sit hæretica?

1. Cum ex dictis satis liqueat, tres esse fidei regulas, à quibus tota propositionum revelatarum, ac revelatis oppositarum natura dependet, videlicet Verbum *scriptum, traditum*, aut *definitum*, sermonem instituere incipimus de propositionibus oppositis Verbo Dei *scripto*; & quidem oppositione, quæ dicitur *qualitatis*, idest secundùm affirmationem, & negationem, ex quibus exurgit veritas, & falsitas; non verò oppositione, quæ dicitur *quantitatis*, idest ratione universalitatis, &c. quam jam vidimus esse oppositionem merè materialē, nō formalem, quæ per se ad esse fidei spectet.

2. Ad pleniorem autem afferti intelligentiam, advertimus cum Theologis omnibus, duos præcipuè *Scripturam* sensus involvere, *literalem*, videlicet, & *mysticum*, seu *spiritualem*: *Est etiam in Scripturis nostris*, ait Nazianzenus (*in Apolog.* & *in epist. ad Nemes.*) *duplex sensus, alter internus, ac spiritualis, alter externus, nec litera corticem excedens*; cujus multiplicitatis rationem tradit 1.p.q.1.*art.*10, *in corp.* S. Thomas, ex eo desumptam; *quòd Author sacræ Scripturæ est Deus; in cujus potestate est, ut non solùm voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas. Et ideò, cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quòd ipsæ res significatæ per voces, etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primū sensum, qui est sensus historicus, vel literalis. Illa verò significatio, qua res significatæ per voces,*

ces, iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super literalem fundatur, & eum supponit.

3. Uterque autem sensus suas subdivisiones comprehendit, ratione quarum, sub illo veniunt *historicus*, & *parabolicus*, quem quoque indicat idem Angelicus (*in resp. ad 3.*) *sensus parabolicus sub literali continetur, nam per voces significatur aliquid propriè, & aliquid figurativè*; sub hoc verò *moralis, anagogicus*, & *allegoricus*: quos, licèt cum accidentali aliqua vocum mutatione *in lib. spirit. formul.* explicat Eucherius, *quatuor*, inquiens, *sunt divinarum expositionum genera, historicum, tropologicum, allegoricum, & anagogicum. Historica est, quæ veritatem nobis factorum, ac fidem revelationis inculcat. Tropologica, sive moralis expositio est, quæ ad vitæ emendationem mysticos intellectus refert. Allegorica est, quæ gestorum narrationem futurorum umbram prætulisse demonstrat. Anagogica est, quæ ad sacratiora cœlestium figurarum secreta perducit.* A quo non dissentit (*cit. art. in corp.*) Aquinas, qui de triplici spirituali sensu sequens efformat ratiocinium: *Secundùm quòd, ea, quæ sunt veteris legis, significant ea, quæ sunt novæ legis, est sensus allegoricus: secundùm verò quòd, ea, quæ in Christo sunt facta, vel in his, quæ Christum significant, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus, est sensus moralis: pro ut verò significant ea, quæ sunt in æterna gloria, est sensus anagogicus.*

4. Ex iis, de *literali* ad præsens agendum proponimus, & quidem de *historico*, & *proprio*, acturi de *parabolico*, seu *figurato* (*art. 6.*) & ideò in asserto particulas illas *in terminis propriis* apposuimus, insinuantes, de illa oppositione nos locuturos, per quam propositio aliqua, eisdem retentis terminis cum propositione de fide, & eorumdem immediato, & proprio significato per Spiritum Sanctum intento, negat quod ista affirmat, aut affirmat quod ista negat, uti se habet oppositio inter istas: *Verbum est Deus*, quæ est propositio de fide in sensu *literali*, & *proprio*; *Verbum non est Deus*, quæ est propositio hæretica. Ob quam rationem non desunt qui *literalem* hunc sensum *grammaticalem* appellent, de quo *quod lib. 7. art. 15.* S. Thom. *totum id ad sensum literalem pertinet, quod ex ipsa verborum significatione rectè accipitur.*

5. Dicendum ducimus, propositionem oppositam alteri propositioni explicitè, & in terminis propriis appositæ, ac in sensu *literali* inventæ in *sacra Scriptura*, esse hæreticam. In asserti favorem militant omnes illæ authoritates *art. 10. num. 8.* relatæ, quas licèt insufficientes dixerimus ad prætensam hæreticorum illationem existimantium solam *Scripturam* tenendam tamquam fidei regulam adæquatam, & ultimatam; convincentissimæ nihilominùs sunt ad hoc nostrum assertum comprobandum, ut *ibidem num. 9.* notavimus. Nec desunt alia loca, idipsum magis magisque corroborantia, ea nempe, quibus *quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta* asseruntur, (*ad Rom. 15. 3.*) prædicandum præscribitur *Evangelium omni creaturæ, ut qui crediderit. . . . salvus erit; qui verò non crediderit condemnabitur;* (*Marc. 10. 16.*) errantes reprehenduntur, tamquam *non scientes Scripturas* (*Matt. 22. 29.*) Mysteriorum cognitio eruitur *Scripturæ* promendo testimonia; *numquam legistis in Scripturis.* (*Matt. 21. 42.*) *non potest solvi Scriptura* (*Jo. 10. 35.*) *In alia Scriptura dicit* (*Jo. 9. 37.*) Christusque, & Apostoli exprimuntur perscrutantes *Scripturas* (*Lucæ 24. 27.*) *incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis, in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* (*act. 17. 11.*) *quotidie scrutabantur Scripturas* (*ad Rom. 1. 2.*) *potens in Scripturis*, innumeraque alia præfatis affinia.

6. Quæ quamvis non sint ad sensum *literalem* restrictæ, attamen vim præcipuè habent in iis, quæ *literaliter* in sacris literis accipienda sunt. Sicuti namque inter omnes *Scripturæ* sensus, *literalis* potissimum sibi vindicat locum, adeò ut verissimè *lib. 2. de gen. con. Manich.* de eo dixerit Augustinus, quòd si quemlibet *Scripturæ* textum liceret interpretari secundùm *literam*, ea expositio esset omnibus excellentior, ac nobilior, à qua aliàs recedere non debemus, nisi cum *literalis* acceptio sanam significationem non sustinet; ita & èconta inter propositiones hæreticas, illi potissimùm est tribuenda *hæreticæ* denominatio, quæ alteri propositioni in dicto sensu revelatæ opponitur. *Sanè*, verba sunt Augustini (*lib. 2. cont. Manich. c. 2.*) *quisquis voluerit omnia Scripturæ dicta, secundùm literam accipere, id est non aliter intelligere, quàm litera sonat, & potuerit vitare blasphemias, & omnia congruentia fidei prædicare catholicæ, non solùm ei non est invidendum, sed præcipuus, multùmque laudabilis habendus est; si autem nullus exitus datur, ut piè, & dignè, quæ de Deo scripta sunt, intelligantur, nisi figuratè, & ænigmaticè, proposita ista credamus, habentes authoritatem Apostolicam, à quibus tàm multa de libris veteris Testamenti solvuntur ænigmata: modum, quem intendimus, teneamus.*

Quod

7. Quod autem diximus, *hæreticæ* denominationem propriam specialiter esse propositionis alteri oppositæ extanti *in Sacra Scriptura*, quæ literaliter intelligi debet, patet, sumendum non esse comparativè ad res creditas inter se, quo modo distingui solent revelata, in mysteria necessariò credenda, ac explicitè juxta status, & captus uniuscujusque mensuram, aliaque credita minimè necessaria, nisi virtualiter, & implicitè. Sic enim, attenta credendorum qualitate, & materia, clarum est, quòd habita proportione ad mysteriorum principalitatem, & excellentiam, vi cujus *articuli* in strictiori significatione, ea dici, notavimus, (*art.* 10. *num.* 18.) tribuenda *hæreticæ* denominatio primò veniat propositionibus, quæ eisdem opponuntur. Fit igitur comparatio sensus ad sensum, *literalis* ad *mysticum*, quorum sicut prior est præcipuus, dicente Hieronymo (*in Amos cap.*4.) *debemus sacram Scripturam primùm secundùm literam intelligere*, & Angelico (1. *p. q.*1. *art.*10. *ad* 1. quòd *omnes sensus fundentur super unum, scilicet literalem* quòdque *nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per literalem sensum alicubi manifestè non tradat*; ita & propositio ei opposita, *hæretica* denominationem sumit, præ illa, quæ opponitur sensui *mystico*, sive versetur circa fidei *articulos*, qualis est: *Deus est Verbum*, sive circa res revelatas non tanti momenti, ut quòd Moyses habuerit calceamenta, ex illo (*Exodi* 3.5.) *solve calceamentum de pedibus tuis*; quòd canis Tobiæ habuerit caudam (*Tob.*11.9.) *canis* .... *blandimento suæ caudæ gaudebat*.

8. Ex quo itidem elucet, prædictam comparationem non esse attendendam in ordine ad veritatem, & falsitatem, ac si verior habendus *literalis* sit sensus *mystico*, dummodò namque constet, sensum aliquem intentum esse à Spiritu Sancto, æquè verus est unus, ac alter, quia æquè in suo genere primæ Veritati, quæ nec fallere, nec falli potest, innixus. Unde optimè Augustinus (*lib. un. de bapt.*) relatus (*cap. Quis nesciat dist.*9.) *Quis*, inquit, *nesciat, sanctam Scripturam canonicam tàm veteris, quàm novi Testamenti, certis terminis contineri, eamque posteris omnium Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omninò dubitari, vel disceptari non possit, utrùm verum, vel utrum rectum sit quicquid in ea scriptum constiterit*.

9. Quod, si verum est de sensu *literali* veluti genericè sumpto, fortiùs verificabitur de literali proprio, de quo loquimur, quique in tres classes, scilicet secundùm *historiam*, secundùm *ætiologiam*, & secundùm *analogiam*, dividitur ab Augustino (*oper. imperf. in Gen. cap.*2. *& lib. de util. cred. cap.*3.) quem referens Angelicus (1. *p. q.*1. *art.* 10. *ad* 2.) in hunc modum explicat: *Historia est, cum simpliciter aliquid proponitur; ætiologia verò, cum causa dicti assignatur; sicut, cum Dominus assignavit causam, quare Moyses permisit licentiam repudiandi uxores, scilicet propter duritiam cordis ipsorum* (*Matt.*19.8.) *Analogia verò est, cum veritas unius Scripturæ ostenditur veritati alterius non repugnare*. Ad dignoscendum autem, quandonam Scriptura verà intelligenda *literaliter*, *historicè*, & *propriè*, seu *grammaticaliter*, veniat, præ oculis habendum dictum D. Augustini relati *numer.*4. *& lib.*3. *de doct. Christ. cap.*5.15.16. *&* 30. ubi habet: *quicquid in sermone divino neque admodùm honestum, idest ad diligendum Deum, vel proximum, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuras esse cognosces; quod si perspicuè dicitur, non est ad aliud referendum, quasi figuratè dictum*.

10. Ex quibus Theologi, sacrique Interpretes universalem veluti firmant regulam, *eodem num.*5. indicatam, intelligendum videlicet in sacra *Scriptura* in sensu verborum proprio quicquid ita, sine indecentia, aut falsitate intelligi potest. *Ego*, ajebat proinde D. Basilius, (*hom.*9. *in exam.*) *cum fœnum audio, fœnum intelligo*. Quod præsertim locum habet, quoties in sacris paginis narrantur facta, quæ acciderunt, vel præcepta, quæ observanda præscribuntur, quibus respectivè pleni sunt libri Pentateuchi, Josue, Judicum, Regum, Evangeliorum, Actuum Apostolorum &c. & idcircò Augustinus *num.*5. citatus eos impugnans, qui paradisum terrestrem figuratè tantùm intelligebant: *Narratio*, ait, *quippè in his libris, non genus locutionis figuratarum rerum est, sicut in Cantico canticorum, sed omninò gestarum est, sicut in Regnorum libris, & hujuscemodi cæteris*. Quem sequens 1. *p. q.*102. *art.*1. *in corp.* sic loquitur Angelicus: *Ea, quæ de Paradiso in Scriptura dicuntur, per modum narrationis historiæ proponuntur. In omnibus autem, quæ sic Scriptura tradit, est pro fundamento tenenda veritas historiæ, & desuper spirituales expositiones fabricandæ*.

11. Militat in assertum celeberrima Apostoli (2. *ad Cor.*3,6.) sententia; *qui nos fecit idoneos ministros novi Testamenti, non litera, sed spiritu; litera enim occidit, spiritus autem vivificat*; cujus tamen germanum sensum non percipientes hæretici, verè *li-*

tera occiduntur, dum τὸ *litera*, non nisi juxta sonum, ac *litera* corticem sumunt. Quis tamen germanus sit dictæ particulæ sensus? suggerunt abundantissimè Sancti Patres, & præcipuè variis in locis Augustinus, videlicet (*lib. de vera innoc. cap.3.*) *Legis litera, quæ docet, non esse peccàdum, si Spiritus vivificans desit, occidit; Scire enim peccatum potiùs facit, quàm cavere, & ideò magis auget, quàm minuit, quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accedit.* (*lib.15. cont. Faustum cap. 8.*) *Lex auget potiùs peccatum prævaricatione addita; ubi enim lex non est, nec prævaricatio; & ideò cum sola litera est sine spiritu, idest lex sine gratia, tantummodò reos facit; ait enim Apostolus* (*ad Rom.7.7.*) peccatum non cognovi nisi per legem. *Nec reprehendit legem, cum dicit;* litera occidit, spiritus autem vivificat; *sicut non reprehenditur scientia, cum dicitur;* scientia inflat, charitas verò ædificat. Consonat Hieronymus *in cit. ep. ad Cor.* litera occidit, spiritus autem vivificat; *quomodò alibi dicit, legem esse spiritalem spiritualibus, cæterùm peccatores occidit, gratia autem vivificat, impium convertens*; & OEcumenius: Litera occidit. *Lex*, inquit, *occidit; si enim peccantem deprehenderit, interimit eum, nam qui transgressus est legem Moysis, sine misericordia, sub duobus, vel tribus testibus moritur; Spiritus verò si deprehenderit peccatis mortuos, per baptisma vivificat.*

12. Quorum Patrum terens vestigia prælaudatus Angelicus 1.2.*q.99. art.2. ad 3.* Apostoli dictum cum Augustino *lib. de spir. & lit. c.14.* de lege veteri sumens, *etiam*, ait, *litera legis, quantùm ad præcepta moralia occidere dicitur occasionaliter, in quantùm scilicet præcipit, quod bonum est, non præbens auxilium ad implendum.* Quærens verò, *utrum lex nova justificet?* eandem Apostoli sententiam legi novæ applicat *q.106. art.2. in corp.* duo notans, ad legem Evangelii pertinere: *Unum quidem principaliter, scilicet ipsa gratia Spiritus Sancti interiùs data, & quantùm ad hoc nova lex justificat*; unde *Augustinus dicit* in lib. de spir. & lit. c.17. *Ibi, scilicèt in veteri Testamento, lex extrinsecùs est posita; hic, scilicet in novo Testamento, intrinsecùs data est, qua justificarentur. Aliud pertinet ad legem Evangelii secundariò, scilicèt documenta fidei, & præcepta ordinantia affectum humanum, & humanos actus. Et quantùm ad hoc lex nova non justificat, unde Apostolus dicit;* litera occidit, Spiritus autem vivificat, *& Augustinus exponit* in lib. de spir. & lit. c.14. *quòd per literam intelligitur qualibet Scriptura extra homines existens, etiam moralium præceptorum, qualia continentur in Evangelio. Unde etiam litera Evangelii occideret, nisi adesset interiùs gratia fidei sanans.*

13. Si autem per *literam* germanum *literalem* sensum censeamus interpretandum (quod tamen Pauli menti non omninò, ac plenè conforme, indicant verba sequentia, quæ de veteri lege prorsùs sunt intelligenda; *quòd si ministratio mortis, literis deformata in lapidibus fuit in gloria . . . . quomodò non magis ministratio Spiritus erit in gloria?* dum eis Apostolus ostendere intendit, quòd *ministri novi Testamenti sint majoris dignitatis, quàm ministri veteris Testamenti*, ut habet idem Angelicus 2.2.*art.1. in corp.* & *quæst. 174. art. 4. ad 3.*) adhuc, ex indicatis *art.10. num.11.* occidere illam asserimus, si universaliter, & absque ullo delectu in cunctis *Scripturæ* locis ei adhærere velimus; sic namque, cum in ea legamus, sabbatum esse custodiendum, *literæ* adhærentes, judaizare erimus proculdubiò adstricti; *qui enim*, cum Augustino loquor, (*lib.3. de doctrin. Christ. cap.5.* & *in cap.3.2. ep. ad Corinth.*) *sequitur literam, translata verba, sicut propria tenet, neque illud, quod proprio verbo significatur, refert ad aliam significationem; sed cum sabbatum audierit v.g. non intelligit, nisi unum diem de septem, qui continuo volumine repetuntur, & cum audierit sacrificium, non excedit cognitione illud, quod fieri de victimis pecorum, vel terrenis fructibus solet.*

14. Cum itaque nos dicimus, *Scripturam* in sensu *literali, historico*, & *proprio*, fidei regulam esse, propositionesque ei oppositas habendas ut hæreticas, id intelligimus de sensu *literali*, qui sit à Spiritu Sancto intentus, quique spiritualem, etsi per se primò non indicet, non tamen in universum excludat omninò, sed sit fundamentum illius (ita nos docente Hieronymo *in cap.13. Isaiæ*) *verborum sacræ Scripturæ intelligentia, in primis quærenda est, & constituenda, non quia tropologicam intelligentiam condemnemus, sed quia spiritualis interpretatio debet sequi ordinem historiæ, quod plerique ignorantes lymphatico in sacra Scriptura vagantur errore.*

15. Neque, cum sensum *literalem* appellamus *grammaticalem*, intendimus, grammaticæ regulis, ac præceptis ita inhærendum, ut non præferenda animadvertatur intentio Spiritus Sancti, *Non enim sonum literarum, ac syllabarum, sed quod ipse sonus significat, & quod eo sono rectè, ac veraciter intelligitur, hoc accipiendum est dicere*; observatio est nũquam satis laudandi Augustini apud Dominicum à SS. Trinitate *Bibl. Theolog. lib.3. sect.1. c.100.* In cujus confirmationem, vim

vim habet monitum Hieronymi (*in ep. ad Galat. cap.4.*) *quicumque aliter ſacram Scripturam intelligit, quàm ſenſus Spiritus Sancti flagitat, quo ſcripta eſt, hæreticus appellari poteſt*, nec non & reflexio S. Jo. Chryſoſtomi ſuper illud (*Gen. 2. 8.*) *plantavit Deus hortum in Edem*, qua conſiderandum proponit, *quòd niſi, ut dignum eſt, de Deo verba hæc recipiantur, neceſſe eſt, ut in profunda errorum detrudantur. Quid enim dicere poterunt, & de his verbis, qui omnia, quæ de Deo dicuntur, humano more accipere audent? & plantavit Deus hortum. Quid? dic oro, foſſorione opus habuit, & agricultura, & alia cura, ut Paradiſi hortum excoleret? abſit. Iterum enim etiam hoc loco verbum illud* plantavit, *ſic intelligendum, quòd imperavit, hortum in terra fieri, ita ut productus homo in ea verſaretur.*

16. Niſi forſitan placeat dicere, textum præfatum Geneſis, *literalem* quidem eſſe, ſed non omni ex parte *hiſtoricum*, quod enim habet de Paradiſi productione, ad hiſtoriam pertinet, ut *num.9.* ex Auguſtino innuimus; quòd autem de modo ejuſdem productionis expreſſum per τὸ *plantavit*, non *hiſtoricè* accipiendum, ſed *figuratè*, cujuſmodi ſunt nonnullæ aliæ *Scripturæ* non diſſimiles locutiones, quibus virtus, ac attributa Dei humano deſignantur more, prout notavit (*1. p. q. 1. art. 10. ad 3.*) Angelicus; *Non enim cum Scriptura nominat Dei brachium, eſt literalis ſenſus, quòd in Deo ſit hujuſmodi membrum corporale, ſed id, quod per hoc membrum ſignificatur, ſcilicet virtus operativa; in quo patet, quòd ſenſui literali ſacræ Scripturæ nuſquam poteſt ſubeſſe falſum.*

17. Aſſerto nec opponas ſacræ *Scripturæ* obſcuritatem, quam *art. 10. num. 2.* exageravimus eſſe in ipſius locutionibus, ac ſi, dum in ea *literalis* ſenſus eſt habendus, ut per ſe primò intentus, ac ut regula fidei, adeout propoſitio ei oppoſita ſit permaximè proſcribenda, tamquam hæretica, conſtet, eam minimè dicendam obſcuram, ſed claram, qualis eſt ſenſus præfatus. Quod etiam confirmari poteſt teſtimonio Doctoris Gentium (*1. ad Corinth. 10. 11.*) aſſerentis: *omnia in figura contingebant illis*; ſi enim *omnia*; igitur nihil ſaltem in veteri lege *literaliter* intelligendum, ſed cuncta *figuratè*. Non, inquam, id opponas, cum ſit puerilis hæreticorum fallacia ex partibus ad totum arguentium, ac ſi non poſſit ſacra *Scriptura* aliquibus locis clara eſſe; aliis verò obſcura, quòd abundè ſufficit, ut ex ipſius obſcuritate legitimè inferri valeat neceſſitas Interpretis, ſeu Regulæ vivæ, quæ Spiritus Sancti, ne erret, ſit aſſiſtentia prædita, ut oſtenſum eſt *cit. art. 10.*

18. Quod verò ipſi confunduut, clarè in Sanctis Patribus reperimus diſtinctum, è quibus Auguſtinus (*lib. 2. doct. Chriſt. cap. 6.*) *magnificè, & ſalubriter Spiritum Sanctum ita Scripturas modificaſſe*, tradit, *ut locis apertioribus fami accurreret; obſcurioribus autem faſtidia detergeret*, inſinuans, præcepta, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, quæque à cunctis ſciri debent, ut executioni mandentur, apertè tradi, & *literaliter* accipienda, unde *Deuteron. 30. 11.* legimus: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum.* (*pſ. 18. 9.*) *præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, & (*ad Rom. 10. 8.*) *propè eſt Verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc eſt Verbum fidei, quod prædicamus*; idque non niſi ut præceptorum claritate, ſingulorum occurratur fami, adeout eorum *nihil ferè* (ſignanter perpende adverbium hoc, *ferè*, ne indè aliquam difficultatem tibi ingerat hæreticorum præſumptio, nihil omninò adeſſe inferentium in *Scriptura*, quod alicubi in ea apertum, clarumque non habeatur) *de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur*; alia verò, quæ, vel non neceſſaria æquè ſunt, ut à ſingulis percipiantur, vel ad conſervandam in nobis humilitatem, aut ad perſcrutationem Myſteriorum Dei inveſtigandam; ſunt conducentia; obſcura ſunt, & recondita; & de his dictum eſt: *qui elucidant me, vitam æternam habebunt* (*Eccl. 24. 31.*)

19. Et proindè, ſi ſacram *Scripturam lucernam* appellatam conſpexerimus *artic. 10. num: 3.* non ſemper tamen id accipiendum de *lucerna*, quæ in claris, & patentibus lumen diffundat, ſed quæ quandoque luceat *in caliginoſo loco*, & proinde non omnia patefaciens, ſed quædam relinquens latentia, alioque indigentia lumine, ut conſpici valeant, nam *ſi in ſacra Scriptura tantùm eſſent, quæ facillimè intelligerentur, nec ſtudioſè quæreretur, nec ſuaviter inveniretur veritas*, ex eodem Auguſtino (*lib. de vera Relig. cap. 17.*) & de his dicere debemus cum Propheta: *revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua* (*pſal. 118. 18.*) turpiſſimi mendacii redarguendo Lutherum *in præfat.* articulorum per Leonem X. damnatorum effutientem: *oportet Scriptura judice hanc ſententiam ferre, quod fieri non poteſt, niſi Scripturæ dederimus principem locum in omnibus, quæ tribuuntur Patribus, hoc eſt, ut ſit ipſa per ſe certiſſima, facillima, apertiſſima ſui ipſius interpres, omnium omnia probans, judicans, illuminans.*

Neque

20. Neque verum est quod assumitur in argumento, sensum videlicet *literalem* semper clarum esse, tum quòd non semel apud sacros Interpretes dissetio habeatur, an hic vel alter locus literaliter sit accipiendus vel ne? cujusmodi sunt textus, in quibus de paradiso terrestri, de diebus creationis mundi, de aquis, quæ super cælos esse dicuntur, & id genus aliis; tum quòd certum adhuc penes ipsos nec est, an unus, idemquè *Scripturæ* locus unicum, vel multiplicem sensum *literalem* comprehendere valeat? id negantibus Alensi (*1.p.q.1.memb. 4. art.3. ad ult.*) Henrico (*in summ. art.16. q.2. & 3.*) Medina (*lib.6. de recta in Deum fide cap.25.*) affirmantibus verò aliis, quorum opinionem *certam* protulit Dominicus à SS. Trinitate (*lib.3.bibl.theol.sect.1. c.101.*) idque apud ipsum tuentur Augustinus, Angelicus, Abulensis, Lyranus, Castro &c. variis *Scripturæ* exemplis ducti, inter quæ illud (*ps.8.5.*) *quid est homo quia memor es ejus?* cum subsequentibus verbis, quæ, indubium est, intelligenda *literaliter* de humano genere, cum tamen Apostolus (*ad Hæbr.2.9.*) interpretetur etiam *literaliter* de Christo, quem probat fuisse aliquantò minoratum ab Angelis, & per eamdem super ipsos exaltatum, illudque (*ps.109.4.*) *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quo (*ad hæbræos cap.15.*) evincit, Christum esse filium Dei naturalem; *cui enim Angelorum aliquando dixit; Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Gentium Doctor, qui (*Act. 13.32.*) eo itidem utitur ad Redemptoris resurrectionem ex mortuis confirmandam; *& nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis vestris resuscitans Jesum, sicut* (*in ps.2.7.*) *scriptum est: Filius meus es tu, ega hodie genui te.*

21. Ex qua hypothesi consequens est, ut non semper, nec cunctis obvium esse queat; an sensus quilibet literalis sit certus, certòque de fide tenendus, cum non semper contextus *Scripturæ* habeantur, qui varietatem, ac multiplicitatem prædictam demonstrent; & eatenùs pro iis dignoscendis, vel ad Ecclesiam, supremumque fidelium Magistrum recurrendum pro notitia eorum, quos certa fide, ut intentos à Spiritu Sancto amplecti obstringimur, vel ad sacros ipsos Interpretes quo ad alios, quos Ecclesia non definivit, sed Doctoribus explicandos reliquit, indulgendo, ut explicationes, quas proposuerint, tamquam probabiles teneamus, quoties non adspexerimus pugnantes neque cum veritate, neque cum *Scripturæ* contextibus. Unde patet, assertum nostrum locum habere, quotiès *literalis*, aut *historicus* sensus certò scitur Spiritus Sancti menti conformis, sive ex ipso verborum tenore, sive ex authentica Ecclesiæ interpretatione.

22. Omnia denique in figura Israelitis contigisse asserit Apostolus, non quòd in veteri Testamento nihil sit, quod *literaliter* sit accipiendum. Numquid enim non *literaliter* accipiendus decalogus? Numquid non *literaliter* ceremonialia, quæ habentur in Exodo, Levitico, & Deuteronomio? Numquid non *literaliter* historiæ, de quibus passim fit mentio? In figura itaque contingebant ob rationem, quam subdit idem Apostolus (*ad hæbræos cap.9.10.*) *scripta sunt verò ad correptionem nostram in quos fines sæculorum devenèrunt: propterea qui se putat stare, videat, ne cadat*, quamque explicans Ambrosius: *Tunc*, ait, *hæc ideo facta noscuntur circa retributionem illorum, ut nobis essent exemplo, qui postremo sæculo futuri eramus in fide Christi; pro utilitate enim nostra gesta sunt, ut si terrore horum in Dei timore mansèrimus, gloriam illis promissam accipiamus; quominùs geminabitur nobis pæna illorum, quia major notitia legis, plùs facit reum: propterea qui se putat stare, videat, ne cadat.* Et D. Athanasius *serm. in illud Evang.* Profecti in pagum &c. explicationem textus Apostoli *litera occidit* traditam *num. 13.* comprobans, ad præsens intentum, inquit: *Nos igitur, fratres, certi literam occidere, Spiritum vivificare, non solam historiam Scripturarum sequamur, neque, ut Judæi, nudæ literæ adhæreamus, sed quemadmodùm scriptum est, perscrutemur, ut ibi testimonia de Christo reperiamus.*

ARTICULUS II.

An sacræ Scripturæ nomine, ex qua dignoscere valeamus, quænam propositiones haberi debeant hæreticæ, ob oppositionem, quam dicunt cum propositionibus in ea contentis, veniat latina editio Vulgata?

1. SAcram Scripturam fuisse à Deo dictatam, & à Canonicis Scriptoribus, Prophetis videlicet, Apostolis, Evangelistis, non sine Spiritus Sancti assistentia, formatam, ac scriptam, & proinde, sic sumptam, authenticam censendam esse, canonicam, regulamque fidei infallibilem,

ipſimet fatentur hæretici, ut non ſemel in præcedentibus animadvertimus. Cum autem ejuſdem originalia periiſſe conſtet, difficultas exurgit ſuper authoritate *Vulgatæ* latinæ editionis, quam unanimes, obſtinataque pervicacia, hæretici omnes rejiciunt, non erubeſcentes Tridentinum Concilium redarguere, quòd eam ſuo decreto approbaverit, ac firmiſſimè habendam, ut authenticam declaraverit; utpotè qui *nullam vellent eſſe verſionem authenticam, vellent enim ad fallendum, & ad inducendum in errorem ſuas verſiones obtrudere*, ut perbellè notavit Leonardus Coquæus *in ſua apol. pro ſum. Eccl. Rom. Pontif. contr. Philippum Mornæum tom. 2. pag. mihi 329.* E' contra verò Catholici omnes eam ceteris omnibus editionibus præferendam non dubitant, conſtantiſſimè tuentes, habendam ab omnibus, tamquam fidei regulam, adeò ut propoſitiones oppoſitæ propoſitionibus in ea contentis rejiciendas autument, tamquam hæreticas, primæque Veritati revelanti adverſantes, quamvis inter ipſos diſſenſio aliqua adhuc extet, an id intelligendum ita veniat, ut *Vulgata* tamquam *authentica* ſit veneranda ſolùm in hoc ſenſu, quatenùs in fidei, & morum rebus nullum errorem involvat? an verò, ea, ut *authentica* ſit cenſenda in omnibus, & ſingulis, quæ continet? circa quam, quid ſentiendum *art. ſeq.* reſolvemus, interimque in ſolos hæreticos inſurgentes:

2. Dicendum, latinam *Vulgatam* editionem, qua communiter Eccleſia utitur ad fidei dogmata, moreſque firmanda infallibilis eſſe authoritatis, habendamque ut veram, ſacram, canonicam, authenticamque Scripturam, ideòque idoneam ad ſpecificandas hæreticas aſſertiones oppoſitas. Aſſerti præcipua probatio eſt prælaudati Tridentini authoritas *Vulgatam* comprobans, quicquid in contrarium hæretici blaterent, contra quos generalia illa argumenta, quibus admittendam evicimus Regulam fidei vivam, ſenſibilem, perpetuam, eamque non eſſe, niſi Eccleſiam, Chriſti Vicario Duce, potiſſimùm vim habent in præſenti, circa quam deficientibus primis Scripturæ exemplaribus, fontibuſque, non debet uniuſcujuſque arbitrio committi judicium probandi fidelitatem tranſumptorum, & tranſlationum, ſed illud à Regula illa viva expetendum, eique omnes ſe conformare tenetur, certiſſimi effecti, errori obnoxium ullatenus eſſe non poſſe quod ab Eccleſia profertur, quæ, ſi in omnibus credendis, *columna eſt, & firmamentum veritatis* (1. *Tim.* 3. 13.) ut abundè probatum manet, permaximè, tamquam talis habenda in approbatione ſacræ Scripturæ, quæ præcipuum fidei eſt inſtrumentum.

3. Audiamus igitur Tridentinum *ſeſſ.* 4. cujus decretum in ſingulis ejus partibus eſt obſervatione digniſſimum. Primò namque præmittit finem, quem Orthodoxi illi Patres ſibi propoſuerunt in eo condendo. „ Sacroſancta OEcumenica, & generalis „ Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto le„ gitimè congregata, præſidentibus in ea „ eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, „ hoc ſibi perpetuò ante oculos proponens, „ ut ſublatis erroribus, puritas ipſa Evan„ gelii in Eccleſia conſervetur: quod pro„ miſſum ante per Prophetas in Scripturis „ ſanctis, Dominus noſter Jeſus Chriſtus „ Dei filius, proprio ore primùm promul„ gavit, deinde per ſuos Apoſtolos, tam„ quam fontem omnis, & ſalutaris veri„ tatis, & morum diſciplinæ omni creatu„ ræ prædicari juſſit: perſpicienſque, hanc „ veritatem, & diſciplinam contineri in li„ bris ſcriptis, & ſine ſcripto Traditionibus, „ quæ ab ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis ac„ ceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto „ dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos „ uſque pervenerunt. Orthodoxorum Pa„ trum exempla ſecuta, omnes libros, tàm „ veteris, quàm novi Teſtamenti, cum „ utriuſque unus Deus ſit author, nec non „ Traditiones ipſas, tùm ad fidem, tùm ad „ mores pertinentes, tamquam vel oretenùs à Chriſto, vel à Spiritu Sancto dicta„ tas, & continua ſucceſſione in Eccleſia „ catholica conſervatas, pari pietatis affe„ ctu, ac reverentia ſuſcipit, & veneratur. „ Sacrorum verò librorum indicem huic „ decreto adſcribendum cenſuit, ne cui, du„ bitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui „ ab ipſa Synodo ſuſcipiuntur?

4. Hoc ſibi præfixo fine, libros, quos, ut canonicos, recipiendos ſtatuere intendit, enumerat, nempe: „ Sunt verò infraſcripti: „ Teſtamenti veteris, Quinque Moyſi, ideſt „ Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, „ Deuteronomium; Joſue, Judicum, Ruth; „ Quatuor Regum, Duo Paralipomenon; „ Eſdræ primus, & ſecundus, qui dicitur „ Nehemias, Tobias, Judith, Heſther, „ Job, Pſalterium Davidicum centum „ quinquaginta pſalmorum, Parabolæ, „ Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, „ Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Hiere„ mias cum Baruch, Ezechiel, Daniel;

Duo-

„Duodecim Prophetæ minores, idest, „Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuch, Sophonias, „Aggæus, Zacharias, Malachias; Duo „Machabæorum, primus, & secundus, „Testamenti novi; Quatuor Evangelia, „secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem; Actus Apostolorum „à Luca Evangelista conscripti; Quatuordecim epistolæ Pauli Apostoli, scilicet „ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad „Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, „duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri Apostoli „duæ; Joannis Apostoli tres; Jacobi Apostoli una; Judæ Apostoli una; & Apocalypsis Joannis Apostoli.

5. Et denique concludit,, si quis autem „libros ipsos integros cum omnibus suis „partibus, prout in Ecclesia Catholica legi „consueverunt, & in veteri *Vulgata* latina „editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit, & Traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit. Omnes itaque (notentur, ad præsentis *articuli* intentum, sequentia) intelligant, quo ordine, & via, ipsa Synodus, post jactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, & quibus potissimùm testimoniis, ac præsidiis, in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in Ecclesia moribus, sit usura„. Indeque descendens ad determinandam editionem cunctis aliis præferendam: „Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parùm utilitatis accedere „posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis „editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica „habenda sit innotescat; statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus, & *Vulgata* editio, „quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, „disputationibus, prædicationibus, expositionibus pro authentica habeatur, & ut „nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.

6. Tanto itaque testimonio fulti, attentoque Augustini *lib. de vera Relig. cap.5.* monito; *fides vestra neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate judæorum quærenda est, sed apud eos solos, qui Christiani, Catholici, vel Orthodoxi nuncupantur*, irridendi sunt potiùs hæretici, quàm impugnandi, qui proprium spiritum, cujuslibet falsitatis authorem, Spiritui, qui docet omnem veritatem, ut Ecclesiam totam pulcram reddat, & sine macula, impudentissimè præferentes, nil firmum de sacra Scriptura proferre valent, sed inter se summoperè discrepantes, quos in suarum fatuitatum patrocinium extorquere, vel violenter possunt, libros admittunt, tamquam canonicos, alios rejiciunt, ut spurios; aut, si libros amplectuntur, capita illa, quæ adversantia magis agnoscunt propriis somniis, rescecant, & expungunt, sicque totam Scripturam inficiunt, vel reprobando, vel depravando *ad suam ipsorum perditionem* (2.*Petr.*3.16.) Licèt, quia Veritas longè fortior sui natura est quocumque mendacio, ex hæreticis ipsis non desunt, qui *Vulgatam* editionem latinam, mirificis extollant encomiis, cæterisque quibuslibet anteponant, Conradus videlicet Pelicanus *Præf. in ps.* Theodorus Beza *in annot. cap.1. Lucæ*, & *in præf. nov. Testam.* Carolus Molinæus *in nov. Test. p.30. &c.*

7. Quamvis autem tanti Concilii authoritas se sola convincentissima sit ad intentum, ac aliarum quarumlibet probationum vim eminenter involvens, utpotè quæ Spiritus Sancti assistentiæ certissimè innititur; adhùc placuit venerando illi Patrum consessui rationem factæ determinationis indicare, quæ tamen in ejusdem Ecclesiæ authoritatem refunditur, illis particulis, *ut hæc ipsa vetus, & Vulgata editio, quæ longo tot sæculorū usu in ipsa Ecclesia probata est*, quæ *Vulgatæ* antiquitatē evidentissimè ostēdunt *longo tot sæculorum usu* probatam. Cōtra quam vetustatem, robur non habet, sed ipsi potiùs favet, quòd certa non habeatur ad præsens notitia de ipsius editionis Authoribus, seu Interpretibus, quinam revera fuerint? Quò enim quid magis à nostris distat temporibus, eò persæpè redditur dubiæ, tati magis obnoxium, cum præsertim, ut in casu, de re agitur, quæ ad intentum non est necessaria, nec de ea proinde habeatur à Majoribus ad nos continuata, certaque transmissa notitia.

8. Sive namque *Vulgatæ* editionis, ac translationis Author existimetur Hieronymus, ut de ea universalitèr docere videntur Titelmannus *in Apol. pro vulg.* Eugubinus *in annot. in Pentat. quæst. de Vulg.* Beuther Valentinus *in suis prolegomenis*; sive alius Hieronymo vetustior, ut autumant Pagninus *in ep. ad Clem. Papam VII.* quam suæ translationi præfixit; Catharinus *opusc. de clavibus script. cap. de Vulg.* sive ex parte Hieronymus, ex parte verò aliquis, vel aliqui Hierony-

mo

mo antiquiores, ut, post alios è Recentioribus, probat Dominicus à SS. Trinitate *lib.3. bibl. theol. sect.1. c.84.* libros distinguens, quorum vel translatio, vel correctio tribui debeat Hieronymo, aliosque, Antiquioribus, adscribendos; tamquam fidei firmissima regula, ea est, veneranda, quòd genuinus sit Spiritus Sancti fœtus, Scriptores, & Translatores dirigentis, ne aliquid non verum proferrent, aut transcriberent.

9. Quod adhuc non ita accipiendum volumus, ac si fide divina censeamus credendum, Scripturæ Interpretem, aut Translatorem, speciali Spiritus Sancti lumine fuisse illustratū. Id sanè ferè certū tenemus, tamquam divinæ providentiæ valdè consonum, ac Interpretibus, & Translatoribus ipsis quodammodò necessarium. Æquum namque proculdubiò fuit, ut, non nisi divino Numine peculiariter assistente, & dirigente conscriberetur, ac transferretur principale nostræ sacrosanctæ fidei instrumentum, & medium, quod Deus ipse destinarat in usum perpetuum totius Ecclesiæ, nec humano, suaque natura falaci ingenio, ac industriæ, res tanti momenti concrederetur. Cum præsertim Scriptura, ut non semel animadvertimus, difficillimæ sit intelligentiæ, adeòut ipsam in omnibus, ac singulis assequi sine Spiritus Sancti instinctu, prorsùs tenendum sit impossibile. Unde Hieronymus eam interpretaturus, ajebat: (*ep. ad Paulinum*) *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua* (*psal.118.18.*) *Lex enim Spiritus est, & revelatione opus est, ut intelligatur*, & denuò: *quanti hodie putant se nosse literas, & tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reseraverit, qui habet clavem David.*

10. Haud tamen indè valet inferri dogma fidei id esse, ad quod requireretur divinitùs revelata promissio cœlestis luminis Interpretibus, aut Translatoribus impertiendi, de qua nullibi habemus expressum vestigium; & alias, *Vulgata*, prædicta assistentia non est adeò, & essentialiter necessaria, ut ab ea dependeat ejus authoritas, quàm, ut *authenticam* diximus venerandam, non ob indefectibilitatem Interpretum, sed ob indefectibilitatem Ecclesiæ, quæ Spiritus Sancti instinctu eam probando, tùm facto, per usum tot sæculorum, tùm prællegato Conciliari decreto canonicam ostendit esse, & *authenticam*, & tamquam talem fide divina tenendam. Ac etiamsi ex ea, utique theologico, ac efficacissimo ratiocinio, & argumento à posteriori inferri quoque valeat, in Interpretibus adfuisse Spiritus Sancti illustrationem; tanti nihilominus in se ipsa est ponderis, ut adhuc transmissa hypotesi, quòd Interpretes errare potuerint, & proinde carere divina illa illustratione, ipsius nihilominus virtute, æquè *Vulgata* haberi deberet, ut regula præcipua fidei. Unde (ut verbis utar Dominici à SS. Trinitate (*lib.3. bibl. theol. sect.1. cap.85.*) sicuti » conclusio definita de fide ab Ecclesia, » quam priùs aliquis Doctor theologus elicuisset, non ideo, quia à Doctore, vel Doctoribus elicita est, sive potuerint, sive non » potuerint errare, de fide est; sed quia ab » Ecclesia Spiritum Sanctum habente, com» probatur, & ad credendum proponitur. » Ita & in præsenti dicendum est, quòd » sive Interpres non habuerit Spiritum » Sanctum directorem, sivè etiam habuerit indefectibiliter, & pro omnibus momentis, ita volente Deo, ut » *authentica* esset versio in se, Ecclesiæ tamen decreto opus habebat, ut infallibilitatem obtineret, & *authentica* esset quo ad » nos, nobisque innotesceret verè à Spiritu » Sancto illustratum fuisse Interpretem.

11. Non audiendus idcircò Mariana *in suo tract. de vulg. c.23.* in hęc parū cautè prorumpens, » Latinis ergo codicibus divina Scri» ptura continetur, non quasi in fontibus: » id enim datum non est, ut divini libri, latinè primùm scriberentur, sed quasi in » interpretatione, non minoris certè au» thoritatis, quando cum illis convenit; » at quando discrepat incuria, aut errore » Interpretis excusanda est. . . . . . Neque » nostra fides interpretatione nititur, nisi » cum fontibus comparata, atque ex illis, » uti opus erit, præsertim Ecclesiæ catholi» cæ judicio, castigata . . . . Alioquin mul» ta sunt, in quibus peculiare dogma non » explicatur, in quibus erroris aliquid in » nostra editione esse, absurdum non arbi» trantur. In fontibus unde ii errores cor» rigendi sunt, vel levissima quæque vitio » carent, ne Deo mendacium tribuatur, » quo dictante divini libri sunt conscripti, » Interpres humano ingenio nitens in qui» busdam certè labi potuit.

12. Quis hæc legens Authorem aliàs eruditum aliquali reprehensione dignum non judicet? Canonicos Scriptores Spiritus Sancti lumine certissimè illustratos fuisse, & credimus, & confitemur, unumquemque eorum tenentes tamquam calamum scribæ velociter scribentis, nullaque probabilissimè (ex indicandis *art. seq.*) propria utentem industria, nullo ingenio, qui non tàm agebat, quàm agebatur à Spiritu Sancto exci-

piens res, & verba. Sed ubinàm ad præsens incorrupti hi fontes à quibus narrationum, ac doctrinarum puritas colligi valeat? certè incorruptos esse, omnes quos habemus, dubium,ni majus quid dicam est,vel saltem fide divina incorruptio hujusmodi minimè constat; Igitur si à prędicta incorruptione unicè pendet authoritas *Vulgatæ*,hæc de fide nullatenùs est habenda, dum semper dubia, an cum fontibus cohæreat, cum fontibus, inquam, quæ indubiæ sint certitudinis, & de quibus fide divina constet esse illibatum, germanumque fætum Canonicorum Scriptorum.

13. *Vulgatæ* itidem Authores,seu Interpretes propria usos fuisse industria,proprioque ingenio, transmittimus. Numquid tamen inde sequitur in ipso industriæ propriæ usu, in ipsa ingenii proprii applicatione destitutos illos fuisse speciali divinę Providentiæ assistentia? Non certè; ea siquidem prędit os,certa fide tenendum non dicimus; at non proinde negamus, cum potius ineluctabili illatione ex Ecclesiæ approbatione eruamus. Ecclesiam autem esse veritatis columnam, Spiritus Sancti magisterio edoctam in materia religionis, & morum, fide divina ad sanguinis effusionem propugnamus, adeò ut independenter ab ea, cum Augustino, nec Evangelio crederemus: quæ autem esset in Ecclesia indefectibilitas, quinam Spiritus Sancti influxus in ejus definitionibus, si, cùm approbat sacram Scripturam, tamquam fidei regulam, dubiam adhuc illam relinquit, ac indigentem ad ejusdem dubietatis vitandum scopulum, ut cum fontibus comparetur? quæ exTridentini decreto in *Vulgatam* emanavit firmitas, si æquè, ac ante decretum illud, immò, & independenter ab ipso ejus tot sæculorum usu, authentica solùm dicitur, quoties cum fontibus convenit, vitiosa quoties à fontibus discrepat?

14. Nulla profectò, si, ut vera habeatur Marianæ doctrina, verumque quod quoque, non dissimilibus phrasibus scripsit insignis vir Salmeron *proleg.3. disp.2. de lat. vers.* ubi *Vulgatam* comparans cum hebraico, & græco textu in iis, quæ adinvicem non cohærent, hanc servandam tradidit regulam, „ Si verò contradicant sibi invicem, „ sicut affirmatio, & negatio (quod perra„ rum esse solet) adhibenda est diligentia, „ & omnis opera ponenda, si qua ratione „ possimus ostendere,illa in specie tantùm, „ & non re ipsa sibi adversari. Ubi verò „ nulla posset iniri concordia, illi lectioni „ magis esset standum,quæ magis cum præ„ cedentibus,& sequentibus consonaret,aut „ quæ magis conveniret cum Apostolicis, „ & Evangelicis literis, aut quę antiquiora, „ & probatiora exēplaria pro se haberet,aut „ quæ à pluribus PP.agnita est, & approba„ ta, sive sit hebræa, sive græca, sive latina.

15. Non idcircò comparationem prædictam rejicere intendimus, imò & utilissimam eam asserimus esse, tùm ad proprietatem orationis intelligendam, dictionesque explicandas, quæ in sua lingua nativa vim habent, quam latina non plenè exprimit; tùm ad emendandos in nostris codicibus librariorum errores, si qui adsint; tùm ad magis convincendos Judæos, & Hæreticos de suis erroribus;tùm ad catholicorum solamen, qui hebraicas, ac græcas litteras præsertim degustarunt, agnoscentes quanta cum veritate, & gravitate sit concepta *Vulgatæ* translatio, tùm ad faciliùs effodiendum multiplicis sensus in Scriptura latentis thesaurum; tùm ad alios permultos colligendos uberes eruditionis fructus ad catholicæ Religionis decorem, & incrementum. Id itaque, quod totis viribus negamus, est solùm,quòd dicta comparatio fieri debeat, ut quandoque *Vulgata* tot sæculorum usu in Ecclesia probata, *authenticaque* per Tridentinum declarata, corrigi valeat in iis, quæ revera, & absque controversia in ea, ut supra, accepta, continentur, per hebraicos græcosque textus, aut per aliam translationem sive Septuaginta interpretum, sive cæterorum quorumlibet.

16. Quinimmò constanter asserimus per *Vulgatam* corrigenda exemplaria Græca, Hebraica, Caldaica &c. quæ modò extant ob rationem jam indicatam, quòd nempe hæc,vel non sunt genuina, ac incorrupta, vel saltem de eorum incorruptione non constat continuato tot sæculorum usu per Ecclesiam approbato, nec ullo Conciliari, aut Apostolicæ Sedis decreto, sicut constat de *Vulgata*, quæ eapropter tantæ authoritatis esse debet, quantæ esset dicta exemplaria, si certa fide constaret illa eadem prorsùs esse, quæ Canonici Scriptores formarunt. Ac proinde,si in his primis Fontibus nullus erat reperibilis error,nulla falsitas, quæ aliàs Deo ipsi dictanti tribui debuisset, idipsum quoque de *Vulgata* sentiendum, cujus errores Spiritui Sancto forent imputandi; estò non Interpretibus,dictanti, catholicæ tamen Ecclesiæ, ne in approbatione ejus deficeret, specialiter assistenti.

17. An verò totum hoc, locum habeat pari-

pariter in quibuslibet minimis, quæ in *Vulgata* extant, *art. seq.* enucleabitur; contenti interim eidem *Vulgatæ* applicare argumentum, quo utitur Augustinus (*ep.86. & 87. ad Hieronymum*) quia, *si admissa fuerint ad sacras Scripturas, vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit authoritatis? quæ tandem de Scripturis illis proferretur sententia, cujus pondere contentiosæ falsitatis obtrudetur improbitas?* si, itaque dicemus, & nos, in *Vulgata*, aliquod inveniretur, vel leve mendacium, non maneret ejus authoritas in reliquis firma, nam sicut Ecclesia eam approbando, ac authenticam declarando, fuit in levibus decepta, potuit & decipi in gravioribus, ut in simili quoque arguimus *cap.2. art.1. num.19.*

18. Non obstat dictis, quòd olim viri aliquot graves translationem Hieronymi, qua, saltem ex parte, componitur nostra *Vulgata*, vel reprehenderint, quos inter, recensentur Ruffinus *lib.2. adversus Hieronymum*, & Palladius ab ipsomet Hieronymo relatus, *in prolog. lib. cont. Pelagianos*, vel ad minùs, dixerint non fuisse Ecclesiæ necessariam, atque utilem, uti Augustinum pronunciasse constat, *ex ipsius epistolis ad eumdem Hieronymum*. Siquidem ultra quod tunc temporis, non erat versio illa Hieronymi adhuc tot sæculorum usu comprobata, nec Conciliari ullius decreti munimine fulta; neminem latet, Palladium fuisse hæreti. cum; Ruffinum verò S. Hieronymo adversum, ac infensum, ac eatenùs de eorum dicteriis nihil omninò curandum. Augustinus autem, quoàd veracitatem Hieronymianę versionis, nil in contrarium protulit, imò pro ea *lib.18. de Civ. Dei cap.43.* hebræorum testimonium refert; *non defuit temporibus nostris presbyter Hieronymus homo doctissimus, & trium linguarum peritissimus, qui ex hebræo in latinum divinas Scripturas convertit, cujus tantùm literarum laborem hebræi fatentur esse veracem*. Quòd verò necessariam, ac utilem non judicaverit, parcendum profectò, si quandoque *bonus dormitet Homerus*.

19. Neque enim nos ex illorum genere esse debemus, qui, ut S. Augustinum extollerent, veriti non sunt Ecclesiam ipsam turpiter deprimere, intolerabili prorsùs audacia, & temeritate, ne dicam insania, propugnantes propositionem illam ordine *trigesimam* inter damnatas ab Alexandro VIII. *ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*. Obsequenter Augustinus colendus, ejusque summo in pretio habenda doctrina, sed juxta regulam, quam 2. 2. *quæst.* 10. *artic.* 12. tradidit Angelicus: *magis standum est authoritati Ecclesiæ, quàm authoritati Augustini, Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris*, quamque edocuit ipsemet Augustinus (*ep.111. ad Fortunatum*) *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, aut respuere; si fortè invenerimus, quod aliter senserint, quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum*.

20. In volumen excresceret proculdubiò *articulus*, si singula hæreticorum objecta recensere vellemus, eaque dissolvere, quæ adversùs *Vulgatam*, congerunt. Cum autem de ea nos ex professo non agamus, sed in ordine dumtaxat ad dignoscendas fidei regulas, ut ex eis plena oriatur norma discernendi propositiones hæreticas, à prædictis cavillis referendis arbitramur abstinendum, attento præsertim, quòd etsi ipsis singillatim, & immediatè, ac proximè in particulari non respondemus, non tamen omittimus generalem solutionem omnibus applicandam ex Ecclesiæ ejusdem authoritate desumptam, cui captivandum dicimus intellectum nostrum in fidei obsequium, in iis permaximè, quæ nobis tenuitas quandoque perscrutari non valet; ut propterea etiamsi objectio aliqua promi posset, cujus solutio difficilis videretur, contemnenda constantissimè esset, tamquam venenosum sophisma. Quod tamen nusquam eveniet, si, ut debemus, sanctos Patres, sanctosque Interpretes præ oculis habebimus, regulasque generales, quas catholici Doctores tradere solent in dictum finem, debita cum attentione, & maturitate, particularibus quibuslibet, quæ opponi poterunt Scripturæ locis, applicabimus, orantes incessanter cum David, ut dignetur Deus revelare (*psal.118.18.*) *oculos* nostros, & considerabimus *mirabilia de lege ejus*; nec non *diebus*, *ac noctibus* obsecrantes, ut veniat *Agnus de tribu Juda*, *& ipse librum signatum dignetur aperire*, juxta Origenis monitum, *homil.23. in Num.*

21. Indicatas autem regulas ex plerisque gravissimis Authoribus excerptas, & in brevem veluti summam, canonesque redactas à Dominico à SS. Trinitate *lib.3. bibl. theol. sect.1. cap.37.* lectoribus perutile vide-

P 2

videtur fideliter hic nulla facta mutatione transfcribere: Primus igitur canon est, multa imperitè, & ineptè reprehendi in versione *Vulgata* quasi discordantia ab originalibus, cum revera nulla fit dissensio neque fideliùs verti potuerint. Secundus, dissensum illarum esse tantùm in verbis, & non in sensu, licèt identitas sensus, propter obscuritatem à plerisque non percipiatur. Tertius, etiamsi editionis *Vulgatæ*, & hebraici, atque græci textus sensus varius sit, nihilominùs hoc in uno horum textuum non arguit contrarietatem, sed tantùm multitudinem, seu ubertatem significationum vocum hebraicarum, & græcarum, quarum quidem significationum, cum aliæ sint minùs usitatæ, aliæ verò communes, & usitatæ, omnesque sint à Spiritu Sancto intentæ, Interpres *Vulgatæ* editionis communem, relicta minùs usitata, sequutus est, vel è contra. Quartus canon, nonnulli defectus sunt in *Vulgata* editione, si cum originali conferatur, qui sunt defectus puræ negationis; desunt enim aliqua verba, & sententiæ, quæ ad sacrum textum pertinebant; sed hi defectus, cùm neque falsitatem inducant, nec sacrum textum vitient, neque ejus sententiam mutent, idemque sit judicium ejusmodi verborum, vel sententiarum, quæ desunt, ac librorum, & partium Scripturæ, quas excidisse constat, propterea nihil diminuunt authoritatem *Vulgatæ* editionis. Quintus canon, cum incerta sint specierum vocabula apud hebræos, frequenter genus pro specie ab Interprete positum est, aut una species pro altera, quando enim dubia est vox textus originalis, sufficit si transferatur aliquid, quod censetur simili significato illius, modò non varietur sensus, quod circa arbores, vel animalia solet contingere.

22. Sextus canon, cum paraphrasis more, *Vulgatus* Interpres aliquando sententias textus originalis exprimat, potiùs sensum sensui, quàm verbum verbo reddendo, quoniam aliquando voces, & modus idiomatum non possunt in aliud ad verbum traduci, propter peculiares phrases, & proprietates linguarum; aliquando etiam nonnisi valdè obscurè, & barbarè traducerentur; potuit claritatis gratia, & ad æquivocationem, vel amphibologiam tollendam, aut secundum aliam rerum exigentiam, modò restringere, modò ampliare verba, modo addere illorum explicationem, vel etiam verbum, quod nullibi est in originali, *intellige*, *formaliter*; quia licèt non semper ad verbum, cum tamen semper ad sensum transtulerit, nihil est formaliter in translatione, quod virtualiter in textu originali non sit: Unde, licet aliqui dubitent, an ea verba, quæ nullibi sunt in originali, sed ad majorem vocabulorum explicationem adduntur in *Vulgata*, sint authentica, quòd putent *Vulgatam* solùm esse approbatam in rebus fidei, & morum, & Interpretem in aliis potuisse errare; nihilominùs longè probabilius, & certius est, ea verba authentica esse; tum quia, ut statim dixi, ejusmodi verba reperiuntur virtualiter, & æquivalenter in textu originali, tum maximè quia *Vulgata* latina quoàd omnia approbata est, aliàs liceret eam rejicere aliquo loco, & licèt *Vulgatus* non fuerit Propheta, sufficienter colligitur, illum non errasse, sed verum dixisse, ex approbatione Ecclesiæ, quæ per multos annos sic legit, & modò in Concilio Tridentino *sess.* 4. postquam numerati sunt libri canonici, dicitur illos suscipiendos esse, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, & in veteri *Vulgata* latina editione habentur: quod non solùm de principibus partibus, sed de omnibus etiam intelligitur; siquidem & sermo absolutus est, & postea prohibet Concilium, *Vulgatam* quovis prætextu rejici.

ARTICULUS III.

An latina Vulgata *sit habenda tamquam fidei regula in omnibus, ac singulis quantumvis minimis in ipsa contentis?*

1. Unanimes æquè in hac quæstione Catholici non sunt, ac fuisse vidimus *art. præced.* innixi enim nonnulli verbis, quibus Tridentinum apparet conceptum decretum, sustinent per illud minimè approbari omnia, & singula, quæ sunt in *Vulgata*, sed solummodò determinari, nihil in *Vulgata* esse, quod vel fidei, vel rectis moribus dissonum esse queat. Inter hos novissimè est Cabassutius de christiana eruditione benemeritus, qui in sua Conciliorum notitia *Diatribam* prope finem apposuit *circa Tridentini decretum de Vulgata Bibliorum editione*, in qua, relatis Novatorum erroribus, dum alii integros aliquot libros de sacrarum Scripturarum canone expungendos ducunt, *Tobia* videlicet, *Judith*, *Sapientia*, *Ecclesiastici*, *Machabæorum*; alii verò integros admittentes, prout in hebraicis ho-

hodiernis voluminibus leguntur, non tamen quales extant in latina *Vulgata*, in qua nonnulla eorumdem librorum sunt partes, quæ in hebraicis non habentur,, huic, (subdit) secundo errori providere satagerunt, Tridentini Patres, per hæc verba: *cum suis omnibus partibus*; Nec verò ulterius ad singulas, & minutas particulas, mens eorum collimavit,, & infra,, huic ergo hæreticorum circa divinas Scripturas errori, ac temeritati occurrendum judicavit sacra Synodus, quando illos anathemate perculit, qui sacros libros, cum suis omnibus partibus pro sacris, & canonicis non susceperint. Neque quidquam definire intendit, vel cogitavit sacra Synodus de omnibus particulis, aut verborum minutiis universis, quæ neque fidei, neque morum disciplinam convellunt, aut labefactant.

2. Hujus opinionis pariter extitere Sixtus Senensis *lib.8. Bibl. hæres.* 13. Driedo *lib. 2. de Eccl. dogm. cap.* 1. Vega *super Tridentinum lib.* 15. *cap.* 9. ubi testatur se consuluisse pridiè ante decretum Tridentini, quo fuit approbata *Vulgata*, & etiam post, Cardinalem Sanctæ Crucis, qui dicto decreto interfuit & responsum reportasse, quòd hæc dumtaxat fuerit Concilii mens. Bannez 1. *p. q.* 1. *art.* 4. *dub.* 4. Mariana *tract. de Vulg. cap.* 20. ubi explicans quænam sint *partes*, quas Tridentinum verbis indicatis declaravit habendas, ut *authenticas*, sic ratiocinatur,, Capita, narrationes, periodos, non singulas voces, quæ partium nomen non merentur, cum sint potiùs particulæ, uti in corpore humano unguium, & capillorum segmenta; aliàs non liceret ullo loco à singulis vocibus dissidere, & pro illis alias significationes substituere, si quasi divinæ, omnes essent approbatæ. Neque erat difficile PP. Tridentini, si id erat propositum, probare libros sacros cum omnibus dictionibus, adde, etiam punctis, & apicibus; Non ii etiam partium nomine comprehendi possunt; sed apagè has subtilitates, quas in explicandis PP. dictis adhibere non convenit,, Idipsum repetit *cap.* 22.,, Non ergo fuit propositum eam in minimis etiam, quæ ad sidem, & mores non pertinent comprobare,, & c. 26.,, eam decernit authenticam esse, hoc est plenam authoritatis certæ quoniam nihil continebat, quod ad mores, & religionem spectat, depravatum, eatenusque vetat à quoquam rejici; quæ explicatio, cum magnos Authores habeat, repudiari certè non potest, quasi Religioni cōtraria. Quibus in nihilo obstantibus.

3. Dicendum putamus longè probabilius videri, quòd sacræ Scripturæ latina. *Vulgata* editio venerari debeat, tamquam fidei regula in omnibus, ac singulis in ipsa contentis, adeò ut nedum nullum contra fidem errorem contineat, sed etiam infallibilem veritatem, ad Spiritus Sancti mentem, in omnibus suis partibus quantumvis exiguis, non minùs, quàm originalis Scriptura, à qua fuit desumpta. Assertum, hoc tempore valdè certum vocat Dominicus à SS. Trinitate *lib.* 3. *Bibl. theol. sect.* 1. *cap.* 87. quam tamen, ex indicatis, liquet non sine aliquali hyperbolico excessu subjungere, post Tridentinum nullum ferè fuisse ausum,, minùs de hujus editionis authoritate sentire, aut minimum quid illi detrahere fidelitatis, & veritatis. Illud autem firmiter propugnant Ludovicus Tena *lib.* 1. *Isagoge sac. Scrip. diffic.* 6. *sect.* 3. Turrianus 22. *disput.* 22. *dub.* 4. Petrus Lorca 2. 2. *tract. de loc. theol. disp.* 7. Montoja *lib.* 2. *edit. q.* 8. Cardinalis de Laurea *disp.* 3. *de object. materiali virt. fid. infusæ disp.* 3. *art.* 5. §. 3. *num.* 226. & alii innumeri.

4. In asserti munimen facit argumentum Augustini authoritati innixum, quod *art. præced. num.* 17. indicavimus, quo usus quoque videtur Angelicus 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 3. dum infert totam fidei certitudinem perituram, si aliquid, vel leve mendacium in Scriptura canonica reperiretur: *Nec in Evangelio, nec in aliqua Scriptura canonica, fas est opinari, aliquod falsum asseri, nec quod Scriptores earum mendacium dixerint, quia periret fidei certitudo, quæ authoritati sacræ Scripturæ innititur.* Addita namque huic præmissæ, altera minori, quòd nempe *Vulgata* sit Scriptura *canonica*, tamquàm talis ab Ecclesia jam recepta, legitima proculdubiò est illatio, quòd in ea nihil, vel leve, contineri potest mendacii, ne toti ipsius authoritati enormе præjudicium afferatur. Siquidem *authenticam* editionem aliquam declarari, non est solùm, non reperiri in ea errorem contra fidem, & mores; aliàs eadem denominatio tribui posset plerisque aliis sacrorum Doctorum operibus, quorum doctrinam quandoque Romani ipsi Pontifices tutam declararunt; sed etiam importat, quòd illa, ejusdem authoritatis, & valoris haberi debeat cum originali, à quo translatio est facta, & idcircò, si in hoc nullus vel minimus adesse potest error; quin eo ipso totum nullius evadat ponderis, consequens

sequens est, ut & *authentica* dicenda non sit translatio, quæ errori ulli, licèt levissimo, sit obnoxia.

5. Fortiùs, ex quo si *authentica* habenda est aliqua editio, jam debet verificari quoad omnia, quæ in sacra pagina sunt mysteriis referta, quæque à Spiritu Sancto sunt intenta ad æternam fidelium directionem, & perpetuæ beatitudinis consecutionem. In sacra Scriptura autem, nedùm hujus generis sunt ea, quæ dogmata fidei catholicæ, præceptaque, aut consilia exprimunt, quibus regimur in cunctis credendis, ac faciendis in ordine ad vitam æternam, sed etiam reliqua omnia, etsi minima, ut nulla excludenda sit dictio à prærogativa præfata, teste S. Jo. Chrysostomo (*hom.3. in Gen.*) *In sacra Scriptura etiam in brevi dictione, variam sententiarum vim, & indicibiles divitias invenire licet*; & (*hom.21.*) *Iste est liber generationis hominum*; *Neque enim syllaba, vel apiculus est in sacris literis, in cujus profundo non est grandis quispiam thesaurus: proindè nobis opus est, ut divina gratia ducamur, & Spiritu Sancto illustrati divina eloquia adeamus, ut hausto inde vero sensu, magnum nobis hinc lucrum accrescat*. A quo non discrepat, Divus Hieronymus (*in epist. ad Ephes.3.*) *Singuli sermones, syllabæ, apices, punctæ, in divinis Scripturis plena sunt sensibus*.

6. Ideoque expressè præceperunt Tridentini Patres: *ut Vulgata editio in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro* authentica *habeatur, & ut nemo eam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat*. Neque enim in *lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus* de solis dogmatibus agitur, aut de solis morum regulis, sed omnia, & singula Scripturæ verba, ac gesta exponuntur, explicantur, narrantur, ut in confesso est apud omnes. Cum igitur id optimè agnoscens facer ille Consessus, universalissima est usus locutione, absque ulla etiam levissima restrictione, coarctatione, & limitatione, præsumptuosum ferè videtur illam nos apponere, vim hic habente, quod ad aliud intentum protulit Bernardus *art.12. num.50.* relatus: *Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil*.

7. Hinc patet quomodò intelligendæ veniant particulæ Tridentini: *cum suis omnibus partibus*, non quòd per cas excludantur *particulæ*, quæ in rigore sunt etiam partes, etsi minimæ, & ideò immeritò omninò comparantur unguium, & capillorum segmentis in Adversariorum sensu; sed quòd cuncta, & singula, quæ in originalibus, partium indigitabantur nomine, partes pariter censeri debent, & in *Vulgata* editione. Ac propterea opponentibus prætensas illas *particulas*, aut *verborum minutias* nihili utilitatis involuere, indeque inferentibus posse absque fidei, rectorumque morum præjudicio, errorē in eis cōtineri; respondendum, applicando *Vulgatæ*, quod de sac. ipsa Scriptura absolutè protulit *lib.16.de Civ.Dei c.2.* Augustinus: *Non sanè omnia, quæ gesta narrantur in Scripturis aliquid etiam significare putanda sunt, sed propter illa, quæ aliquid significant, etiam ea, quæ nihil significant attexuntur. Solo enim vomere terra proscinditur, sed, ut hoc fieri possit, etiam cætera aratri membra sunt necessaria*. Et iterum: *Soli nervi in citharis .... aptantur ad cantum, sed, ut aptari possint, insunt & cætera in compagibus organorum, quæ non percutiuntur à cantantibus, sed ea, quæ percussa resonant, his connectuntur; ita & in prophetica historia, dicuntur & aliqua, quæ nihil significant, sed quibus adhæreant, quæ significant, & quodammodò religentur*.

8. Vim non habente contra hæc instantia, quæ forsitan fieri posset ex eo deducta, quòd sacra Scriptura in suo originali fonte fuerit à Spiritu Sancto propriè, & immediatè dictata, & revelata, non solùm quoad narrationes, & sententias, sed etiam quoad singulas dictiones, ac voces, D. Petro *ep.2. cap.1.21.* testante quòd *Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt Sancti Dei homines*, & ante ipsum id indicavit Regius Psaltes *ps.44.2.* verbis illis: *lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*: ex quibus sacri Interpretes colligunt canonicos Scriptores Spiritui Sancto linguam veluti calamum præbuisse excellentissimo Scribæ, ut sicut calamus ab ipso scribente determinatur, ut hos, vel illos exprimat caracteres, ita & illi à Spiritu Sancto singula exceperint, quę verbo, aut scripto protulerent. Quod, cum non verificetur de Authoribus *Vulgatæ* editionis, seu Translatoribus, non mirum videri debet, quòd Scripturæ ipsi in suo originali fonte repugnantem affirmemus quemlibet leviusculum errorem, qui, ex dicta ratione, Spiritui Sancto dictanti tribuendus foret, non verò *Vulgatæ* editioni, respectu cujus sufficit admittere Spiritus Sancti assistentiam in fidei dogmatibus, rectisque morum regulis; non verò in quibuslibet minutiis, in quibus, si error erit, Translatoribus imputaretur, non Spiritui Sancto.

9. Ex dictis namque *art. præced.* apparet præventivè data solutio, quòd videlicet falsum sit, Spiritum Sanctum assistentiam suam

suam non præbuisse *Vulgatæ* Authoribus etiam in minimis, ex quo oppositum satis probabiliter videatur evinci ex ipsius *Vulgatæ* approbatione per Ecclesiam habita, Quin replicetur, aliqua esse in *Vulgata*, quæ ex Theodotione sunt sumpta, de quo, utpote hæretico, *stultum* censuit Bellarminus *lib.2. de Verbo Dei cap.11.* asserere, quòd errare non potuerit. Non enim in primis divinæ providentiæ omninò repugnans, ac chimericum putamus, quòd etiam hæretico alicui Scriptori quandoque specialem suam præstiterit assistentiam, ne erraret in quibusdam, quæ in catholicæ dein Ecclesiæ utilitatem, fideique incrementum inservire debebant, ut sic *salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos*, reciperemus. Cùm præsertim nulla habeatur discriminis ratio, cur in hoc casu discurrere non possimus applicando Angelici doctrinam 2.2.q.172.art.6.ad 1. & sicuti S.D. affirmat, *quòd Prophetæ Dæmonum, non semper loquuntur ex Dæmonum revelatione, sed interdum ex inspiratione divina, sicuti manifestè legitur de Balaam, cui dicitur Dominus esse loquutus* (Num.22.35.) *licèt esset Propheta Dæmonum quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. Unde & per Prophetas Dæmonum aliqua vera pronuncias, tum ut credibilior fiat veritas, quæ etiam ex Adversariis testimonium habet; tum etiam, quia, cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur: &* (*in resp. ad 2.*) *Propheta falsitatis non semper instruitur à spiritu falsitatis, sed quandoque etiam inspiratur à Spiritu veritatis*: ita & nos debita servata proportione opinari Interpretem hæreticum aliquam edidisse explicationem ex Spiritus Sancti ductu, qualis fortè esse potuit illa Theodotionis super Danielem, qua semper usa est Ecclesia, ut testatur Hieronymus *Præfat.in Daniel.* apud eundem Bellarminum *cap.5.*

10. Id autem nos neutiquam asserimus, nec prætendimus; nec Marcionistæ Scriptoris ullatenùs patrocinium sumimus: ipsius planè editio græca fuit, & proindè latinæ *Vulgatæ* minimè inserta indicata super Danielem interpretatio, nisi in latinum idioma translata, quod contigisse probabile putamus per Catholicum aliquem, qui divino illustratus lumine apium more, *quæ* ut ait Theodoretus (*lib.3.Polimorph*) *sæpè in venenosis fructibus insidentes, quod est quidem perniciosum relinquunt, quod verò est sibi accommodatum accipiunt*; ex tot aliis Theodotionis explicationibus super aliis Scripturæ locis, illam super Danielem selegerit tamquam ab omni erroris macula immunem, optimè sciens, *etiam illud verum quod Dæmones enunciant à Spiritu Sancto* esse, ex eodem Angelico *in citata resp. ad 1.*

11. Quod si probabilis hujusmodi conjectura minimè arrideat, jam diximus iterumque dicimus indicatam doctrinam ad præsens intentum non esse necessariam, dummodò indubitanter constet Spiritum Sanctum suam indefectibiliter assistentiam præbuisse Ecclesiæ in approbanda *Vulgata*, tamquam *authentica* fidei regula, absque eo quòd ullo umquam prætextu respui, aut rejici queat. Quinimmò etiamsi probabilissimum judicemus allatæ instantiæ assumptum, non tamen illud eo rigore amplectimur, ut credamus essentiale, & necessarium ad rationem sacræ Scripturæ, quòd sententiæ omnes, omniaque, & singula verba fuerint à Spiritu Sancto ipsis Scriptoribus dictata, & revelata, satis namque est ad dictum finem, quod Spiritus Sanctus eisdem præbuerit auxilium, & assistentiam, ne in aliquo deciperent, vel deciperentur, sive per ignorantiam, sive per malitiam, sive per memoriæ lapsum, incuriam, incogitantiam, & inadvertentiam, ut cum aliis plurimis sustinent Sixtus Senensis *lib.8 Bibl.hæresi* 12. Andreas Vega *lib.15. in Trid. cap.17.* Bellarminus *lib.1.de Verb.Dei cap.15.* qui tamen distinctionem facit inter Scriptores Prophetas, & Historicos, Andreas Duvallius 2.2.q.1.*de objecto fidei* Dominicus Gravina *lib.4. de Verbo Dei scripto controv.* 1. *art.* 2.

12. Quomodocumque autem hujusmodi assistentia fuerit canonicis Scriptoribus communicata, id clarum, mea sententia, est, quòd finis Spiritus Sancti in illis dirigendis ne errarent, nec quidem in jotis & apicibus, idem prorsùs perseverat respectu *Vulgatæ* editionis. Non enim, alius ille fuit, nisi quòd, ut, ait Apostolus (2. *ad Tim.*3.16.17.) *omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*, quæ, indubium est, de *Vulgata* verificari adamussim debere, dum pæ aliis cunctis editionibus infallibili Ecclesiæ definitione, & decreto, toti Dominico gregi declarata est *authentica* regula ad singulos effectus enunciatos præstandos.

13. Indeque eruere etiam licet non ultimum, inter alia, motivum, ob quod divina Providentia permiserit primævos, & originales Scripturæ codices pœnitùs periis-

periisse. Quia videlicet, deficientibus illis, substituenda erat, ad fideles corripiendos, erudiendos, docendos, redarguendos, *Vulgata*, æqualis authoritatis, & ponderis cum originalibus, ob Ecclesiæ approbationem, eidem prorsùs Spiritus Sancti assistentiæ innixam, qua fruebantur Scriptores ipsi Canonici; nec suspicionis ullus est locus, vi cujus timor aliquis supersit, ob quem ambigere possimus præcipuum fidei nostræ instrumentum in *Vulgata* contentum, in lege gratiæ nullatenus inferioris efficaciæ, & valoris esse ipsis originalibus, si adessent, ut propterea de *Vulgata* latina dici æque possit, quod de versione Septuaginta Interpretum in sua integra puritate accepta pronunciavit *lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 42. Augustinus: *tam mirabile Dei munus acceperunt, ut illarum Scripturarum, non tamquam humanarum, sed sicut erant, tamquam Divinarum, etiam isto modo commendaretur authoritas credituris quandoque gentibus futurum, quod jam vidimus, effectum*.

14. Non multùm curandum propterea, ait, Dominicus à SS. Trinitate Cardinalis Sanctæ Crucis testimonium relatum *num.* 2. tùm quòd ex hactenùs delibatis oppositum deduci pateat ex ipsismet Tridentini verbis; tùm quòd præfato Cardinali præ ferenda sit authoritas Sacræ Congregationis Cardinalium, assertum nostrum apertissimè comprobantium; ut enim refert Turrianus *num.* 3. citatus, cùm, nobilis cujusdam Academiæ Doctores, à Gregorio XIII. de sensu ejus canonis Concilii quæsivissent, in eam sententiam alacri animo ituri, quam amplectendam Apostolica Sedes censeret, remissaque supplicatio esset Sacræ Congregationi, hæc sapientissimum protulit oraculum, nihil posse asseverari, quòd latinæ *Vulgatæ* repugnet, etiamsi sola esset periodus, seu clausula, aut membrum, aut syllaba, jotave unum. Quid in asserti favorem resolvi poterat uberius?

15. Diluenda sunt præcipua nonnulla objecta, quæ post alios plerosque, congerit Cabasutius; tum quòd Tridentini tempore, sacræ *Vulgatæ* editionis Biblia „ tot mendis scaterent, ut nullum prorsùs Bibliorum latinorum exemplar ab innumeris „ mendis immune fidelium manibus tereretur „ non potuit proinde statuere omnes, & singulas Bibliorum particulas, & voculas sacras esse, & canonicas. Tum secundo, quòd eodem tempore Plantinianæ editionis *vulgata* Biblia omnium censebantur castigatissima, & nihilominùs post ipsam, aliasque consimiles castigatas itidem, & correctas, postque Tridentinum ipsum, prodiit jussu Sixti V. nova, & castigatior editio, locis plusquam ter mille in ea emendatis, quæ *in sua collectione* Franciscus Lucas recensuit, qua tamen haud contentus Clemens Papa VIII. alteram castigatiorem Sixtina, concinnari fecit.

16. Idque, non obstante *constitut.* edita *anno* 1589. cujus initium *Æternus ille cælestium*, quam idem Sixtus Bibliis sua cura correctis præfixerat, *de Apostolicæ authoritatis plenitudine* statuens, ac declarans *eam Vulgatam sacram, tàm veteris, quàm novi Testamenti latinam editionem, quæ pro* authentica *à Concilio Tridentino recepta est, sine ulla dubitatione, ac controversia censendam esse hanc ipsam, quam nunc, prout optimè fieri potuit, emendatam, & in Vaticana Typographia impressam, in universa Christiana Republica, atque in omnibus Christiani Orbis Ecclesiis legendam evulgamus, eamque nunc demum Apostolica nobis à Domino tradita authoritate comprobatam, pro vera*, *legitima*, authentica, *& indubitata in omnibus publicis, privatisque disputationibus, lectionibus, prædicationibus, & explanationibus recipiendam, & tenendam esse*.

17. Talis autem ut indicatum est, Sixti constitutio prægnantibus adeò verbis Compacta „ nihil obstitit quo minùs post„ modùm Clemens VIII. hanc *vulgatam*, & „ Sixtinam Bibliorum editionem in multis „ post Sixtum emendatiorem edi curave„ rit, multis tùm additis, tùm detractis pas„ sim vocibus, aliisque transpositis, non„ nullis etiam fidei doctrinam non concer„ nentibus, apertam etiam contrarietatem, „ aut contradictionem habentibus, ut affir„ mat ipsa Clementis *Bulla*, quam refert „ post Sixti *Bullam* Cherubinus collector in „ *suo Bullario*. Dicendum itaque Sixtum „ emendatiora, quàm ante fuissent, Biblia „ suppeditasse, non tamen ab omnibus ex„ purgata mendis; neque ablatum per id „ potestatem fuisse posterioribus Pontifici„ bus castigatiora Biblia edendi, qualia „ sunt Clementis VIII. „ Hæc Cabasutius, subdens, idipsum, quod contigit Bibliæ correctæ per Sixtum posse quoque evenire Bibliæ Clementinæ, si aliquis alius Pontifex vellet ulteriùs eam corrigere; quod confirmat etiam, cùm *ex libello*, quem edidit præfatus Franciscus Lucas Theologus, & Decanus Cathedralis Ecclesiæ Audomarensis, continente plures lectionum varietates, in quo quater mille, & ampliùs loca sunt, quæ in Bibliis Clementinis possent

sent ulterius corrigi; tùm ex epistolis eidem Francisco Lucæ scriptis per Cardinalem Bellarminum, & Joannem Baptistam Bandinum inter alia asserentes: *Sacra Biblia per illam Clementinam, quæ de Vaticana Typographia paulò ante prodierat, editionem, nec dum esse accuratissimè correctã, & superesse non pauca, quæ adhuc in melius mutari possent*; unde Correctores Clementinæ editionis, in præfatione animadvertere non omiserunt: *hanc editionem pro humana infirmitate omnibus numeris absolutam difficile esse affirmare*.

18. At tanti hæc ponderis non videntur, ut ob ea, obstricti simus ab asserto recedere, quinimmò cum eruditissimo Morino *in exercit. bibl. lib. 1. exercit. 7. cap. 4.* repetere non formidamus: *nulla errata, quantum libuerit, levia committere potest Spiritus Sanctus; Itaque quicquid demonstratur ad versionem pertinere* Vulgatam, *illud sanum, & verum esse necessariò nobis confitendum est. Diximus: quicquid ad* Vulgatam *pertinet, non enim scribarum menda, & errata defendimus.* Nomine autem *Vulgatæ* Tridentinum non intellexit hanc, vel illam editionem latinam in individuo, sed *Vulgatam* dixit *longo tot sæculorum usu probatam*, ut, vel ex hoc eluceat falsitas mendacis Kemnitii calumniæ, qua effutiit Tridentinum *Vulgatam authenticam* declarasse, quòd ad Pontificia dogmata esset transformata, quem proinde non minùs impudentiæ, quàm imprudentiæ redarguit Bellarminus *lib. 2. de Verbo Dei scripto cap. 10.* quatenùs proprium Ducem Lutherum posset ea quis facilè impugnare, „Si enim Pon„tificia dogmata habentur in editione *Vul„gata*, sequitur Pontificia dogmata esse an„tiquissima, & ipsorum dogmata contra„ria plenè esse recentia, nam editionem „*Vulgatam* etiam ipsi fatentur esse vetustis„simam: præterea, si editio *Vulgata* esset fa„cta post Lutheri tempora, esset aliqua „ratio suspicandi, eam esse accommoda„tam de industria ad Pontificia dogmata; „at facta est ante mille annos, & omnia, „quæ illi reprehendunt, in *Vulgata* editio„ne, reperimus, sic esse citata ab antiquissi„mis Patribus, & semper sic viguisse in „*Vulgata* editione.

19. Quoniam verò in particularibus impressionibus errores irrepserant, propterea *statuit, ut postbac Sacra Scriptura, potissimùm verò hæc ipsa vetus, & Vulgata editio quàm emendatissimè imprimatur.* Sic turpissimi alterius mendacii Kemnitium objurgans, quo asseruit, ex eodem Bellarmino *ibidem*, ut pro iis, quæ Spiritus Sanctus in fontibus hebraicis & græcis scripsit, ea recipiamus, quæ à librariis mutilata, vel addita sunt. „Quis non dico catholicus, „sed sanæ mentis homo unquam diceret, „librariorum vitia suscipienda pro Spiritus Sancti verbis? „Sanè, & Tridentini Patres expurganda menda hujusmodi decrevere, & Romani Pontifices totam possibilem diligentiam præstitere, ut ab eisdem correctissima, & defæcata ederetur.

20. *Vulgata* itaque, quam Tridentinum declaravit *authenticam*, non est quidem quæ determinatè in Bibliis, vel Roberti, vel Benedicti, vel Lovaniensibus, seu editionis Plantinianæ, sed neque ob id, est ficta aliqua editio mente dumtaxat concepta, sed quæ à tot sæculis erat in usu penès Patres & Concilia, quæque, ut inquiunt passim Theologi, erat *in corde Ecclesiæ*, seu ea, quæ in prædictis Bibliis reperiebatur sparsa, collationanda in locis potissimùm, quæ variè legebantur in una, ac in altera, cum scriptis eorumdem Patrum, & Conciliorum; quibus consultis, & inter se, unà cum antecedentibus, & consequentibus debita diligentia comparatis, facilè foret, errores quoslibet, qui extarent, deprehendere; quod solùm præstitum fuisse à Romanis Pontificibus, & præsertim à Clemente VIII., qui Vaticanis typis sub ipso editam de Apostolicæ Sedis plenitudine habendam illam decrevit, tamquam illam eamdem, quam Tridentinum *authenticam*. indeterminatè, quod corrigenda adhuc esset, definierat; non verò novam aliam edere, vel veterem ullo modo mutare, aut corrigere, in præfatione ejusdem Clementinæ Bibliæ clarissimè exprimitur „Amplissimorum Cardi„nalium Congregationi, & aliis eruditissi„mis viris, ad hoc opus à S. Sede Aposto„lica selectis, propositum non fuit, novam „aliquam editionem cudere, vel antiquum „Interpretem ulla ex parte corrigere, sed „ipsam veterem *Vulgatam* editionem à „mendis veterum librariorum, nec non à „pravarum emendationum erroribus re„purgatam, suæ pristinæ integritati, ac „puritati, quò ad ejus fieri potuit, restitue„re, eaque restituta, ut quàm emendatissi„mè imprimeretur, operam dare.

21. Quod autem perfecit Clemens VIII. facere primò aggressus est Pius IV. lectissimis S. R. E. Cardinalibus, doctissimisque Theologis eam Provinciam demandando; prosecutus deinde est Pius V. habitaque aliqua interruptione, ob urgentes tunc temporis alias Apostolicæ Sedis occupationes,

 reas-

reassumpsit Sixtus V, & quadantenùs complevit, dum confectum opus typis mandari præcepit, verùm animadvertens idem Sixtus in Bibliis jam excusis non pauca adhuc reperiri, quæ accuratiori indigerent diligentia „ totum opus sub incudem re„ vocandum censuit, atque decrevit. Id „ verò, cùm, morte præventus præstare non „ potuisset, Gregorius XIV. qui post Ur„ bani VII. duodecim dierum Pontificatum „ Sixto successerat, ejus animi intentionem „ executus perficere aggressus est, amplissi„ mis aliquot Cardinalibus, aliisque doctis„ simis viris ad hoc iterum deputatis; sed „ eo quoque, & qui illi successit, Innocen„ tio IX. brevissimo tempore de hac luce „ subtractis, tandem sub initio Pontificatus „ Clementis VIII. opus, in quod Sixtus V. „ intenderat, Deo bene juvante, perfectum „ est.

22. Ex qua relatione *præfationi* Clementinæ editionis inserta perpendat Cabasutius, si, quæ scripsit, historicæ veritati cohæreant, & an potiùs per ea, ansam præbeat hæreticis, & præsertim asseclis Thomæ James, qui impium illum edidit librum sub titulo: *Bellum Papale, seu concordia discors Sixti V, & Clementis VIII. circa Hieronymianam editionem*, non emendavit Clemens, quod Sixtus unquam promulgavit correctum, ac depuratum, sed correctionem perfecit, quam faciendam Sixtus agnovit, & in dictum finem *totum opus sub incudem revocandum censuit*. Bullam sanè Sixtus pararat, sed Deo inspirante, non promulgavit, ob librariorum errores, quibus adhuc scatere perspexit; cumque Summi Pontifices loqui non dum intelliguntur de Sede Petri tamquam Judices, & Pontifices in legibus, & canonibus ferendis, etiamsi eos imprimi jubeant, donec solemniter publicentur, ut universaliter notat Vasquez 1.2. *tom.*2. *disp.* 155. *num.*15. & in terminis *Sixtinæ Bullæ* de qua in præsenti, *Tannerus* 2.2. *disp.*1. *de fide q.*4. *dub.*6. *num.*264. idcircò non Sixto contrarius Clemens, sed Sixtinæ extitit mentis executor, hacve ratione *Vulgatam* à prædictis expurgatam erroribus imprimi voluit, & mandavit sub Sixti nomine, apposito in ejusdem fronte titulo: *Biblia sacra Vulgatæ editionis Sixti V. Pontificis Maximi jussu recognita, & Clementis VIII. authoritate edita.*

23. An autem quod fecit Clemens, denuò facere valeat alter Romanus Pontifex, errores alios librariorum, qui remanserunt, corrigendo, *Vulgatamque*, adhuc reddendo emendatiorem? lis est sub Judice, non quòd, in quolibet Romano Pontifice non sit æqualis, quæ fuit in Clemente authoritas, & potestas, sed quòd probabilius, plerique Doctores censeant, ne minimum locum in *Vulgata* relictum, qui librariorum vitio corruptus censoria virgula adhuc sit dignus: cum enim Censores deputati omnia Patrum monumenta, & codices universos summa perlustrarint diligentia, non est verisimile, ut defectus aliquos reliquerint, ubi deprehenderunt correctiora exemplaria, & Patrum scripta veram lectionem continere, & eatenùs Censorum deputatorum humilitati adscribendum ducunt, quod *in præf. Vulgatæ* enunciarunt: *Vulgatam nempè Sacræ Scripturæ editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam .... omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare, difficile esse*; nec ad librariorum errores, sed ad alios accidentales, de quibus *num.* 25. referri debere, hujusque opinionis inter alios est Lorca 2.2. *tract. de loc. cath. disp.*4. ipsique, ut probabiliori adhæret Dominicus à SS. Trinitate *lib.*3. *Bibl. theol. sect.*1. *cap.*90. plerasque producens conjecturas, & argumenta, quorum ultimum, „ si vitio libra„ riorum adhuc errata corrigenda superes„ sent, unde iterum ad collationem codi„ cum, & Patrum monumenta, sicut ante „ Tridentinum recurrendum esset, jam non „ simpliciter castigata, & correcta, sed in „ genere (ubi scilicet Patres, vel collatio „ cum aliis codicibus non obstarent) dicen„ da esset *Vulgata* editio, atque adeò ratio„ nem exemplaris habere non posset, per „ quod cæteri codices emendari præcipiun„ tur, sed potius exemplatum, quod iterum „ per alios corrigendum esset: quòd tamen „ videtur omninò inverisimile, præsertim „ cum puriora exemplaria reperiri non „ possint, conquisitis jam undique omni„ bus antiquis aliisque verissimis exempla„ ribus, per quæ novissima correctio facta „ est.

24. Oppositum tuentur alii cum Morino desuper laudato *num.*16. protestantes se nolle librariorum mendа, ac errata defendere, cum nulla ex eis *in Vulgatam* refundi valeat falsitas, nulla in Apostolicam Sedem illam probantem, injuria. Unicuique liceat quoad hoc, in sensu suo abundare, dummodò posterioris sententiæ Patroni librariorum, quæ adhuc extare contendunt errata, non privata uniuscujusque authoritate asserant corrigenda, sed ut corrigantur Apostolicæ Sedis humiliter offerenda judicio; juxta Clementis VIII. in *Bulla*, *Vulgatæ* præ-

fixa

fixa rigorosum præceptum: *cujus exemplaris forma, ne minima quidèm particula de textu mutata, addita, vel ab eo detracta, nisi aliquod occurrat, quod Typographicæ incuriæ manifestè ad. scribendum sit, inviolabiliter observetur*; firmumque perpetuò maneat, in *Vulgata, nihil extare non canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum*, ut in ejusdem *præfatione* asseritur. Quibus minimè adversantur præcedentia verba; *sicut nonnulla consultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur consultò immutata relicta sunt*; imò nec per ista efficax pro secunda opinione conficitur argumentum, cum optimè intelligi queant de erratis quibusdam accidentalibus, quæ Hieronymus *epist.ad Damasum* etiam in sua versione inemendata reliquisse testatur; *ita calamum temperavimus, ut in his tantùm, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant*. In quem namque finem *immutata consultò* relinquere errata, quæ non nisi ex librariorum vitio, & oscitantia ortum ducebant? Profectò, qui id affirmaret, difficillimè cum eo conciliare posset *Vulgatam sacræ Scripturæ editionem fuisse, quanta fieri potuit diligentia, castigatam*; quodque S. Sedis propositum fuerit, *veterem Vulgatam editionem latinam à mendis veterum librariorum, nec non pravarum emendationum erroribus repurgatam, suæ pristinæ puritati, & integritati, quoad ejus fieri potuit, restituere*.

25. *Consultò* itaque dicimus *immutata* mansisse, quæ ad *Vulgatæ* accidentalem perfectionem spectabant, quæque eam reddere potuissent elegantiorem, grammaticæ regulis conformiorem, clariorem, ac etiam in aliquibus significantiorem, ac propterea quæ ad proprietatem vocis, ad orationis ornatum pertinerent, non ad sensus veritatem per Spiritum Sanctum intentam, quæ nullum, ex hisce defectibus patitur detrimentum, vim de *Vulgata* habente, quod de simplici Scripturæ stylo scripsit *lib.4.de doct. Christ.cap.16.* August. *Non quia neque incedit ornata, neque armata, sed tamquam nuda congreditur, ideo non Adversarium nervis, lacertisque collidit, & obnitentem subruit, ac destruit membris fortissimis falsitatem.* Cur autem *immutata* relicta ea sint, tres in *præfatione Vulgatæ* rationes promuntur, quarum tertiam habes *num.18.* duæ verò priores sunt; *tùm quod ita faciendum esse, ad offensionem populorum vitandam, S. Hieronymus non semel admonuit; tùm quòd facilè fieri posse credendum est, ut Majores nostri, qui ex hebrais, & græcis, latina fecerunt, copiam meliorum, & emendatiorum librorum habuerint, quàm ii, qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt, qui fortasiè tam longo tempore identidem describendo minùs puri, atque integri evaserunt.*

26. Quod autem dictum est juxta priorem opinionem de *Vulgatæ* immunitate ab erroribus vetustis librariorum, de sola illa editione est accipiendum, quæ ex Vaticana Typographia emanavit correcta, & expurgata, non de singulis aliis editionibus, quæ in dies imprimuntur. Cum enim codicum exemplatio humano fiat more, potest utique in eis contingere, quod aliis ante Tridentinum acciderat. Bene tamen Divinæ innixi Providentiæ confidimus cum Abulensi *lib.4.Reg.cap.24.quæst.8.* Lorca *2.2.tract. de loc. disp.9.* Dominico Gravina *cathol. præscrip.lib.4. de fac.Bibl.vers.* Duvallio *2.2.q.1. art.de edit.Vulgat.* nusquam eventurum, nec usquam evenisse, ut unus, idemque locus corruptus sit nedùm in cunctis, & singulis ejusdem editionis lectionibus, sed & in omnibus, & singulis editionibus, si saltem talis naturæ error sit, ut per eum sensus ullum patiatur defectum. De aliis namque dicere possumus cum Ambrosio (*in Luc. cap.2.*) *nihil apud me distat in verbo, quod non distat in sensu*.

27. Ratio autem est, quia, cùm, Scriptura sacra sit maximum fidei instrumentum, & regula, verisimile non est, Omnipotentem, qui Ecclesiam suam nusquam deserit, permissurum codices universos fore vitiatos, adeò ut, non sine saltem summa difficultate genuinus erui valeret sensus, dum non parùm idoneum ad id præstandum deficeret medium, collationandi videlicet codices, cum codicibus; sicque propterea intelligendum censemus Augustinum *lib. de utilit. credendi cont. Manich.* irridentem eos, qui vel non valentes textum aliquem percipere, vel nolentes eo de suis erroribus convinci, statim ad codicum corruptionem confugiebant: *quàm multa solent dicere immissa esse Scripturis Divinis à nescio, quibus corruptoribus veritatis, quæ vox mihi semper quidem, et'am cum eos audirem, invalidissima visa est*: quod namque in hoc vel illo particulari codice, errores haberentur, fassus est S. Doctor (*epist.19. ad Hieron.*) *si quid in Scripturis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud existimem, quàm mendosum esse codicem, vel non esse assecutum Interpretem, quod dictum est*, illum nempè, qui speciali, Spiritus Sancti non fuerit lumine illustratus, nullaque habeatur Ecclesiæ de ipsius versione definitiva approbatio.

28. Ex dictis satis evincitur nedùm *Vulgatam* editionem esse regulam fidei, sed esse unicam inter omnes alias, quæ nunc extant editiones, cùm, de nulla habeatur Ecclesiæ approbatio, quæ essentialis, & necessaria est, adeoût versio Septuaginta Interpretum, quæ certè magnam authoritatem habet, immunisque censenda à labe in fide, & moribus, postquam jussu Sixti V. fuit accuratissimè revisa, & ad emendatissimorum codicum fidem restituta, opera Cardinalis Caraffæ, & peritissimorum hominum adhibita industria, græcèque priùs, anno 1586. dein latinè anno 1588. edita, cum expressa prohibitione, *quòd non nisi juxtà hujus tenorem imprimatur, neque ei aliquid, vel minimum addere, vel detrahere, vel illam aliqua ex parte immutare, quovis prætextu quis audeat, vel præsumat, nisi specialem ad id à Romano Pontifice licentiam obtinuerit*, adhuc *authentica*, & canonica dici nequit, quòd ut talis ab Ecclesia declarata definitivè, seu tamquam de fide tenenda non sit, nisi quatenùs cum nostra *Vulgata* concordat, in sensu, quem *art. seq.* expendemus, quidquid in contrarium scripserit Montoja *lib. 2. de conc. edit. contr. 7.* Indèque iterum pateat, quàm malè de *Vulgata* sentiant, qui ipsius certitudinem, in convenientiam cum fontibus hebræis, & græcis reducunt cum Mariana, quoad hoc punctum, meritò per Inquisitionem Hispanicam correcto, ut videre est in *expurgatorio edito Matriti anno* 1612. Hæc ad institutum nostrum delibasse sufficiat, plura percupiens, adeat Authores in *articuli* decursu laudatos, penès quos adamussim quoque invenies defensionem locorum omnium, quæ sive ab hæreticis *Vulgatæ* juratis hostibus, sive à Catholicis, eam in *minimis* non habentibus, ut canonicam, censentur adhuc correctione digna, aut saltem non firmitate fidei sustinenda.

29. Unicum tamen objectum omittendum minimè putamus, ex eo desumptum, quòd *Vulgata* in plerisque diminuta videatur, quotiès nempè non omnis explicatur sensus textus originalis; quandoque, ad aliquem sensum se extendens, qui originali non competit; quandoque diffidens ab originali, saltem si accipiatur juxta rigorosam proprietatem verborum; quæ, hisce affinia, incompatibilia videntur cum regula fidei unica, & *authentica*, qualem *Vulgatam* esse etiam in *minimis* contendimus. In promptu nihilòminùs est responsio, quòd diminuta dici non potest *Vulgata*, dum in ea omnis ad hominum instructionem, & salutem necessarius sensus continetur, etiamsi sensus alii non necessarii, nec essentiales non exprimantur ob penuriam, & limitationem latinæ linguæ. Quòd si hæc aliquando fæcundior sit, & se extendens ad alium aliquem sensum in originali non comprehensum, tunc ille solus fide tenendus, qui cum originali, de quo in hoc vel illo loco dubium non extet, plenè concordat. Cum enim Ecclesia *Vulgatam* definitivè approbando, non condiderit Scripturam canonicam, sed tantùm declaraverit quoad nos illud, quod in se revera tale habebatur, sequitur quòd in dictionibus plurium sensuum, illum approbaverit, tamquam canonicum, qui verè extabat, non illum, de quo certi simus diffidere à legitimo, & defæcato originali.

30. Qua etiam ratione, quandoque præferendus sensus non adeò proprius, & rigorosus, proprio, & rigoroso, quòd ille originalibus græco, & hebraico, de quibus ea ex parte non dubitetur, sit accommodatior, cum non sit contra authoritatem *Vulgatæ* si retêta ejus lectione, Verbum aliquod trahamus ad sensum Originali vocis, qui ex aliis adjunctis vocibus ejusdem *Vulgatæ* etiam colligitur. Unde ad summum inferri solùm poterit, quòd non semel est insinuatum, *Vulgatam* posse adhuc perfici perfectione accidentali, non tamen ullius, vel minimi errati redargui, relatè ad quam accidentalis perfectionis imminutionem Censores *Vulgatæ* modestissimè confugisse conspeximus ad *humanam fragilitatem*, Authoris *lib. Machab.* calcantes vestigia, qui *lib. 2. cap. ult.* veniam petiit *non erratorum*, uti mentitus est *in Antid. conc.* Calvinus, *quippè qui nulla esse sciebat, sed orationis minùs politæ, quemadmodùm etiam D. Paulus (2. Cor. 11. 2.) se imperitum sermone confitetur*, ut advertit Bellarminus *lib. 1. de Verbo Dei cap. 15.*

ARTICULUS IV.

An propositio opposita alteri contentæ in terminis formaliter æquipollentibus in Sac. Scriptura sit hæretica?

1. Duplicem supponit titulus dari terminorum æquipollentiam; alteram videlicet, quæ dicitur *formaliter* talis; alteram, quæ solummodò *virtualiter*. De posteriori autem acturi (*art. seq.*) *formalem* in præsenti nedùm vocamus eam, quæ intervenit, quotiès eadem omninò res vocibus synonimis significatur, sive id contingat in uno, eodemque idiomate, sive ratione diver-

diversi idiomatis, dummodò idem omninò immediatè, importetur conceptus, sed etiam eam, quæ habetur, quoties voces quidem sunt diversæ, sed idem est significatum, non quidem sola identitate reali, sed vera, & rigorosa identitate *formali*, estò non æquè clarè exprimatur sub una, ac sub altera. Cujus generis censentur definitio, & definitum, ut *homo*, & *animal rationale*, quibus eadem correspondet hominis essentia, ac quidditas, sed ita, ut per τὸ *homo* importetur modo quodam implicito; explicito verò per τὸ *animal rationale*. Quæ adhuc æquipollentia potest esse totalis, qualis est prædicta, & partialis, quoties videlicèt non integer conceptus, qui comprehendebatur sub una voce, comprehenditur, & sub altera, sed pars tantummodò ipsius, ut si diceretur *homo*, & *rationale*, quod non totaliter constituit hominem, sed ut pars discretiva hominis ab omni non ipso. Et hujusmodi quoque sunt propositiones omnes particulares, vel singulares, quæ sub universali aliqua continentur, de quibus in fidei, ac morum materia nonnulla tetigimus *cap.2. art.8. à num.11. ad 17.* & *art.13. num.53.* tenenda præ oculis in corroborationem asserti, quo in hac quæstione;

2. Dicendum universaliter sustinemus propositionem oppositam alteri positæ in terminis *formaliter* æquipollentibus in sacra scriptura (idem sentias, servata proportione, de oppositis, aliis quibuslibet, quæ formaliter æquipollentes sunt, cum propositionibus fide divina tenendis, sive ob divinas Traditiones, sive ob definitiones Conciliorum, aut Apostolicæ Sedis) esse hæreticam. Movemur præcipuè, quia, eò ipso, quòd propositiones *formaliter* æquipollentes propositionibus positis in sacra Scriptura sunt habendæ de fide, æquè ac istæ, manifestè sequitur, quòd sicuti sunt hæreticæ propositiones in terminis propriis adversantes positis in sacra Scriptura, ita & hæreticæ esse debeant propositiones oppositæ propositionibus *formaliter* æquipollentibus, cum positis in sacra Scriptura. Assumptum autem à nemine potest negari, quàm ab hæretico aliquo, qui adhæreat insaniæ Guillelmi Witakeri, Roberti Rollok, & Junii, respuentium sacram Scripturam in quamlibet alienam linguam translatam, ut de eis refert Dominicus Gravina *lib.4. de sacr. Bibl. versione*, ac si tota ejus authoritas unicè sita sit in suo fonte, & originali, quo deperdito, & ipsa corruat. Tantæ autem insaniæ falsitas eruitur, tùm ex illo (*Ecclesiastici 20.32.*) *Sapientia absconsa, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* tùm ex Apostoli (*ad Romanos 15.4.*) monito: *quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*; quomodò namque finis hic per Spiritum Sanctum intentus in Sacris literis condendis suum habere posset effectum, si quæ scripta sunt hebraicè, vel græcè, non nisi sub hoc idiomate censenda essent canonica, & habenda, ut regulæ fidei, aliis proinde nationibus non communicanda, quæ prædictæ linguæ peritiam non possiderent, quarumque idcircò respectu, *absconsa* proculdubiò adhuc maneret *divina Sapientia*, mysteriorumque revelatorum *thesaurus invisus*, nulliusque per consequens utilitatis? quo nil cogitari potest absurdius contra divinæ Providentiæ suavitatem, quæ ne id eveniret, catholicæ Religionis primos Ministros, & Apostolos voluit, quòd replerentur *omnes Spiritu Sancto* (*Act. 2. 4.*) & inciperent *loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*; quæ explicans Divus Gregorius *hom.30. in Evang.* relatus ab Angelico *2.2.q.176.* §. *Sed contra*, ait, quòd *Spiritus Sanctus super Discipulos in igneis linguis apparuit, & eis omnium linguarum scientiam dedit*.

3. Ulterior autem ratio est, quia sacra Scriptura in quamcumque aliam linguam conversa, idem omninò est Verbum Dei, & proindè ejusdem infallibilitatis, authoritatis, & virtutis. Ut enim sit idem Dei Verbum, sufficit, quòd eamdem penitùs significationem retineat, quod in præsenti hypothesi adamussim verificari supponimus; ex quo, sermo sit de conversione in alias linguas legitimè facta, absque ulla significationis, sensusque immutatione, ac varietate, quamque proinde haberi nõ posse indicavimus *art.2. num.15.* uniuscujusque *propria interpretatione* (*2. Petri 1. 20.*) *sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt Dei homines*. Duo siquidem in cujuslibet linguæ verbis sunt ponderanda, sonus videlicèt, & articulatio, seu physica eorum entitas, & vis significativa, ac objectivus conceptus per illam expressus. Prius, materiale penitùs est ad rem, de qua loquimur, eoque proindè variato, ac mutato, nullum infertur præjudicium, sed idem plenè manet robur, authoritas, & efficacia, si illud, in quod mutatur, eamdem retinet significationem, eumdemque respectum ad rem significatam, quæ à Spiritu Sancto fuit intenta, ut innuimus *cap.3. artic.1. num.15.*

4. Quòd quoque militat etiamsi mutatio

tatio non fit idiomatis unius in alterum, fed vocum ad voces ejusdem, vel diversi idiomatis, quarum significatum, si non est idem quantùm ad modum, manet tamen idem quantùm ad substantiam, quæ est attendenda, uti notavimus contingere inter definitionem, & definitum, quæ significant eamdem rem, eamdemque essentiam, licèt per posterius obscurè importatam, & implicitè; per prius verò clarè, & explicitè, ob quod adinvicem comparata dicuntur termini æquipollentes *formaliter*, quia commune habentes in substantia significatum, estò in modo illud significandi difformes. Aliàs aperiretur via Novatoribus rejiciendi *Vulgatam* sacræ Scripturæ versionem, quòd pleraque contineat ab originalibus fontibus translata, non verborum retento rigore, sed sensus integritate immutata, quam aliàs *in secundo*, & *sexto* ex canonibus traditis *ar.2.n.21.& 22.* abûdè sufficientem diximus ad dissolvenda pleraque in eam objecta ex verborum ab originalibus varietate, & dissensu desumpta.

5. A' quo planè inconvenienti, & absurdo non video, quomodò tueri se valeant Jansenistæ illi, qui propositiones Jansenii eorum Magistri ab Apostolica Sede proscriptas, tamquam ex ipsius libro, & opere excerptas, & in Authoris ejusdem sensu, inaudita temeritate non erubescunt contendere, quòd revera in eo libro, & opere non extent, proprium, Apostolicæ Sedis judicio, per summam audaciam præferentes. Non omnes quidem extare fatemur iisdem conceptis vocibus, & dictionibus. Nùm ideò, non extare simpliciter, & absolutè pronunciandum? & quis, si hoc admittatur, non videt, impunè posse à quopiam rejici *Vulgatam* Scripturæ editionem, in qua permulta conspicimus diversis, ab originalibus, verbis, vocibusque translata? Non verba, non voces, sunt attendenda, sed sensus, statimque apparebit, non minùs *Vulgatam* concordem cum originalibus puris, & defæcatis, quàm propositiones, per plures Romanos Pontifices in sensu Jansenii meritissimè profligatas, penitùs conformes illis, quæ in Jansenii docentur, & propugnantur libro. De qua re, ne, jejunos omninò relinquamus lectores nostros, cum præsertim id in asserti, quod defendimus, cedere arbitremur corroborationem, damnatarum thesium cum contentis in Jansenii opere comparationem proponere, non erit frustraneum.

6. De prima, nulla videtur esse posse in contrarium suspicio, dum nec in verbis ferè appareat diversitas. *Aliqua Dei præcepta*, dicitur (*in prop. damnata*) *hominibus justis volentibus, & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Desumpta autem ea est *ex tom.3.lib.3.de grat.Salvatoris*, ubi legimus: *Hæc igitur omnia plenissimè, planissimèque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrina certius, fundatiusque, quàm esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus excæcatis, & obduratis, sed fidelibus quoque, & justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam, qua possibilia fiant.* Quid clarius potest desiderari? nihil sanè, nec ab ipsius Jansenii Asseclis, è quibus Author opusculi inscripti: *Examen libelli, cui titulus est: Propositiones excerptæ ex Augustino R. verendiss. Cornelii Jansenii Episcopi Ipresis, quæ in specimen exhibentur suæ Sanctitati*, prædictam referens propositionem, subnectit, *sic est*: *hoc dicit Jansenius*, quamvis impudentissimè addat: *sed tanta mole evidentissimorum Sancti Augustini locorum id firmat, ut vecors, ac imprudens sit, qui Sanctum ipsum Patrem idem sentire, negare ausit.*

7. Secunda damnata propositio: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nusquam resistitur*; æquipollentibus formalissimè verbis non semel à Jansenio traditur, & præsertim *tom.3. de gratia Salvat. cap.14. 22. & 24.* ubi gratiam medicinalem Christi ait, *prorsùs talem esse, quæ simul, ac pulsat fores, rumpit ostia, repugnantemque domat voluntatem, tollit omnem resistentiam, rapit eam secum, & ex invita, volentem, ac determinantem ineffabili suavitate, ac potestate facit.* Tertia damnata propositio: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit à coactione*; luculenter extat apud Jansenium *lib.6.& 7. variis in capitibus.* Quid, inter alia, habeat *lib.6.c.6.* accipe: *Duplex necessitas ex Augustino coactionis, & simplex, seu voluntaria, illa, non hac, repugnat libertati.* Quarta damnata propositio: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*, quoad primam partem habetur (*lib.8.de hæres. Pelag.cap.6.*) *Itaque Massiliensium opinionibus, & Augustini doctrina, quàm diligentissimè ponderata, certum, & indubitatum esse debere sentio, quòd Massilienses per prædicationem, & naturam, veram etiam, & internam, ac actualem, gratiam, ac ipsam*

ipsam etiam fidem, quam humanæ libertatis, & voluntatis ascribunt viribus, necessarium esse fatentur. Quoad secundam partem (*lib.3. de gratia Salvat. cap.1.*) *Tertiò quia est adjutorium, quod Massilienses ad credendum, necessarium esse, atque etiam sufficere statuebant, ut cum eo posset homo credere, si vellet; qui tamen tamquam hæretici proscripti sunt, non aliam sanè ob causam, nisi quia tale auxilium homini sufficere putarunt; adeòque nullum aliud adjutorium ad credendum actu ex parte Dei esse necessarium*.

8. Quinta, & ultima damnata propositio: *Semipelagianorum error est, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, stabilitur à Jansenio (*tom.1. lib.8. de hæres. Pelag. cap.3.*) *ex quibus manifestum est omnibus omnino semipelagianis duo ista communia fuisse dogmata, veluti cardines totius erroris; quòd Deus generali proposito, quantùm in se est, vellet omnes omnino homines salvos fieri, & quòd consequenter in omnes omnino gratiam suam indifferenti quadam bonitate profunderet, qua possent, si vellent, ad salutem, salutisque remedia omnibus proposita venire*; clariusque (*lib.3. de grat Salvat. cap.21.*) *quæ sanè cum in Augustini doctrina, perspicua, certaque sint, nullo modo principiis ejus consentaneum est, ut Christus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium, æterna salute, mortuum esse, sanguinem fudisse, semetipsum Redemptorem dedisse, Patrem orasse sentiatur. Sicut enim quo quisque jam ab æterno prædestinatus erat, scivit hoc decretum, neque ullius pretii oblatione mutandum esse, nec se ipsum velle mutare, Ex quo factum est, ut juxta S. Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro Diaboli deprecatus fuerit*. &c.

9. Nonne ex hujusmodi comparatione elucet formalissima æquipollentia terminorum eumdem respicientium objectivum conceptum, idemque formalissimum significatum inter propositiones damnatas, & propositiones Jansenii? Prolixiores sanè hæ sunt, diversisque per opus phrasibus efformatæ, at sensus idem ubique est, qui per damnatas paucioribus verbis exprimitur;& propterea id Apostolica Sedes fecit in proscriptione earum, quod fecit Tridentinum in approbatione *Vulgatæ*; hoc solùm discrimine, quod illa ad Jansenii sensum intendens, non curavit formalia ipsius verba quæ nimis prolixa erant, nec in omnibus locis eadem, referre, sed æquipollentes eumdem formalissimũ sensum præseferentes, anathemate confodit; Hoc, agnoscens in Vulgata integrum perfectumque originalium sensum, si non omnem, cum saltem, qui fidelium instructioni, & saluti necessarius est, quique, ut talis, longo est sæculorum usu in catholica Ecclesia probatus, licèt perspiceret non ad verbum, utique translationem confectam, ut *authenticam*, canonicamque approbavit. Sicut autem Concilium, nullum præjudicium intulit originalibus Scripturæ, sed potiùs ea veneratum est, ac amplexum, quamvis, ut in *Vulgata* reperiuntur conversa, ita & Romana Cathedra Jansenium nulla affecit injuria, dum formalissimam, ac ipsissimam ejus perniciosam doctrinam proscripsit, etsi non omninò eisdem vocibus, sed *formaliter* æquipollentibus explicata. Verissimè namque Augustinus cap. *Nihil obstat de verb. significat.* relatus: *Nihil obstat narrandi diversitas, ubi eadem dicuntur*.

10. Hinc verò collige quòd sicuti hæreticas in asserto diximus propositiones omnes oppositas aliis, quæ in terminis *formaliter* æquipollentibus sunt in sacra Scriptura, ita & hæreticæ sunt habendæ omnes illæ propositiones, quæ, etsi diversis vocibus, ac terminis conceptæ, ac aliæ, quæ sive à Conciliis, sive ab Apostolica Sede damnantur, dummodò cum his *formaliter* æquipolleant, idem omninò correspondeat eis objectivus conceptus, idē *formale* significatum, ut nuper vidimus in comparatione habita inter quinque, damnatas in sensu Jansenii, aliasque quæ revera in Jansenii opere sparsa leguntur terminis *formalissimè* æquipollentibus.

11. Ex quo itidem corollario sequitur optimè Theologos insignes, qui contra Jansenium scripsere, notasse, ejus propositiones, & doctrinam longè ante Jansenium fuisse interdicta in Calvino, cui Jansenius adhæsit, esto non cum eisdem vocibus, sed cum *formaliter* æquipollentibus, eumdemque sensum importantibus, quicquid in contrarium ipse effatiat, Augustini authoritatis clypeo, quo frequentius eo futilius se muniens, ut neque in hoc à Calvino dissentiat, qui *lib.9. de lib.arb.cont. Pigbium*, §. *His omnibus* de scriptis suis gloriatur: *Nullum est caput, quod non propè ad verbum sæpiùs apud Augustinum occurrat: certè nullum est, quod non luculento ejus testimonio confirmare liceat*. Consonantiam autem prædictam inter Calvinum, & Jansenium per terminorum æquipollentiam, quibus hæreticum idem dogma propugnant, solidissimè exhibent Alexander Sebille *in suo Thomistico Interprete adversus Jansenii doctrinam, prout defensatam in* The-

Theriaca Vincentii Lenis. Dechamps in suo egregio opere *de hæresi Jansenianæ*; Annatus, aliique permulti; ut non mirum videri debeat, si ipsimet hæretici de tali errorum suorum Patrono summoperè glorientur; *Idem revera*, ait ex eis Maresius *in præf. in cath. grat.* apud laudatum Sebille (*lib.5.cap.25.*) *in hac capituli controversia*, de gratia videlicet, & libero arbitrio, *sentire Pontificiorum Jansenistas, quod docetur in nostris Ecclesiis, & canonibus synodi nationalis Dordracenæ fuit definitum*: Et iterum; *jam ejusque saltem nostri sunt fortes illi in Papatu gratiæ præcones*, de Jansenistis loquitur, *quod & in rei summa, quoad hæc capita sentiant nobiscum*.

12. Neque novum est hæreticorum effugium, quo evadere satagunt Ecclesiæ decreta, & definitiones, curantes errores suos variis tegere verborum operculis, ac si de vocibus non de vocum sensu, venenoque, sub vocibus latente sollicita ea fuerit in Dominico instruendo grege, in stabiliendis dogmatibus, in explicandis mysteriis, in erroribus eliminandis, „ Id autem monere „ placet (inquit, Jansenistas perstringens, Cardinalis de Aguirre in *suo opere* inscripto: *Authoritas infallibilis & summa Cathedræ Sancti Petri &c. tract.1.disp.21.nu.19.*) „ veteres „ hæreticos similes in gratiam suorum an„ teambulonum exceptiones, aut evasiones „ excogitasse. Eusebius enim Nicomedien„ sis, & Theogius Episcopus Nicænus Arii „ damnationem criminabantur, quasi ille „ solis vocibus, non sensu declinasset ab Ec„ clesiæ doctrina. De Marcello Anciræ Epi„ scopo errante verbis, & sensu, inquit Hie„ ron. (*in cathalogo*) *ille se defendit non esse ejus* „ *dogmatis, cujus accusatur*; & de Priscilliano „ ait: *defendunt quidam non ita eum sensisse, ut* „ *arguitur*. Eodem modo Joannem Jeroso„ lymitanum errores suos fucare solitum, „ monent multi ex Scriptoribus. De Wi„ clepho, res notior est; idcòque Grego„ rius XI. Papa, *ejus conclusiones, & propositiones de bonis operibus, & fide malè sentientes* „ *damnavit*, adjecta hac clausula: *licèt eas* „ *propositiones sub quadam verborum, seu ter*„ *minorum curiosa implicatione conetur defen*„ *dere*.

13. His omnibus accedit, & praxis cæterorum œcumenicorum Conciliorum, quæ præcipua nostræ fidei dogmata non semel definierunt æquipollentibus formaliter terminis, hæreticos declarando quoscumque eisdem sese pervicaciter opponerent. Potissimum autem in hoc puncto sibi locum vindicat Concilium Nicænum primum, trecentorum decem, & octo Patrum Verbi Divinitatem contra Arium stabiliens *Omousion* utens vocabulo, quod Ecclesia latina transtulit *Consubstantialem*, vi cujus Nicæna fides, ut ait Liberius Papa (*epist.11.ad Orient.*) *nomine* Consubstantialis, *comprehensa, tamquam propugnaculum firmum, & inexpugnabile, omnes impetus, & machinas Arii retundit, & reprimit*. Contra tamen tale vocabulum quot sophismata adinvenerunt Ariani, quot cavilla, quot objecta? Pleraque sanè alia vocabula Divinitatem Verbi exprimentia, non detrectabant admittere, at non ea mente, ut significatam Divinitatem revera confiterentur; sic namque, etsi inobedientes, & quasi schismatici haberi deberent, quòd caput, Ecclesiæ submittere nollent, quoad usum vocabuli, ab ea non nisi Spiritu Sancto dirigente usurpatum, non tamen hæretici dici in rigore potuissent; dum in significato, ab Ecclesia non discreparent; sed quòd illud non possent ad sensum suum vel per violentiam trahere, sicuti de aliis terminis facere consueverant, ut advertit S. Athanasius *lib. de decret. Nican. Synod.* & Nazianzenus *orat.49. de fide*.

14. Præcipuum autem Arianorum argumentum in dictum vocabulum consiciebatur ex vocis novitate, quæ in sacris literis non legebatur, quod sufficiens esse poterat ad illud negandum, favente regula Divi Dionysii (*de divin. nomin.cap.1.*) *omnino non audendum est quidquam de summa, abstrusaque Divinitate aut dicere, aut cogitare, præter ea, quæ nobis divinitùs Scripta divina enunciaverunt*; Nunquid verò ab hæreseos se liberarunt nota, ex quo sacrarum literarum cortici subdola tergiversatione inhærentes se declamarent? Absit id suspicari, suadentibus cunctis Patribus, Arianos opponendo se vocabulo *Omousion*; & quidem non minùs quoad vocis sonum, quàm quoad rem per ipsam, significatam, contradixisse perpetuò sacræ Scripturæ, in qua estò non reperiretur ea vox *Omousion*, reperiebatur apertè ejus significatum. Ita Epiphanius (*hæres. 73.*) *Essentiæ nomen nullo modo in novo, ac veteri Testamento non habetur; sensus autem, & significatio ejus ubique habetur*. Athanasius (*lib.de syn. Arim. & Seleuc.*) *Nihil id refert, si quis voces in Scriptura non repertas usurpet, quamdiù pias sententias complectitur*. Cyrillus (*lib.1.dialog. de Trinit.*) *Nihil damni verbum secum affert, si quidem verissimum fuerit, quod per id significatur*.

15. Æquipollentiam autem termini *Omousion*, ob quam Ariani negantes dictum vocabulum, negare sunt judicati, quod con-

continebatur in sacra Scriptura, expendunt Epiphanius (*hæres. 69.*) *Non sciunt Ariani, quòd substantia, & essentia idē est ratione, consistit enim Dominus in substantia sua, & hoc, splendor gloriæ, & character substantiæ ipsius.* Nazianzenus (*cit. Orat. 49.*) *Hieremias Propheta ait*: quis stabit in substantia Domini? *& iterum apud eumdem*: & si stetissent in substantia mea, avertissem eos ab studiis eorum pessimis, *& apud Salomonem*: Substantia mea, dulcedo mea est. Ambrosius (*lib. 1. de fide ad Grat. cap. 9.*) *si de nomine substantiæ, aut naturæ divinæ voluerint dicere, facilè revincuntur, quia, &* usiam *græcè, & latinè*, substantiam, *frequenter Scriptura memoravit; & Petrus vult, nos, ut legimus, divinæ consortes fieri naturæ.*

16. Eodem prorsus medio, contra processionē Spiritus Sancti à Patre, & Filio insurrexisse Græcos in Concilio Florentino testatur Cardinalis Turrecremata *in apparatu sup. decret. union. Græcor.* ferens eorum referens objectionem: „ Secundùm Dionysium *in cap. de divin. nomin.* non est audendum dicere, nec cogitare de suprasubstantiali „ occulta Divinitate, præter ea, quæ divinitùs nobis ex sacris eloquiis sunt expressa, sed in sacra Scriptura non exprimitur, „ quòd Spiritus Sanctus procedat à Filio, „ sed à solo Patre; ut patet (*Jo. 15.*) *cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*; ergo Spiritus Sanctus non procedit „ à Filio. „ Sed non minùs eadem adhibita fuit responsio, „ quòd de Deo dicere non debemus, quod in sacra Scriptura non invenitur, vel per verba, vel per sensum, „ licèt per verba expresè non inveniatur in „ sacra Scriptura, quòd Spiritus Sanctus „ procedat à Filio; invenitur tamen in quantùm ad sensum, „ Concludendum propter ea, quòd sicuti idem omninò dogma est, quod exprimitur aliquo vocabulo in sacra Scriptura, quam quod exprimitur vocabulo altero formalissimè æquipollenti, idemque importante omninò significatum, ita, & æquè hæretica erit propositio quælibet, quæ opponetur dogmati expresso per terminos formaliter æquipollentes, idemque retinentes omninò invariatum significatum, ac quæ opponitur dogmati expresso per terminos immediatè positos in sacra Scriptura, ut abunde probatum censemus.

****

ARTICULUS V.

An propositio opposita alteri contentæ in sacra Scriptura in terminis illativè æquipollentibus, sit hæretica?

1. Quid sit propositionem aliquam contineri in sacra Scriptura in terminis *illativè* æquivalentibus indicatum pariter est *cap. 2. art. 8. à num. 11.* Neque enim *illativè* æquivalens propositio aliqua dicitur præcisè per hoc, quòd ex una possit altera inferri, formarique syllogismus in forma, ideſt in modo, & figura: sic namque etiam propositio *formaliter* æquivalens diceretur æquivalens *illativè*, constat enim ipsam quoque deduci ex altera posse per vim syllogisticam; unde, si quis probaret Christum fuisse *animal rationale* hoc medio: *Omnis homo est animal rationale, Christus est homo; ergo Christus est animal rationale*; indubium est consequentiam fore legitimam, cum tamen rò *animal rationale* non sit terminus *illativè* solùm æquivalens, sed *formaliter* ex dictis *art. præced.* Quinimmò similis syllogismus servata proportione formari facilè posset inter terminos synonimos ejusdem significationis, ac inter voces, & dictiones diversi idiomatis, idipsum formalissimè exprimentes, ut consideranti patet.

2. Dicitur itaque propositio æquivalens *illativè* ea, quæ non eumdem cum altera exprimit *formaliter* objectivum conceptum significatum, sed aliud *formaliter* diversum; quia verò res, aut formalitas per eam, seu veriùs per ejus terminos importata, realem importat identitatem cum re, aut formalitate, seu cum significato alterius, inde sequitur ex hac illam inferri posse, & vice versa, & eatenùs *illativè* æquivalentiæ denominationem desumit. Cujusmodi adinvicem se habent essentiæ, & proprietates rerum, quæ reciprocam suscipiunt illationem, hoc discrimine, quòd ex essentia ad proprietates illatio est à priori, & tamquam à quasi causa, ad quasi effectum; à proprietatibus verò ad essentiam, illatio, est à posteriori, & veluti à quasi effectu ad suam quasi causam. Hinc autem dubium exurgit, an, si alicujus rei essentia ex. g. sit revelata, & proinde sit rigorosum fidei objectum, eo

ipso fidei pariter objectum sit censendum ipsius proprietas cum illa realiter identificata, & per consequens, cùm, revelata sit Christi humanitas, an virtute hujus revelationis, nedum fide divina credere debeamus, Christum fuisse hominem, sed etiam fuisse risibilem? ex quo risibilitas sit proprietas ad humanitatem consequens; adeout chimericum omninò sit haberi in aliquo subjecto humanitatem à risibilitate sejunctam,& separatam. Indeque est eruenda resolutio *articuli*, qua:

3. Dicendum autumamus, propositionem, ut supra, oppositam propositioni solùm *illativè* contentæ in sacra Scriptura, non esse hæreticam, sed alia censura infra hæresim notandam. Sequitur assertum ex definitione propositionis hæreticæ, quam tradidimus *cap.2. artic.1.* ubi concludenter evicimus non quamlibet oppositionem cum revelatis sufficere ad constituendam aliquam propositionem hæreticam, sed requiri, ut sit oppositio formalis, & immediata; & ad asserti intentum insinuavimus *num.9.* ob hoc motivum hæreticam censendam non esse propositionem: *Christus non est risibilis*, quantumvis falsa omnino sit, & in materia Religionis, ex quo non immediatè, & formaliter opponitur alteri revelatæ, vi cujus fide divina tenemus *Christum esse hominem*, sed *illativè*, æquivalenter. Undè, sicut non valet illatio: *De fide est Christum esse hominem*; ergo *de fide pariter est Christum esse risibilem*; ita ex opposito nec valere potest & altera: *hæresis est negare Christum esse risibilem*; cum enim *esse risibile*, & *non esse risibile*, sint contradictoria, repugnat prorsùs ex contradictoriorum natura, quòd posterior negativa suscipiat denominationem hæresis, quin prior affirmativa suscipiat denominationem fidei.

4. Clariùs ex diversitate rationis, quæ habetur inter terminos adinvicem æquivalentes *formaliter*,& alios *illativè* dumtaxat æquipollentiam importantes, quod in illis tota consistat varietas in modo significandi eumdem prorsùs conceptum objectivum, idemque formale significatum,nō in re ipsa significata,quæ formalissimè non distinguitur, ut patet in τὸ *homo*, & τὸ *animal rationale*, quibus æquè eadem formalissima essentia correspondet, estò per τὸ *homo* importata confusè, & implicitè, per τὸ *animal rationale* clarè, & explicitè: Hæc autem differentia impertinenter prorsùs se habet in ordine ad revelationem divinam; cum enim Deus revelavit, *Christum esse hominem*, non respexit per se ad vocem *hominis*, sed ad significatum per eam, qua proindè usus est, tamquam puro medio, in ordine ad exprimendam rem, seu significatum, quod manifestare intendit; idque, ut se accommodaret nostro connaturali intelligendi modo, quo non nisi mediis vocibus, in cognitionem objectivorum conceptuum per ipsas importatorum venimus,nam respectu judicii Dei revelantis non habetur ulla varietas, nec confusio, sed sola essentia hominis,quæ nobis pro τὸ *homo*, & per τὸ *animal rationale* potest minùs, vel magis clarè communicari, ut cum Suario notavimus in ordine ad propositiones universales, & particulares in materia revelata *cap. 2. artic. 3. num.16.*

5. Non sic, cum termini sunt *illativè* tantummodò æquipollentes; non enim, in his diversitas est, vel in solis vocibus, vel in modo significandi idem formale significatum, sed in ipsa re significata, quæ etsi, pro statu reali identico sit eadem, non tamen, ut formaliter per dictos terminos designata. Unde sicuti, licèt in se essentia sit eadem cum proprietatibus, adhuc tamen non potest dici: risibilitas e. g. est hominis essentia, ad eum modum, quo dicitur de rationalitate; ita ex identitate eadem non valeat enuntiari, ut eodem modo, ac immediatè sit revelata risibilitas, etiam ex hypothesi, quòd sit immediatè revelata rationalitas. Absque eo, quòd instetur, quòd respectu simplicissimi judicii Dei revelantis,res non ita se habeat.Quamvis namque actus divinus ob sui simplicitatem, & infinitatem omnia simul attingat, non per hoc tamen tollitur ordo objectorum,per quem unum attingitur,tamquam essentia, aliud tamquam proprietas; illud quasi causa, hoc quasi pullulans effectus. Unde non mirum si tali attenta diversitate, non entitativa Divini actus, sed terminativa objectorum, quæ per illam attinguntur, possit nedùm unum objectum revelari, non aliud, sed etiam una formalitas, non alia ejusdem identicè objecti, revelatione immediata, de qua est sermo, quæque requiritur, ut formalitas revelata sit rigorosè fidei objectum; mediatè enim revelatum ultrò admisimus objectum,seu objecti formalitates essentialiter cum revelata altera formalitate connexas, quæ propterea dicuntur termini *illativè*,etsi non *formaliter* æquipollentes.

6. Adhùc ad clariorem prædictorum notitiam, ponderandum censemus, nos in præ-

præsenti præscindere ab eo, quòd termini alicujus æquivalentia *illativa* (quod quoque dictum esto, servata proportione de æquivalentia *formali* respectu quæstionis resolutæ *art. præced.*) talis, hoc, vel illo modo, cognoscatur, sive videlicet per discursum aliquem formalem, sive per virtualem. Seù veriùs, vim asserti sitam non esse in modo, quo *illativa* æquivalentia cognoscatur, sed in ipsa natura objecti, quæ non æquipollet *formaliter* alteri, etsi possit ex ea inferri, sive actu inferatur, sive non. Alia siquidem erit quæstio *articulis* 18. & 19. cum quibus *art. præsens*, & *præcedens* habent affinitatem, discutienda, an aliqua veritas possit dici fidei objectum, etiamsi inferatur per discursum, & prout illata, sive ex ambabus præmissis revelatis, sive ex una revelata, & altera nota naturaliter? Ab hujusmodi, inquam, actuali illatione, nunc præscindimus, & sicuti *artic. præc.* supposuimus, terminos aliquos esse sui natura adinvicem *formalissimè* æquipollentes, & in hac suppositione conclusimus æquè habendos de fide, quos immediatè, & quos æquipollenter *formaliter* afficit divina revelatio, ita & hic loquimur ex hypothesi, quòd termini sint *illativè* æquivalentes, sive illatio actualiter fiat, sive non, & de eis sic acceptis propugnamus eos de fide non esse, quòd affecti immediatè nequaquam sint revelatione divina, sed mediatè dumtaxat, ob identitatem realem, quam dicunt cum immediatè revelatis, ex quibus inferri valent.

7. Ratio autem præcisa cur propositio opposita alteri æquipollenter *illativè* revelatæ non sit formaliter hæretica, ex dictis eruitur esse, quòd non sit opposita formaliter revelationi divinæ, quæ sicuti est causa, cur e. g. Christi humanitas sit fidei objectum, ita & ipsi contradicere, debet esse causa, cur propositio negans humanitatem prædictam, sit hæretica. Ex quo fit consequens, quòd si risibilitas Christi non est formaliter immediatè revelata, & proinde non est fidei objectum, ita & negatio risibilitatis, non est formaliter hæresis; quia in causis præcisis, *sicuti affirmatio est affirmationis causa, ita & negatio, negationis*; & eatenùs, cum quis negat Christum esse risibilem, non eo ipso, & formaliter negare convincitur revelationem de Christi humanitate, sed in priori est convincendus, quòd neget Christi humanitatem, ob rationem essentialis connexionis inter risibilitatem, & humanitatem, & dein redarguendus, quòd revelationi divinæ de Christi humanitate immediatè contradicat.

8. Cum quo tamen stat, quòd negans terminos *illativè* cum revelatis æquipollentes cum quandoque tamquam hæreticus puniri possit, non quòd formaliter, sed quòd præsumptivè sit talis, nec ipsi præbenda censeatur fides, quòd terminos *illativè* æquipollentes cum revelatis negaverit, non verò terminos ipsos immediatè revelatos, cum quibus illi *illativè* æquipollent. Quod contingit, quoties *illativa* æquivalentia clara est, & aperta, quin de ea concipi queat in negante sufficiens ad excusationem ignorantia, ut facilè eveniret in eo, qui pertinaciter *negaret Christum fuisse risibilem*; cum enim evidens jam sit æquipollentia *illativa* inter Christi risibilitatem, & Christi humanitatem, nulla vel levis suspicio remanet autumandi, quòd ab eo risibilitas negetur, humanitas admittatur, & eatenùs præsumptivè habendus esset hæreticus, primæque Veritati, Christi humanitatem revelanti, contrarius.

9. Aptum in hunc eumdem finem non judico exemplum, quo, agens *de propositione erronea* utitur *disp.* 16. *de Person. ac doctrin. de hæres. susp. art.* 2. §. 1. *num.* 38. Cardinalis de Laurea, ejus videlicet „ qui credens, quòd „ infans per baptismum liberatur ab origi- „ nali, & ei aperitur janua cæli, infunditur „ gratia &c. & videret eum baptizari ritè, „ ac validè, & tamen negaret ei infusam „ gratiam, vel dimissum originale; iste si „ non esset fatuus, præsumi quidem posset „ in foro externo, quòd esset hæreticus, non „ quia negaret illam singularem, non revelatam, nisi in majori universali, sed quia „ præsumeretur illam universalem non credere. At in foro conscientiæ, si illam de „ fide jam revelatam crederet, non esset hæreticus, sed minùs, quam hæreticus. Idem „ dicendum de omni negante effectum singularem Sacramentorum personis determinatis collatorum.„ Hoc namque ratiocinium videtur adversari stabilitis *cap.* 2. *artic.* 8. *num.* 16. & quidem cum eodem Eminentissimo Scriptore, quòd nempe revelata aliqua propositione universali, revelata per se, & formalissimè heberi debeat quælibet particularis, imò & singularis, quæ universalem constituunt. Inde enim clarè sequitur, quòd in casu infantis baptizati, si semel supponatur ritè, & validè baptizatus, ac proinde vis nulla in contrarium fiat in eo, quòd Minister debitam habuerit intentionem, vel quòd aqua revera fuerit naturalis &c. sequitur, inquam, quòd negans

infantem hunc liberari ab originali, neget formalissimè, & non præsumptivè solum universalem illam, quòd omnis infans ritè, & validè baptizatus, ab originali reddatur immunis; æquè, ac qui neget Clementem XI. esse Christi Vicarium, negat formalissimè omnem Rom. Pont. canonicè electum esse Christi Vicariũ:& qui negat S.Philippũ Neriũ frui perpetua beatitudine, negat universalem illam, quòd omnis ritè adscriptus SS.cathalogo,fruatur perpetua beatitudine.

10. Non ignoro occurri huic instantiæ posse ex nonnullorum Theologorum doctrina, quam amplecti videtur Dominicus à SS. Trinitate *lib.*1. *bibl. theol. sect.*3, *cap.*2. sententiam non semper verificari, quòd revelata aliqua propositione universali, revelatæ haberi debeant, & particulares, aut singulares, universalem constituentes; sed id valere quandocunque illa universalis est revelata propter particulares, ut cum revelatur, quod *omnis homo sit à Christo redemptus*, talis revelatio, est propter has singulares: *Petrus est redemptus*: *Paulus est redemptus*, & hujus generis autumant esse universalem illam: *omnis canonicè electus in Romanum Pontificem est Christi Vicarius*, & *Petri successor*, non ob alium finem revelatam,nisi, ut hic, vel ille Pontifex pro vero Christi Vicario habeatur, certique reddantur fideles de individua, & signata regula fidei,qualis est authoritas hujus singularis Personæ Clementis XI. e. g. canonicè ad Petri thronum evecti. Non autem valere quoties universalis non censetur revelata propter particulares, aut singulares, cujusmodi ajunt esse illam: *omnis infans ritè baptizatus est à peccato originali immunis*, aliæque consimiles. Non enim revelata est, ut credamus hunc numero infantem esse immunem à peccato originali; ex quo consequens est, quòd, etiam si constet hunc numero infantem ritè, & validè baptizatum esse, ut constare fortè potest Ministro conferenti baptismum, adhuc de fide non sit, quòd ille infans sit ab originali peccato immunis.

11. Solutam nihilominùs non censeo instantiam, cujus præcipua vis consistit in eo, quòd Eminentissimus Author tuetur, negantem, quod hic infans sit immunis ab originali peccato, præsumendum quidem hæreticum, sed *non quia negaret illam singularem non revelatam, nisi in majori universali, sed quia præsumeretur, universalem illam non credere*; unde subdit quòd *in foro conscientiæ, si illam de fide jam revelatam crederet, non esset hæreticus, sed minùs quàm hæreticus*. Concedit igitur singularem, quæ negatur, esse revera contentam in universali revelata, & hac hypothesi non obstante, ait, quòd in foro conscientiæ, qui admittit universalem revelatam, & negat singularem, præsumendus sit hæreticus, sed non quia negat illam, quatenùs in majori universali revelatam. Hoc verò repugnans innui,& repeto doctrinæ traditæ de hoc numero Pontifice, fide divina habendo,tamquam Christi Vicario; de hoc numero,& singulari Sancto ritè canonizato, qui, fide divina sustinuimus credendum, quod gloria perfruatur æterna.

12. Cujus repugnantiæ rationem de duxi, ex quo, de ratione omnis propositionis universalis esse debet, quòd ex particularibus, & singularibus componatur, quarum quælibet participet universalis naturam, adeout, eo ipso, quòd singularis aliqua est, de cujus subjecto non verificetur hoc, vel illud prædicatum universalis eodem constans prædicato, formalissimè est falsa. Nec proinde concipi valet, quòd quis terminos benè percipiens, neget hoc, vel illud prædicatum competere huic individuo, quin formalissimè neget illud verificari de universali, in quo cognoscit individuum sub ea formali ratione contineri, tamquam unam ex ipsius essentialibus partibus constituentibus. Si itaque concedatur propositionem illam: *hic infans ritè baptizatus est immunis à peccato originali*, esse singularem, sub illa universali: *omnis infans ritè baptizatus, est immunis à pecato originali*, contentam, tamquam partem ipsam constituentem, est prorsùs chimericum, quòd singularem negans,non neget universalem, nisi ut fatuus habeatur, & quidem in utroque foro, & formalissimè, non præsumptivè dumtaxat. Ac idcirco per necessariam, mea sententia, illationem, sequitur, quòd qui ita discurrit in casu infantis, aliter ratiocinari nequeat in casibus, hujus individui canonicè electi Rom. Pontificis, hujus individui Sancti ritè canonizati.

13. Diversitas iteque inter hos, & infantis casum, aliosque consimiles, est desumenda, ex quo non eodem modo nobis constat continentia in universali revelata; *omnis infans* &c. singularis: *hic infans* &c. ac continentia in universali: *omnis ritè*, & *canonicè electus Romanus Pontifex* &c. singularis; *hic ritè*, *canonicèque electus Romanus Pontifex* &c. Pro cujus clariori notitia, est animadvertendum, quòd aliquando propositiones particulares, ac singulares sunt talis naturæ, ut absque recursu ad has, vel illas extrin-

extrinsecas circumstantias, agnoscatur contineri sub sua universali revelata, quà tali nedum in abstracto, sed in concreto, & relatè ad hoc in individuo subjectum; sicque se habet particularis illa: *Deus vult Petrum salvum fieri*, respectu universalis: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, de qua proindè militat argumentum Suarii indicatum *c.2. art.8. num.16.* Quandoque verò particularis, licèt in abstracto sumpta contineatur sub universali, quatenùs revelata, ut tamen contineri queat in concreto, & relatè ad hoc, in individuo, subjectum, involuit respectum ad extrinsecas aliquas circumstantias, ob quas non semper importat continentiam in universali, ut est revelata.

14. Sic se habet particularis de infanti ritè baptizato. Licèt namque verissimè sub universali: *omnis infans* &c. etiam ut revelata, contineatur in abstracto quilibet in particulari, qui sit ritè baptizatus, non tamen in concreto, & relatè ad hoc, vel illud individuum, cujus baptismus, quòd sit ritè collatus, non habetur vi universalis revelatæ applicatæ immediatè huic, vel illi individuo, sed vi universalis applicatæ, media fallibili cognitione de naturalitate aquæ, de intentione Ministri &c. Illud autem, in quo cōcurrit fallibilitas (idem proportionaliter dic de medio infallibili quidē infallibilitate propria sciētiæ, sed inferioris ordinis infallibilitate propria fidei) applicationis, vel medii, patet non posse contineri in universali, ut revelata, tamquam ipsius partem constitutivam, nisi cesset fallibilitas medii, & applicationis ob concursum alterius superioris causæ, quæ ex Spiritus Sancti operetur instinctu, ac infallibilitatis privilegio gaudeat; ut evenit in casu particularis, seu singularis: *hic numero Romanus Pontifex* &c. quæ licèt pendeat à notitia canonicæ electionis, quæ sui natura fallibilis est, si tamen accedat Ecclesiæ acceptatio, quæ ex Spiritus Sancti instinctu ad eam dirigitur, non impeditur quin in concreto sit singularis immediatè revelata in illa universali; *omnis Romanus Pontifex* &c. etiam ut revelata, tamquam pars cōstitutiva illius in esse talis.

15. Optimè idcircò Suarez quoad hoc punctum *disp.10. de Rom. Pont. art. 5. num. 6.* inquirens, quando intelligendum sit dari sufficientem propositionem, itaut omnes obliget, & referens opinionem eorum, qui sustinent tunc dari, cum ritè, & verè est electus, subdit, „ & hoc quidem sufficiens „ est, ut ex præcepto obedientiæ, & charitatis teneamur tali Pontifici obedire, atque, ut non possit quispiam jure ab illo „ disjungi sine schismate; attamen loquendo, ut re ipsa loquimur, de assensione per „ fidem, fortasse non erit sufficiens propositio, donec moraliter constet ipsum esse „ acceptatum à tota Ecclesia, & pacificè „ possidere suum Primatum, atque adeò „ posse obligare omnes fideles ad credendum quicquid definierit; tunc enim certissimè credendum est, non posse accidere „ erorem in universali Ecclesia in re adeò „ gravi, qualis esset deceptio in ipsa viva regula fidei credenda, nam is error æquipararetur errori in fide. Si enim regula posset esse falsa, etiam regulatum; atque si „ intolerabilis esset error in Ecclesia, quando tota crederet librum aliquem esse canonicum, qui verè non esset, cum tamen „ ille sit regula fidei inanimata, multò intolerabilius esset errare in viva regula, „ Quin potiùs si circa hanc posset semel dari error in universali Ecclesia, nusquam „ esset verum, illam habere certam, & infallibilem regulam vivam fidei sibi loquentem Christi nomine.

16. Juxta autem hanc animadversionem intelligendo doctrinam *num.* 10. ex Dominico à SS. Trinitate haustam, non renuimus admittere aliquas veritates universales esse, quæ revelantur, vel propter solas particulares in ipsis comprehensas, vel cumulativè ad minùs etiam in ordine ad ipsas; alias verò, quæ sui natura nullatenùs respiciunt particulares; quod evenire dicimus, ex quo prioris generis propositiones tendunt adEcclesiæ regimen, nedum in sua universalitate sumptæ, sed etiam in singulis particularibus sub ipsis inclusis, cujusmodi est universalis; *omnis Romanus Pontifex* &c. quæ in rigore non spectat ad Ecclesiæ regimen in sua præcisa universalitate, imò potiùs in sua universalitate dictum regimen respicit, ex quo quilibet Romanus Pontifex in particulari haberi perpetuò debet viva animata, ac ultimata fidei regula. Posterioris verò generis est universalis; *omnis infans* &c. quæ in sui universalitate est fidei dogma, per quod revelata est nobis baptismi virtus, cōfirmataq; veritas peccati originalis, quo totum infectū est genus humanū; at, quòd hic numero infans sit verè baptizatus, non respicit Ecclesię directionem in materia fidei, nulla namque ad hujus conservationem necessitas, quòd fide divina teneatur hic, vel alter infans ritè, & validè baptizatus, & proinde immunis ab originali peccato.

17. Ex quo tradi potest regula, quandonam,

nam, seu in quibus casibus debita ex divina promissione sit Ecclesiæ Spiritus Sancti assistentia, & instinctus, ad eruendas ex universalibus revelatis, particulares in ipsis contentas, ut habeantur, tamquam fidei dogmata, & objecta, quoties videlicet universales sunt primi generis, spectantes tùm in se ipsis, tùm in suis particularibus ad Ecclesiæ directionem, ad fidei conservationem, ac proinde toti Ecclesiæ utroque modo proponibiles, ut credantur fide divina: non verò quoties sunt secundi generis, quarum particulares nusquam erunt fide divina habendæ, quia non nisi per fallibile, aut saltem non infallibile infallibilitate fidei, medium, agnita ipsorum continentia in universalibus revelatis.

18. His repugnans non est Areopagitæ authoritas *lib. de Divinis Nominibus c.1.* etiam si legatur, prout ex D. Thoma refert Dominicus Gravina (*lib. 1. cath. præscript. in proem. præscript.*) *non est audendum dicere aliquid, nec etiam cogitare de supersubstantiali occulta Deitate, præter ea quæ divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa*, ac si per particulas illas *ex sanctis eloquiis*, ad fidem, pertinere indicaverit, nedum ea quæ sunt *in sacris eloquiis*, vel in terminis propriis, vel in terminis formaliter æquipollentibus, sed etiam ea, quæ neutro ex dictis modis sunt *in sacris eloquiis*, sed solùm in terminis *illativè* æquivalentibus, quatenùs ex iis, quæ sunt in terminis propriis, aut formaliter æquipollentibus, inferuntur, *quia*, subdit Areopagitã explicans Angelicus, apud eundem Gravinam, *quęcumque ex his, quę habet sac. Scriptura elici possunt, non sunt aliena ab hac doctrina, licèt etiã in sac. Scriptura non contineantur*: obvia siquidè est solutio, quòd, ne aliena aliqua dicantur à fidei doctrina, minimè requiritur, quòd sint in rigore fidei objecta, sed sufficit, quòd cum fidei objectis connexionem involvant, quòdque ad fidei objecta aliquo modo reducantur, & spectent juxta Nazianzeni *tract. 5. de theol.* monitum: *perspicuum est, quòd, etsi pleraque non dicantur* in sacris literis, *tamen ex his colligi, quę ex necessario efficiant, ac probent*; & idem Angelicus (*1. p. q. 1. art. 8. ad 1.*) *licèt argumenta rationis humanæ non habeant locum ad probandum, quæ fidei sunt, tamen ex articulis fidei sacra doctrina ad alia argumentatur*. Aliàs in materia fidei, unica admitti deberet nota, seu censura theologica, nempe solius *hæresis*, cum tamen permultas alias esse, in comperto habeatur, & ex dicendis in operis hujus decursu reddetur evidentissimum.

19. Efficacior apparet instantia, quæ confici potest ex Ecclesiæ, ac Conciliorum praxi, quæ multotiès fidei dogmata definiere ob prævia argumenta deducta ex connexione cum revelatis, ut videre est, inter alia in sexta œcumenica Synodo, quæ contra Monothelitas arguebat, ex quo in Christo duæ essent naturæ impermixtæ, Dei videlicet, & hominis, inde inferendo duas ejusdem operationes. A qua facilè se liberaret Cardinalis prælaudatus, dicendo (*ibidem*) „ Monothelitas ante decretum „ sexti generalis Concilii fuisse erroneos „ tantùm, eorumque sententiam erroneam, quia concedebant duos intel„ lectus, & duas voluntates in Christo, „ quòd erat de fide ex Concilio IV. duæ „ enim in eo naturæ inconfusæ, & perfectæ „ erant; concedebant, ut naturaliter notum, „ quòd quilibet intellectus, & quælibet vo„ luntas in suo ordine habebat actum „ suum; divina, divinum; & humana, hu„ manum, & tamen id negabant in Chri„ sto; erronea ergo protunc erat eorum do„ ctrina, quia adhuc Ecclesia non propo„ suerat contrarium; postea verò cæpit esse „ hæretica.„ Sed etiam non omninò arridet hæc purpurati Doctoris doctrina, ex quo antecedenter ad Concilium œcumenicum sextum, hæreticum fuisse censeamus Monothelitarum dogma, & ut tale suppositum à Concilio ipso, id clarè indicantibus sacræ Scripturæ authoritatibus, quibus duas in Christo operationes demonstravit, humanamque præsertim, quam Monothelitæ negabant, *quia opinabantur*, ut ait Angelicus (*3. p. q. 18. art. 1. in corp.*) *quòd humana natura in Christo nusquam movebatur proprio motu, sed solùm secundùm quòd erat mota à Divinitate*, oculos claudentes pervicaciter ne legerent Christum de se dicentem *non mea, sed tua voluntas fiat* (*Lucæ 22.42.*) *non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matth. 26. 39.*) ideòque in *ep. synodica* Agathonis Papæ ad prædictam Synodum missa, & ab eodem Angelico relata habetur: *Juxta quod olim Prophetę de Christo, & ipse nos erudivit, & Sanctorum Patrum nobis tradidit symbolum, duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes prædicamus.*

20. Quod verò asseritur de propositione priùs erronea, deinde ob supervenientem fidei definitionem, hæretica, duplicem habere potest sensum, primò, quòd ante definitionem, esset quidem illi opposita veritas implicitè immediatè revelata, sed revelatio immediata non adhuc agnosceretur,

tur, aut saltem certa non haberetur, sed solùm censeretur mediatè revelata, & in altero, cum quo connectebatur; & in hac acceptione, difficultas nulla est, permultas propositiones ex erroneitatis ad hæresis statum, transitum fecisse, ac facere posse; secundò, ut propositio illa erronea autumaretur, quòd revera nulla contra eam extaret immediata revelatio, sed mediata dumtaxat, & nihilominùs accedente Ecclesiæ definitione ex erroneitate ad hæresim transitum facit; hicque videtur sensus Authoris, purpura non minùs, quàm sapientia clari, quem quoque amplexus antea fuit Suarius *disp. 3. de object. formal. fidei &c. sect. 11. num. 11.* ubi vocat opinionem sibi *certam & ex communi sensu Theologorum*, testaturque, se non invenisse *Theologum contradicentem*.

21. Complures nihilominùs ipsi adversantes esse affirmat P. Ferre in celebri suo *tract. de fide quæst. 4. §. 12.* citans ex Jesuitis Molinam, Valentiam, Gasparem Hurtadum, Tannerum, Ouviedum; ex aliis verò Alphonsum de Castro, Canum, Valdensem, Lorcam, & Thomistas communiter, quibuscum consentit, & quidem conformiùs ad tradita per nos de propositionis hæreticæ quidditate, & essentia *cap. 2. art. 1.* ubi diximus, ipsam constitui per oppositionem immediatam propositionibus immediatè revelatis. Cum enim Ecclesia non habeat authoritatem condendi novos fidei articulos, novaque dogmata, sequitur ea solùm posse ut talia declarare, & consequenter proscribere, tamquam hæretica, ipsis opposita, de quibus revelatio divina immediatè est habita, nam si id faceret per novam revelationem, jam de novo conderet dogmata, & non solùm ex implicito statu erueret ad explicitum, & eatenùs Angelicus docens, definita ab Ecclesia ad habitum fidei pertinere, notat Ecclesiam in suis definitionibus procedere immediatè ex Veritate prima: *formale objectum fidei est Veritas prima (2. 2. q. 5. art. 3. in corp.) secundùm quod manifestatur in Scripturis sanctis, & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex Veritate prima; Unde quicunque non inhæret, sicut infallibili, & divinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, ille non habet habitum fidei.*

22. Quæcumque verò eligatur sententia, patet argumenti solutio, juxta priorem, quòd, cum Ecclesia procedit ex mediata revelatione ad inferenda fidei dogmata, hæc, ut talia, sint habenda, non virtute mediatæ revelationis, quæ habebatur, sed virtute divinæ assistentiæ, ob quam in dictis definitionibus errare non potest Ecclesia; quia „ quod Ecclesia definit, (ait Suarez) „ Deus per Ecclesiam testificatur. Ecclesia „ autem definit talem veritatem in se, ac „ formaliter; ergo jam Deus in se, & formaliter testificatur; ergo eo ipso est constituta sufficienter sub objecto formali fi- „ dei, nam testimonium divinum idem est, „ & æquè certum, sive per se ipsum, sive „ per Ecclesiam, vel alium Ministrum, „ Deus illud præbeat. „ Juxta posteriorem quòd quamvis in definitionibus Ecclesiæ precedat theologici discursus, & disputationes diligentissimæ, quæ per consequentias & illationes fiunt, sicut Apostoli *Act. 15. 7.* ad definiendum legalia non esse observanda, magnam conquisitionem fecerunt; cum tamen venitur ad definiendum, discursus ipse, & disputatio more humano habita, non sunt ratio definiendi, & credendi, nec ponuntur in decreto definitionis, sed quia *visum est Spiritui Sancto*, qui illam veritatem primo dixit, & postea aperuit immediatè contineri in Scriptura, vel Traditione, non per novam revelationem, sed per novam manifestationem immediatæ revelationis antea factæ, & dein Ecclesiæ ipsi, ut toti Dominico gregi infallibiliter proponeret, communicatæ.

ARTICULUS VI.

An propositio opposita alteri posita in sacra Scriptura in terminis figuratis, seu parabolicis, aut in aliis sensum mysticum præseferentibus, sit hæretica?

1. Sensuum multiplicitate, quam *art. 1. num. 2. & 3.* indicavimus, inspecta, inquirendum proponitur, an assertum ibi traditum quoad propositiones oppositas aliis in sacra Scriptura contentis sub terminis propriis, extendi pariter debeat propositionibus, quæ opponuntur aliis extantibus in sacra Scriptura sub terminis figuratis, seu parabolicis, aliisque quibuslibet, qui mysticos redolent sensus? Cumque ex traditis *cit. art. num. præsertim 8.* ratio eadem concludere efficacissimè videatur absque ulla diversitate discurrendum de singulis aliis propositionibus, quæ opponuntur positis sub quibuslibet terminis in sacra Scriptura; idcircò:

2. Dicendum propugnamus hæreticas fore

fore propositiones, quæ adversantur aliis, quæ sunt in sacra Scriptura, sive parabolicè expressa, sive mysticè intelligenda, dummodò contrarietas sit immediata, & quoad sensum, quem constet fuisse à Spiritu Sancto volitum. Omnes autem sensus à literali historico, & proprio, comprehensos in asserto intendimus; ex quo communis singulis fit difficultas, vi cujus suspicio specialis haberi queat in stabiliendis hæreticis propositionibus super objectis ad quemlibet dictorum sensuum spectantibus, quæ non militer in illis, quæ expressis literaliter propriè in sacra pagina adversantur. Ea autem, quæcunque sit, evanescit ex præcisa ratione, quæ in eodem innuitur asserto, deducta videlicet ex Spiritus Sancti intentione, quæ, sicuti fundamentum, & radix est cur quodlibet à Scriptoribus canonicis prolatum, sit fidei objectum, ita fundamentum, & radix esse debet, cur in uno, potiùs sensu, quàm in alio ad infallibilitatis hujusmodi eveatur statum, & consequenter, cur propositiones oppositæ sensui eidem, ut hæreticæ veniant eliminandæ.

3. Robur verò difficultatis prædictæ consistit in eo, quòd reliqui sensus non adeò proprii sint, nec immediati, sed latentes, & eatenùs videantur inefficaces ad dogmata fidei stabilienda, & ad propositiones hæreticas declarandas, ob quod motivum D. Dionysius *in ep. ad Tit.* dixit *Theologiam symbolicam non esse argumentativam*, cui consonant D. Hieron. *in cap. 13, Matth.* dum referens nonnullorum expositionem per sata tria, interpretantium tres unius Deitatis Personas subjungit: *pius quidem sensus, sed nunquam parabola, & dubia ænigmatum intelligentia potest ad authoritatem dogmatum proficere*; & Augustinus (*ep. 48.*) *quis non impudentissimè nitatur aliquid in allegoria positum, pro se interpretari, nisi habeat manifestissima testimonia, quorum lumine manifestentur obscura*.

4. Ex eodem tamen fonte unde difficultas est eruta, eruitur solutio æquè, ac asserti confirmatio, in quo neque per umbram nos diximus, sensus omnes sacræ Scripturæ adaptabiles, habendos, ut regulam fidei. Sic namque non sine fundamento digni reddi possemus redargutione, qua olim Donatistas hæresim suam illis verbis (*Cantic. 16.* (*indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*, deducentes, Augustinus perstrinxit, ex quo symbolicè arguerent *lib. de unit. Eccles. cap. 14. & 19.* Amplexi igitur sensus, ut fidei regulam, non minùs, ac sensum literalem historicum, reliquos omnes, qui æquè, ac ille à Spiritu Sancto intendantur; nec quidem probabiliter, aut dubiè, sed certò, & infallibiliter. Hoc non negat Hieron. qui de *dubia ænigmatum* loquitur *intelligentia*; non Augustinus, qui ab impudentia liberat interpretantes, quoties adsint *manifestissima testimonia, quorum lumine manifestentur obscura*.

5. Theologia eapropter symbolica argumentativa non est, sed non ita, ut numquam per eam firmari queant, sacrosanctæ fidei arcana, & mysteria. Raro id contingere potest, quia raro esse possumus certi de fine Spiritus Sancti dirigentis, ejusque intentione, & ideò argumentativæ denominatio ferè demitur, cujus in symbolica adeò rarus est usus, eorumque proprius, qui cum Apostolo *1. ad Corint. 2. 6.* saltem per participationem dicere possunt: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam verò non hujus sæculi sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*. Optimè idcirco S. Thom. *quodlib. 7. q. 6. ad 4.* notavit non esse *propter defectum authoritatis, quòd ex sensu spirituali non potest trahi efficax argumentum, sed ex ipsa natura similitudinis, in qua fundatur spiritualis sensus; una enim res pluribus similis esse potest; unde non potest ab illa, quando in Scriptura sacra proponitur, procedi ad aliquam illarum determinatè, sed est fallacia consequentis v. g. leo propter aliquam similitudinem significat Christum, & Diabolum; unde per hoc, quòd aliquid de leone dicitur in sacra Scriptura, ad neutrum potest fieri processus in sacra Scriptura, argumentando*.

6. Quod autem in divinæ authoritatis defectum refundi nequit non nisi in nostram ignorantiam, est refundendum, quæ divinam eamdem authoritatem sufficienter perscrutari non valet, Ideòque in sacris literis non semel cum sensus literalis historicis non est, adjungitur explicatio, ut præsertim videre est *Matth. 13.* in celebri illa parabola seminatoris, & seminis quoad singulas partes interpretata per sapientiam Patris, quæ sicuti in dicto particulari, aliisque similibus casibus, Spiritus Sancti nobis aperit intentionem, ita & evincit illam ejusdem ponderis, & in reliquis esse quamvis determinatè nos lateat. Quod agnoscens Apostolorum Princeps, cum non perciperet, quid Divinus Magister significare vellet verbis illis (*Matth. 15. 11.*) *non, quod intrat per os coinquinat hominem &c.* supplex petiit, ut genuinus sensus sibi manifestaretur, *edissere nobis parabolam istam*, nos sic

sic monens, ut in similibus locutionibus nostræ adscribentes inscitiæ, si, quod Deus significare velit, ignoremus, instrui super eo curemus, & si instructio ab erroris suspicione certò erit immunis, quoties nempe, vel claro alteri sacræ Scripturæ textui innixa, vel ab Apostolica Sede, aut Conciliis OEcumenicis tradita, tum objectum fidei, quod abscondebatur, percipiemus.

7. Idipsum ad metaphoras esse extendendum non ambigimus, quæ etiam ad sensum literalem pertinent, & sub parabolico comprehenduntur, quamvis in rigore hæc sit inter eas, & parabolas distinctio, quòd in metaphoris, ad sensum literalem dumtaxat pertineat impropria significatio vocis, propria prorsùs exclusa; in parabolis, ad sensum literalem spectet non minùs id, quod in exemplum adducitur, quàm res illa, quæ ad significandù assumitur. Ad rem autem præsentem egregie de metaphoris, quæ extant in sacris literis, Angelicus 1. *p. q.1.art.9. ad 2.* expendit *quòd radius divinæ revelationis non destruitur propter figuras sensibiles, quibus circumvelatur, ut dicit Dionysius.* (*cap.2.cæl.Hier.*) *sed remanet in sua veritate, ut mentes, quibus fit revelatio, non permittat in similitudinibus permanere, sed elevet eas ad cognitionem intelligibilium, & per eos, quibus revelatio facta est, alii etiam circa hæc instruantur.*

8. In eumdem finem, etiam, & sensum mysticum referatum, ac explicatum legimus variis in locis, Sic Apostolus *ad Gal.4. 22.* scribens, quòd *Abraham duos filios habuit unum de ancilla, & unum de libera &c.* subdit; *quæ sunt per allegoriam dicta*, eamque mox aperit: *Hæc enim sunt duo testamenta, unum quidèm in Monte Sina &c.* indeque transit ad affinem interpretationem sensus anagogici: *illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra; scriptum est enim: lætare sterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis.* Quoad moralem denique sensum, non immorandum in uno, vel altero textu adducendo, dùm plenæ eo sunt sacræ paginæ, satisque sit repetere Apostoli testificationem pluries in præcedentibus insinuatam: *omnia quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt &c.* inde enim patet objecta fidei habenda, quæ constat divinitùs dicta tamquam *figura corum, quæ nos agere debemus*, ut loquitur Angelicus 1. *p. q.51.art.10. in corp.*

9. Quòd si ex dictorum sensuum explicatione, quæ habetur in sacris paginis, infertur regulam fidei illos esse, fortiùs id evincetur, clariorque apparebit solutio D. Dionysii authoritati adaptata *num.4.* 5. ex argumentis, quæ in cælestium dogmatum munimen super eis efformantur. Sic autem arguunt Matth.*cap.2.15.* inferens oportuisse Christum ire, & redire in Ægyptum, illo (*Oseæ 11.12.*) *ex Ægypto vocavi filium meum.* Divus Joannes *cap.19. 36.* firmans ossa Redemptoris non debuisse in cruce confringi, ex textu (*Exodi 12.46.*) *os non comminuetis ex eo.* Divus Paulus *1. ad Cor.9. 9.* Apostolis, & Prædicatoribus non esse denegandam alimoniam, dicens (*ex Deut.25.4.*) *Non alligabis os bovi trituranti*, & in *ep.ad Hæbr.cap.1.5.* Incarnati Verbi Divinitatem corroborans, illo (*2. Reg.7.14.*) *ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium.* Quas, similesque authoritates, clarum est, non nisi allegoricè esse applicatas ad illationes prædictas stabiliendas. *Exodi* namque 12. 46. literaliter de Agno Paschali, non comminuendum os dicitur, typicè vero de Christo. Oseas itidem de populo hebræo literaliter accipiendus, & sic de aliis, ut passim videre est apud Patres, & Interpretes, penès quos non decrunt, quæ asserto nostro majorem efficaciam, & soliditatem præbeant.

10. Nec instetur, infirma esse argumenta, quæ soli allegoriæ nituntur, nam cohærenter ad dicta *num.4.* respondebimus cum Cornelio A lapide *in ep.ad hebr.cap.1.* ubi expendens citatum textum *ego ero illi &c.* literaliter intelligendum de Salomone, mysticè de Christo, cujus Salomon fuit typus, ait, „ argumentum ex sensu allegorico æquè „ firmum est, atque petitum ex sensu litera„ li, si constet illum talis loci esse sensum „ allegoricum, sicuti hic constat; nam al„ legoria æquè, imò magis intenta fuit à „ Spiritu Sancto, quàm sensus literalis Scri„ pturæ; allegoria enim continet mysteria „ Christi, & Ecclesiæ, quæ longè excellen„ tiora, & augustiora sunt gestis Davidis, „ Salomonis, aliorumque Judæorum, quæ „ gesta ad literam significantur, & enarran„ rantur in historiis librorum Regum, & „ aliorum veteris Testamenti. Idque sciebant Judæi, maximè ii, qui ad Christum „ erant conversi; sciebant enim Salomonem fuisse typum Christi, & hæc de Salo„ mone dicta esse non propter se, sed pro„ pter Christum, adeòque Regnum Sa„ lomonis quietum pacificum, dives, & „ opulentum figuram tantùm fuisse spiri„ tualis opulentiæ, & æternæ felicitatis dan„ dæ in Regno Christi.

11. Quæ responsio non adversatur insinuatis *art.1. num.6. & seq.* ubi, quòd sensus

literalis sit cæteris excellentior, ipsisque præferendus. Non enim locuti ibi sumus de sensu literali relatè ad Spiritum Sanctum ipsius Authorem, ipsiusque certò cognitam mentem. Sub hac namque consideratione, ille est sensus excellentior, qui à Spiritu Sancto intenditur, adeò ut uno in loco prælatio sit tribuenda literali; in alio tamen, spirituali, quòd in illo literalis sit divinæ intentioni conformior; in isto verò, spiritualis. Imò in eodem loco, qui sit capax literalis simul, & mystici sensus, potest mysticus esse dignior literali, ex quo hic volitus à Spiritu Sancto sit, non præcipuè propter se, sed in ordine ad illum, tamquam signum ad signatum, figura ad figuratum, sicque locum habet doctrina Cornelii à Lapide, quem, in hoc prævivit S. Joannes de Capistrano *loco infrà citando*, ex eo deducta, quòd quæ in veteri Testamento afferuntur de Salomone, Davide &c. non propter eos potissimùm dicta accipi debent, sed propter Christum per ipsos figuratum, & designatum: Ac propterea literalem dumtaxat præferimus respectu nostri, factaque comparatione sensus ad sensum, quoties aliunde certi non simus effecti de Authoris divini intentione, Augustini, & Angelici semitas calcantes, ex quo nusquam literalis sensus excludi debeat, si ex eo nullum sequatur inconveniens, & absurdum, & in eo omnes alii sensus fundentur, significanterque allegoricus, qui, quò plenius literali respondet, eo magis est genuinus, ut ex D. Hieronymo notat Author laudatus *in can. rerum epist. Div. Pauli can. 6.* nihilque sub spirituali continetur fidei necessarium, quod Scriptura per literalem alicubi apertè non exprimat, ac demùm omnis Scriptura habeat sensum literalem, non autem alios, & in novo Testamento vix est allegoria, in epistolis rarò tropologia ex eodem *cit. can. 6.*

12. Adhuc fortassis quis replicabit, ex præfatis authoritatibus sacræ Scripturæ non deduci quòd mysticus sensus absolutè sit fidei objectum, sed solùm quoties per alios textus designatur, quod ille intentus revera fuerit à Spiritu Sancto: Unde non ratione sui immediatè, sed ratione declarationis factæ per eamdem sacram Scripturam inter credendorum regulas recensendus. Sed ex ipsomet asserto patet de sensu mystico illud intelligendum, quem constet esse intentum à Spiritu Sancto, sive id fiat per alios Scripturæ textus, sive per Ecclesiæ, seu Apostolicæ Sedis indefectibilem declarationem. Non tamen inde sequitur, regulam fidei effici formaliter prædictæ declarationis virtute, sed ob sui intrinsecam naturam, & quatenùs à Spiritu Sancto intentus, & causatus, estò nobis non nisi per declarationem id innotuerit. Adeòque posita declaratione e. g. quòd textus ille: *Ego ero illi in Patrem &c.* ad Christum specialiter sit referendus, qui id negaret, esset hæreticus, non præcisè, & dumtaxat, quia contradiceret virtualiter ad minus D. Paulo, cujus est declaratio, sed quia formalissimè, & immediatè negaret dictum de Christo, quod Spiritus Sanctus revera relatè ad Christum accipiendum præcepit; quamvis etiam, & reus esset in Div. Paulum, cujus authoritatem in rebus fidei infallibilem non haberet. Quæ claritatis gratia posset duplex quodammodò distingui, & altera dici infallibilitas propria Scriptoris Canonici quà talis; altera, quæ potiùs vocanda foret infallibilitas Expositoris Canonici, dum per eam textus aliorum Canonicorum Scriptorum enucleantur, & hæc est communis Ecclesiæ, & Romano Pontifici, qui supremus, nullique errori obnoxius est Scripturarū ex Cathedra loquens Interpres. Ac proinde qui negat textum aliquē mysticè intelligendum, quem mysticè explicandū docuit, vel Expositor ullus Canonicus, vel Apostolica Sedes, immediatè, & formaliter se opponit, ac contradicit Scriptori illi Canonico, cujus ille textus est fœtus, licèt quoque saltem virtualiter opponatur Expositori, quicunque sit, qui infallibilitatis privilegio gaudeat.

13. Hinc autem colligendum pariter ex multiplicitate sensuum, quorum quilibet sit fidei regula, nullam in credendis oriri confusionem, idque nedum ob rationem Angelici *1. p. q. 1. art. 10.* quòd dicta multiplicitas *non facit æquivocationem, aut aliam speciem multiplicitatis, quia sensus isti non multiplicantur propter hoc, quòd una vox multa significet, sed quia ipsæ res significatæ per voces, aliarum rerum possunt esse signa; & ita nulla confusio sequitur in sacra Scriptura, cum omnes sensus fundentur super unum, scilicet literalem:* Verùm etiam quia nulla potest esse æquivocatio, aut confusio, quoties, ut sensus, qui patens, & indubius se ipso non sit, admittendus non censeatur, tamquam fidei regula, nisi dependenter ab authentica ipsius declaratione, quæ vel extet jam facta in aliis Scripturæ locis, vel fiat ab Ecclesia, de qua Irenæus (*lib. 3. adversus hær. cap. 4.*) *non oportet quærere apud alios veritatem, quàm facilè est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositum dives*

ple-

pleniſſimè in eam contulerint, quæ ſint veritatis; cujuſque tamquam magiſtræ fidei, veritatiſque columnæ *eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum*, ut habet *ſeſſ.4. in decret. de edit. & uſu ſacr. libr.* Tridentinum, quod quamvis prohibeat ad alios ſenſus contorquere Scripturas, qui ſint contra eum, quem *tenuit*, *& tenet* Eccleſia *aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum*; hoc tamen poſterius non eſt accipiendum, ac ſi per hujuſmodi unanimem conſenſum ſufficiens conſtituatur regula fidei, ſic præcisè ſumptum, ſed juxta explicationem infrà tradendam *art.12*,

14. Quòd ſi, ſermo ſit de interpretationibus humano ingenio, & induſtria faciendis, quæ proinde limites probabilitatis minimè excedant, nec in iis habebitur confuſio, ſi debita humilitate fiant, nullamque oppoſitionem involvant, vel cum aliis Scripturæ locis, vel cum declarationibus Eccleſiæ, vel etiam cum explicationibus à Patribus communiter admiſſis, quæ eſtò, ut mox diximus, ad perfectionem regulæ fidei non perveniant, non per hoc tamen ipſis contradicere, non erit ſummæ ſignum temeritatis, & audaciæ, quibus ſuperbè elati hæterodoxi *ſacræ Scripturæ authoritatibus perperam expoſitis, atque tranſpoſitis, imaginem perfidiæ ſuæ conficiunt, & ornant dicentes, illam eſſe fidei, & veritatis imaginem, eò quòd ex iiſdem ſacrarum Scripturarum locis eſt conſtructa*, ut loquitur *lib.2. adverſus hær. cap.1.* Irenæus; ideoque juremeritò *ep.322.* Conſentium inſtruebat Auguſtinus: *intellectum valde ama, quia & ipſa Scripturæ ſanctæ, quæ magnarum rerum ante intelligentiam, ſuadent fidem; niſi eas rectè intelligas, utiles eſſe non poſſunt. Omnes enim hæretici, qui eas in authoritate recipiunt, ipſas ſibi videntur ſectari, cum ſuos potiùs ſectentur errores, & per hoc, non quòd eas contemnunt, ſed quòd non intelligant, hæretici ſunt.*

15. In hos refractarios, ac temulentos fidei hoſtes militant ad rem præſentem, quæ diximus *cap.2. art.9. &* 10. quæque de unoquoque eorum Ezechiel (*13.3.*) *ſequitur ſpiritum ſuum, & nihil videt*, & Apoſtolus (*1. ad Timoth.1.7.*) *volentes eſſe legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Neque in idipſum deſunt exempla Pelagianorum errantium, quod *Scripturas ſecundùm ſenſum ſuum legerent*, ex Auguſtino *lib. de grat. Chriſti cap.42.* Priſcillianiſtarum ſuis deliriis inhærentium, quòd *in ſuos ſenſus allegorizando vertunt Scripturas* ex eodem *lib. de hær. hæreſi* 70. Origenis à vera abeuntis fide, quòd *quædam Scripturarum vocabula novo more interpretaretur* ex Vincentio Lirinenſi *cap.23.* Neſtorii in Virginem infenſiſſimi, quòd *ſacram Scripturam ſe ſolum, & primum intelligere dictaret* ex Concilio Epheſino *cap.42.* de Severianis, quòd *ſacrarum Scripturarum ſenſus, ac ſententias pro ſuo arbitratu interpretantur*, ex Euſebio *hiſt. Eccl. lib.4. cap.27.* ſicque paſſim de aliis, qui hæretici propemodùm non ſunt, *niſi quia Scripturas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pertinaciter aſſerunt*, ut teſtatus eſt Auguſtinus *lib.7. de gen. ad lit. cap.9.* quoſque idcircò *indoctos, & inſtabiles* dixit Apoſtolorum Princeps (*ep.2. cap.3.16.*) *loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe*, Doctor gentium (*Act. 20. 30.*) *ex Patre Diabolo, qui deſideria Patris volunt facere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit; quia non eſt veritas in eo, cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus*; Joannes Evangeliſta (*cap.8.44.*) *fures*, & *latrones* non venientes niſi, ut *furentur*, & *mactent*, & *perdant*, idem Diſcipulus, quem diligebat Jeſus *cap.10. 10.*

16. Ut itaque tot vitentur vortices, cavendum permaximè eſt, ne proclives ſimus in Religionis catholicæ dogmatibus propugnandis, ac hæreſibus, noxiiſque quibuſlibet doctrinis rejiciendis, ad pronunciandos fide divina tenendos ſenſus Scripturæ, de quibus clarè, vel ex ipſis terminis, vel ex Traditione, aut Eccleſiæ definitione non conſtet talis eſſe naturæ; ſi præſertim non literales, ac hiſtorici illi ſunt, ſed myſtici, qui nuſquam ad ſacra firmanda contra hæreticos myſteria, ſunt aſſumendi, ex privata cujuſlibet authoritate; hæcque alia eſt explicatio applicanda Patribus, plerùmque negantibus, ex allegoriis Scripturarum poſſe certa argumenta confici in hæterodoxos, ut innuimus *nu.10.* & juxta eam intelligendus pariter Angelicus *1. par. q.1. art.10. ad 1.* ubi de literali ſenſu; *ex quo ſolo*, ait, *poteſt trahi argumentum, non autem ex his, quæ ſecundùm allegoriam dicuntur, ut dicit Auguſtinus in ep. contra Vincentium Donatiſtam*, vim hic habente Auguſtini *lib.1. de gen. ad lit. cap.18.* regula: *Ut in rebus obſcuris, atque ab oculis noſtris remotiſſimis, ſi quæ in Scriptura legimus, quæ poſſunt, ſalva fide, qua imbuimur, alias, atque alias parere ſententias; in nullam illarum præcipiti affectione ita nos projiciamus, ne ſi fortè diligentiùs diſcuſſa veritate, eam labefactaverit, corruamus, non pro ſententia divinarum Scripturarum, ſed pro noſtra ita dimicantes, ut*

eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est, cum potiùs eam, quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.

17. Interpretandam itaque, non negandum, sacram Scripturam etiam à privatis Doctoribus; cum enim idem Augustinus *cit.lib.cap.*21. distinguat tres gradus in ea explicanda, quorum *primus, & felicissimus id docere, quod certum est eum sensisse, quem legimus; secundus id sequi, quod circumstantia Scripturæ non impedit; tertius id saltem amplecti, quod cum sana fide concordat.* Secundus, & tertius privatam Doctorum intelligentiam non excludunt, dummodò inviolabiliter semper servetur, quod ex Angelico docuit Cardinalis Cajetanus (*in* 1.*p.q.*61.*art.*3.) *hæreticum illud esse dic, quo posito, Scripturæ verus sensus solvitur; tolerabile autem, quo posito, Scripturæ verus sensus absolutè non tollitur, quamvis sensus à pluribus etiam sanctis Scriptura datus tollatur. Solius enim Romanæ Ecclesiæ est dare sensum Scripturæ ita verum, atque catholicum, ut contrarius sensus Scripturæ datus sit hæreticus.*

18. In quo adhuc est tollenda æquivocatio, quæ posset oriri, accipiendo in tota sua latitudine tamquam fidei regulam sensum Scripturæ accommodatitium, quo non semel utitur Ecclesia, imò & quandoque ipsimet Scriptores Canonici; & licèt ex dictis erui posset præventivè data solutio; pro majori nihilominùs elucidatione, non erit frustraneum animadvertere, per sensum accommodatitium nil aliud venire, nisi applicationem, ac extensionem, quarumdam sententiarum, aut historiarum Scripturæ, eas adaptando aliis rebus, ab iis, quæ Spiritus Sanctus intendit, & quidem aliquoties etiam spectantibus ad mores informandos, fideique illustrationem. Sic autem nusquam sumi possunt Scripturæ textus in aliis locis Scripturæ relatis, quandocumque à Scriptoribus Canonicis, vel etiam ab Ecclesia usurpantur in confirmationem alicujus mysterii fide divina credendi, putà cum in eorum relatione aliquæ particulæ, quæ, accommodatitio sensu prorsùs excluso, ad solum literalem, aut mysticum restringunt, ac limitant, uti cum dicitur aliquod factum esse, *ut impleretur quod dictum, vel scriptum est; Bene prophetavit de nobis Isaias; Tunc adimpletum est, quod dictum est per Hieremiam &c.* Neque enim impleri dici possunt Scripturæ nisi eveniat illud in sensu eodem, qui in ipsis continebatur; & quidem quoad omne jota, vel apicem juxta dicta *art.*3. & conformiter ad Christi sententiam *Matth.*5.17. quam exponens sic extendit D. Joannes à Capistrano (*in tract. de Judicio universali p.*2. *de excellentia sacræ Scripturæ cap.*1.*art.*5.*num.*2. *& seq.*) *Amen dico vobis donec transeat cælum, & terra, jota unum, quod est litera I, aut unus apex, quod est caput literæ, vel litera capitalis, non præteribit à lege, donec omnia fiant; sub nomine enim legis complectens totam sacram paginam adimplendam.*

19. Accommodatitius proinde sensus haberi potest quoties Scripturæ testimonia non adducuntur, tamquam certa veritatis confirmatio, sed pronunciantur simplici quadam narratione, & applicatione accommoda ad rem alteram ab intenta per Spiritum Sanctum in prima eorumdem origine, quod potest contingere vel simplici usu verborum, uti cum *Apocal.*11.3. Divus Joannes Henoch, & Eliæ applicat illa ferè verba, quæ Zaccharias *cap.*4. dixerat de aliis à prædictis: *Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*, quæ quoque Ecclesia usurpat pro SS. Joanne, & Paulo in eorumdem officio; vel in precibus, quæ ad Deum diriguntur, verbis orationum alterius; vel exempla promendo, ut unius rei similitudine declaretur & altera. Huic itaque accommodatitio sensui, non competit ratio, & denominatio regulæ fidei, cum ex ipso non possint certa argumenta formari ad mysteriorum dogmata stabilienda, ex quo non ea intentione sit à Spiritu Sancto intentus; bene tamen robur habere potest ad fidei illustrationem, & explicationem, præsertim si ab Ecclesia universali fiat, vel à Scriptoribus Canonicis, quos inter, hæc intercedit distinctio, quòd Scriptores Canonici id præstando, de fide reddunt accommodationem rectè congruere subjecto, cui applicant, Spiritu Sancto eos ad applicandum movente, & dirigente; Ecclesia verò non ita, quia cum accommodat textus Scripturæ, non definit aliquod, ut fide tenendum, nec eruit aliquod dogma ex implicito statu ad explicitum, quod requireretur, ut accommodatio dicta evadere posset immediatum fidei objectum, adeòut ipsi contradicere notam mereatur formalissimæ hæresis, nam de aliis ab hæresi inferioribus notis, dubium non est, quin aliqua, aut pluribus ex ipsis sit inurendus, qui dicto, quantumvis accommodatitio sensui per Ecclesiam habito sese audebit opponere.

AR.

ARTICULUS VII.

An propositio opposita alteri implicitè posita in sacra Scriptura sit hæretica?

1. Supponit quæstio præsens, non omnia fidei objecta per Canonicos Scriptores sacris literis demandata, *explicitè* in eis contineri, sed quædam *explicitè* quædam verò *implicitè*. Prioris autem generis ea sunt, de quibus aperta extat revelatio, uti quòd *Verbum caro factum est*; posterioris verò, de quibus, & si in re habeatur divina revelatio, non tamen talis ea est, quæ cognosci valeat *immediatè* afficere hanc, vel illam determinatè veritatem. Ac propterea per τὸ *implicitè* minimè intelligitur illud, quod, etsi revelatum, ac nobis manifestatum, exprimitur terminis quibus obscurè designetur; Sic namque obscuritas non se teneret ex parte revelationis non sufficienter manifestatæ, sed vel ex parte vocum ipsarum non plenè res revelatas significantium, vel ex parte rerum earumdem revelatarum, quæ ob pluralitatem formalitatum, & objectivorum conceptuum, quibus constant, possunt, nunc clariori, nunc confusiori modo designari, uti *art.* 5. vidimus contingere inter definitionem, & definitum, afferentes exemplum in Christo, cujus humanitas divinitùs jam revelata, nobisque apertè manifestata, potest exprimi per τὸ *homo*, quo, non nisi cum quadam confusione ejus essentia importatur, & per τὸ *animal rationale*, quo clarius explicantur partes hominis constitutivæ, cum tamen revelatio eodem modo se habeat in ordine ad prædicata humanitatis, sive uno, sive altero modo ea concipiantur, ex quo termini illi sint adinvicem formalissimè æquipollentes.

2. Dicendum propositionem oppositam alteri *implicitè* contentæ in sacra Scriptura, esse *quoad se* hæreticam, non tamen *quoad nos*, nisi accedat authentica ipsius per claram, aut Traditionem, aut Ecclesiæ definitionem explicatio, ac declaratio. Duabus assertum partibus constat, quarum prior deducitur ex pluries repetita definitione propositionis hæreticæ per oppositionem *immediatam* cum propositione de fide, cujusmodi esse in se propositionem quamlibet *implicitè* in sacra Scriptura contentam, quantùmlibet eam ignoremus, ferè ex ipsis terminis enitet. Probarique in primis posset cum Cardinali de Laurea *disp.* 9. *de fide art. art.* 5. *à num.* 91. ex formulis professionum fidei, quæ perpetuò in Ecclesia emitti consueverunt tàm ab Orientalibus Patriarchis, cùm eas ad Romanos Pontifices transmittebant, quàm ex iis, quas ipsimet Romani Pontifices faciebant; semper enim post explicitam fidem Symboli, & articulorum in eo comprehensorum, aliorumque complurium dogmatum, profitebantur se credere, *quicquid Catholica, vel Romana tenet, & credit Ecclesia*, quæ vel alia æquipollentia formalissimè verba legi poterunt apud Eminentissimum Scriptorem formulas indicatas accuratè referentis, & perpendentis, & nos infra *cap.* 7. *art.* 14. ad literam exhibemus.

3. Verùm illæ omnes non multùm videntur ad quæstionis intentum conducere, ex quo, ut innuimus, sensus ipsius minimè sit de *implicitè* credendis ab his, vel illis Personarum generibus, de quibus *explicita* quidem extet jam revelatio, estò ab eisdem, vel non agnita, vel in fidei professione non expressa, nisi sub universalissima aliqua communi fidei regula, qualis est Catholica Ecclesia, damnando, & reprobando omnes, & singulas hæreses, singulosque earumdem Authores, quos, & quas illa damnat, ac reprobat, nec non quicquid ea tenet, ac docet suscipiendo, & amplectendo. Quo modo ut ponderat Angelicus 2. 2. q. 5. *art.* 4. *in corp.* attentis videlicet objectis, *quæ materialiter credenda proponuntur*, quæque possunt *recipi vel magis, vel minùs explicitè, potest unus homo plura explicitè credere, quàm alius, & in uno potest esse major fides, secundum majorem fidei explicationem*; Ideòque Theologi inter objecta fidei credenda, differentiam agnoscunt, & quamdam graduationem facere solent, dicendo, quòd aliqua eorum sunt de fide *quoad se* tantùm, non *quoad nos*, aliqua *quoad ad se*, & *quoad nos*, & ex istis, quædam *quoad omnes*, quædam verò *quoad sapientes* dumtaxat, vel *quoad aliquos*.

4. De fide autem subjungunt esse *quoad se* dumtaxat, quæ in Verbo Dei sive scripto, sive tradito revelata *implicitè* extant; de facto tamen ab Ecclesia fidelibus, ut credenda, non proponuntur, defectu cujus propositionis, quamdiù videlicet ab Ecclesia non definiuntur, theologicis conclusionibus adnumerari ad summum possunt, estò deinde accedente Ecclesiæ definitione, de fide evadere valeant, ut dictum est (*art.* 5. *num.* 5.) *Quoad se* verò, & *quoad nos*, de fide sunt omnes illæ veritates, quæ ita fuerunt à Deo, revela-

revelatæ, ut insuper, vel per earumdem expressam in sacris literis designationem, vel à Canonicis ipsis Scriptoribus, aut decursu temporis ab Ecclesia per definitionem, aut declarationem, nobis credendæ apertè reperiuntur propositæ. Quarum adhuc quædam dicuntur esse de fide *quoad omnes*, quædam *quoad aliquos*, seu *quoad sapientes*, quia quandoque sive ipsa revelatio, per quam ad fidem ea pertinent, sive ipsa Canonicorum Scriptorum, aut Ecclesiæ, aut similis alias indefectibilis definitio, aut expositio, per quam ad illam pertinere nobis declaratur, sunt ita expressæ, ut ab omnibus credendæ *explicitè* veniant, cujusmodi sunt mysteria Trinitatis, & Incarnationis. Quandoque verò, & si revelatio clara sit, aut clara definitio, hæc tamen non est nota omnibus, & singulis, sed majoribus, & sapientioribus, respectu quorum proinde dicuntur esse de fide *explicita*, cùm, respectu aliorum, non sint, nisi de fide *implicita*.

5. De quo aptum esse potest exemplum illud Christi Domini, qui cum loqueretur ad turbas in parabolis, interrogantibus Discipulis, *quare in parabolis loqueris eis?* respondit: *quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum* (*Matth.* 13.11.) Sicque discurrit Angelicus 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. *in corp.* de sacrificiis veteris legis præfigurantibus Christi passionem, *quorum quidem sacrificiorum significatum explicitè majores cognoscebant, minores autem sub velamine illorum sacrificiorum credentes ea divinitùs esse disposita de Christo venturo, quodammodò habebant velatam cognitionem.* Assertum verò præsens procedit de obiectis primi dumtaxat generis, quæ videlicet de fide sint in se ipsis, non verò respectu nostri, & idcircò in eo dicimus, quòd propositiones oppositæ propositionibus dicto modo in sacra Scriptura contentis, sint *quoad se* hæreticæ, non verò *quoad nos*, nisi accedat authentica, & infallibilis definitio, aut declaratio; cujusmodi, dicere possumus fuisse olim dogma illud *art. præced. nu.* 9. unà cum aliis, similibus relatum de osse Christi D. non comminuendo, quod ante explicationem Euangelistæ non nisi *implicitè* credi poterat, ex quo *explicitè* solùm intelligeretur de Agno Paschali, literaliter Scripturæ verbis dumtaxat expressio, & designato.

6. Fortior ideò est probatio, quæ confici potest ex communi Theologorum opinione sententium cum Angelico 2. 2. *q.* 1. *art.* 7. quòd *articuli fidei temporum successione creverunt, non quidem quantùm ad substantiam, sed quantùm ad explicationem, & expressam professionem, nam quæ explicitè, & sub majori numero à posteris credita sunt, eadem omnia à superioribus Patribus implicitè, & sub minori numero credita fuerunt.* Hinc namque colligitur objecta eadem, quæ ad præsens *explicita* fide in Ecclesia creduntur, semper fuisse *quantùm ad substantiam* credita, ob *implicitam* earumdem revelationem, quæ erat minor probanda. Quòd si inquiratur modus, quo illa à Patribus crederentur? eum idem promit Angelicus, dicendo, quòd *omnes articuli implicitè continentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet, ut credatur Deus esse, & providentiam habere circa hominum salutem, secundùm illud* (*ad hæbr.* 11. 6.) Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit. *In esse enim Divino includuntur omnia, quæ credimus in Deo æternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit; in fide autem providentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter à Deo dispensantur ad hominum salutem, quæ sunt via ad beatitudinem; & per hunc etiam modum, aliorum subsequentium articulorum, quidam, in aliis continentur, sicut in fide Redemptionis humanæ implicitè continentur, & Incarnatio Christi, & ejus Passio, & omnia hujusmodi.* Unde concludit: *Sic ergo dicendum est, quòd quantùm ad substantiam articulorum fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem, quia quæcumque posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licèt implicitè; sed quantùm ad explicationem crevit numerus articulorum, quia quædam explicitè cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè.*

7. Quamvis nihilominùs censeam in hac probatione vim rationis asserto faventem includi, in ea tamen, uti jacet, suspicor æquivocationem committi, si in tota sua latitudine accipiatur, ut nempe sit sensus, quòd posita revelatione alicujus mysterii, nedùm in substantia, fidei objecta *quoad se* teneantur esse quæcunque connexionem cum eo habent, adeout per legitimam valeant illationem inferri, sed quæ etiam in se dictam connexionem aliquo modo important, etiamsi legitima illatio formari non possit. Sic namque eam videntur intelligere nonnulli S. Doctoris Discipuli, quos inter Contensonus *tom.* 4. *diss.* 2. *cap.* 1. ubi difficultatem movens, quòd difficile sit intellectu quomodò in universalissimis fidei principiis alia mysteria includantur, & quomodò v. g. in duobus præfatis articulis per Apostolum memoratis: *Deus est*, *& in-*

& inquirentibus se remunerator est, contineantur alia tàm abstrusa, nec minùs disparata de Trinitate, Incarnatione, Eucharistia, Visioneque beata Mysteria? quomodò valere quit hæc consequentia: *Deus est*; ergo *est Trinus*: *Deus habet providentiam*; ergo *filius est incarnatus*? Respondet „ multiplicem articulorum fidei nostræ copiam non ita ex „ præfatis duobus Religionis maximis derivari, ut per evidentem, & ultrò manantem „ consequentiam, inferatur, sed quia in se „ ipsa intuitivè, & prout in se cognita, sunt „ vel ex natura rei, vel ex divinæ beneplacito voluntatis cum illis connexa.

8. Ex hujusmodi etenim universalitate sequi videtur, quòd, ut aliquod objectum sit *implicitè* revelatum, revelatione sufficienti, ut constituatur *quoadse* fidei objectum, de qua est sermo, satis sit, quòd, sive id exigente natura ipsius, sive libera Dei dispositione, cum eo connexionem aliqualem involuit. Adeòut dicta connexione dein nobis manifestata, dicenda minimè sit nova nobis facta à Deo revelatio, sed sola declaratio revelationis jam habitæ, quod præfatus Author videtur admittere, dum eodem modo discurrendum innuit de fide mysteriorum divinorum, quæ credimus in lege nova, ac de ea, quę de eisdem habetur in lege veteri; quo discurrimus de fide, quam de aliquibus dogmatibus de facto habemus, dum adhuc non sunt ab Ecclesia definita, & de fide, quam de eisdem formamus, Ecclesiæ definitione accedente, & quidem in hoc, cohærenter ad ea, quæ tetigimus *art.* 5. *n.* 19. Sequelam verò hanc non adeò facilè admitterem, ex qua concludi valeat nullam omninò in lege evangelica factam usquam de novo revelationem, sed antiquas solummodò declaratas.

9. Immò eam falsam esse fusè contendere videtur Cardinalis de Laurea *disp.* 3. *de object. materiali virt. fid. inf. disp.* 3. *art.* 4. ubi pluribus conclusionibus, juxta varios naturæ humanæ status, & tempora, firmat objecta materialia credibilia crevisse ab initio mundi, usque ad Moysen; à Moyse, usque ad Christum; à tempore, in quo Christus Salvator noster prædicare cæpit, usque ad Ascensionem; ab Ascensione, usque ad totam Apostolorum in militanti Ecclesia permanentiam, quas ferè omnes conclusiones vocat *de fide*. Quin explicari queat loqui de objectis materialibus fidei, non *quantùm ad substantiam*, sed *quantùm ad explicationem*, dum contrarium apertè exprimit in ultima ex relatis conclusionibus, qua asserit: *objecta materialia fidei, seu credibilia post Christi Ascensionem creverunt, quoad revelationem quorumdam substantiam pro toto Apostolorum tempore*, clarissimèque idipsum deducitur ex altera, quam subdit, assertione, in qua ad differentiam aliarum præcedentium docet, quòd *post Apostolorum tempora*, substantialia *credibilia pro tota Ecclesia non creverunt, nisi quoad explicationem, seu declarationem tantùm*.

10. Nec ipse, salvo meliori judicio, Angelici sensum cum judico esse, ut reverà nulla omninò de novo censeatur usquam habita revelatio in lege veteri, vel etiam in lege evangelica, quæ ante eas non fuerit præstita, estò dein declarata; cùm oppositum ferè deducendum appareat ex Scripturæ authoritatibus, quibus S. Doctor utitur, ex illa videlicet (*Exodi* 6. 5.) *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, & nomen meum Adonai, non indicavi eis*, ac ex altera, (*ad Eph.* 3. 5.) *In aliis generationibus non est agnitum Mysterium Christi, sicut nunc revelatum est Sanctis Apostolis ejus, & Prophetis*: non enim dicitur *Adonai* nomen *non explicatum*, sed *non indicatum*; quod idem est, ac *non revelatum*, mysteriumque Christi innuitur quoque de novo *revelatum*, non obstantibus particulis: *sicut nunc*, quæ non modum revelationis afficiunt, sed ipsam revelationem antea, quoad aliqua saltem, non habitam, juxta aliam Apostoli affinem locutionem (*ad Gal.* 3. 23.) *priusquàm veniret fides, sub lege custodiebamur, inclusi in eam fidem, quæ revelanda erat*, non igitur *revelata*, & *explicanda*, sed simpliciter *revelanda*. Idque probant permulta alia Scripturæ loca, quæ Eminentissimus de Laurea congerit, licèt non sine aliquali terminorum confusione, in eo quòd quandoque sumat *implicitè* pro *virtualiter* contentis, & è contra, ad comprobandas singulas prædictas conclusiones, quæ apud ipsum percurri poterunt.

11. Sentit propterea Angelicus non esse factum augmentum per temporum successionem, quantùm ad *substantiam* articulorum fidei, non quòd revera nulla omnino fuerit de novo simpliciter facta revelatio, sed quòd quælibet revelatio, quantumvis nova, non esset, nisi de mysteriis, quæ ad prima illa credibilia reduci aliquo modo debeant per Apostolum insinuata; ex quo videlicet *ita se habent in doctrina fidei, articuli fidei, sicut principia per se nota in doctrina, quæ per rationem naturalem habetur; in quibus principiis ordo quidam invenitur, ut quædam in aliis implicitè contineantur sicut omnia principia reducun-*

ducuntur ad hoc, *sicut ad primum, impossibile est simul affirmare, & negare, ut patet per Philosoph. in 4. metaph.* adeout, sicuti nullum est scibile naturale, quod non reducatur, & *virtualiter* præcontineatur in illo principio naturali, *impossibile est idem simul esse, & non esse*, ita nullum est credibile, quod non reducatur, & *virtualiter* non contineatur in dictis Apostoli enunciatis credibilibus primis, dum in immenso Divinitatis pelago ea omnia includi certum sit, quæ Deo ab æterno conveniunt, in quorumque notitia, nostra consistit beatitudo; in fide autem divinæ Providentiæ ea omnia continentur, quæ temporaliter à Deo propter hominum salutem dispensantur, quæve habent rationem viæ ad vitam æternam; quod totum sufficit, ut verificetur, nos, & veteres habere *eumdem Spiritum fidei* (2. *ad Cor.* 4. 13.) quòdque *una est fides novi, & veteris Testamenti*, ut loquitur Augustinus *serm. 8. de temp.*

12. Et in hoc sensu prælaudatus Angelicus *art. 5. num. 8.* relatus D. Dionysium explicans quoad particulas illas *ex Sanctis eloquiis* ait: *quæcunque ex his, quæ continentur in sacra Scriptura, elici possunt, non sunt aliena ab hac doctrina, licèt ipsa in sacra non contineantur Scriptura*, nec *implicitè* videlicet, nec *explicitè*, quia quod continetur *implicitè*, jam absolutè continetur, quatenùs τὸ *implicitè*, ut sumitur in præsenti, dicit immediatam aliquam revelationem de aliquo objecto. Unde contineri pariter dicimus sub duobus illis primis credibilibus, cætera quælibet fide tenenda *implicitè*, non quòd de singulis habita in eis sit *implicita* immediata revelatio, sed quatenùs aliquam dicunt connexionem, vi cujus ex eis aliquo modo elici possunt. Aliàs dici deberent *implicitè* in lege veteri, immò, & in lege naturæ revelata, etiam quæcunque nobis per Traditiones sunt manifestata, adeout nec per has ulla de novo sit habita revelatio, quod, ex dicendis *artic. seq.*, distare videtur à vero.

13. Quomodolibet autem sese habeat hactenùs facta digressio, in qua nullum discrimen fortassis est, nisi de vocibus; probatio allata vim habet in iis, de quibus revelatio, revera extiterit, aut extat, immediatè afficiens hæc, vel illa objecta, licèt agnita non fuerit, nec ad præsens sit, quoad ea, adhuc non definita. Quod præsertim verificari communissimè Theologi docent ab Apostolorum temporibus, post quos omnia dogmata, in Conciliis, & ab Apostolica Sede definita, novam non respiciunt revelationem, sed antiquæ solius declarationem, aliàs non rectè Apostoli dicti fuissent *Amici*, quòd *omnia quæcunque audivi à Patre meo nota feci vobis* (*Jo.* 15. 15.) nec Christi promissio sortita suum fuisset effectum: *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis* (*Joan.* 14. 26.) Et iterùm: *Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem* (*Joan.* 13. 16.) ubi τὸ *omnia*, & *omnem*, non patitur restrictionem Ouviedi apud Ferre *tract. de fide q. 4. §. 12. n. 92* ad res necessarias ad salutem, cum nulla sit ratio, quæ ad limitationem nos cogat, nullumque inconveniens sequatur si, in sua universalitate particulæ dictæ sumantur.

14. Sive autem de omnibus omninò accipiantur, sive de omnibus ad salutem necessariis, ad intentum sufficit, objecta hujusmodi nobis decursu temporis non manifestata nisi per Ecclesiæ definitionem, de fide fuisse etiam ante definitionem *quoadse*, dum Ecclesia non reddidit talia, sed declaravit, adeò ut, dum rei definitæ fidem præbemus, pro ratione formali credendi, conspicimus antiquam revelationem, pro conditione verò, sine qua non, ipsam Ecclesiæ declarationem, ob cujus declarationis defectum, sicuti ante eam, objecta illa non erant de fide tenenda *quoadnos*, ita nec *quoadnos* propositiones immediatè ipsis oppositæ dici poterant hæreticæ, licèt in se tales existerent. Ideòque, ut notat laudatus Ferre, duo hic oportet distinguere, nempe, rem esse de fide, & obligare fideles, ut fide credant illam. Quoad primum non fit mutatio in re per definitionem Ecclesiæ, benè verò quoad secundum, sicque etiam asserti pars posterior manet satis firmata.

15. Corroborari idipsum potest inductione omnium catholicarum veritatum, quæ ex *implicito* statu ad *explicitum* sunt erutæ, inferendo de fide eas tenendas ex *implicitis* earumdem, quæ extabant, revelationibus. Eas adamussim refert Cardinalis de Laurea *disp. 7. de object. form. fid. inf. art. 7.* quas inter *Jo.* 5. 38. Christus prædicans se esse filium Dei, hortabatur, ut scrutarentur Scripturas, *& illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me* (*Marci* 12. 26.) Idem Salvator Sadducæos convincit super resurrectione mortuorum: *de mortuis autem, quòd resurgant, non legistis in libro Moysi super rubum, quomodò dixerit illi Deus, inquiens*: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob. *Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multùm erratis.* Pater autem, has, & similes ratiocinationes non esse innixas revelationibus de eis

eis habitis, quæ claræ, & *explicitæ* essent, sed quæ *implicitè* solummodò continebantur, ac dein per Sapientiam Patris manifestatæ omnes obligarunt ad eas de fide habendas. Hocve modo pariter discurrendum de cunctis aliis dogmatibus per Concilia OEcumenica successu temporis definitis, nec nisi prævie habita sacrarum Scripturarum perscrutatione, ad Sanctorum Patrum intelligentiam, Ecclesiæque consensum, quibus (ut aliquod exemplum promamus) motos se fassi sunt Tridentini Patres ad formandum *sess.* 5. decretum de peccato originali: *Sancta Synodus jam ad roborandum errantes, & nutantes confirmandos, accedere volens, sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia, & ipsius Ecclesiæ judicium, & consensum sequuta, hæc de ipso peccato originali statuit* &c.

16. At forsan, instabit quis, quòd si Ecclesia in definiendis dogmatibus novam non habet revelationem, loquetur à semetipsa,& proinde non poterit fideles obligare, ut credant,quod antea non credebant;quia, ut fideles obstricti sint credere immediatè aliquam veritatem, requiritur quòd certum sit illis certitudine fidei eam esse à Deo revelatam; si verò Ecclesia loquitur à semetipsa, non possunt fideles reddi certi certitudine fidei, quòd talis res sit à Deo revelata, & catenùs, ad eam credendam non possunt obstringi. Inanis tamen instantia ex non intelligentia terminorum promanans: Ecclesiam utique à semetipsa loqui transmittimus sed numquid à semetipsa eam loqui, dicit in suo conceptu, non gubernari in locutione à Spiritu Sancto, ne erret? An verò hæc Spiritus Sancti assistentia insufficiens est judicanda, ut fide divina credatur adesse revelationem divinam de eo, quod Ecclesia revelatum declarat?loquitur profectò Ecclesia,sed &loquitur, ipsam dirigente Spiritu Sancto, unde, & declaratio Spiritui Sancto tribuitur, & Ecclesiæ, verbis illis: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis* (*Act.* 15.28.) Quod autem dicimus de Ecclesia declarante dogmata, ut de fide tenenda, applicandum ad quæstionis præsentis scopum intendimus,& declarationibus ejusdem circà propositiones habendas,*quoad nos* ut hæreticas, non quidem formaliter, ex hoc solo, quòd Ecclesia eas damnet, ut tales, sed quia propositiones oppositæ, sunt revera de fide, & immediatè revelatæ, esto non nobis earumdem revelatio nota, nisi per declarationem Ecclesiæ, cujus, ut probatum manet, est, non nova fidei condere dogmata, novæ alicujus revelationis virtute, quæ antea nec *implicitè* extiterit, sed quæ latebant explicare, & de *implicito* statu ad *explicitum* eruere, reddendo *quoad nos* fide divina tenenda, quæ jam *quoad se* erant ejusdem divinæ fidei objecta.

ARTICULUS VIII.

An propositio opposita Traditionibus Divinis, sit hæretica?

1. De *Traditionibus Divinis* obiter egimus *cap.*2, *art.*10.*num.*10.eas supponentes fidei regulas, inanimes tamen, & veluti mortuas, utpotè adhuc egentes regulæ vivæ adjutorio, quam probavimus esse Ecclesiam, cujus,non minùs est sacræ Scripturæ sensum aperire, quàm *Traditiones* veras ab illegitimis secernere, verasque, ac divinas Orbi Catholico, ut fide divina credendas proponere; quod nunc distinctiùs pertractandum assumimus, ut inde propositæ quæstionis eruatur solutio pro dignoscendis hæreticis propositionibus ex oppositione,quam hæ involuunt cum *Divinis* eisdem *Traditionibus*. *Traditionis* autem generico nomine, licèt in rigore importetur actio dandi, seu *tradendi*, adaptatum, & accommodatum nihilominùs est, rei *tradita*, & quidem oretenùs à Majoribus in Posteros successivè transmissæ. Quamvis enim *Traditionis* rationi non pugnet, quòd scriptis mandetur, cum tamen Scriptura, & decreta ecclesiastica proprias sortiti sint appellationes, ac nomina, *Traditionis* denominatio ad solam doctrinam oretenùs communicatam, ex communi Patrum, & Theologorum usu, ac praxi reperitur restricta, qui propterea *Traditionis* definitionem his, vel similibus verbis cum Dominico Gravina *lib.*4.*cath.præsc.adversus hæres. præscrip.*2. *controv.*2.*art.*1. concipere solent; *Traditio est doctrina arcana, & sacra ex animo in animum à Majoribus in Posteros oretenùs transmissa*, eam ex D. Dionysio *de Eccl.Hierarc. c.*1. haurientes, sic de *Traditionibus* loquente; *Eminentissimi Pontificalis muneris rationem nemini tradas, præterquàm æqualibus tuis Reverendissimis Præsulibus,quibus sacra tractare institutum est, ipsosque illos Pontificio jure monebis,mundi, ut munda contingant, solisque communicent divina divinis, perfecta proficientibus, sanctisque sanctissima. Ego enim tibi, ut reliquorum sacrorum, ita hujus quoque divini muneris consortium tradidi.*

2. Sic autem accepta *Traditio* varias patitur divisiones, eaque omissa, quæ *Traditiones* veras, ac legitimas, falsasque, & illegitimas comprehendit, quòd hæ fabulosæ habendæ sint, & inanes, utpote Verbo Dei scripto, aut legitimè *Tradito* oppositæ, quales propemodùm erant, de quibus (*Marc.7.7.*) *in vanum me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum* (*Matth.15.9.*) *Sine causa autem colunt me, docentes mandata, & doctrinas hominum* (*Matt.15.6.*) *Irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram* (*1. Petri 1.18.*) *Redempti estis de vana vestra conversatione paternæ Traditionis* (*ad Coloss.2.8.*) *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundùm Traditionem hominum* (*ad Tit.1.14.*) *non intendentes Judaicis fabulis*. Ea, inquam, omissa, primò distingui *Traditiones* possunt juxta varietatem Ecclesiæ statuum, in eas, quæ sunt legis Naturæ, legis Mosaycæ, & legis Gratiæ. In lege enim Naturæ veras, legitimasque *Traditiones* fuisse, quibus regeretur Ecclesia, extra controversiam est, cum constet, ante Moysen, nullum extasse sacrum Scriptorem; & aliàs plures floruisse sanctos homines, ut Abraham Isaac, Jacob, &c. quibus proinde, aliisque cœteris, non nisi per *Traditionem* credita censendum est fuisse mysteria, quorum per, maximè cognitio fuit quovis tempore necessaria: *Justitia fuit tempore Abel, & Enoch* ait Epiphanius (*contr. Manichæor. hæref.*) *quibus non erat lex scripta, sed naturalis tantùm intelligentia, & Traditio per successionem ex Patribus ad filios*.

3. In lege scripta pariter non nisi per *Traditionem* sciri potuit remedium à Deo institutum pro fœminis, ut ab originali peccato redderentur immunes, de eo nihil de eo in sacris literis appareat expressum. Idemque dicendum de sacrificiis Christi Passionē præfigurantibus, de quibus *art.præced.nu.4.* animadvertit Dominicus à SS. Trinitate *lib.3.bibl.theol.sect.2. cap.2.* quorum explicita cognitio in Majoribus populi, non ex sacra Scriptura, sed ex *Traditione* ortum ducebat, & de hujusmodi, aliisque affinibus *Traditionibus*, intelligenda addit varia sacrorum codicum loca, nempe (*Ecclesiastici 8.9.*) *Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientium, & in proverbiis eorum conversare: ab ipsis enim disces sapientiam*, & infrà (*num.11.*) *non te prætereat narratio Seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum.* (*Deuter.32.7.*) *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi; Majores tuos, & dicent tibi* (*Ps.73.6.*) *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis: ut cognoscat generatio altera*. In lege tandem nova plerasque extare *Traditiones*, quibus ea regitur, & gubernatur, *in hujus, & sequentium duorum articulorum* decursu, evidentissimè apparebit, satisque ad id evincendum, pronunc sit Symbolum ipsum Apostolorum, in quo præcipua sacrosanctæ fidei mysteria comprehenduntur, ad nos, non nisi *Traditione* transmissum, & idcircò ex ipso ad alia fidei dogmata in sacris literis non expressa *lib. de Spiritu Sancto cap.27.* arguebat Div. Basilius: *Ipsam fidei professionem, qua credimus in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, è quibus Scripturis habemus?*

4. Secundò: attenta ratione materiæ dividitur *Traditio* in eam, quæ dicitur *Dogmatum, Morum*, & *Rituum*. Per primam intelligitur, *vivæ vocis credendorum doctrina divinitùs revelata, & in posteros transfusa*, ea videlicet, quam Christus *Religionis Author* (loquimur siquidem potissimùm de *Traditionibus* legis evangelicæ) *per præsentiam Sanctos docuit Apostolos*, & quæ *per successionem ad paucos ex Apostolis absque scriptis tradita pervenit*, ut loquitur Clemens Alexandrinus *lib.7. strom.* Per secundam *venit vivæ vocis doctrina festorum, jejuniorum, & id genus observantiarum salutarium in posteros transfusa*, uti, præter alias, sunt, quadragesimale jejunium, vacare à servilibus, Dominicis diebus, celebrare Pascha post quartamdecimam mensis Martii lunam &c. Per tertiam venit *vivæ vocis doctrina ceremoniarum Missæ, Sacramentorum, ac sacramentalium in posteros transfusa*, cujusmodi sunt exsufflatio, & unctio in baptismatis collatione, mixtio aquæ in vino consecrando, aliaque permulta.

5. Tertiò: attenta Authorum ratione, dividi universaliter posset, in *Dominicam*, & *Humanam*. Verùm quia inde occasionem desumpsere debaccantes hæretici Catholicos divexandi, ac si *Traditiones* humano spiritu adinventas venerarentur, Judæorum more, qui transgrediebantur mandata Dei propter *Traditiones* Seniorum, majoris claritatis gratia divisio hæc *Traditionum* fieri solet, in *Dominicas, Apostolicas, Ecclesiasticas*. De *Dominicis* loquitur Cyprianus *ep. 25.* circa prædictam aquæ vino consecrando permixtionem, præscribens: *in calice offerendo Dominica servetur Traditio*. De *Apostolicis*, Chrysostomus (*ho.69.ad pop.& ho.3.in ep.ad Philip.*) *Non frustra ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum mysteriorum, memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt.* De *Ecclesiasticis*, Hieronymus ad Lucinium scribens: *Traditiones eccle-*

Ecclesiasticæ, quæ fidei non officiunt, ita observandæ sunt, ut à Majoribus traditæ sunt.

6. Quartò: attenta temporis, vel locorum circumstantia; aliæ *Traditiones* dicuntur *perpetuæ*, quæ videlicet nulla authoritate mutari possunt, quales sunt solæ divinæ; aliæ *temporales*, quæ sive in ipsamet origine ad *tempus* institutæ, vel ob rerum successu temporis variationem, possunt mutari; aliæ *generales*, seu *universales*, quæ ad totam universalem Ecclesiam pertinent, & ab universis fidelibus observantur; aliæ *particulares*, quæ custodiri solent in hac, vel illa particulari Ecclesia, non tamen in reliquis; & denique potest, & quinta subjungi divisio ex *modo*, quo *Traditiones* concipiuntur, promanans, dum aliæ dicuntur *præceptivæ*, seu ex præcepto tenendæ, qualis est illa de Paschate post quartamdecimam Martii lunam celebrãdo, cui resistentes pertinaciter Asiani, *Quartodecimani* hæretici sunt appellati: aliæ *liberæ*, ac de *consilio*, qualis est aspersio aquæ benedictæ quam facimus cum ingredimur Templa. His præmissis *Traditionum* divisionibus, propositæ controversiæ satisfacimus:

7. Dicendo, propositiones oppositas *Divinis Traditionibus* esse hæreticas. Assertum est de fide, & ferè ex ipsis terminis patens: cum enim *Divinæ Traditiones*, Deum ipsum, ut Authorem agnoscant, non possunt primæ Veritati revelanti non adversari, quæ *Divinis Traditionibus* opponuntur. Nil etenim interest, quo pacto Deus mentem suam aperiat, vel nempè atramento, ac literis, vel oretenùs dumtaxat, dummodò certò constet Deum esse, qui sit locutus; idem enim robur, habet Principis mandatum, sive proprio illud ore proferat, sive Præconis voce, sive scripto, & per consequens æqualis gravitatis erit temeritas illi quocumque modo lato opponi. Unde Div. Chrysostomus *hom. 4. in 2. ad Thessal.* dicens Apostolos multa sine literis tradidisse, addere non omittit: *Eadem verò fide digna sunt tàm illa, quàm ista. Traditio est, nil quæras ampliùs*, & D. Basilius *lib. de Spiritu Sancto c. 27.* pariter firmat *utraque dogmata scripta, & non scripta eamdem ad pietatem vim habere, nec his quemquam contradicere, quisquis vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica*; Ideòque Apostolus (*1. ad Timoth. ult. 20.*) *O' Timothee depositum custodi*; quod explicans Lyrinensis *lib. con. proph. voc. novit. cap. 27.* ait: *Quid est depositum, idest, quod tibi creditum est, non quod à te inventum, quod accepisti, non quod excogitasti, rem non ingenii, sed doctrinæ, non usurpationis privatæ, sed publicæ Traditionis*, idemque Apostolus in altera itidem (*ad Timotheum cap. 3. 14.*) *Tu verò permane in his, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.*

8. Nec potest in dubium verti, quo præcisò, pleraque fidei nostræ mysteria protsùs corruerent, quæ nempe non nisi *Traditione* accepimus. Omissisque, quæ desuper de Apostolorum symbolo ex D. Basilio, & de Paschate die Dominico post quartamdecimam lunam celebrando ex Cypriano indicavimus, *Christum descendisse ad inferos*; Subtilium loquitur Princeps (*in 1. sent. dist. 11. q. 1. §. Ad rationem*) *non docetur in Evangelio, & tamen tenendum est, sicut articulus fidei, quia ponitur in Symbolo Apostolorum: ita multa alia de sacramentis Ecclesiæ non sunt expressa in Evangelio, & tamen Ecclesia tenet illa esse tradita, certitudinaliter ab Apostolis, & periculosum esset errare circa illa, quæ non tantùm ab Apostolis descendunt per scripta, sed etiam quæ per consuetudinem universalis Ecclesiæ tenenda sunt. Nec Christus in Evangelio docuit, omnia pertinentia ad dispensationem sacramentorum. Dixit enim discipulis suis* (*in Joannis c. 16. 16.*) Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modò; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Multa igitur docuit eos Spiritus Sanctus, quæ non sunt scripta in Evangelio, & illa multa, quædam per Scripturam, quædam per consuetudinem tradiderunt. Similiter diversa symbola diversis temporibus sunt edita contra diversas hæreses de novo orientes, quia quando insurgebat nova hæresis, necessarium erat declarare veritatem, contra quam erat illa hæresis, quæ veritas, etsi priùs erat de fide, non tamen erat priùs tantùm declarata, sicut tunc contra errorem illorum, qui eam negabant.*

9. Similis discursus potest efformari de aliis permultis fidei mysteriis, æquè ac præcedentia, virtute *Traditionis* nobis communicatis. Patrem namque in Divinis *ingenitum* esse, ac denominari, ob *Traditionem*, patet ex August. argumento relato *art. 10. num. 10.* Verbi consubstantialitatem, etsi in sacris literis expressam, adhuc *Traditione* quodammodò firmiùs esse corroboratam, eruitur ex Theodoreto *lib. 1. hist. cap. 8.* testante, quòd Arius consubstantialitati dictæ infensissimus, potiùs ex *tradita*, quàm ex *scripta* doctrina fuerit damnatus, & D. Athanasius *tract. de Synod. Nic.* refert, quòd *Eusebius Episcopus Cæsareæ Palestinæ, quamquàm ante unum diem negarat, postea tamen subscripsit, ac per literas significavit Ecclesiæ suæ, hanc esse fidem à*

Patribus traditam. Spiritus Sancti Divinitatem *Traditione* stabilitam asserit Basilius (*ep. 73.*) *Nos confitemur, quòd etiam traditum accepimus, cum Patre, & Filio locatum esse Spiritum Paraclitum*, & ipsemet Græcorum Patriarcha in Synodo Florentina *sess. 25.* articulum hunc vocavit *traditum à Patribus dogma*. Ac, ut paucis plura complectar, *Traditione* habemus impermixtas in Christo Domino, Dei, & hominis substantias in una Christi Persona, ex D. Leone *ep. 118.* descensum Christi ad inferos ex Irenæo *lib. 15. cap. 31.* & Tertulliano *4. cont. Marcionem in carm. cap. 6.* perpetuam Deiparæ Virginitatem ex Origene *in Lucam hom. 7.* & Cyrillo Alexandrino *lib. 2. de recta in Deum fide*; ejusdem Deiparæ immunitatem ab omni actuali peccato ex Gregorio Neocæsariensi *homil. in Annunt. B. V.* Epiphanio *de laudibus Mariæ*, Gregorio Magno *in lib. 1. Regum cap. 1.* Nec quicquam diversum sentiendum videbimus de septenario sacramentorum numero, de Baptismate parvulis conferendo, cæterisque innumeris fide divina tenendis, si Patres percurremus, quos citant inter alios Dominicus Gravina *lib. 4. cath. præscrip. adversus hæres. præscrip. 2. controv. 2. art. 7.* & Cardinalis de Laurea *disp. 4. de 2. specie object. materialis fidei art. 3.*

10. Neque sola dogmatum credendorum explicatio, facta à Patribus est *Traditionum Divinarum* adjutorio, sed & earumdem fulcimento dogmata ipsa definita, assertaque ipsis contraria, profligata passim reperimus à Patribus eisdem, à Conciliis, ab Apostolica Sede, ut meritò scripserit *lib. con. proph. voc. nov. c. 31.* Lyrinensis, *Catholicorum hoc proprium, deposita SS. PP. & commissa servare, damnare prophanas novitates, & sicut dixit, & iterum dicit Apostolus*: Si quis annuntiaverit præterquàm quòd acceptum est, anathematizare. & D. Basilius (*lib. de Spiritu Sancto cap. 10.*) *fides est, quæ oppugnatur, communisque omnibus scopus fidei firmamentum, sive fulcimentum quassare, ac pessundare, Traditionem Apostolicam humi dejectam obliterando, atque abrogando*. Unicum nobis satis sit Tridentinum OEcumenicorum Conciliorum tempore ultimum, sed reliquis præcedentibus doctrinæ universalitate excellentius, definitarumque in eis veritatum accurata, & distincta synopsis.

11. Tanta itaque Synodus sic in primis *sess. 4. in decr. de Can. script.* loquitur. *Hoc sibi perpetuò ante oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur: quòd promissum ante per Prophetas in Scripturis Sanctis, Dominus noster Jesus Christus, Filius proprio ore primùm promulgavit, deinde per suos Apostolos, tamquam Fontem omnis, & salutaris veritatis, & morum disciplinæ omni Creaturæ prædicari jussit, perspiciensque hanc veritatem, & disciplinam contineri in libris scriptis & sine scripto Traditionibus, quæ ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros, tam veteris, quàm novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit Author, nec non Traditiones ipsas, tùm ad fidem, tùm ad mores pertinentes, tamquam vel oretenùs à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, & veneratur*. Enumeratisque Libris Canonicis, concludit indicans medium, quod in sanciendis sacris dogmatibus, profligandisque contrariis erroribus servare intendit: *Omnes itaque intelligant quo ordine, & via, ipsa Synodus post jactum fidei confessionis fundamentum sit progressura, & quibus potissimùm testimoniis, & præsidiis in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in Ecclesia moribus sit usura*.

12. Hancque revera praxim passim servasse patet *ex sess. 5. in decret. de peccato originali*, in quo canones omnes de eo statuendos declarat, *ad revocandos errantes, & nutantes confirmandos... nedùm sacrarum Scripturarum*, sed & *SS. PP., ac probatissimorum Conciliorum, testimonia, & ipsius Ecclesiæ judicium, & consensum secuta*; Ex (*sess. 6. in proem.*) in qua exponere intendit omnibus Christifidelibus *veram, sanamque doctrinam justificationis, quam Sol justitiæ Christus Jesus fidei nostræ Author, & consumator docuit, Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia, Spiritu Sancto suggerente perpetuò retinuit*; Ex *sess. 13. in proem.* ubi se traditurum affirmat *sanam, & sinceram de Venerabili Eucharistiæ Sacramento doctrinam, quam semper Catholica Ecclesia ab ipso Jesu Christo Domino Nostro, & ejus Apostolis erudita, atque à Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies suggerente edocta retinuit, & ad finem usque sæculi conservabit*; Ex *sess. 14. c. 1. de instit. sacr. extrem. Unct.* ubi præmissis D. Jacobi verbis: *orent super eum ungentes &c. quibus verbis*, ait, *ut ex Apostolica Traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum hujus salutaris sacramenti*; Ex (*sess. 22. cap. 2. de effectu sacrif. Missæ*) *Quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo non dum ad plenum purgatis, ritè*

fitè juxta Apostolorum Traditionem offertur. Ex (Sess.22.cap.9.) Quia adversùs veterem hanc in sacrosancto Evangelio, Apostolorum Traditionibus, Sanctorumque Patrum doctrina fundatam fidem hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque à multis docentur, atque disputantur: Sacrosancta Synodus post multos, gravesque de his rebus maturè habitos tractatus, unanimi Patrum omnium consensu, quæ huic purissimæ fidei sacræque doctrinæ adversantur damnare, & à Sancta Ecclesia eliminare per subjectos canones cõstituit.

13. Oppositiones, quas in hoc assertum congerunt Hæterodoxi sunt illæ eædem, quibus Scripturam sacram esse unicam sufficientem, & adæquatam fidei regulam contendunt. Indè enim alias quaslibet excludunt, & potissimùm *Traditiones Divinas*, contra quas debacchantur. *Quid miseriùs, quid ærumnosius*, ait apud Lindanum 5. *Panopl.* pervicax Brentius *esset Ecclesia Filii Dei si fundamentum fidei penderet ab Asoticis Traditionibus?* quamvis autem earum præcipuas in dicaverimus *cap.2. art.10.* alias paucas hic addere non erit inutile, tùm, ut ibi dicta solidiùs comprobentur, tùm ut pro *Traditionibus* sermo immediatiùs habeatur; contra quas iterum impii nebulones nonnullarum se munire satagunt sacræ Scripturæ authoritatum clypeo, quas efficacissimas autumant. Et primò promunt, quod *Jo.20.30.* dicitur: *multa quidem, & alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc*; *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius*; Illudque, quod habetur (*act.1.1.*) *Primùm quidem sermonem feci de omnibus ò Theophile, quæ cæpit Jesus facere, & docere usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est*: Estò igitur aliqua alia sint gesta per Unigenitum Patris habitantis in nobis signa, sacris literis haudquaquam consignata, non tamen de illo genere esse possunt, quæ fidei dogmata constituunt, cum potiùs non *scripta* ea dicantur, quòd *hæc scripta* sint, *ut credamus*, quia Jesus est Christus filius Dei, ideòque de omnibus protestatur Lucas se locuturum ad fidem spectantibus, quæ cæpit Jesus facere, & docere: Cui affinis est locutio Doctoris Gentium (*ad Galat.1. 8.*) *licet Nos, aut Angelus de cœlo Evangelizet vobis præterquàm quòd Evangelizavimus, anathema sit*.

14. Omnibus omnia necessaria, ut salventur, nedum in sacris literis utcumque contineri, sed clarè, ac distinctè fassi fumus in sensu Augustini *cap.3.art.1.num.18.* relati, & Angelici *cap.3. art.10. num.22.* sed omnia omnibus, ac singulis essentialiter necessaria, non sunt simpliciter omnia, cum pleraque adhuc maneant, quorum cognitio, etsi necessaria, ut sit in Ecclesia, non tamen, ut sit penès singula Ecclesiæ membra. Et inter hæc recensenda utique signa, quæ fecit Jesus à D.Jo. non connumerata, quòd, cum *novissimus omniũ* conscripserit *Evangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis adversùs Cerinthum, aliosque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarũ dogma consurgens, qui asserunt Christũ ante Mariam non fuisse*, ut habet Hieron. *de Script. Eccles.* nil propemodùm omisit eorum, quæ simpliciter necessaria forent, ut credamus, *quia Jesus est Christus Filius Dei*: non tamen ideò omnia scripto absolutè, & simpliciter consignavit, & propterea *plura Salvatoris*, ait Cyrillus (*lib.12.in Jo.cap.61.*) *fuisse signa dicit, quàm ab eo conscripta fiat, quæ relicta sunt, quia sufficere ista putavit ad persuadendum legentibus, quia Jesus est Christus Filius Dei*.

15. Illatio catenùs solis hæreticis digna, quòd omnia omninò fidei dogmata in Jo. Evangelio contineantur; propriaque illorum, de quibus Lactantius (*lib. 4. de vera sap.c.30.*) *exciderunt à doctrina Dei, & Traditionem veram reliquerunt*, ac similis huic alteri (Francisci Costeri in Calvinistam Gomarum pro se scribentis *pag.363.* verbis utor) „ Præceptor docet Ciceronis orationem „ pro Milone; ergo universam Rhethori„ cam, Poesim, & Grammaticam „ cujus idcircò falsitatem ad Gomarum conversus, in hanc formam efficacissimè evincit „ Vis „ fortassis in hac sententia *Jesus est Christus* „ *filius Dei* universa contineri dogmata fi„ dei, atque ex ea per consequentiam ne„ cessariam educi. Conclude ex ea (obsecro) „ baptizandos esse Christianos; sumendam „ Dominicam cœnam; Matthæi, Marci, „ & Lucæ Evangelia, itemque Apostolo„ rum literas esse Divinum Verbum. Aut „ vis fortè nihil ad fidem pertinere aliud, „ quàm ut noris *Christum esse Filium Dei* An „ baptistico Dæmonis errore? cujus Sectæ „ mulier ante annos triginta à me interro„ gata de fide, respondit se credere *Christum* „ *esse Filium Dei vivi*. Quæsivi porrò quid de „ Incarnatione, Nativitate, Passione, & „ Resurrectione Domini? *Credo*, ait, *Chri„ stum esse Filium Dei vivi. Hac fide, sicut Petrus „ satisfecit Christo, ita & tibi satisfactum oportet.* „ Si hanc imiteris, tu videris, qua fide glo„ rieris.

16. De *omnibus* itidem sermonem fecisse, ait Lucas, non omnia scripsisse. Nec enim

enim S. Evangelista quidpiam narrasse conspicimus de cæco nato, de paralitico ad probaticam piscinam curato, de aqua in vinum conversa, de Lazaro resuscitato, de colloquiis, quæ Christus habuit cum Nicodemo, cum Samaritana, cum Capharnaitis, & cum Apostolis post cœnam Agni Paschalis, & proindè *non dicit omnia, sed de omnibus*, ut notavit Chrysostomus (*hom.1. in act. Apostolorum.*) *Priorem quidèm sermonem feci de omnibus Theophile, quæ cæpit Jesus tùm facere, tùm docere, non simpliciter de omnibus, sed ab initio ad finem usque; Ait enim; ad eum usque diem, quo receptus est in Cælum; Atqui Joannes declarat: impossibile perscribere omnia. Siquidem hoc ut ostenderet, ubi dixerat: quæ si scribantur singulatim, nec ipse, ut arbitror, caperet mundus, addit: qui scribendi forent libri. Quomodò igitur, inquiet aliquis, hic Lucas loquitur de omnibus? Atqui non dixit omnia, sed de omnibus perinde, ac si quis dicat summatim, & in genere, aut de omnibus loquitur, quæ necessaria sunt, urgentque. At mox indicat, quæ sunt illa omnia intelligi volens miracula, & doctrinam; nec idcircò solùm indicavit, verùm etiam, quod Jesus faciendo docuerit.* Apostolus pariter non sine mysterio dixit *præterquàm, quòd evangelizavimus vobis* juxta dignam Augustini observationem (*tract.98.in Jo.*) *Non ait; plusquam accepistis, sed* præterquamquòd accepistis, *nam si illud diceret, sibi ipsi præjudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret, quæ illorum fidei defecerunt; sed qui supplet, quod minus erat, addit: non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via.* Nec novum est, quod τὸ *præterquamquòd* ponatur pro *contra*, nam etiam *ad Roman.16.7.* in hoc sensu legimus: *Rogo vos fratres; ut observetis eos, qui dissentiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis:* Constat namque *scandala* non *præter* dumtaxat esse, sed *contra* Verbum Dei, & (*1.ad Corinth. 3.11.*) *fundamentum aliud nemo potest ponere præter* (idest contra) *id quod positum est, quod est Christus Jesus*; Quod quoque contextus ipse demonstrat, in quo constat Paulum loqui contra Judaizantes, qui Galatas conturbabant, & volebant *convertere Evangelium Christi*.

17. Non prætermisso, quòd Apostolus, tantùm abest, quòd in eo textu *Traditiones* excludat, quòd eas potius includat in τὸ *evangelizavimus*; scilicet, subdit Cornelius A Lapide, *verbo, vel scripto; non ergo excludit, sed includit Traditiones solo verbo traditas, quas directè servari jubet* (*2. ad Thessal.2.14.*) *Itaque fratres state, & tenete Traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Quin garriat Hunnius, dicens, quòd, cum hæc scriberet Paulus, nec dum conscriptæ erant omnes aliæ ejus epistolæ, ac consequenter Verbum Dei, non dum erat in tota sua plenitudine, sed voce, aliqua fuisse tradita, sicque servanda. Ad præsens autem cum undequaque plenum habeatur Verbum Dei scriptum, eatenùs non ampliùs egemus *Traditionibus*. Ut enim arguit Cornelius laudatus; Ubi nam habet Hunnius scriptum,, nos habere plenum Verbum Dei ,, quod ita plenè de omnibus credendis, & ,, agendis erudiat, ut *Traditionibus* non sit ,, opus? Certè hoc nusquam scriptum est; ergo traditum Hunnio; ergo hanc saltem ,, suam *Traditionem* admittet Hunnius, ac ,, consequenter fatebitur non omnia esse ,, scripta. Secundò: Apostolus, imò Spiritus Sanctus non solis Thessalonicensibus, ,, sed omnibus gentibus, & sæculis hæc loquitur, & scribit, ut scilicet absolutè singuli fideles teneant *Traditiones, quas didicerunt sive per sermonem, sive per epistolam. Nihil*, inquit Tertullianus (5. contr. Marc.) ,, *de titulis* (epistolarum) *interest, cum ad omnes Paulus scripserit, dum ad quosdam* ,, Accedit, idipsum apertè doceri ab Apostolo (*in ep.2. ad Timoth.1.13.*) *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti*, (& *cap.2.2.*) *& quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt, & alios docere*, & (*cap.3.*) *Tu verò permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris*. Epistola autem hæc, ut bene notat idem Author,, ultima est, quam scripsit ,, Paulus, cæteras enim omnes, ante hanc ,, scripsit, & tamen post eam vult servari ,, *Traditiones*; Non ergo omnia per Scripturam, sed multa verbotenùs tradidit eademque servari præcepit. Si Paulus, qui ,, plurimas scripsit Epistolas, ita fecit; ergo ,, & alii Apostoli, qui vel paucas, vel nullas ,, scripserunt epistolas, ita fecerunt.

18. Et quidem non fine summa convenientia, & ratione. Si enim consideremus ipsos *Tradentes* Apostolos, congruum fuit, ut sicut Institutores cujuslibet benè ordinatæ Reipublicæ præter leges scriptas, pleraque soliti sunt præscribere observanda vivæ vocis virtute, ita & fundatores se gerentes Ecclesiæ Catholicæ aliqua scriptis mandando, alia viva voce fidelibus communicando. Cum præsertim parùm conveniens videretur, quòd ipsimet commentaria in suas epistolas, aut Evangelia ederent, & proinde de,

de debuerunt multa, ad veram mysteriorum credendorum intelligentiam spectantia, voce *tradere*, quæ in perpetuum in Ecclesiæ gazophilacio conservarentur; sicque in ipsa magis eniteret ordo Hierarchicus, in quo plebs à Pastoribus aliquid disceret, & in difficultatibus fidei ad eos confugeret, quod fieri non posset, si omnia penitus mysteria credenda, omniaque ad ea pertinentia, unà cum suis explicationibus legitimis, quæ sensibus clarè, & expressè scripto, cunctis quantumvis rudibus obvio exarassent.

19. Congruum etiam fuit, & rerum earumdem *Traditarum* conditioni, quòd viva voce nobis essent concreditæ, ne videlicèt Sacramenta, reliquaque fidei arcana secretiora, patentia cunctis essent, & ab infidelibus contemnerentur, ob quem finem ex D.Basilio *lib.de Spiritu Sancto cap.27.* Moyses nec omnibus omnia Templi loca voluit esse patentia *probè gnarus, ei, quod conculcatum est, & per se apprehendi potest, imminere contemptum: quòd verò remotum est, ac rarum, ei naturaliter, quodammodò esse conjunctam admirationem*. Et denique congruum id fuit ex parte eorum, quibus *tradebantur* mysteria, ea, viva voce Majoribus dumtaxat Ecclesiæ revelari, ob quod motivum Christus Dominus, cum turbis loqueretur in parabolis, eas Discipulis secretò explicabat, quòd eis datum esset nosse mysterium Regni Dei, quem sequens Gentium Doctor, *sapientiam* loquebatur solummodò *inter perfectos* (*1.ad Cor.2.*) & Timotheo præscripsit (*loc.jam cit.*) ut quæ audivit commendaret *fidelibus hominibus, qui idonei erant, & alios docere*, super quibus verbis *de præscript.cap.26*. Tertullianus: *Consequens autem erat, ut cui demandabat Evangelii administrationem, non passim, nec inconsideratè administrandam adjicere, secundùm dominicam vocem, ne margaritam porcis, & sanctum canibus jactaret.* Aptè satis idcircò Augustinus (*lib.con. ep. fund. cap.4. & 14.*) *Sicut Deus immediatè creavit unum hominem, & ab illo, & per illum producti sunt cæteri successione continua, ita in fide per se instruxisse Deum quosdam homines, à quibus alii docerentur*.

20. Non adhuc acquiescunt hæretici colligere satagentes non esse habendas *Traditiones Divinas* tamquam fidei regulam, tum ne dicatur sacra Scriptura mutila, & manca, tùm quòd *Traditiones* expositæ sint mutationi propter varios mores, & opiniones hominum, & sæpè etiam pervertuntur ex hominum malitia, unde, ut remedium his defectibus præberetur, inventa est Scriptura veluti permanentior, & certior, ac proinde non videtur verisimile Deum aliquam partem doctrinæ fidei in sola hominum *Traditione* constituisse. Præclusa tamen hæc sunt, dum ex hactenùs expensis luce clarius redditum sit, sacram Scripturam non ut omnia contineret expressè, hominibus datam, sed ut comprehenderet substantialia Ecclesiæ Catholicæ fundamenta, cætera verò non *in tabulis* incisa habeat, sed *in cordibus*. Mutila eatenùs, & manca dici non potest, dum nil in ea deficit, quod ad finis à Spiritu Sancto præintenti consecutionem requiratur, bene tamen dici potest *Verbum abbreviatum*, ut passim appellari solet à Patribus, idque ob mox indicatam rationem, quòd in ea, præcipua describantur mysteria, quæ sunt veluti principia, ut cætera credantur, & inter hæc, etiam *Traditiones*, quas sæpissimè commendat.

21. Incommodis, & periculis, si humanam solummodò at tendamus industriam, subjacere *Traditiones* non negamus, sed æquè asserimus, ipsis subjectas *Scripturas*, quæ sui natura possunt amitti, diminui, mutilari, corrumpi. Ad ea propterea vitanda, non semel indicavimus necessariam in Ecclesia Regulam vivam, & indefectibilem; Judicemque supremum controversiarum fidei, cujus est omnia probare, quod bonum est tenere (*1. ad Thessal.5.*) aliisque communicare, quique consequenter non minùs discernere valeat Spiritu Sancto afflante, qui libri sint canonici, quique genuinus eorumdem sensus, ac quænam *Traditiones* revera Divinæ sint, quæ Apostolicæ, quæ Ecclesiasticæ, quæque merè humanæ, & rejiciendæ, ut aniles fabulæ, quales eas vocavit Apostolus. Neque enim promissio Ecclesiæ facta, est limitata ad Verbum Scripturæ, sed simpliciter est enunciatum ipsam esse *columnam, & firmamentum veritatis*, & Christus simpliciter promisit Spiritum Sanctum, qui doceat nos omnem veritatem, utique necessariam, vel convenientem Ecclesiæ; idque æquè si literis sit consignata, vel oretenùs transmissa ad Posteros, quin ullum præjudicium timeri valeat, etiam si nihil omninò scriptum extaret, ut perbellè observavit Irenæus *lib.3. contr.hæres.cap.4.* interrogatione illa, quam facit ad ostendendam præstantiam Verbi non scripti: *Quid autem, si nec Apostoli quidem Scripturam non reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quas tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias?*

22. Apud eos verò, qui, ut ait Augustinus

stinus *lib.32. cont. Faustum c.39.* id totis viribus agunt, *ut de medio tolleretur Divina Authoritas, ut suus unicuique animus Author sit, qui in unaquaque reprobet, aut improbet*, non mirùm si veris explosis *Traditionibus*, ad figmenta se converterunt, mendacia pro dogmatibus amplectentes, quales fuisse scimus Ptolomeum, de quo Epiphanius *hæref.33.* quòd glorietur de *Traditionibus* successione receptis; Artemonem, qui fingebat Apostolum prædicasse Christum purum hominem, & in hoc sensu perseverasse Ecclesiam usque ad Victorem Papam ex Eusebio *lib.5 cap.27.* reliquosque ferè omnes, de quibus legi potest Clemens Alex. *lib.6. strom.* Augustinus *tract. in Joannem q.97. & 98.* Nicephorus *lib.4.cap.21.& lib.9.cap.5.* & alii passim, inter quos Nazianzenus *orat.1. in Jul.* discrimen inter veras, falsasque *Traditiones* assignare non negligit. *Alii,* inquiens, *motus hominum sunt, alii simiarum genus. Traditiones namque, ritus, & præscriptiones Christianis bellissimè congruunt, tales sunt, ut nullus eorum, qui vestigiis nostris inhærere cupiunt, eas æmulari possit, quandoquidem non tàm humanis ingeniis, atque inventionibus, quàm vi Divina, temporisque firmitate vigorem obtinuerunt.*

23. Expositas mutationi *Traditiones divinas* futiliter asseritur in objecto. Ut enim mox diximus, ille idem Spiritus Sanctus, qui Ecclesiam perpetuò regit, eique indefectibilem præbet assistentiam suam ne in Canonicarum Scripturarum delectu decipiatur, nevè à vero earumdem aberret sensu, auxilium æquè præbet, & perpetuis futuris temporibus præbebit, ut dignoscat, quænam divinæ Authoritatis sint *Traditiones*, ne unquam mutentur, sed inviolabiliter ad sæculi finem observentur. Ut enim ait *3.p. q.64.art.2. ad 3.* S.Thomas *Apostoli, & eorum Successores, sunt Vicarii Dei quantùm ad regimen Ecclesiæ constitutæ per fidem, & fidei Sacramenta. Unde sicut non licet eis constituere Ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem neque instituere alia Sacramenta, quæ de latere Christi pendentis Cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi.* Ad Aliarum *Traditionum* discrimen quæ *divinæ* in sensu, de quo agimus, non sunt, & proindè mutationibus obnoxiæ juxtà temporum, ac circumstantiarum varietatem, ut ex dicendis *seq. articulis* nitidiùs apparebit.

24. In hunc eumdem finem conducunt, quæ congerere solent Theologi circa legis Evangelicæ præstantiam, quòd *per se primò* Scriptura non indiguerit. Tam longè proindè abest, quòd aut ad sui perfectionem, vel ad conservationem excludi debeant *Traditiones*, ut potiùs ab ipsis potissimùm pendeat, propriamque firmitatem, & permanentiam recipiat. Assumptum autem probant illo (*Hieremiæ 31.*) *Feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum*, explicatum paulò post: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam*, quam promissionem expendens Apostolus *ad hebr.8.10.* apertè interpretatur de novo Testamento, de quo etiam (*2. ad Cor.3.3.*) *Epistola estis Christi ministrata à nobis non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*, ubi Theophilactus, aliique sacri Expositores ponderant differentiam inter legem veterem, & novam, quòd illa atramento scripta fuerit, hæc autem per Spiritum, Dum ipsius Author Christus eam non scripserit externa, & materiali Scriptura, sicut Deus per Angelos scripsit legem Decalogi, & per Moysen Legis datorem cætera præcepta.

25. Non per hoc omninò negatur, & legem novam literis fuisse mandatam, cùm, contrarium evidentissimè eluceat, sed asseritur dumtaxat ab Unigenito Patris non fuisse scripto, sed solo verbo *traditam*. Hoc ve modo duravit, & obligavit, priùs quàm esset scripta, ut habet Irenæus *lib.3. contr. hæreses c.1.* & Chrysostomus *hom.1. in Matth.* & de se patet, quia Testamentum novum non nisi aliquibus post Christi passionem annis scribi cæpit à D. Matthæo, qui omnium primus Evangelium atramento exaravit, ipsumque sequuti sunt postea, & alii Evangelistæ, sicut & cæteri Scriptores Canonici, qui epistolas, aut alias Ecclesiæ reliquere Scripturas; ut ex Theophilacto *præf. in Matth.* observat Suarez *tom. de leg. lib.10. de nova leg. div.cap.3. de script. leg. novæ num.7.* ponderans, quòd ante præfatum tempus, nempè, ut cum laudato Theophilacto ipse putat, ante octavum à Redemptoris morte annum, jam lex nova obligavit magnam orbis partem, & potuisset ità permanere perpetuò, etiam si non esset scripta, juxta Irenæi observationem relatam *num. 21.* cui adstipulatur Augustinus *lib.1. contr. Cresconium cap.32. & seq.* dum loquens de non rebaptizandis hæreticis ritè baptizatis, postquàm asserit sequi *sanè nos in hac re Canonicarum authoritatem certissimam Scripturarum*, subnectere non negligit, *quamvis hujus rei certè de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod jam universæ placuit Ecclesiæ,* quam

quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas.

26. Idem Suarii argumentum formavit, & Eminentissimus Annalium Parens *ad ann. Christi* 53. *num.* 9. Tertulliani *lib. de test. anim. cap.* 36. authoritate fultus, „ si ipsam „ petamus rerum originem, planè invenie„ mus Christianam Religionem primùm „ omnium *Traditionibus* institutam ; inde „ verò scriptis esse firmatam ; nam & Ter„ tullianus, *certè* (inquit) *prior anima, quàm* „ *litera, & prior sermo, quàm liber, ac prior* „ *sensus, quàm stylus.* Antequàm enim Mat„ thæus primus omnium scriberet Evange„ lium (quod contigisse monstravimus „ non ante annum Domini quadragesi„ mum primum) non alio certè modo, „ quàm *Traditionibus* Evangelica prædica„ tio infundebatur in corda credentium „ quod planè sufficit, ut legis gratiæ præstantiam in eo præter alias plures prærogativas sit sita, quòd *per se primò* scripta neutiquam sit, sed per *occasionem* scribendi Incarnati Verbi vitam, ac monendi fideles per epistolas. Absque eo quòd obstet quod tetigimus *n.* 2. de lege naturæ, quæ etiam fuit solis hominum mentibus indita, cum in promptu extet prælaudati Suarii responsio innixa Divo Augustino *de Spir. & lit. cap.* 17. & Angelico 1. 2. *q.* 106. *art.* 1. *ad* 3. *& art.* 2. *ad* 3. justos omnes, qui erant in lege naturæ ad legem gratiæ pertinuisse per fidem Christi, propter cujus merita justificabantur. Perlegatur *citato capite* eximius Societatis Theologus totum hoc accuratè de more discutiens, objectaque diluens, dum ad præsentis controversiæ dilucidationem, hactenùs indicata videantur sufficere.

27. Et quidem nedùm, ut probetur *Traditiones divinas*, tamquam fidei regulas habendas esse in iis, quæ à Canonicis Scriptoribus non fuere literis consignata, æquè ac ea, quæ veneramur, ab eisdem, Spiritu Sancto dirigente, conscripta; sed quòd quadantenùs major sit tribuenda authoritas *Traditionibus*, quàm ipsis Scripturis: Tùm quòd, ex nuper expensis, antiquiores sint, præsertim in lege nova, & *per se primò* intentæ; Tùm quòd ipsæ Scripturæ à *Traditionibus* pendeant, ac nedum quòd multoties verus earum sensus ex illis Ecclesia fidei magistra desumat, nobisque ex prævia Spiritus Sancti illustratione fide divina tenendum proponat, sed etiam, quòd legitima earumdem Scripturarum conditio, *Traditionibus*, summoperè firmetur, earumque ductu ab Apostolica Sede ab illegitimis distinguatur, prout solidè animadvertit Cardinalis Baronius *num.* 10. & 11. dum, relato celebri Augustini *cont. epist. Manich. cap.* 5. effato: *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret Authoritas*, sequens efformat ratiocinium „ sed unde hæc illa adeò firmi„ tet, & absque alia dubitatione constituit? „ non quidem ex simplici Scriptorum titu„ lo, quandoquidem multa alia Evange„ lia, Epistolæ, Actus, & Revelationes „ erunt (ut vidimus) Apostolorum titulo „ prænotata, quæ respuit, sed hæc ipsorum „ esse germana non aliundè, quàm Eccle„ siastica *Traditione* potuit didicisse. Ex his „ igitur videas quanti ponderis sit ipsa *Tra„ ditio*, ut ex ipsa, novi Testamenti scripta „ omnia authoritatem acceperint, quam „ qui non admittunt, ab ipsis, etiam Cano„ nicis scriptis excidant, necesse est. Cum „ itaque Scripturarum fundamentum sit „ ipsa *Traditio*, eo convulso, totam desuper „ structam molem collabi, quis non facil„ limè credet? Esto igitur firmum, ratum„ que, non tantùm scriptis, sed & *Traditioni„ bus* Apostolorum Dei Ecclesiam semel „ fundatam, cæpisse eisdem coalescere, & „ propagari, ipsosque fideles, sicut illis, ita „ & istis pariter obligari, in eoque istas ex„ cellere, quòd illa nisi *Traditione* firmen„ tur, non subsistunt; hæ verò etiam sine „ scriptis suam obtineant firmitatem.

ARTICULUS IX.

An propositio opposita Traditionibus Apostolicis sit hæretica?

1. AD clariorem hujus, & discussæ jam controversiæ intelligentiam, paulò fusiùs explicanda est *Traditionis Apostolicæ* multiplex acceptio. Sæpissimè enim *Apostolicæ* dicuntur perplures *Traditiones*, quæ in rigore *divinæ* sunt, & consequenter de iis dubitari neutiquàm potest, quòd sint regulæ fidei ex deductis *articulo præcedenti*, in quo plures extant authoritates, *divinas* reverà *Traditiones* indicantes, *Apostolicarum* vocabulo. Quapropter inspiciendum semper est, quænam sit radix, & origo denominationis hujusmodi, an videlicet, quòd *Traditiones* sint ab Apostolis promulgatæ tamquam *Pracones* pro iis, quæ ipsis à Christo, tam pro fide, quàm pro moribus expressè mandata erant? an verò, quòd verè ab eis sint conditæ, tamquam Ecclesiæ Catholicæ Pastoribus, & Episcopis, quorum est, leges formare pro ovium sibi creditarum guber-

nio? Priori enim modo acceptæ *Traditiones*, in re *Divinæ* sunt, etsi *Apostolicæ* dici valeant, quia nobis per Apostolorum ministerium communicatæ, & de his Apostolus (1. *ad Thessalon.* 2. 13.) *quoniam cum accepissetis à nobis Verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed sicut est verè Verbum Dei.* Posteriori verò *Apostolicæ* denominantur ad *Divinarum* discrimen, & in sensu, quo instituitur *præsens articulus*.

2. Cum autem hic, & in definitione *Traditionum Divinarum* indicata *articulo præced. num.* 1. exprimitur earumdem Author Christus Dominus, non id venit intelligendum ad Spiritus Sancti exclusionem; Quinimmò sub Christi nomine comprehenditur æquè Pater, ac Spiritus Sanctus, quorum, sicut una est Divinitas, ita & una Sapientia, unicaque in dicendo Infallibilitas, ut animadvertit S. Cyprianus *serm. de ablut. pedum*, dicens, *quòd sicut par est Spiritui Sancto, & Christo Divinitas, ita in suis institutis æqua est authoritas, & potestas; nec minùs ratum est, quod dictante Spiritu Sancto Apostoli tradiderunt, quàm quòd ipse tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit.* Unde Tridentinum *art. præced. num.* 10. relatum, æquali veneratione dignas, parilique divina fide tenendas *Traditiones* definivit, *quæ ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, vel ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt.* Ex quo eruenda est conciliatio textuum nonnullorum Sacræ Scripturæ, quæ apparenter quamdam involvunt repugnantiam, & simul explicandum, quod diximus *art.* 10. *num.* 21. de revelatione omnium credendorum Apostolis facta, adeout nulla in Ecclesia post ipsos habita sit nova dogmatum revelatio, sed solummodò revelationis, quæ extitit, ex implicito ad explicitum statum deductio, & manifestatio. *Omnia* siquidem testatur Unigenitus Patris nota fecisse Apostolis *quæcumque audivi à Patre meo* (*Jo.* 15. 15.) cum tamen (*Jo.* 16. 12.) protestetur; *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*, subdatque ea ipsis dicturum Spiritum Sanctum: *Cum autem venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem Veritatem.*

3. Quomodò igitur omnia nota fecit, si adhuc multa habebat dicenda, quæ tunc temporis portare non poterant? Explicat sanè id Chrysostomus *hom.* 76. *in Ioan.* asserens, quòd *cum omnia dicit nota fecisse Discipulis, intelligendum est de iis, quæ eos audire conveniebat*; cui restrictioni favet, & Augustini *tract.* 86. *in Ioan.* ratio, hyperbolicum ostendens modum loquendi Redemptoris, quo nota fecisse, ait, quæcumque audivit à Patre. *Quis audeat affirmare, vel credere ullū hominem scire omnia quæcumque audivit à Patre Unigenitus filius; quando nec hoc quidem quisquam capit, quomodò à Patre audiat ullum Verbum?* Sed ex tali universalis dictionis coarctatione, posset quis inferre, nec omnem omnino veritatem communicatam Apostolis fuisse, etiam postquam repleti fuere Spiritu Sancto; sed omnia, quæ tunc eos audire conveniebat, quod non tollit, quin temporis decursu fieret Ecclesiæ aliqua nova revelatio, per quam, novum, seu non aliàs revelatum, condi valeat dogma, contra id, quod diximus *art.* 7. *num.* 13.

4. Illationem nihilominùs inefficacem putamus ex regula indicata hoc eodem *capite art.* 1. *num.* 10. quòd textus Sacræ Scripturæ in sensu, quem præseferunt verba, sunt interpretandi; quoties non habentur contextus contrarii, nec ullum sequitur absurdum, aut inconveniens. Unde cum τὸ *omnia* in prima, ex relatis authoritatibus, in tota sua latitudine, non cohæreat cum τὸ *multa habeo vobis dicere*, & cum τὸ *Spiritus Veritatis docebit vos omnem Veritatem*; non mirum, si per τὸ *omnia* interpretatus sit Chrysostomus *de iis, quæ eos* tunc temporis *audire conveniebat*, non autem de aliis, quæ adhuc *portare* non poterant. At quòd Spiritus Sanctus docuerit *omnem Veritatem* juxta Christi promissionem, nullam patitur textus ullius incompossibilitatem, & repugnantiam, ob quam restringi debeat, & coarctari à proprio, quod importat, significato. Cum præsertim non ampliùs locus sit dicendi, quòd adhuc multa, vel pauca superessent, quæ Apostoli portare non possent, postquàm nempe Orbis totius Magistri Divinique Verbi Satores, & Propagatores sunt destinati. Ac idcircò, estò per *omnem Veritatem* intelligere non debeamus in tota sua latitudine *omnia quæcumque audivit à Patre* Unigenitus Filius, nulla tamen est ratio, cur non intelligere valeamus *omnia quæcunque audivit à Patre* Unigenitus Filius Ecclesiæ suæ communicanda, adeout nihil manifestandum revera manserit, quod Apostolis *amicis* suis aperire noluerit, nisi desipere velimus cum Valentinianis, Gnosticis, aliisque hæreticis, de quibus Tertullianus (*de præscrip. cap.* 22.) *solent dicere non omnia Apostolos scisse*; Irenæus (*lib.* 3. *cap.* 2.) *Apostolis jactabant se sapientiores, & sinceram invenisse veritatem*; & Augustinus (*tract.* 98. *in Ioan.* & *lib.* 32. *cont. Faustum cap.* 17.) *omnes impiis-*

impiissimi heretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, hac occasione Evangelicæ sententiæ colorare nituntur, ubi Dominus ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.

5. Ut proinde à Cacodoxorum deliriis alieni omninò reddamur, omnia Ecclesiæ gubernio necessaria Apostolis revelata firmiter tenemus cum Angelico (1.2. q.51. art.4. in corp.) *Apostolis Deus dedit scientiam Scripturarum, & omnium linguarum, quam homines per studium, vel consuetudinem, acquirere possunt, licèt non ita perfectè*; cum Augustino (serm.185. de temp.) *Ipse itaque Apostolos suos vivæ lucis fonte perfudit, ut ipsi postmodùm universum mundum, tamquam duodecim solis radii, ac totidem lampades virtutis illuminent*; & cum Tertulliano (lib.cit.) *nihil* Apostolos *ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos per Spiritum Veritatis repromiserat, & utique implevit promissum*. Ac idcircò Augustinus tract.86.in Ioan. simul conjungens τὸ *omnia*, quæ nota Apostolis fecisse dixit Christus, cum τὸ *omnem Veritatem*, quam ipsos edocturus erat Spiritus Sanctus, cohærenter ad traditam Cypriani regulam nu.2. quòd quæ docet Christus, docet & Spiritus Sanctus, & quæ Spiritus Sanctus, docet & Christus, *omnia* Unigenitum nota fecisse, ait, quia, quæ per Spiritum Sanctum erat facturus, tamquam facta respiciebat, quòd Deo cuncta sint æquè præsentia, nec aliquid præteritum sit, aut futurum: *Multa, inquit*, habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò; *Quo igitur pacto intellecturi sumus eum nota fecisse Discipulis quæcumque audivit à Patre, cum propterea quædam multa non dicat, quia scit ea modò portare non posse? sed nimirùm, quod facturus est, fecisse se dicit, quia ea, quæ futura sunt, facit. Sicut enim per Prophetam* David (ps.21. 17.) foderunt manus meas, & pedes meos, *nec ait*: fossuri sunt, *ita & hoc loco ait*: omnia *se nota fecisse Discipulis, quæ se novit ea esse facturum in illa plenitudine scientiæ, de qua dicit Apostolus* (1. ad Corint.13. 10.) Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Sivè autè Christo Authore, sive Spiritu Sancto docente, dogmatū veritates didicerint Apostoli, ac nobis uti Divini Præcones oretenùs manifestaverint, *Divinæ* dicendæ illæ erunt *Traditiones*, non verò *Apostolicæ* in sensu, de quo in præsenti, conformiter ad definitionē *Apostolicarum Traditionum* (art.præced.n.1.) cui innixi:

6. Dicendum asserimus propositiones oppositas *Traditionibus Apostolicis* non esse habendas hæreticas. Est assertum à nemine negandum, illudque his verbis explicat tom.1. *summæ Concil. pag.72.* Ludovicus Bail „ Apostoli quædam docuerunt, & docue„ runt, tamquam à Deo promanantia, & „ hæc parem quoque cum Scriptura Sacra „ authoritatem habent; quædam verò insti„ tuerunt ex authoritate propria pastorali „ ad regimen Ecclesiæ; & hæc non sunt „ tantæ authoritatis, ut jus Divinum, con„ stansque, ac perpetuum statuant. „ De primis proindè duntaxat locutus est Cardinalis de Laurea *disp.4. de secunda specie objecti materialis fidei, seu de Tradit. art.4.* ubi licèt quæsitum de *Traditionibus Apostolicis* sit formatum; conclusio nihilominùs est concepta de *Traditionibus Dominicis*, „ circa credenda, & mores, ac Sacramenta, vel ritus „ communes non scriptis, sed per Aposto„ los habitis, & quas Apostoli ex seipsis, „ Spiritu Sancto dictante, seu suggerente, „ sine scripto docuerunt, & ab Ecclesia Ro„ mana sunt receptæ, ut tales; „ Ideoque cum §.2. promittit se relaturum varia exempla *Traditionum Apostolicarum*, ac *Dominicarum circa cætera dogmata*, addere non omisit, *ò alia quædam*, indicans, non servaturū rigorem in exemplis promendis, quarū aliqua non ex *Traditione Apostolica* in sensu asserti, quod propugnamus, agnoscunt originem.

7. Quales propemodùm sunt, quòd à Paschate usque ad Pentecostem non jejunetur, de qua Hieronym. *adversùs Luciferianos*; quòd quatuor temporum jejunia sint observanda, de qua Magnus Leo *serm.2. de Pentecost.* & *serm.8. de jejunio decimi mensis* relato in *cap.* hujus, *dist.76.* quòd baptizandi etiam parvuli exorcismis, & exsufflationibus sint disponendi, de qua Chrysostomus *hom. de Adam, & Eva*, & alia id genus apud Eminentissimum Scriptorem videnda; & de his, aliisque affinibus procedit conclusio, quam novissimè expressis terminis propugnat Dominicus à SS. Trinitate *lib.3. bibl. Theol.sect.2.cap.7.* eodem modo discurrens de Apostolicis, ac de Ecclesiasticis *Traditionibus*, de quibus *art.seq.* quæque, „ habent qui„ dèm in rebus tàm ad fidem, quàm ad „ cæremonias pertinentibus, firmissimam, „ & inconcussam authoritatem, non tamen „ *fidei*, quasi nimirùm res ab illis sancitæ „ sint de *fide*, „ subditque, in hac assertione convenire omnes Theologos.

8. Asserti autem probatio satis est indicata ex eo, quòd non possint esse ejusdem authoritatis *Traditiones*, quæ Deum ipsum habent Authorem, ac quæ ab *Apostolis* eas insti-

instituentibus sumunt initiū,& proinde illæ tamquam objecta fidei, sunt tenendæ, utpotè quæ primæ Veritati revelanti immediatè, & per se innixæ, non istæ, quæ ab humana prodierunt potestate. Quod discrimen videtur insinuare voluisse Apostolus (1. *ad Corint.7.10.*) exprimendo priùs Divinum præceptum: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo conciliari, & vir uxorem non dimittat*, dein verò præceptum, ut aliquibus placet, seu consilium, ut communiùs alii, à se latum: *Cæteris ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habeat infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, & si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum*. Eadem autem disparitatis ratio, quæ intercedit inter præcepta, vel consilia immediatè à Christo imposita, quæque proinde dicuntur *Divina*, scripto dein nobis communicata, & præcepta, vel consilia ab Apostolis immediatè præstita, suisque scriptis inserta; intercedere pariformiter debet inter *Traditiones* à Christo initium immediatè sumentes, & *divinas*, ac *Traditiones* ab Apostolis instituentibus promanatas, & purè *Apostolicas*.

9. Fortiùs videtur nonnullis Theologis instari posse ex quo præfatum sive præceptum, sive consilium Apostoli, nostris hisce temporibus apparet ferè jam abrogatum, exceptis namque quibusdam locis infidelium, in quibus, ut notat Cornelius à Lapide, explicans prædicta Apostoli verba, „ nimis durum esset si in India, Japonia, „ China, ubi jam primùm inducitur fides, „ sub Regibus infidelibus cogerentur Christiani dimittere uxores, quas in infidelitate duxerunt, aut si uxores cogerentur deserere maritos, præsertim nobiles, & Principes nolentes ad fidem Christi converti, „ qui inde caperent occasionem eliminandi „ Christianos, & Christianam fidem „ in aliis tamen vim ampliùs non habet, & quidèm, nedum cum alter conjugum Judæus est, de quo extat decretum Concilii Toletani, quod habetur *cap.* Judæi 28.*quæst.*1. sed etiam si sit Gentilis, ut animadvertit Angelicus *in suppl. ad* 3.*p.q.*59,*art.*3,*ad* 2, ubi facta distinctione varietatis temporum, ad intentum, hæc habet: *Dicendum quòd in primitiva Ecclesia tempore Apostolorum passim convertebantur ad fidem & Judæi, & Gentiles, & ideò tunc vir fidelis poterat habere probabilem spem de uxoris conversione, etiamsi conversionem non promitteret. Postmodùm autem tempore procedente, Iudæi sunt magis obstinati, quàm Gentiles, quia Gentiles adhuc intrabant ad fidem, sicut tempore Martyrum, & temporibus Constantini Imperatoris, & circa tempora illa: & ideò tunc non erat tutum fideli cum uxore infideli Iudæa cohabitare, nec erat spes de conversione ejus, sicut erat de conversione uxoris Gentilis: & ideò tunc fidelis conversus poterat cohabitare cum Gentili, sed non cum Iudæa, nisi conversionem promitteret, & secundùm hoc loquitur decretum illud* (28.*q.*1.*cap.* Judæi) *Sed nunc pari passu ambulant utrique, scilicet Gentiles, & Iudæi, quia utrique obstinati sunt: & ideò nisi uxor infidelis converti velit, non permittitur ei cohabitare, sive sit Gentilis, sive Iudæa.*

10. Hinc autem clarè deducitur præcepta, vel consilia promanantia ab Apostolis instituentibus (quorum aliàs eadem vis est, sive scripto, sive sola voce sint lata) mutationi obnoxia esse. In hoc namque discriminantur, quæ à Christo Domino, vel à Spiritu Sancto sunt immediatè data præcepta, aut consilia, quòd nempè sub Ecclesiæ potestate non maneant, sed perpetuò sint observanda; ea verò, quæ Apostolos institutores immediatè respiciunt mutationi esse possunt obnoxia, dum in Ecclesia parilis est potestas, & authoritas, ac quæ in Apostolis residebat, in iis, quæ à Christo, vel Spiritu Sancto non acceperant, tantummodo promulganda, sed propria ipsis indita authoritate statuebant, cujusmodi fuere ritus omnes, quos in administratione sacramentorum ex *Apostolica Traditione* servamus, definientibus *sess.*21.*cap.*2. Tridentinis Patribus, *perpetuò fuisse in Ecclesia potestatem, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, posset ea statuere, vel mutare, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret*. Ex hac autem mutabilitate, legitima videtur inferri consequentia, quòd *Traditiones Apostolicæ*, sicut & eorumdem præcepta, aut consilia scriptis consignata, esse nequeant fidei objecta. „ Apostolicæ Traditiones, (inquit citatus Dominicus à SS. Trinitate *lib.*2.*cap.*2.*sect.*5. *bibl. Theologicæ*) „ sunt, quas ipsimet Apo- „ stoli, ut supremi Ecclesiarum Pastores, „ & Prælati Apostolica authoritate servan- „ das jusserunt, & hæ, simpliciter loquendo „ possunt immutari, & abrogari à quocum- „ que Pontifice, qui non minorem habeat „ authoritatem, in Ecclesia, quàm habuerint Petrus, & alii Apostoli. Ecclesiasticæ „ tandem vocantur, quę Romanorum Pontificum,

,, tificum, veterumque Patrum authorita-,, te introductæ sunt, universa suscipiente il-,, las Ecclesia, & hæ absque dubio faciliùs ,, mutari, ac tolli possunt, certamque de fide ,, probationem non faciunt, *sicut nec præce-,, dentes*.

11. Difficultas tamen contra hunc arguendi modum exurgit ex facto Apostolorum, de quo *Act.* 15, 20. fit mentio, cum nempè Apostoli præceperunt abstinentiam à sanguine, & suffocato, utentes illa formula: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, quam deinde servarunt pleraque concilia in definitionibus fidei edendis, unde & *Act.* 16, 4. præfatum præceptum *dogma* appellatur, unà cum aliis similibus ab Apostolis latis; *tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus*; & nihilominùs non erat nisi præceptum Apostolorum, & æquè, ac illud D. Pauli, de quo pauló antè, non perpetuum, & immutabile, sed temporaneum, & mutationi obnoxium, immò non durabile, nisi usque ad sufficientem Evangelii promulgationem, utpotè emanatum, ut ait 1. 2. *quæst.* 103. *art.* 4. *ad* 3. S. Thomas *ad hoc ut posset coalescere unio Gentilium, & Judæorum insimul habitantium. Judæis enim propter antiquam consuetudinem, sanguis, & suffocatum erant abominabilia; comestio autem immolatorum Simulacris poterat in Judæis aggenerare circa Gentiles suspicionem reditus ad Idololatriam: & ideò ista fuerunt prohibita pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum Gentiles, & Judæos. Procedente autèm tempore, cessante, causa cessat effectus, manifestata Evangelicæ doctrinæ veritate, in qua Dominus docet, quòd nihil*, quod per os intrat coinquinat hominem, *ut dicitur* (*Matth.* 15, 11.) *& quòd nihil est rejiciendum, quod* cum *gratiarum actione percipitur*, ut (1. *ad Timot.* 4. 3.) *dicitur*.

12. Cui difficultati succumbere videtur Dominicus Gravina *lib.* 4. *Cathol. præscrip. adversùs hæres. præscrip.* 2. *contr.* 3. *art.* 6. dum referens secundum *Traditionum* genus, ,, quas ,, Apostoli ex potestate sibi *tradita*, & suggestione Spiritus Sancti instituerunt, & secundùm hæc dixit Apostolus; *Cætera cum ,, venero disponam* (1. *ad Corinth.* 11. 34.) & ,, iterum *collectæ, quæ fiunt in sanctos per unam ,, sabbati fiant* (1. *ad Cor.* 16. 2.) & hæ propriè ,, *Apostolicæ* dicuntur ,, subdensque *Dominicas Traditiones* infallibilem authoritatem habere ,, similiter, ait, & *Apostolicas Tra-,, ditiones* ex potestate, & suggestione Spiri-,, tus Sancti ,, rationem eruens ex formula relata, *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, quam adhibuit Apostolorum Princeps, qui definiens legalia non esse servanda; ,, statuta ,, etiam condidit de non comedendo san-,, guine, & suffocato, ut Ecclesia ex Judæis, ,, & Gentilibus sine offensione coalesceret, ,, & hæc dicebantur decreta Apostolorum, ,, & Seniorum &c. ,, Ut igitur huic satisfaciamus objecto, advertendum in primis ducimus, ex mutabilitate prædicta rectissimè inferri, præcepta ejusmodi non esse præcepta Christi, nec fundare jus divinum, quod sui natura immutabile est, & indispensabile etiam a Romano Pontifice, juxta communissimum ferè omnium Theologorum sensum post D. Thomam pluribus in locis, & præsertim *in* 4. *dist.* 27. *q.* 3. *ad* 2. ubi ut refert Suarez *lib.* 10. *de nova lege divina cap.* 6. *num.* 7. excipit dumtaxat ea, quæ sunt de institutione Apostolorum, quę quodammodò solent divina appellari, non tamen propriè pertinent ad legem novam, ut divina est, & ita exceptio illa firmat regulam generalem, quòd Papa, non possit in lege Christi dispensare, & ratio est, quam ipse tradit Angelicus 1. 2. *q.* 67, *art.* 4. *ad* 3. quia, *quæ sunt à Deo nullus potest dispensare nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter committeret*, quam *specialem* commissionem datam Summo Pontifici neque ex Scripturis, neque ex *Traditione* constat, & catenùs Tridentinum *nu.* 10. relatum, explicans Ecclesiæ potestatem, particulas illas apposuit *salva illorum substantia*, Sacramentorum videlicet, quæ Christum authorem immediatum respicit; quod & innuit idem S. D. (3. *p. quæst.* 64. *art.* 2. *ad* 1.) *Illa, quæ aguntur in Sacramentis, per homines instituta, non sunt de necessitate Sacramenti, ... Ea verò, quæ sunt de necessitate Sacramenti ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus, & homo*.

13. Non ideò sequitur præcepta dicta emanata fuisse sine Spiritus Sancti influxu, quo dirigente, Apostoli, juxta temporum opportunitatem, & circumstantias poterant Ecclesiam regere, & gubernare, ita ut decreta ipsorum, rectè tribuerentur ipsi Spiritui Sancto, non quòd Apostoli non fuerint, nisi promulgatores legum revelatarum, sed quòd has condiderint quidèm, ut Authores immediati ex prævio ejusdem instinctu. Unde evenit, quòd dici nequeant fidei veritates, quia non immediatè primæ Veritati revelanti innixæ, sed ab humana Apostolorum authoritate promanantes, ob quod Apostolus dixit: *Cæteris ego dico, non Dominus*, idest, *ego dico*, licèt Domino inspirante, *non Dominus*, me solummodò promulgante.

14. At hoc, inquies, sufficit, ut res sic præcepta, vel tradita dici queat fidei objectum,

ctum, quod in asserto negatur. Non repugno, dummodò præmissa distinctione, qua in re præcepta, vel tradita, distinguentes, & ipsius veluti substantiam, & ejusdem qualitates, ac quasi modum, sub quo veniunt bonitas, & sanctitas, quæ eam afficiunt, de fide dicamus esse, illam non esse contrariam Dei Verbo, aut regulis morum, non autem in se ipsa esse divinitùs revelatam. Quod conforme, & cohærens est doctrinæ traditæ *cap.2. art.13.* de infallibilitate Papæ in morum materia, non quòd Pontifex condendo legem ab universali Ecclesia servandam lex illa in seipsa fidei objectum sit, sed quòd de fide sit tenendum, quòd lex illa sit justa, Deo placens, Sacræ Scripturæ, *Traditionibus*, rectisque morum regulis cohærens.

15. Sic itaque in præsenti, in præcepto per Apostolos lato circa abstinentiam à sanguine, & suffocato, objectum fidei illud esse dicimus quoad sanctitatem, & decentiam, quæ fuit, ut pro eo tempore, & circumstantiis ederetur, non autem, quòd fuerit immediatè à prima Veritate Apostolis revelatum, ut in se ipso fidei dogma haberetur, sed sola Apostolica lex temporanea Spiritu Sancto docente formata. Quod à fortiori dicendum, cùm de præceptis agitur, quæ perpetua dici possunt, non quia sub Pontificiæ potestatis dominio, ut mutentur, aut abrogentur, non sint comprehensa, sed quia regulariter, nec immutata usquam sint, aut abrogata, nec immutanda censentur, aut abroganda, cujusmodi e.g. est quadragesimale jejunium, aut diei Dominicæ observantia, quæ ex Apostolica institutione per *Traditionem* ortum ducere, omnibus est in comperto. Nec enim inde dicimus de fide ea habenda in se ipsis, licèt de fide credamus sancta ea esse, nec aliquid continere, quod saluti æternæ præjudicium valeat inferre; locum etiam in his habente doctrina Suarez *disp.5. de reg. quibus fidei objectum infallibiliter proponitur sect.4. n.6.* monentis advertendum, „ in his moralibus „ *Traditionibus*, quòd licèt non sint quasi „ speculativè ad cognitionem ordinatæ, sed „ practicè ordinatæ ad opus, & ideò non vi„ deantur per se tradere doctrinam creden„ dam, nihilominùs semper includunt ali„ quid, quod ex vi illorum ad fidem perti„ nere potest, nam cognitio practica virtu„ te includit principia universalia, & quasi „ speculativa, & ita *Traditio* v.g. signi cru„ cis includit hanc veritatem, scilicet usum „ illum esse pium, & sanctum, sicut etiam „ *Traditio* Imaginum ostendit honestatem „ in illarum usu, si juxta *Traditionem* fiat.

16. Diversum à prædicto non est ratiocinium Dominici à SS. Trinitate in probatione conclusionis relatæ *num.7.* in eo fundatæ quòd „ licèt sit certum in condendis legi„ bus ad Religionem spectantibus, Eccle„ siam non posse errare, saltem in eo (sunt „ ipsius verba) quod pertinet ad substan„ tiam, & moralitatem legis, quam com„ muniter proponit quasi regulam sequen„ dam, in virtute illius propositionis fidei „ universalis, quòd quæcumque dicuntur „ ab Ecclesia ex cathedra, sunt servanda, & „ facienda; & quia non potest deficere san„ ctitas Ecclesiæ, & consequenter neque re„ ctitudo moralis, quæ ex lege pendet: „ quod tamen accideret, si Ecclesia errare „ posset, ita ut aliquid perniciosum, aut „ contra bonos mores, vel jus naturale, aut „ divinum permitteret aut præciperet. At„ tamen non potest desi, ire, aut sancire ali„ quid de fide, nisi contentum sit in *Scriptu„ ra*, aut *Traditionibus*, quia nec Ecclesia, „ nec Summus Pontifex supremum ejus „ Caput, nec etiam Concilia generalia pos„ sunt condere novam fidem, nec novæ re„ velationes illis fiunt, sed solùm ea, quæ „ in fide contenta sunt, explicare, & quæ se„ cundùm se sunt de fide, quoadnos propo„ nere. Et ideò est regula certa, quòd ea, „ quæ non deducuntur ex *Scriptura*, aut *Tra„ ditione Divina*, non sunt definibilia de fide, „ & hoc est quasi certum signum, aut argu„ mentum ad dignoscendum, an aliqua ma„ teria definiatur tamquam de fide, vel non? „ scilicet, si definitur, ut deducta ex *Scriptu„ ra*, aut *Traditione*, vel non.

17. „ Igitur quamvis attenta Ecclesiæ „ infallibilitate, ac potestate, leges, *Tradi„ tionesve* ab ea sancitæ, quantùm ad verita„ tem, robur habeant firmissimum, incon„ cussamque authoritatem, & tamdiù etiam „ à fidelibus inviolabiliter observari de„ beant, quamdiù revocatæ non fuerint, sub „ pœna peccati mortalis attenta gravitate „ materiæ, & boni communis, quod lex re„ spicit; numquam tamen ad tantam autho„ ritatem pervenire possunt, ut fidei firmi„ tatem obtineant, sed indirectè solùm, vel „ reductivè ad illam pertinent, quatenùs ob „ infallibilitatis privilegium secundùm fi„ dem Ecclesiæ à Christo cælesti ejus Spon„ so concessum, credimus in rebus ab ea „ statutis, sive ad tempus, sive in perpe„ tuum, nihil esse contra fidem, imò omnia „ esse illi admodùm consentanea. Aliud „ tamen est, aliquid esse de fide, & aliquid „ non esse contra fidem, seu verum, aut bo„ num. Un-

18. „ Unde notandum est non esse eam„dem rationem gubernationis Ecclesiasti„cæ, & veritatis alicujus per illam propo„sitæ. Gubernatio quippe variari solet, at„que adeò leges, vel *Traditiones* ad illam or„dinatæ, pro ratione varia temporis, & cir„cumstantiarum mutari etiam possunt: at „verò veritas earum, tametsi hoc modo „temporales essent, & observari desinerent; „tamen quia, quod per illas repræsenta„tur, & in cujus finem referebatur, verum „erat, & rectum, fit, ut hoc modo spectatæ „*Traditiones Apostolicæ*, & *Ecclesiasticæ* dici „debeant immutabiles, & ad veritatem fi„dei immutabilem reductivè pertinere, „modo statim dicto. Item observandum „est, non ideò leges, vel *Traditiones* ab Ec„clesia sancitas, sub pœna hæresis universos „fideles interdum obligare, vel quia perti„neat ad illam res de fide facere, & conse„quenter esset hæreticus, qui hoc negaret; „vel quia dictis etiam legibus incunctanter „non obediret, sed tantum ubi hoc ulti„mum animo hæretico, aut per contem„ptum fieret; viderentur enim sentire cum „hæreticis, qui in rebus ad Religionem „pertinentibus negant Ecclesiæ indefectibi„litatem, nec non potestatem condendi le„ges, & obligandi in conscientia fideles ad „illarum observantiam,

19. Excessit propterea Dominicus Gravina relatus *num.*12. dum *Traditiones* purè *Apostolicas* pares visus est facere cum *Divinis*, eòque magis quòd eodem modo inde discurrere de *Traditionibus Ecclesiasticis* sit obstrictus„ Cum autem Apostolici Apo„stolorum cathedris, cum eadem potesta„te succedant eumdem habendo Spiritum „Sanctum directorem, quem habuerunt „Apostoli inspiratorem, non minùs fir„mum erit, quod Apostoli Spiritu Sancto „suggerente mandarunt, quàm quod Apo„stolici in sacris Conciliis, vel Papa extra „Concilium decernendo sanxerunt, vel iis„dem tacentibus, permittentibus, appro„bantibus in devotionem consuetudinis est „receptum; eandemque authoritatem ob„tinebunt tàm decreta Apostolica, cujus„modi præter enumerata, sunt leges de „Neophyto, & Bigamo non ordinandis, „de velandis Feminis, de ordinandis Viduis „in ministerio pauperum; & aliæ circa ri„tus, & cæremonias, quàm etiam Aposto„licorum Apostolis succedentium.„

20. Ac ideircò ad sensum expositum, quem amplexi sumus, & quidem cohærenter ad ipsius mentem in aliis conclusionibus expressam, trahendum ipsum autumamus, juxta quem ad formulam D. Petri: *Visum est &c.* responderi ex traditis *art.*5.*n.*22 potest, ea ipsum usum fuisse, præcipuè propter fidei definitionem de legalibus non observandis, cum qua simul edidere præceptum de abstinentia à sanguine, & suffocato, quæ etsi Judæis prohibita, id tamen non fuit ratione legis veteris, nec quasi imitando in aliquo legem antiquam, ut notat Suarez *tom. de lege lib.*9. *de lege divina veteri cap.*20.*num.*13. & propterea *non ad observandum cæremonias legis* prohibitas, sed ad unionem Gentilium, & Judæorum ex D. Thoma citato *num.*11. τὸ *Visum est &c.* eatenùs, proportione servata, sumendum, ut quoad non observantiam legalium Apostoli se gesserint veluti promulgatores legis divinæ; quoàd verò abstinentiam à sanguine, & suffocato, tamquam Authores ex Spiritus Sancti directione, qua præditos in hoc fuisse, nedum ex generali ratione muneris Apostolici habemus, sed ex speciali ejusdem D. Petri attestatione, Scriptore Canonico eodem Spiritu Sancto dictante designata.

21. Ex his autem primò obiter deduci potest insulsè ab hæreticis contendi formulam prædictam Apostolorum: *Visum est Spiritui Sancto, & Nobis* nullam sui natura obligationem inducere, sed solam quamdam indicare opinionem, & probabilem existimationem, vel solam ad Gentes exhortationem pacis studio, ut Judæis aliquid indulgeretur, cum præsertim quod dicitur de suffocato additum appareat posterioribus temporibus, non ab Apostolis revera appositum; prætermissum namque videmus ab Irenæo *lib.*3. *cap.*12. & plerisque aliis Patribus, quos inter Ambrosius *in ep. ad Galatas cap.*2. de facta prædicta additione testatur dicens, *quòd Sophistæ Græcorum non intelligentes, scientes tamen à sanguine abstinendum, adulterarunt Scripturam, quartum mandatum addentes*, & à suffocato, *observandum*, & S. Augustinus *lib.*31. *contra Faustum cap.*13. ait in Actibus Apostolorum *hoc lege præceptum ab Apostolis, ut abstinerent Gentes tantùm à fornicatione, & ab immolatis, & sanguine.* Malè tamen sic ratiocinantur hæretici, quia quod attinet ad formulam ab Apostolis adhibitam, est quidem modestiæ, & humilitatis plena, sed authoritati legis in nihilo derogans. Unde Cicero 4. *Academ. quæst.* asserit, quod jurati Judices cognoscebant non ut facta, sed *videri* pronunciabant. Consimilesque leguntur formulæ penès Brissonium (*lib.*2. *de form. Pop. Rom.*) *Placere senatui*, *Senatum arbitrari*,

bitrari, *Senatui videri*, & propterea eadem formula usa fuisse tetigimus pleraqueConcilia, & nedùm in sensu, sed & quandoque retentis eisdem verbis, ut de OEcumenico primo Nicæno Concilio testis est Athanasius *lib. de Syn. Arim. & Seleuc.* in decreto, quod condiderunt in negotio Paschatis, de quo dubium non est, vim habuisse, rigorosè obligandi.

22. Additam particulam illam (*de suffocato*) *quorumdam Antiquorum fuit sententia*; ait Cardinalis Baronius *ad ann. Christi* 51. *num.*17. sed præter Ambrosium, qui autumans additionem factam Græcorum privata authoritate, eos protulit adulterasse Scripturam, quod illi Nationi familiare semper fuit; alii Patres, vel nihil positivè dixerunt, sed solo id præterirere silentio, à quo non licet quid positivum inferre, vel additum censuerunt per interpretationem, ut præsertim intelligendus videtur Augustinus, dum subdit: *id est, ne quicquam ederent carnis, cujus sanguis non esset effusus*. Immò nec absolutè id censuisse ex subsequentibus, quæ præceptum supponunt, ac præcedentia Doctoris verba explicant, liquidò constat: *Et si hoc tunc Apostoli præceperant, ut ab animalium sanguine abstinerent Christiani, ne præfocatis carnibus vescerentur; elegisse mihi videntur pro tempore rem facilem; & nequaquam observantibus onerosam, in qua cum Israelitis etiam Gentes propter angularem illum lapidem duos parietes in se condentem aliquid communiter observarent, simul & admonerentur, in ipsa arca Noe, quando Deus hoc jussit, Ecclesiam omnium Gentium fuisse præfiguratam, cujus facti prophetia, jam Gentibus ad fidem accedentibus, incipiebat impleri. Tum sancto verò illo tempore, quo illi duo parietes, unus ex circumcisione, alter ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctiùs eminebant. At ubi Ecclesia Gentium, talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat; quis jam hoc Christianus observat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? aut leporem non edat si manu à cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est? Et qui fortè pauci adhuc tangere ista formidant, à cæteris irridentur*, Hactenus Augustinus *contra Faustum lib.*32. *cap.*13.

23. Qualibet autem fuerit nonnullorum antiquorum Patrum opinio, ipsis, ex indicatis *cap.*3. *art.*10. *num.*22. & *art.*3. *num.*3. præferenda Ecclesiæ authoritas prædictam particulam in Vulgata approbans, sive quòd hæc revera extiterit, sive quòd in sensu fuerit proculdubiò ab Apostolis intenta, & ad majorem præcepti Apostolici declarationem apposita, quod, etsi fieri arbitrariè non debeat ab ulla authoritate privata, nisi juxta Angelici (1. *p. q.*60. *art.*8. *ad* 1.) regulam: *Ad verba sacræ Scripturæ non licet apponere quantùm ad sensum, sed quantùm ad expositionem sacræ Scripturæ multa eis verba à Doctoribus apponuntur, non tamen licet etiam verba sacræ Scripturæ apponere, ita quòd dicantur esse de integritate sacræ Scripturæ, quia hoc esset vitium falsitatis*, fieri tamen posse, quoties appositio fit Traditioni innixa, à SS. Patribus commendata, & præcipuè, cum publica Ecclesiæ definitione fuerit comprobata, abundè constat ex traditis *hoc capite art.*2. *nu.*21. 22. & *art.*4. *num.*4.

24. Secundò: *Apostolicas Traditiones Adiaphoras* quidem dici posse, quatenus sub Ecclesiæ manserint potestate, ut variarentur, mutarentur, abrogarentur pro temporum, & circumstantiarum varietate in ædificationem fidei, non in destructionem, non autem in sensu hæreticorum obgannientium nullam earum (quod paritormiter asserere non formidant de iis, quæ sacris ipsis literis inserta conspicimus) obligationem ad sui observantiam inducere, sed ad summum ad externam, liberamque, ac spontaneam disciplinam aliquam vim habere, „ Quod fieri potest, quòd paulatim „ apud Apostolicos Successores pro exter„ na, & libera disciplina inoleverint, sed „ non est sentiendum, quòd Apostoli ipsi „ has tamquam leges Ecclesiæ necessariò „ servandas imposuerunt, „ Verba sunt Brentii *in proleg.* apud Hosium *lib. de Tradit.* quibuscum cohæret *art.*7. *confess. Augustanæ Apolog.* „ Adversarii dicunt universales Tradi„ tiones ideò servandas esse, quia existiman„ tur ab Apostolis traditæ. O' Religio„ sos homines, ritus ab Apostolis sumptos „ retinere volunt, non volunt retinere do„ ctrinam Apostolorum, eam videlicet, qua ipsi sacris textibus abutentes effingunt, Apostolorum officium fuisse nos à legis jugo penitùs liberare, adducendo authoritates D. Petri (*act.*15.10.) *Quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum?* Doctoris Gentium (*ad Galatas* 4.31.) *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit*, & (*ad Coloss.*2.16.) *nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*, ut inde inferunt Christianos obligatos non esse, nec esse posse ad cælibatum, ad jejunium, ad festorum cultum &c. At-

25. Attamen deliria, & somnia fatuo. rum hæc sunt, & quidem nedùm ad præcepta, & *Traditiones* purè *Apostolicas* impugnanda, sed etiam ad *Apostolicas Divinas* leges, quæ præsertim *Apostolica* nobis constant *Traditione*. Contemnenda ideò sunt, ac deridenda, prævalentibus mandatis, & monitis, quæ Spiritu Sancto afflante Apostoli reliquerunt *Act*. 15. 4. jubentes, ut custodiamus *præcepta Apostolorum*, *& Seniorum* (*ad Hebræos* 13. 17.) *Obedite Præpositis vestris*, quorum antesignani censendi sunt Apostoli (2. *ad Thessal*. 2. 14.) *State*, *& tenete Traditiones*, quibus, aliisque auctoritatibus innixi Sancti Patres, Summique Pontifices *Apostolorum* jussionum statuta adamussim servanda perpetuò inculcarunt. S. Fabianus *epist*. 2. *ad Episcopos Orientis* loquens de innovatione Chrismatis: *Ista à Sanctis Apostolis*, *& Successoribus eorum accepimus*, *vobisque tenenda mandamus*. S. Leo (*ep*. 91. *ad Maurit. Episcopos*) *Ad omne studium devotionis unanimes Divinis*, *& Apostolicis Constitutionibus pareatis*, *& in nullo patiamini Canonum decreta violari*. Sanctus Cælestinus *ep*. 7. *Agendum igitur nunc est labore communi*, *ut credita*, *& per Apostolicam hucusque successionem detenta servemus*.

26. Non quòd omnia ab Apostolis instituta vim præcepti simpliciter contineant, cùm constet, pleraque ab ipsis ex solo consilio, & absque ullo obligationis onere stabilita. Ac proinde sanctè quis e. g. facit, si veterum, ac ferventiorum Christianorum morem sequens, in quibuslibet actionibus signo crucis se muniat, ad id, tamquam quid pium, religiosum, passionisque Dominicæ memoriam redolens, nos *Apostolica Traditione* inducente, *ad omnem progressum*, *ad omnem exitum*, *ad vestitum*, *ad calceatum*, *ad lavacra*, *mensas*, *& lumina*, *ad cubicula*, *ad sedilia*, ut loquitur Tertullianus *in lib. de coron. milit.* non tamen peccat dicto signo quandoque se munire omittens, nisi omissio in iis eveniat, ad quæ ex Ritualibus, ac Cathechismis illud præscribitur. Obligationis adeòque onus agnoscimus, quoties ex præcepto ab Apostolis aliqua non ignoramus imposita, Spiritu Sancto jubente, *ut sublimioribus potestatibus pareamus*, *non solùm propter iram*, *sed etiam propter conscientiam*, quibus verbis Nazianzenos concives olim hortabatur D. Gregorius *orat*. 17.

27. Neque per hoc jugo timoris, & servitutis gravamur, aut filii ancillæ dicendi sumus. Legales namque figuras, legisque veteris observantias, quibus Israelitæ detinebantur per novi Testamenti manifestationem, evacuatas, & abrogatas credimus, & tenemus Apostolo nos monente (*ad Galatas* 5. 1.) *state*, *& nolite iterum jugo servitutis contineri*; nec proinde *filii sine lege* dicimur, cum *alia est lex promulgata à Spiritu servitutis in timore*, *alia à Spiritu libertatis data in servitute*; *nec sub illa coguntur esse filii*, *nec sine ista patiuntur* ex D. Bernardo *ep*. 11. *& lib. de dilig. Deo*, qui aptè quoque observat, Apostolum (2. *ad Timot*. 4. 8.) non dixisse: *justi non habent legem*, aut: *justi sunt sine lege*, *sed* justis non est lex posita, *hoc est non tamquam invitis posita*, *sed voluntariis eò liberaliter data*, *quò suaviter inspirata*; *unde & pulchrè Dominus*: Tollite, *ait*, (*Matth*. 11. 19.) jugum meum super vos, *ac si diceret*, *non impono invitis*, *sed vos tollite si vultis*. . . . . *Bona itaque lex charitatis*, *& suavis*, *quæ non solùm leviter*, *suaviterque portatur*, *sed etiam servorum*, *ac Mercenariorum leges portatiles*, *ac leves reddit*, *quas utique non destruit*, *sed facit*, *ut impleantur*.

28. Tertiò tandem, quòd quamvìs *Traditionibus* purè *Apostolicis* adversari, hæresis formaliter non sit, eã nihilominùs præsumi posse, eruitur, præter indicata *num*. 12., ex iis, quæ diximus *cap*. 2. *art*. 2. quotiès videlicet tales adsint circumstantiæ, quæ dictam oppositionem ostendunt habitam, quòd non credantur *Apostolicæ Traditiones* obligatoriæ, aut saltèm piæ, & religiosæ respectivè esse, Spiritu Sancto, vel inspirante, vel dirigente institutæ. Quod proportione servata, & de *Ecclesiasticis Traditionibus* dictum volumus, & in hoc sensu Fernandus Diaconus (*ad Reginum Comitem Reg*. 5.) *Si enim publicas leges transgredi metuis*, *quas homo constituit*, *quomodò Spiritus Sancti definitionibus obviare tentabis? an ignoras*, *quia spiritu Sancto locuti sunt Patres?* . . . . *Omnis*, *qui se ad Ecclesiam pertinere gloriatur*, *legibus vivat Ecclesiæ*, *maximè his*, *quas antiquitas roboravit*; *Unde etiam consuetudo sine lege*, *quam tamen Ecclesia sancta Traditio custodiendam jugiter posteris tradidit*, *eadem reverentia custodienda*, *& nullatenùs amovenda*; & Goffridus Vindocinensis *ep*. 3. *ad Ep. Carnotensem* scripsit: *eodem Spiritu*, *quo dictante & lex prima per Moysen data est*, *& per Christum secunda*, *sancta Apostolica Sedes*, *leges*, *quas Canones appellamus*, *dedit*, *& ipso inspirante exposuit*. *Si quis igitur Apostolicæ Sedi*, *quæ leges Canonum dedit*, *in Canonum expositione contrarium sentit*, *non sapit quicunque est ille*, *sed desipit*, *& quia suo spiritu loquitur*, *non cultor*, *vel expositor divinæ legis*, *sed insidiator*, *& oppressor indubitanter agnoscitur*.

29. Hæc sufficiant de *Apostolicis Traditionibus*, quas etsi tamquam objecta, regu-

lasque fidei dixerimus non habendas, ut propositiones, ipsis oppositæ hæreticæ censeri valeant, quo tamen in pretio teneri, ac servari debeant, innuere non omisimus, indeque facile erit eruere quibus censuris subjiciendæ erunt propositiones contrariæ, circa quas aliquid per transitum *art. seq.* indicabitur. Quod præventivè etiam notatum extet; quoad reliquas quaslibet propositiones, quas, si ab hæresi,aut alia quapiam nota eximere contigerit, ita id fore intendimus, ut via non existimetur præclusa ad cæteras respectivè censuras illis tribuendas, quæ magis congruæ,opportunæ,ac proportionatæ,visæ fuerint, attentis & propositionum materia, & censurarum quidditate in decursu operis distinctè explicandis.

ARTICULUS X.

An propositiones oppositæ Traditionibus Ecclesiasticis sint hæreticæ?

1. Inter impiissimi Calvini mendacia, & calumnias, quæ catholicæ impingit Ecclesię,ea recensetur,quam habet *lib.4. Institut. cap.18. §.19.* de *Traditionibus* omnibus, tamquam verè *Apostolicis* venerandis; *Romanenses Magistri extorquere volunt, ut nulla sit apud eos cæremonia, quæ non pro Apostolica censeatur.* Apostolos quidem veluti fidei, morumque communes Orbis Magistros respicimus,at non ob id opus est,ut ad ipsos habeatur recursus pro authoritate concilianda omnibus, ac singulis statutis, præceptis, consiliis, quibus fideles reguntur in viam æternæ salutis. *Pro Patribus*, inquit Regius Psaltes (*psal.44.17.*)*nati sunt tibi filii*, idest juxta Augustini interpretationem: *Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt, Tibi constituti sunt Episcopi*, penès quos, cum eadem, ac in Apostolis, quoad ea, quæ ad Ecclesiæ regimen, & gubernium pertinent,quæque ipsi decrevere,tamquam Pastores constituti Catholici Orbis,residcat authoritas; æqualis roboris censentur *Tradita* ab Apostolis, ac ab Episcopis, adeòut ipsa, quæ scimus ab Apostolis instituta, *si rerum, temporum, & locorum varietate* judicatum sit expediens Episcopis, ut mutarentur, aut abrogarentur, ut mutata, ac respectivè abrogata debent respici, ac in praxi considerari, ut ex dictis *art.præced.n.9.* apertissimè constat,favente Innocentio III. in *Later.Gen.Concil.* relato (*in cap.Non debet, de consang.& affin.*) *Non debet reprehensibile judicari, si secundùm varietatem temporum statuta quoque varientur humana, præsertim, cùm aut urgens necessitas,vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex iis, quæ in Veteri Testamento statuerat,quædam etiam mutavit in Novo.*

2. Quòd tamen accipiendum perpetuò est de Episcopis in OEcumenico Concilio congregatis,vel saltem in unum, eumdemque sensum convenientibus, Romano approbante Pontifice, ex quo, Episcopis seorsim consideratis, quamvis fateamur communicatam à Christo congruentem potestatem ad propriæ unicuique eorum commissæ particularis Ecclesiæ gubernium, non tamen in ipsis potestatem agnoscimus, jus acceptum exercere mutando, aut abrogando, quæ vel Apostoli, vel post Apostolos Concilia OEcumenica, aut Romanus Pontifex ab universis Populis, Nationibusque servanda sanxere. Unde jure merito Tridentinum Concilium *sess.7. de sacr. in genere can.13.* æquè protulit *anathema* in eum, qui *dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministro pro libito omitti, ac si quis dixerit eos, in novos alios per quemcumque Pastorem mutari posse.* Adeòque si in aliqua particulari Ecclesia aliquæ cæremoniæ, aut ritus vigeant à præscriptis pro toto Orbe diversi, ut legitima earumdem autumanda sit praxis, id credendum est factum,vel ex concessione, vel saltem ex permissione Christi Vicarii scientis, & consentientis, seu dispensantis.

3. Quæstio proindè præsens procedit de solis propositionibus, quæ *Traditionibus Ecclesiasticis* opponuntur ab omnibus Christifidelibus observandis, & pro omnibus, singulisque Ecclesiis, sive ab OEcumenicis Conciliis,sive à supremo in Terris Legislatore Romano Pontifice conditis, & institutis. Nam alias, quas Episcopi seorsim, vel pro sua quaque Ecclesia, vel pro Ecclesiis alicujus Provinciæ, aut Patriarchatus omnes ejusdem respectivè Pastores etiam simul in Conciliis particularibus edidere, evidentissimum est, non posse fundamentum præbere, ut propositiones ipsis oppositæ hæresis notam incurrant. Sicut namque fides una in omnibus esse debet, Apostolo (*ad Eph.4.4.*) dicente: *unus Deus, una fides, unum baptisma*; & (*ad Rom.1.8.*) *fides vestra annunciatur in universo mundo*; ita & propositio, hæretica dici nequit, si non opponitur alteri ab omnibus, & singulis tenendæ, ac credendæ. Unde, etsi eæ observandæ sint à quibuslibet, ad quos sunt directæ, adeòut S.Hie-

S. Hieron. *epist.28.* ad Lucinum scripserit: *Unaquaque Provincia suo sensu abundet, & præcepta Majorum, leges Apostolicas arbitretur*, ea tamen est præ oculis habenda regula, quam tradit Augustinus *epist.19.cap.18.* ut fidei, rectisque morum regulis cohæreant: *Una in his saluberrima regula retinenda est, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque instituî videmus, vel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur*, quod quoque innuit *epist. cit. ad Lucinum*, Hieron. *Traditiones Ecclesiasticæ, quæ fidei non officiunt, ita servandæ, ut à Majoribus traditæ sunt*; & Tertullianus *lib. de Vel.Virg.* rationem innuens cur respui non debeant consuetudines particulares, etiamsi in propria cujuscunque Ecclesiæ non vigeant, nec obligent, illam in unitatem fidei, in qua omnes communicamus, refundit, cujusque vi, quidquid aliorum est, nostrum esse putamus. *Non possumus respuere consuetudinem, quam damnare non possumus, utpotè non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus scilicet communicamus jus pacis, & nomen fraternitatis. Una nobis, & illis fides, unus Deus semel dixerim, una Ecclesia sumus, ita nostrum est quodcunque nostrorum est*. De universalibus igitur *Traditionibus Ecclesiasticis* loquentes, quæ à Conciliis Oecumenicis, Romanoque Pontifice, vel instituente, vel approbante pro tota Ecclesia, originem agnoscunt, ac de quibus *3.p.q.83. art.3. §. Sed contra*, Angelicus: *ea, quæ per Ecclesiam statuuntur, ab ipso Christo ordinantur, qui dicit:(Matth.18.20.)* Ubicunque fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

4. Dicendum, propositiones eis oppositas, hæreticas haberi formaliter non posse. Patet quoad omnes sui partes efferendum ex deductis *art. praced.* quæ, vel expressè ad *Ecclesiasticas Traditiones* se extendunt, vel ad eas sunt, servata proportione, applicabilia, tum ad illud probandum, tum ad objecta diluenda, tum ad explicandas authoritates, quibus *Ecclesiasticæ Traditiones* à Spiritu Sancto, vel à Christo promanantes, æquè, ac *Apostolicæ* supponuntur, uti mox vidimus locutum Angelicum, qui *art. eodem in resp. ad 8.* mentem suam aperit, discrimen ponendo inter ea, quæ Christus per seipsum instituit, & ea, quæ instituit per Ecclesiam, non quidem revelando, aut revelata manifestando, sed auxilium præbendo, ne in condendis legibus erret, quòd ista violans, quantumvis peccet, non tamen ita, ut si po-nat, quæ præscripta à Christo sunt, effectum à Christo intentum, unicèque ab illis ex ipsius ordinatione pendentem non sortiantur: *Dispensatio Sacramentorum pertinet ad ministros Ecclesiæ, sed consecratio eorum est ab ipso Deo: & ideò Ministri Ecclesiæ non habent aliquid statuere circa formam consecrationis, sed circa usum Sacramenti, & modum celebrandi. Et ideò si Sacerdos verba consecrationis proferat super materia debita cum intentione consecrandi, absque omnibus prædictis, scilicèt domo, & altari, calice, & corporali consecratis, & cæteris hujusmodi per Ecclesiam institutis, consecrat quidem in rei veritate Corpus Christi; peccat tamen graviter ritum Ecclesiæ non servans* nulla ab eadem prævie obtenta dispensatione, dicente eodem *in 4. d.21.q.3.art.3.* quòd *in aliis*, ab iis, *quæ sunt de jure naturali, & necessitate sacramentorum, & fidei*, quamvis sint de *Institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eamdem potestatem statuendi, & destruendi, quam tunc habuit, potest per eum qui Primatum in Ecclesia tenet, dispensare*. Optimè proinde Subtilium Princeps in *1. sent.dist.11.q.1.* §. *Ad authoritates*, æquè de Ecclesiasticis, ac de *Apostolicis Traditionibus* affirmat, quòd circa eas errare *periculosum* sit, indicando ad hæresim notam non pervenire, sed accedere dumtaxat, dum facilè ex hujusmodi errore poterit turpiter decipi circa Apostolorum, aut Ecclesiæ authoritatem in illis instituendis, quod *art.prac.* innuimus hæreticum omninò dici debere: *Periculosum est errare circa illa, quæ non tantùm ab Apostolis descendunt præscripta, sed etiam quæ per consuetudinem Universalis Ecclesiæ tenenda sunt*; de qua periculi nota acturi nos sumus *cap.6. art.4.*

5. Sicut autem ampliori assertum non onerandum censemus ratiocinatione, ita, & ad ejus, ac præcedentium de *Traditionibus* tam *Divinis*, quàm *Apostolicis* elucidationem, conducere non parùm arbitramur, nonnullas regulas perbreviter subjungere, quas tradere solent Theologi ad eas ab invicem secernendas, ut inde dignosci dein valeat, qua censura profligandæ sint propositiones oppositæ, an videlicet hæresis, vel periculositatis in fide, aut alterius speciei, juxta materiam, super qua illæ formantur, modumque, quo pronunciantur, & exprimuntur. Primò autem explodendæ sunt conjecturæ, ad quas confugiunt hæterodoxi, qui sibi ipsis perpetuò contradicentes, nunc absolutè negant *Traditiones*, nunc arbitrariè amplectuntur, regulas pro libito efformantes, ut eas dumtaxat admittere valeant, quas suis erroribus faventes reperirint

rint, veris, legitimisque rejectis, ne de hæresibus, quas tuentur, revinci queant, sicque, ut de Donatistis ajebat olim Augustinus (*2. contr. ep. Parm. c. 7.*) *Palpant in meridie quasi in media nocte, & rem manifestissimâ, in lucè omnium Gentium constitutam videre non possunt.*

6. Quoniam verò præcipuum eorumdem effugium ad *Traditiones* impugnandas desumitur ex affectata veneratione, quam jactant habendam erga sacram Scripturam, ac si in ea quælibet sive ad mores, sive ad disciplinam pertinentia expressè continentur. Ideò, cum *Traditiones* fatentur amplecti posse, de iis asserunt se loqui, quæ cum divinis literis conveniunt, ac de quibus scripta extent testimonia, S. Fœlice Papa *ep. 1. ad Petrum Antioch.* nos hortante: *Custodite Christi Discipuli, mei autem Filii, Traditiones, quas à Sanctis voluminibus accepistis*, à quo non dissentit Origenes (*homil. 25. super Matth.*) *Sicut omne aurum, quod fuerit extra Templum, non est sanctificatum, sic omnis sensus, qui fuerit extra Divinam Scripturam, quamvis admirabilis videatur, non est sanctus*, ac propterea (*Act. 26. 22.*) Apostolus reddere volens rationem de sua doctrina, *auxilio*, ajebat, *adjutus Dei, usque in hodiernam diem sto testificans minori, atque majori, nihil contradicens, quàm ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses*.

7. At dolosa hæc esse, & ad excusandas excusationes in peccatis adinventa, ex hucusque expensis redditur manifestum. Nihil certè *extra ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura, & Moyses*, locutus est Gentium Doctor. Numquid ergo ob id possumus inferre rejiciendos quoslibet alios Canonicos libros Veteris Testamenti, quos nec Moyses, nec alii Prophetæ scripsere? Non certè, quia nihil in ipsis extat, quod *extra ea* ullatenùs dici queat, quodque Prophetis, & Moysi adversetur. Idem Christus Dominus protestatus est se non venisse *solvere legem, sed adimplere*, at non ob id propria præcepta non edidit, consiliaque perfectionis non addidit, quæ non ad solutionem legis, sed ad legis impletionem dirigebantur, dum quę lex præcipiebat, perficienda per illa erant, non destruenda. Ita & Paulo respondendum dicimus, quem acerrimum *Traditionum* propugnatorem abundè conspeximus. Sicque custodiendas *Traditiones* à *sanctis voluminibus* acceptas profert S. Fœlix Papa, conformitatem indicans, quam debent habere cum Scripturis *Traditiones* ad exclusionem omnium deliramentorum, *quæ absque authoritate Scripturarum* reperta, atque conficta *percutit gladius Dei*, ut habet Hieron. *in Agg. cap. 1.* quæque proinde *extra Scripturam* cum sint, quamvis admirabilia appareant, sancta esse non possunt, ut aurum, quod extra Templum est, habetur prophanum.

8. Majoris efficaciæ non sunt aliæ regulæ, quibus se munire satagunt hæretici, non ut *Traditiones* amplectantur, sed ut à *Traditionibus* longissimè recedant, eo planè modo, quo pro Scripturis intelligendis, & explicandis, ad *spiritum privatum, lumen rationis*, & alia ejus generis recurrentes, Scripturas confundere vidimus, ad proprias adaptantes insanias. Non est idcircò, quòd illas hic repetamus, abundè jam profligatas. Pleraque in *Traditionibus* esse, quorum ratio non cunctis nota sit, ac manifesta, ultrò admittimus, eodem ducti motivo, quo Scripturæ obscuritatem à Spiritu Sancto intentam agnovimus, Christumque Turbis in parabolis locutum, *ut videntes non videant*. Adsunt proculdubiò efficacissimæ rationes, ob quas sacræ quælibet *Traditiones* sint introductæ, sed solis perfectis, quorum *solidus est cibus*, (*ad hebr. 5. 14.*) notæ, quibusque *Deus aperit Ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi* (*ad Coloss. 4. 3.*) Audiant eatenùs in hanc rem Origenem docentem *hom. 5. in lib. Numer.* quem mentientes veriti non sunt adducere *Traditiones* impugnantem: *Eucharistiæ*, inquit ipse post alia, *sive percipiendæ, sive eo ritu, quo geritur explicandæ, vel eorum, quæ geruntur in baptismo verborum, gestorumque, & ordinum, interrogationum, ac responsionum, quis facilè explicet rationem? tamen hæc omnia operta, & velata portamus super humeros nostros, cum ita implemus ea, & exequimur, ut à Magno Pontifice, atque ejus filiis tradita, & commendata suscepimus . . . . . Nisi quis inter nos Aaron, aut filius Aaron, quibus ista conceditur, ut sciant sibi velanda, hæc, & operienda, uti cæteris dari ea, & in opus proferri ratio poposcerit.*

9. Potissima itaque norma pro *Traditionibus* dignoscendis est desumenda ex toties repetita Regula viva, quam diximus esse solam Catholicam Ecclesiam, solumque supremum omnium controversiarum in materia fidei, morum, ac disciplinæ, Judicem, & Magistrum, Romanum Pontificem. De ea autem non est, quòd iterum sermonem instituamus, ipsius indefectibilitatem, aliasque prærogativas, quibus prædita est, ob Spiritus Sancti assistentiam, qua perpetuò, & immutabiliter fruitur. Sunt adhuc & aliæ regulæ, ex quibus ipsamet Ecclesia *Traditionum* qualitatem, ac varietatem divino illustrata lumine ponderat, & investigat, ut dein fidelibus proponat. Et pri-

primò assignari potest Scripturæ sacræ authoritas, non in hæreticorum sensu, sed quatenùs in ea aliquando fit mentio alicujus *Traditionis*, ut à Christo institutæ *immediatè*, veluti, cum Apostolus 1. *ad Corinth.* 11.23. de Eucharistia loquens: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis* ad differentiam aliarum, quæ usum ejusdem augustissimi Sacramenti respiciunt: *cætera cum venero disponam*, quæ namque *dispositurum* se dicit, clarum est, non immediatè à Christo accepisse, licèt ea, Christo dirigente, esset *dispositurus*; quod discrimen quoque *artic. præced. num.* 8. advertimus in alio Apostoli textu, in quo priùs Domini præceptum exhibet: *præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere &c.* & dein à se latum profert consilium; *cæteris ego dico, non Dominus; si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam &c.*

10. Secunda est innixa materiæ, super quam *Traditiones* formatas conspicimus; si enim vel ad mysteria credenda illæ diriguntur, vel ad Sacramentorum essentiam, vel ad perfectionis consilia, quæ sint veluti substantialia hujusmodi statui, pertinent; in Christum, vel Spiritum Sanctum Authorem *immediatum* sunt refundendæ; Si verò versentur circa alias observantias, seu cæremonias accidentales, in Apostolos, vel Apostolicos, seu Apostolorum Successores, Concilia, aut Romanum Pontificem. Ratio primæ partis est clara, quia in ordine ad mysteria credenda, essentiale prorsùs ipsis esse debet, respicere primam Veritatem revelantem, ob quam præcisè, & unicè sunt credenda; quò verò ad Sacramentorum substantiam, nullam reliquisse Christum potestatem Apostolis, & Ecclesiæ didicimus ex Tridentino relato *art.* 9. *num.* 10. in particulis illis *salva substantia* indicantibus, nullam in eam cadere posse dispensationem ab Ecclesia, quæ nullam habuit partem in ejusdem institutione. Sicuti ex quo habeat potestatem mutandi, dispensandi &c. in reliquis, quæ non sunt de substantia, eruitur altera pars, quòd *Traditiones* observantiarum, & cæremoniarum, in Apostolos Authores, vel in habentes parem cum Apostolis authoritatem, sint refundendæ. Hinc meritò ex *Dominicis Traditionibus* originem duxisse tetigimus *Apostolorum Symbolum*, non quidèm quoad ordinem articulorum, eorumque dispositionem, de qua Apostolos Authores fuisse non dubitamus, sed quoad articulorum eorumdem essentiam, & substantiam, quam non nisi Deo revelante, Apostolisque dumtaxat promulgantibus, accepimus: Sanctissimæ Trinitatis Mysterium, de quo Concilium Sardicense (*epist. ad omnes Episcop.*) *Nos autem hanc percepimus, & eruditi sumus, hanc habemus Catholicam, Apostolicamque Traditionem, & fidem, atque confessionem, unam esse substantiam Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, & Alexander Papa (*epist. decr.* 1.) *fidem quoque S. Trinitatis sic docendam à Patribus accepimus, nobisque tradendam subditis destinamus.*

11. Divini item Verbi consubstantialitatem, nomenque *Omousion* illam explicans, de quo S. Athanasius (*epist. de syn. Arim. & Seleuc.*) *Nihil novum Patres illos Synodi Nicænæ statuisse*, saltem quoad sensum, *sed quod à SS. Apostolis* promulgantibus *traditum erat*. Spiritus Sancti Divinitatem, de qua D. Basilius *epist.* 73. relatus *art.* 8. *num.* 9. Ejusdem Spiritus Sancti processionem à Patre, & Filio, ut falsum fuisse ipsummet Græcorum Patriarcham *eodem art.* 8. *num.* 9. vidimus; Impermixtionem duarum naturarum in Christo; *Igitur juxta SS. PP. Traditionem, Dominum Nostrum Jesum Christum in duabus naturis impermixtis, & inconfusis, idest Divinitatis, & humanitatis in una Persona, sive substantia confitemur* ex Petro Diacono *lib. de Incarnatione cap.* 20. Ac ne prolixior quàm par sit efficiar, *Divinis Traditionibus* adscribenda, Sacramentorum septenarium numerum: Eorumdem materiam, & formam: Baptismum, Confessionem, & Ordinem, præter gratiam, imprimere caracterem: Baptismum esse parvulis conferendum: Ab hæreticis collatum non esse reiterandum; Cæteraque omnia, quæ Ecclesia Catholica credenda proponit, quin de ipsis plena, expressa, ac explicita adsit in Scriptura sacra, mentio, quæque eruditè indicata Lector reperiet apud Doctissimum Dominicum Gravinam in verè aureo opere *de cathol. præscrip. adv. hæres.* & præsertim *lib.* 4. *contr.* 4. *artic.* 7. unà cum citatione SS. PP. qui de singulis disseruere semper *Divinis Traditionibus* innixi, quas etsi vocent nunc Apostolicas, nunc Ecclesiasticas, id tamē perpetuò accipiendū est in sensu non semel insinuato, idest non quòd Apostoli, vel Ecclesia se gesserint, instituendo, sed vel promulgando, vel definiendo, aut declarando, quæ Christus instituit, aut Spiritus Sanctus Apostolos docuit, juxta Redemptoris eisdem factam promissionem.

12. Posterior itèm pars deducitur ex eo, quod Theologi passim asserunt, legem videlicet

icèt novam quà Divinam, non continere particulares determinationes cæremoniarum, cultus, alliorumque similium, quæ substantialia fundamenta non sunt fidei, aut morum, sed accidentia ad ea pertinentia. Quod totum claris verbis expressit Angelicus 1.2.q.108. art.2. in corp. quæ integra placet adducere in confirmationem utriusque partis regulæ, de qua agimus: *Lex nova in exterioribus illa solùm præcipere debuit, vel prohibere, per quæ in gratiam introducimur, vel quæ pertinent ad rectum gratiæ usum ex necessitate; & quia gratiam ex nobis consequi non possumus, sed per Christum solùm, ideò Sacramenta, per quæ gratiam consequimur, ipse Dominus instituit per se ipsum, scilicet Baptismum, Eucharistiam, Ordinem ministrorum novæ legis, instituendo Apostolos, & septuaginta duos Discipulos; & Pœnitentiam, & Matrimonium indivisibile. Confirmationem etiam promisit per Spiritus Sancti missionem: ex ejus etiam institutione Apostoli leguntur, oleo infirmos ungendo sanasse, ut habetur (Marci 6.) quæ sunt novæ legis Sacramenta. Rectus autem gratiæ usus est per opera charitatis, quæ quidem secundùm quòd sunt de necessitate virtutis, pertinent ad præcepta moralia, quæ etiam in veteri lege tradebantur, unde quantùm ad hoc lex nova super veterem addere non debuit circa exteriora agenda. Determinatio autem prædictorum operum in ordine ad cultum Dei pertinet ad præcepta cæremonialia legis, in ordine verò ad proximum, ad judicialia; & ideò quia istæ determinationes non sunt secundùm se de necessitate interioris gratiæ, in qua lex consistit, idcircò non cadunt sub præcepto novæ legis, sed relinquuntur humano arbitrio; quædam quidem quantùm ad subditos, quæ scilicet pertinent singillatim ad unumquemque: quædam verò ad Prælatos temporales, & spirituales, quæ scilicet pertinent ad utilitatem communem, Sic igitur lex nova nulla alia exteriora opera determinare debuit præcipiendo, vel prohibendo, nisi Sacramenta, & moralia præcepta, quæ de se pertinent ad rationem virtutis, puta, non esse occidendum, non esse furandum, & alia hujusmodi.*

13. Quoniam verò *Traditiones* prædictas non Christum habere Institutorem diximus, sed vel Apostolos, vel Ecclesiam, adhuc inspiciendum est, quando Apostolis sint tribuendæ, quando Apostolicis, seu Apostolorum Successoribus. Circa quod sese objiciunt duæ Augustini efficacissimæ conjecturæ, quarum alteram tradit 4. *contr. Donatistas cap.*24. alteram *epist.*118. Per priorem firmat S. Doctor illud, *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur*; per hanc *illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe observantur; dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri.* Quoties itaque aliquod ab universis Ecclesiis observari videmus, illud vel in OEcumenica Concilia, aut in Romanos Pontifices, potestatem in totum Orbem exercentes referendum, si videlicet initium observantiæ non ignoretur, vel in Apostolos institutores, quoties nempè observantiæ exordium nesciatur, semperque illam constet viguisse, dummodò nec dogma contineat, nec ad Sacramentorum constitutionem pertineat, quæ solum Authorem Christum respicere queant. Quæ exceptio ponderanda maximè est, ne hanc conjecturam solis Apostolicis *Traditionibus* autumemus addictam, ut ad divinas firmandas validissimum etiam non præbeat argumentum.

14. Quinimmò fortius excogitari non potest medium ad hæreticos revincendos de suis erroribus, quòd novi in Ecclesia illi sint, & ab ipsorum Ducibus invecti, & indubitabile aliàs habeatur, *id esse Dominicum, & verum, quod priùs sit traditum, id autem extraneum, & falsum, quod sit posteriùs immissum*, ut ajebat Tertullianus *de præscr. cap.*31. unde Irenæus Florinum taxat, *in fragmentis suorum operum*, quòd ejus *dogmata Presbyteri, qui ante nos fuerunt, quique erant ipsorum Apostolorum Discipuli, ipsi non tradiderunt*, & Hilarius de Ariana hæresi (*lib. ad Const. Augustum*) *Postquam nova potiùs capit ostendere, quàm accepta retinere, nec inveterata defendit, nec innovata firmavit, & facta est fides temporum potiùs, quàm Evangeliorum, dum secundùm annos scribitur, & secundùm confessionem baptismi non tenetur: periculosum admodùm tot nunc fides existere, quot voluntates*; quos, aliosque Patres præcessit S. Martyr Ignatius (*ep. ad Philip.*) *Relinquentes varietates multorum, & falsas doctrinas, ad illud, quod traditum est nobis à principio, Verbum revertamur*, ut rectè inde Cyprianus *ad Pomp. cont. epist. Steph.* concludat: *si ad divinæ Traditionis caput, & originem revertamur, cessat error humanus, & sacramentorum cœlestium ratione perspecta, quicquid sub caligine, ac nube tenebrarum obscurum latebat, in lucem veritatis aperitur. Si canalis aquam ducens, qui copiosè priùs, & largiter profluebat subitò deficiat, nonnè ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noscatur? utrum ne arescentibus venis in capite unda siccaverit, an verò integra inde, & plenè*

pro-

procumbens in medio itinere destiterit?....... Quod & nunc oportet facere Sacerdotes Dei, præcepta Divina servantes, ut si in aliquo nutaverit, & vacillaverit veritas ad originem Dominicam, & Evangelicam, & Apostolicam Traditionem, revertamur, ut inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo, & origo surrexit; quod approbans *lib.5. cont. Donatistas cap.26.* Augustinus ait: *quod autem nos admonet Cyprianus, ut ad fontem recurramus, idest ad Apostolicam Traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum*. Hoc sanè si observasset Calvinus, in illas certè non prorupisset insanias, quibus *lib.4.Inst.cap.3.§.18.* se, & suos jactabat substitutos novos Apostolos, ac Apostolici Spiritus hæredes „ Quamquam non „ nego, quin Apostolos postea quoque, vel „ saltem eorum loco Evangelistas inter- „ dùm excitavit Deus, ut nostro tempore „ factum est. Talibus enim, qui Ecclesiam „ ab Antichristi defectione reduceret, opus „ fuit.

15. Apostolis itaque Authoribus diximus adscribenda, quæ, etsi juris Divini præstantiam non induant, adhuc tamen talia sunt,ut de ipsorum initiis non habeatur notitia, cumque ab omnibus servata fuerint, & serventur Ecclesiis, non nisi ad Apostolos, ex Spiritus Sancti directione in bonum Ecclesiæ gubernium, & regimen instituentes, referri debent. In quem finem validissimum exhibent exemplum Tridentini Concilii Patres de Missæ Sacrificii Canone, quem *sess.22. de sacrif.Miss. c.4.* compactum asserunt,*tùm ex ipsis Domini verbis,tùm ex Apostolorum Traditionibus, Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus*. Per Christi siquidem Domini verba, nedùm veniunt Oratio Dominica, tantique sacramenti forma, de quibus in Evangelio extat mentio, sed & reliqua, quæ in ipsomet Canone ab ipso Christo dicta esse referuntur, sive in Evangelio contineantur, sive non, ac proinde, quæ non nisi per *Traditionem Divinam* Ecclesiæ innotuerunt, Apostolis non instituentibus, sed solummodò oretenùs referentibus, Spiritu Sancto dictante, æquè ac in cæteris, quæ literis mandarunt, ut insinuavit Innocentius III. *cap. cum Marthæ, de celeb.Miss.* cum, interrogationi Archiepiscopi Lugdunensis, erutæ,ex quo *in Canone Missæ sermo iste, videlicet, Mysterium fidei, verbis ipsis interpositus invenitur; Unde cum non Evangelista Christum hoc dixisse testetur*, mirùm ipsi videbatur, *quòd aliquis asseverare tentaverit; cum aliquid plus dixisse, quàm aliquis Evangelistarum asseveret*; respondit: „ Si formam „ ipsius Canonis inspicias diligenter præter „ hoc, de quo tua fraternitas requisivit, alia „ duo, videlicet; *elevatis oculis in cœlum, &* „ *æterni testamenti* poteris in ipso Canone re- „ perire, quæ in textu Evangelico non le- „ guntur. Sanè multa tàm de verbis, quàm „ de factisDominicis invenimus ab Evange- „ listis omissa,quæ Apostoli,vel supplevisse „ verbo, vel facto expressisse leguntur. Pau- „ lus enim in Actibus Apostolorum sic ait: „ *Meminisse nos oportet verbi Domini Jesu, qui* „ *dixit: Beatius est dare, quàm accipere*. Hæc „ nullus quatuor Evangelistarum descripsit. „ Nullus etiam horum expressit,quod Pau- „ lus de Christo *ad Corinth.* scribens, ait: *Vi-* „ *sus est plusquam quingentis fratribus simul*; „ Deinde *visus est Jacobo*: novissimè autem „ tamquam abortivo *visus est & mihi*. Ipsi „ etenim Evangelistæ mutuò inter se sup- „ plevisse leguntur, quæ ab eorum aliquo, „ vel aliquibus sunt omissa. Unde cum tres „ Evangelistæ posuerunt:*hoc est corpus meum*, „ solus Lucas adjecit, *quod pro vobis tradetur*, „ & cum Matthæus, & Marcus dicant *pro* „ *multis*, Lucas dicit *pro vobis*; Matthæus „ autem *in remissionem peccatorum* adjun- „ xit.

16. Per *Apostolicas Traditiones*, nedùm exprimuntur consimiles *Divinæ Traditiones* ab Apostolis divinitùs ad Posteros transmissæ in iis, quæ ad historiam pertinent, quæque exprimunt actiones, & verba, quibus Christus in hoc mysterio conficiendo usus est, qualia esse videntur saltem ab illis particulis *pridiè quàm pateretur*, ad illas *hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis*. „ Hæc enim omnia (ait aptè Suarez *tom. de* „ *sac. disp.83.sect.2.*) infallibilem veritatem „ habere creduntur, non solùm, quia in „ Scriptura continentur; aliqua enim ex eis „ in Scriptura non sunt, quæ tamen non „ sunt minùs certa, ergò omnia habent „ certitudinem ex Apostolorum Authori- „ tate, quam perpetua *Traditio*, & Univer- „ salis Ecclesiæ consensus ostendit. Nam „ cum in his omnibus, historia referatur, „ & non sit recepta ex speciali revelatione, „ non potuit ab Ecclesia infallibili authori- „ tate recipi, prout in Canone refertur, ni- „ si ex Apostolica authoritate, & *Traditio-* „ *ne*,, Verùm etiam, & *purè Apostolicæ*, quæ Apostolos Institutores respiciunt, nonnulla inserendo in Canone, reliquos præeunte D. Petro, ut testis est D. Isidorus *lib.1. off.* eum idcircò *Institutorem* appellans, & ab Ecclesia deinde perpetuò retenta, factis decursu

tem-

temporis per Romanos Pontifices aliquibus additionibus indicatis à Tridentino per ultimas particulas: *Sanctorum quoque Pontificum piis Institutionibus*, quæ non saltem omnes scripto innotescunt, sed sola *Traditione*, per quam certi sumus revera extitisse, licèt in obscuro adhuc sit, quænam sint in individuo verba ab eis addita, & à quo Christi Vicario,, De reliquis autem verbis Canonis, quæ sint ex ore Petri, aut aliorum ,, Apostolorum desumpta, quæ verò à Pontificibus eorum Successoribus addita, non ,, satis constat, neque historiæ, aut Doctores antiqui hæc accuratè distinguunt, ,, præter pauca quædam, quæ vel Leoni hujus nominis primo, cui adscribuntur verba illa *Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam*, vel Gregorio Magno, quem aliorum verborum *diesque nostros in sua pace disponas* Authorem faciunt, Beda *lib. 2. hist. Angl. cap. 1.* & Joannes Diaconus *lib. 2. vitæ Gregorii cap. 18.* attribuuntur.

17. Observatio est ejusdem Suarez, qui plura in Canonis explicationem, & in dictorum confirmationem adversùs debacchantes hæreticos congerit *ibidem* legenda; sicut etiam apud Bellarminum *lib. 2. de Miss.* præsertim *cap. 18. & sequentibus*, & apud Dominicum Gravinam *lib. 4. Cath. præscrip. adversùs her. præscrip. 2. contr. 4. art. 7. §. 9. & 10.* ubi solita eruditione productis locis Sanctorum Patrum singula corroborantium, pleraque exempla cæremoniarum enumerat, quæ adhibentur in solemni Sacramentorum dispensatione, & ex Apostolica disciplina descendunt, subdens §. 11. idipsum se non præstare recensendo *Ecclesiasticas Traditiones*, quòd ,, immensum opus esset, ,, & ab instituto nostro alienum, & de illis ,, legi possunt Isidorus *lib. de off.* Micrologus, Rabanus Maurus, Vualfridus, Berno, Rodulphus de Rivo, Amalarius, ,, Fortunatus, Alcuinus, Rupertus Abbas, ,, Stephanus Eduensis, & alii *in Auctario Bibl. Patrum*, Guillelmus Durante *in suo rationali*, & Stephanus Durante *de ritibus Ecclesiasticis*,, Possent & aliæ regulæ assignari, quæ tamen ad dictas reducuntur, & cum eis habent affinitatem, & propterea ab ipsis enumerandis abstinemus, cùm præsertim in decursu operis non deerit occasio differendi de eis, & maximè *art. 13.* cum de propositione opposita alteri à SS. PP. nemine ferè discrepante, admissa, ubi quantæ authoritatis, & roboris sit in aliquo asserto, aut dogmate unanimis eorumdem consensus?

ARTICULUS XI.

An propositio opposita alteri definitæ de fide à Concilio Generali independenter à Pontificia approbatione, dicenda sit hæretica?

1. Supponit quæstio hæc multiplicem Conciliorum acceptionem, quæ juxtà varietatem locorum, in quibus celebrātur, varia quoque sortita sunt vocabula; Universalior autem ipsorum divisio *Particularia*, & *Generalia* complectitur. *Particularia* dicuntur omnia ea, quæ nec constant totius Orbis Catholici Episcopis, nec sui natura habent universos fideles obstringere. Aliaque dicuntur *Diœcesana*, quæ in singulis congregantur Episcopatibus, eorumdem Episcopo Præsidente, cunctisque ei subjectis Pastoribus inferioribus, cæterisque, ad quos spectat, in unum convenientibus, & de iis (*cap. Annis singulis dist. 18.*) *Annis singulis Episcopus in sua Diœcesi Synodum faciat de suis Clericis, nec non Abbatibus, & discentiat alteros Clericos, & Monachos*, & Tridentini Patres (*sess. 24. cap. 2. de reform.*) *Synodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui aliàs cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, accedere teneantur. Ratione tamen Parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarum etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, Synodo interesse*. Alia *Provincialia*, ad quæ concurrunt Episcopi tantùm unius Provinciæ, quibus præest Archiepiscopus, seu Metropolitanus, eisdem Tridentinis Patribus *loco citato* jubentibus: *Metropolitani per se ipsos, seu illis legitimè impeditis, Coëpiscopus antiquior.... quolibet saltèm triennio post octavam Paschæ Resurrectionis D. N. J. C. seu alio commodiori tempore, pro more Provinciæ, non prætermittat Synodum in Provincia sua cogere, quo Episcopi omnes, & alii, qui de jure, vel de consuetudine interesse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omninò teneantur*.

2. Alia *Nationalia*, in quibus conveniunt Archiepiscopi, & Episcopi unius Regni, vel Nationis, hisquæ præest aliquis Primas, aut Patriarcha, licèt indiscriminatim confundi quandoque soleant cum *Provincialibus*, quandoque cum *Generalibus* non tamen servato locutionis rigore. *Provincialia* namque ea vocat ad *cap. Regula dist. 3.* Gratianus, quòd certis Provinciis contineant

tineant

tineantur. *Generalia* verò nominantur haud raro, non simpliciter, & absolute, sed secundùm quid, nempè, vel per comparationem ad præcedentia unius Provinciæ coarctata limitibus, vel per respectum ad Gentem, seu Nationem, in qua celebrantur. Sicque passim in Conciliis Romanis sub Symmacho legimus: *Symmachus Concilio generali Præsidens*, cum tamen adessent Episcopi dumtaxat Itali; & in Toletano 3. in quo aderant soli Hispaniæ Episcopi (*cap.* 18.) *Præcipit hæc sancta, & universalis Synodus*. Quolibet autem indigitentur nomine, de nullo ex hactenùs recensitis procedit mota quæstio, quòd certum ferè ex ipsis terminis appareat, ea *per se* inspecta posse in errorem prolabi, uti de facto prolapsa vidimus Africana illa Concilia habita sub Cypriano, in quibus sancitum fuit, rebaptizandos quoslibet ab hæreticis ritè baptizatos. Et ratio est in promptu, quia nullum ex dictis Conciliis dici potest vel universalis Ecclesia, vel universalem Ecclesiam repræsentans; neque per consequens fideles universos, in quos competenti non gaudet jurisdictione, potest obligare ad fide credendum, quod docet, nisi vel alicui ex illis præsederit R.P. sivè per se, sivè per Legatos previè instructos, aut accesserit dein Pontificia corroboratio, vi cujus definitio in materia Religionis, ac morum habita, infallibilis, & de fide tenenda, potest evadere, non tamen Concilii virtute, sed ob infallibilitatis privilegium, quo RomanusPontifex fruitur, & in hypothesi Concilio *per accidens* communicatur; quod à fortiori verum esse, de *Generali* Concilio ex mox dicendis, manifestè constabit.

3. *Generalia* itaque in rigore, ac de quibus ad præsens instituitur sermo, sunt ea, quibus interesse possunt, & debent Episcopi totius orbis, nisi legitimè impediantur, Romano illa convocante Pontifice, ac in eisdem per se, aut per Legatos suos Præsidente, ut legitima esse valeant. Acturi autem *art. seq.* de eorumdem infallibilitate, quoties vel sub Romani Pontificis Præsidentia celebrantur, vel ab eo obtinuerint ratihabitionem, & approbationem, postquam fuerint celebrata; nunc discutiendum occurrit, an definita in ipsis etiam legitimè celebratis, tamquam de fide tenenda independenter à Papæ instructione, aut approbatione, tali sint prædita infallibilitate, ut quælibet ipsis opposita propositio sit veluti *hæretica* proscribenda? Nam de aliis, quæ revera, legitima dici non possunt ob defectum Pontificiæ convocationis, vel debitæ subordinationis Christi Vicario, extra controversiam est definire aliquid indefectibiliter nullatenùs posse, cum non Concilia propriè dici debeant utpotè *acephala*, sed potiùs *Conventicula*, & *Conciliabula*, quibus nominibus usus est Pelagius II. *ep.* 1. *cap.* 1. scribens ad Episcopos, qui convenerant ad Concilium universale vocati à Joanne Patriarcha Constantinopolitano: *Multis apostolicis, & canonicis, atque ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilium celebrari: quapropter rectè non Concilium, sed vestrum* Conventiculum, *vel* Conciliabulum *cassatur, & quicquid in eo actum est, irritum habetur, & vacuum*. Illegitimis idcircò omissis Conciliis, cum præsertim ad ea explodenda ab infallibilitate prædicta, ex iis, quæ de legitimis firmabimus, evidentissima erui queat illatio:

4. Dicendum censemus propositionem oppositam alteri definitæ à generali quantumvis legitimo Concilio, cui non præsideat per se ipsum R.P., independenter ab ipsius vel prævia instructione, vel subsequenti approbatione, non esse *hæreticam*. Nō omnes in asserto conveniunt: primò etenim ipsi adversantur quotquot Concilium generale ipsomet Romano Pontifice supponentes superius, infallibilitatem, quam, Christi Vicario etiam ex Cathedra loquenti, universalemque docenti Ecclesiam, adimunt, generali Concilio tribuunt, ejusque definitionibus subdunt, quem aliàs dignitate *Petrum* agnoscunt. Ex iis verò, qui fortissimè pro Romani Pontificis Primatu, & Superioritate in totam Ecclesiam etiam in Concilio congregatam, & per Concilium repræsentatam dimicant, quique Petri Successorem infallibilem in definiendis fidei dogmatibus confitentur, etiamsi seorsim à Concilio quolibet procedat, dummodò Ecclesiam universalem doceat, & instruat, Suarez *tract. de fide disp.* 5. *de reg. quibus fidei objectum infallibiliter proponitur*, estò Concilium in asserti sensu fidei regulam minimè habendum dicat, quia saltem ejus authoritas infallibilis, est sub opinione; & quia non habet jurisdictionem ad obligandam Ecclesiam ante confirmationem,, adhuc tamen *probabilissimum* censet ,, non permissurum Deum, ut tale Concilium, legitimè procedendo, erret, utique ,, faciendo quod in se est, non tam propter ,, ipsum, quàm propter Pontificem, quia ,, esset magna perplexitas, & magnum ,, scandalum Ecclesiæ, si Pontifex, & Concilium inter se dissentirent.,,

5. Non multùm à Suarii opinione discrepat Dominicus à SS. Trinitate *lib. 3. bibl. theol. sect. 5. cap. 8. concl. 3.* qua firmat „ Decreta Conciliorum Generalium, ubi non „ habent expressam, quam sequantur, Pontificis instructionem, absolutè infallibilia „ non esse, ante ipsius confirmationem, nisi „ unanimi omnium Patrum, & Legatorum consensu, illa ederentur, nemine discrepante „ & infra „ & si probabilius existimem, Concilia generalia ante Pontificiam confirmationem non esse absolutè „ infallibilia, nihilominùs illa talia esse „ puto in casu, & circumstantia unanimis „ consensus, tùm Patrum, tùm Sedis Apostolicæ Legatorum in aliquid tamquam „ de fide credendum „ Probatque, tùm, quòd hujusmodi consensus in Concilio legitimo à Papa indicto, & non revocato, ritè, servatisque omnibus, ac singulis de jure servandis habitus, ac cum matura rei definiendæ discussione, invocato Divino Numine, sepositis humanis affectibus, & sola ob oculos proposita veritate, non possit non esse Spiritus Sancti opus: Tùm quòd, si consensus Patrum unanimis in fidei doctrina adhiberi solet, tamquam infallibile, & invictissimum adversus hæreticos argumentum, multò magis id asseri debet de consensu unanimi omnium Patrum, & Legatorum generalis Concilii, dogma aliquod definientium, attenta præsertim Divinæ Providentiæ suavitate, qua Ecclesiam gubernat Altissimus, cum qua pugnare videretur si universis Concilii Patribus facientibus, quod in ipsis est, pro aliqua fidei definitione promenda, deesset, eosque labi in errorem permitteret: Tùm tertiò, quia, sicut omnes Ecclesiæ Pastores, & Doctores simul sumpti non possunt personaliter errare in fide, sentiendo aliquid de fide esse, quod revera non est, vel non esse, quod est, ita nec hujusmodi error possibilis adstrui debet in eorumdem Pastorum, & Doctorum consensu in Concilio generali legitimè congregatorum.

6. Ex his autem rationibus Author præfatus solutionem eruit adhibendam alteri quæstioni, quæ nonnullorum torquet ingenia, cui nimirum sententiæ, judicioque definitivo adhærendum esset, quoties inter Summum Pontificem ex una parte, & Concilii Patres ex altera, nullo prorsùs discrepante, oriretur discordia in definitionibus dogmaticis, quòd sæpè casus hujusmodi sit impossibilis, supposita infallibilitate, quæ non minùs competat Romano Pontifici seorsim à Concilio, & Concilio seorsim à Romano Pontifice, „ Quemadmodum enim in „ omnium Catholicorum sententia supposita se mel ab illis infallibilitate Ecclesiæ „ entitativè considerata in credendo, nec „ non eâdem in definiendo, si consideretur „ repræsentativè in Concilio universali „ Pontificia authoritate undequaque munito, impossibilis est aliqua sententiarum „ diversitas, quòd Ecclesia nimirùm per „ totum Orbem diffusa aliud credat, & „ Concilium aliud decernat; teneturque „ proinde Concilium unanimem, quem „ semel exploravit Ecclesiæ sensum in rebus fidei sequi, & ipsa vicissim Concilii „ definitionibus obedire: ita quoque in nostro casu, non possunt non sibi invicem „ perfectè consentire Pontifex, & Concilium „ universale, non tamen quasi tunc Pontifex dici debeat inferior Concilio, eique „ tamquam superiori obediens, ut semper „ esse debet Concilium respectu Summi „ Pontificis, tamquam supremi Ecclesiæ „ Capitis, sed tantùm veritati per Spiritum „ Sanctum certissimè in dicto casu unanimis consensus omnium Concilii Patrum „ revelatæ; sicut etiam quando extra illud „ sequitur in definiendo unanimem SS. PP. „ consensum circa aliquod fidei dogma.

7. Oppositam nihilominùs sententiam tuetur Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de Conc. author. cap. 11.* dum præmissis quatuor modis, quibus haberi valeat aliqua Conciliaris dogmatica definitio, de tertio loquens, quo definitio procedat consentientibus simul Patribus, ac omnibus Legatis, non habentibus prævìam instructionem Romani Pontificis, existimat „ tale Concilium posse errare, neque esse infallibile ejus judicium, „ ante confirmationem Pontificis „ Idipsum sentire videtur Cardinalis Turrecremata *lib. 3. summæ de Eccles. cap. 58.* ubi dividens Concilium plenarium in illud, in quo cum Ecclesiæ Patribus, Romanus Pontifex eorum Caput, & Princeps unanimi consensu, & authoritate concurrit, sive intervenit; & prout dicit corpus tantùm Patrum distinctum à Capite suo, Romano Pontifice; de hoc posteriori absolutè pronunciat errare posse in his, quæ fidei sunt. Et quamvis distinctionem expressè non faciat de fidei definitionibus, quæ habeantur consentientibus unanimiter Patribus, & Legatis, nemine discrepante, & circa quas aliqualis intervenerit discrepantia, conclusio tamen apparet intelligenda in utroque casu; tùm quòd universaliter sit concepta; tùm quòd

cap.

cap.60. in objectionum solutione, quibus contenditur Concilia generalia quandoque errasse, numquam purpuratus Doctor recurrit ad defectum dicti unanimis consensus, sed solùm, quòd plenaria illa non fuerint „ cum in eorum definitionibus nec approbatio, nec consensus Romani Pontificis, qui est universalis Ecclesiæ Rector, „ & Princeps intervenit, & ita non universalis Ecclesiæ fuerunt authoritate definita.„ Ejusdem pariter opinionis est novissimè Doctissimus Canonista Prosper Fagnanus *in cap.* Maiores *de Baptismo* ubi post multa *nu.*36. concludit „ Salva determinatione „ Ecclesiæ, Concilium universale non habere hanc certitudinem infallibilem, itaut „ illius definitiones sint habendæ pro articulis fidei, nisi in tribus casibus. Primus „ est, cum Papa est præsens Concilio. Secundus est, cum Papa committit Concilio, ut talem articulum sic, vel sic definiat. Tertius est, cum Papa prævia examinatione Canones Concilii Apostolica authoritate confirmat, & ab omnibus „ Christifidelibus suscipiendos, & servandos „ esse decernit, ut moris est „ & assignat rationem in eo fundatam, quod „ in his tribus casibus infallibilitas non est immediatè à Concilio, sed à Summo Pontifice „ præsente, vel committente, aut confirmante.

8. Cum his igitur, aliisque celeberrimis Theologis, & Canonistis eamdem opinionem communiùs, & solidiùs propugnantibus, sentiendum putamus; & quidem conformiter ad tradita *cap.2. art.12.* quæ ad intentum recolenda monemus, ne eadem inutiliter obstringamur repetere, ipsisque proinde inhærendo assertum probamus cum Cardinali Bellarmino, ex quo sententia, seu definitio generalis Concilii, sive consentiant omnes, sive non, numquam est ultimum Ecclesiæ judicium, uti dici posset, ac deberet, si illa esset indefectibilis, ac proindè irretractabilis. Quid enim aliud requiritur, ut ultimum dicatur aliquod judicium, quàm quòd nulla ab eo sit dabilis appellatio, nulli illud esse queat errori obnoxium, sitque omnino primæ Veritati revelanti innixum? & tamen ultimum revera dici non posse judicium generalis Concilii, inde facilè colligi videtur, quòd firmitas ipsius coalescere necessariò debeat ex consensione, & conjunctione Corporis cum Capite, quæ nusquam habebitur, si nulla ad illud concurrat prævia Pontificis instructio, nullus in eo interveniat Pontificis consensus, nulla illi accedat Pontificis approbatio, aut confirmatio. Undè fit, quòd Concilium hujusmodi, quantumvis unanimes præsupponantur Patres ipsius, & Legati, non potest se solo perfectè Ecclesiam repræsentare, nec per consequens denominari absolutè, & simpliciter generale, cum quicquid faciant Patres, ac Legati, Corpus Ecclesiæ facere censeatur, non verò universalis Ecclesia, cujus potissima, ac præcipua pars, est Caput, seu Romanus Pontifex, qui licèt utcumque exprimatur per Legatos, tamquam per Vicarios, & Internuncios, qui ad ipsum referre debeant, cum oriuntur dubia, & difficultates, maximè in materia fidei, ac morum, sententiamque ejus expectare, & exequi, non tamen Pontificem ita designant, ut quòd ipsi faciunt, absolutè censeatur fecisse Papam, & præsertim in definitionibus dogmaticis, ut distinctiùs ex indicandis *art.5.* apparebit.

9. Accedit, quòd si Concilium generale infallibilitatis privilegio gaudeat in fidei, ac morum resolutionibus, proculdubiò originem illud trahet ex aliqua Christi promissione, quam tamen assignari non posset respectu Concilii generalis sumpti seorsim à Capite, inde deducitur, quòd promissio Christi, vel est ad Petrum, ejusque Successores dumtaxat directa, de qua *cap.2. art.12.* vel ad Ecclesiam, cum qua pollicitus est Altissimi Unigenitus, se fore usque ad sæculi consummationem. At undenam, quòd Ecclesiæ nomine veniat Concilium generale seorsim à Pontifice? Membra sine Capite? Si corpus quodlibet in se ipso integrum dici nequit, sed imperfectum, & mutilum seorsim à capite, mutilum pariter, & defectuosum, dici debet, quod, corpus aliquod repræsentat, non tamen corporis Caput; & idcircò mutilum semper erit Concilium quousque non involvat, nec repræsentet Capitis authoritatem, nec perfectum usquam censendum, si in Pontificis celebretur absentia, nullaque ab ipso præhabita instructione, usque dum Pontificia accedat confirmatio, quæ illud reddat numeris omnibus absolutum.

10. Infallibilem Ecclesiam vidimus esse etiam seorsim à Capite, sed in sensu, quo *cap.2. art.12. num.*53.54.59. infallibilitate videlicet *personali*, per quam asseruimus Ecclesiam nusquam defecturam, sed semper, & per universum Orbem futuros fideles supremo ipsius Capiti Romano Pontifici conjunctos, qui credant, quod ipse tamquam Pontifex, & communis Magister

Y 2 credit,

credit, ac definit. Ex quo, admittimus, & quidem à fortiori verum non posse non esse, in quod omnes, & singulæ Ecclesiæ conveniunt, illud credendo, tamquam fidei dogma, quòd impossibile judicemus in hujusmodi unanimi omnium placito in materia Religionis reperiri aliqualem in dogmatibus discrepantiam ab iis, quæ Christi Vicarius universis fidelibus credenda proponit. Quòd si loquamur de Mysteriis non definitis per Romanos Pontifices, pariter non negamus in Ecclesia infallibilitatem *personalem*, quæ etiam *passiva* dicitur *in credendo*, quæque firmissimum fundamentum sit alterius infallibilitatis *activæ*, & in *docendo*, quatenùs, ut advertit laudatus Dominicus à SS. Trinitate *lib.3.sect.3.c.*10. ingruentibus hæresibus circa dogmata adhuc haud definita, in Ecclesiam ipsam toto orbe diffusam, oculos conjicere debeant, ipsiusque sensum diligenter explorare, priusquàm ad eorumdem definitionem deveniant.

11. At si ex his transitum facere velimus ab Ecclesia ad Concilium, & ab infallibilitate *passiva*, ac *personali*, ad *activam*, & in *definiendo*, ac *docendo*, nisi cautè admodùm procedamus, plures inde eruentur illationes, quæ admitti non poterunt. Et in primis, sicut, ut verificetur Ecclesiam esse in *credendo*, & *passivè* infallibilem, non est necesse, quòd omnes omnino conveniant fideles, imò nec omnes Ecclesiarum Pastores, aliàs defecturam in fide Ecclesiam dicere deberemus Anti-Christi tempore, de quo *Lucæ* 18.8. prædicitur: *Verumtamen filius hominis, cum venerit, putas inveniet fidem in terra?* cùm nempè *surgent Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, itaut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matt.* 24.25.) & ut ait S.Petrus (*ep.*2.3.3.) *venient in novissimis diebus in deceptione illustres juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes, ubi est promissio, aut adventus ejus?* Inde autem sequitur, quòd, sicut infallibilitatis *personalis* privilegium adhuc eo tempore durabit ob electos, qui per totum orbem habebuntur, & in errorem nullatenùs inducentur, ita & in Conciliis, infallibilitas in *definiendo* suum habere deberet effectum, etiamsi non unus omnium esset consensus, ac judicium: & quidem fortiùs, quia, ut notat Cardinalis Bellarminus *lib.*2. *cap.*11. *de conc. author.* „est verum decretum Concilii, quod fit „à majori parte, alioquin nullum esset legi„timum Concilii decretum, cum semper „aliqui dissentiant; ergo Concilium absolutè dicitur errare, quando errat major „pars, quæ format decretum„

12. Hinc autem aliud argumentum eruitur pro nostro asserto. Si enim promissa divinitùs supponenda foret infallibilitatis prærogativa Concilio generali seorsìm à Pontifice Romano, ne erret in definiendis controversiis fidei, proculdubiò ei facta fuisset sub præcisa ratione constitutiva Concilii, adeòut ea carere censeri non posset, perseverante, ac persistente generali Concilio in sua quidditate, ac legitimitate. Ac propterea, si dissensus alicujus partis, quæ præsertim comparatione alterius consentientis unanimiter in aliquo dogmate, sit longè inferior, insufficiens prorsùs habetur, ne Concilium æstimetur generale, ac legitimum, insufficiens pariter haberi deberet, ne idem legitimum Generale Concilium prædicta infallibilitatis in definitionibus fidei prerogativa credi posset privatum. Quod quàm falsum sit, nedum fatetur Dominicus à SS. Trinitate *num.* 5. relatus, sed, aliis omissis plerisque exemplis, abundè patet ex Concilio Ariminensi, quod, idem Author expendit *sect.*3. *cap.*10. *lib.*3. admittens „libenter multitudinem illam Episco„porum, qui ex toto orbe convenerant „Ariminum, ab Arianis deceptam fuisse, „nomenque *Omousion*, quod, quid signi„ficaret, non intelligerent, absque errore „culpabili sustulisse, ac proinde nec hære„ticos, nec errantes, nisi materialiter fuisse, „cujus evidens est argumentum, quòd ii„dem Episcopi, ut admoniti sunt, & falla„ciam agnoverunt, continuò errorem „etiam correxerunt, & cum lachrymis poe„nitentiam ejus egerunt, tuncque inge„muit totus orbis (*ut in dialogo contra Luci„fer.* scripsit Hieronym.) idest ex toto orbe, „vel magna ejus parte congregati Episco„pi, & se Arianum miratus est„

13. Non omisso ad rem præsentem, Damasum Papam, Ariminensem Synodum præcipuè rejecisse, quia non intercesserat R. P. sententia, *quæ præ cæteris omnibus expectanda erat*, ex Theodoreto *lib.*2.*hist.c.*22. & quamvis subjungat, intervenisse pariter defectum consensus Vincentii Apostolici Legati, aliorumque ei consentientium, seorsìm tamen ponit unum ab alio, indicans apertè, quòd, etiamsi posterior defectus adfuisset, non ideò Concilium illud robur habuisset, ob priorem. Quo non habito posteriorem præjudicium non allaturum, ostendit prelatio particulis illis *præ cæteris omnibus* contenta. *Numerum Episcoporum*, inquit S. Pontifex,

tifex, *qui erant Arimini congregati, præjudicii vim habere non debere, præsertim, cum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præ cæteris omnibus erat expectanda, neque Vincentio, neque aliis ei consentientibus; Cumque illi ipsi, qui in fraudem illecti à veritate deflexisse visi essent, post, ad meliorem mentem denuò traducti planè testarentur, hanc formulam sibi magnopere displicere.*

14. Sequeretur insuper, Concilium generale, cum saltem omnes illud constituentes unanimiter consentirent in aliqua definitione, nulla indigere Pontificia, vel prævia instructione, vel subsequenti confirmatione. Quæ tamen, quantæ necessitatis sit, ut Conciliares definitiones robur habeant, & firmitatem, ex ipsismet generalibus Conciliis addiscere poterimus, quæ dogmaticas definitiones, vel factas expressè runt inhærendo supremi Pastoris directionibus, vel à Romana Sede confirmationem in eum finem humillimè expostularunt. Sic præ aliis Patres Concilii Nicæni OEcumenici primi *ex tom. 1. Conc. lib. 4.* Alphonsi Pisani apud Cardinalem de Laurea *disput. 5. de 3 specie objecti mater. fidei, scil. de Eccl. decr.* verbis illis: *quicquid autem constituimus in Concilio Nicæno precamur vestri oris consortio confirmetur:* Sic Patres Chalcedonensis, qui *act. 2.* perlecta epistola Leonis dogmatica ad Flavianum, unanimiter clamarunt: *Hæc est Patrum fides, hæc Apostolorum fides, omnes ita credimus, Anathema qui non ita credit. Petrus per Leonem ita locutus est, Apostoli ita docuerunt, piè, & verè Leo docuit,* & (*in literis ad eundem*) *omnem*, inquiunt, *vobis gestorum vim insinuavimus ad comprobationem nostræ sinceritatis, & consonantiam:* Sic Patres Constantinopolitani III. Agathoni scribentes: *Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem Vobiscum prædicamus; quem etiam, ut per honorabilia rescripta vestra confirmetis oramus paternam sanctitatem:* Sic, ut reliqua missa faciamus apud Cardinalem prædictum indicata, PP. Tridentini, de quorum supplicatione, sicut etiam & de præcedentium Conciliorum similibus precibus, fidem facit ipsemet Pius IV. in *Bulla*, cujus initium *Benedictus Deus*, qua Concilium confirmavit: *Cum autem ipsa S. Synodus pro sua erga Sedem Apostolicam reverentia antiquorum Conciliorum vestigiis inhærens decretorum suorum omnium, quæ nostro, & Prædecessorum nostrorum tempore facta sunt, confirmationem à nobis petierit, decreto de ea re in publica sessione facto.*

15. At forsitan replicabitur, totum hoc contigisse, quia in illis Conciliis defuit *unanimis consensus, tùm Patrum, tùm Sedis Apostolicæ Legatorum in aliquod tamquam de fide credendum.* Sed replica videtur sufficienter rejecta *num. 10.* & aliàs obstricti erimus *oecumenicitatem*, si ita loqui fas est, Conciliorum, dependentem adstruere à paucis quibusdam, qui propriæ innixi superbiæ, temeritati, & audaciæ à majori, & saniori Patrum sententia dissentient. Quod planè videretur arbitrariè dictum, cum præsertim Concilia in exposcenda Pontificia confirmatione nusquam recursum habuere ad defectum unanimis consensus, ac si ratione ipsius ea indigerent, sed absolutè pro ea supplices instarunt confitentes, omne fidei robur ultimatè ab Apostolica Sede pendere debere. Non negamus propterea, Patribus in Concilio congregatis adesse Spiritus Sancti assistentiam. Sed primò huic instantiæ respondet Cardinalis de Laurea *num 28. ante medium* „ Si Patres ex Dei zelo veritatem „ inquirentes illuminantur, & inspirationem „ recipiunt, utique sæpe non decipiuntur, „ & id quod judicant, verum sæpè est, „ etiam ante Papæ consensum, quia Spiritu Dei tunc aguntur. At quoniam non „ semper ex zelo sic inquirunt, & ideò non „ semper sic illuminantur, ut accidit in „ Ephesino secundo latrocinali, Ariminensi, & Constantinopolitano, sub Nicolao I. in quo ipsimet Legati prævaricati „ sunt; decreta eorum non possunt dici infallibilia, sine ordine ad Papam, & illa, „ quæ ex zelo, & pietate, cum assistentia, „ & inspiratione, ut nuper patuit, facta sunt „ sine influxu Papæ, vera esse possunt secundùm rem, & penès Deum; tamen Ecclesiam non obligant ad ea credendum fide „ divina, nam non sunt infallibilia ob dictam contingentiam veri judicii.

16. „ Propterea judicium Concilii, independenter à Papæ influxu per sententiam suam vel instruentem, vel confirmantem, non est ultimum judicium, quia „ non ipsi Concilio sine Papa, sed Petro, & „ Successoribus dictum est: *Pasce oves meas;* „ & Petro dictum: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu confirma fratres tuos.* „ Hinc est quòd Justinianus Imperator ex „ *tom. 1. epist. Rom. Pont.* in Hormisda, & ex „ *Baron. tom. 7. ann. 619.* sic scribit ad Hormisdam: *Hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum.* Si enim independenter à Papa instruente, vel confirmante, Concilium „ necessariò haberet infallibilitatem, & posset obligare fideles ad credendum definita

sine

„ fine Papæ judicio, non Papa, fed Concilium pafceret oves, & ipfum Papam, effetque paradoxum, ut Patres Concilii, qui funt oves, evaderent Paftor, & hic ovis. Item Patres confirmandi à Petri Succeffore, effent Confirmatores; hic verò confirmatus; quæ invertunt inftitutam à Chrifto politiam chriftianam. Ideò optimè falvatur Conciliorum generalium legitimorum ritè, & piè, atque ex veritatis zelo operantium, affiftentia Spiritus Sancti, & veritas judicii, non tamen neceffariò infallibilis, quia quandoque non eo modo operantur, & quando fic operantur, cum fit incertum, & non poffint fine Capite ultimare judicium, nequeunt fine eo infallibiliter judicare verum, neque Ecclefiam obligare.

17. Refponderi itidem poteft confequenter ad dicta, Spiritus Sancti affiftentiam adeffe Concilio, nec neceffe effe, ut ea habeatur, quòd omnes omnino confentiant. Quis enim dicet, ex hoc præcisè, quòd in Conciliis generalibus aliqui diffenferint Patres, reliquos legitimè congregatos, cunctaque fervantes in nomine Chrifti fervanda, divino patrocinio, & ope orbatos habendos? At affiftentia hæc, ficut optimè verificatur, cum cõfenfus non eft omnium, & fingulorum, abfque eo, quòd decreta, fint de fide tenenda ante Pontificum confirmationem, ita & verificabitur etiamfi interveniat confenfus unanimis, qualem illum exigit Dominicus à SS.Trinitate *num*.5. cujus objecto ex Patribus defumpto occurremus *articulo* 17. replicantes interim cum citato Laurea *num*.107. „ Affiftit ergo Patribus congregatis Spiritus Sanctus cum hac fubordinatione, ut vocem Vicarii Chrifti audientes, veritatem intelligant, recipiant, atque confirment. Vel fi Vicarius Chrifti adhuc non eft locutus, Spiritus Sanctus affiftit quidem, ut veritatem intelligant, fi parati fint fuum judicium Vicario Chrifti fubmittere; at eft poftea neceffaria confirmatio, qua Papa teftatur, eos non fuiffe deceptos. „

18. Impoffibilem catenùs afferere nec renuimus cafum (& in his terminis conformiter ad hactenùs dicta, & mox dicenda, nil fortaffis, vel parùm à Suario, & Dominico à SS.Trinitate difcrepamus) quo diffentiant inter fe Concilium univerfale omnibus, & fingulis in aliqua fidei determinatione convenientibus ex una, & Summus Pontifex dumtaxat ex altera; dummodò fenfus fit de impoffibilitate, vel morali dumtaxat, vel faltem quæ certa teneatur infra certitudinem fidei, utpote promanans ex Spiritus Sancti quidem affiftentia dirigente Concilii Patres, non tamen ipfis aliquid in rigore revelante, ut independenter à Pontifice dogma ullum ultimatè decernant, fed ut ipfimet Pontifici decernendum, feu confirmandum, ac univerfis fidelibus proponẽdum infinuent. Ac propterea inter conditiones ad hujufmodi impoffibilitatem ftabiliendam requifitas, ea potiffimum effe debet, quòd Patres Concilii cum debita fubjectione agant ad Romanum Pontificem, promproque exiftant animo retractandi, quæ decernenda fanxerunt, in hypothefi, quæcumque ea fit, quòd Romanus Pontifex, qui *per univerfum orbem Primatum obtinens Sacerdotii ftatutis fynodalibus confuevit tribuere firmitatem* (c. Benè *dift*.96.) robur fuæ confirmationis non conferat. Aliàs non in nomine Chrifti Concilium dici poteft congregatum, & per confequens erroribus certiffimè obnoxium, nulloque habendum in pretio.

19. Hinc verò eruere licet, nullam neceffitatem adeffe, vi cujus infallibilitas ultimata in definiendis dogmatibus concedi Concilio feorfim à Pontifice debeat pro cafu moraliter faltem impoffibili, cum præfertim, fi contingeret, Deo forfitan illum femel, aut iterum permittente ad Pontificiam illuftrandam dignitatem, & infallibilitatem, in promptu remedium adfit determinationis videlicet Pontificiæ, quam procul dubio præferendam, nonnifi, vel à perduellibus hæreticis, vel à malè intelligentibus, ac interpretantibus Chrifti promiffiones *Petro*, ejufque Succefforibus factas, negari poteft. Timendum proinde fcandalum neutiquam effet à Suario *num*.4. indicatum, ex quo, dum Concilium facit quod in fe eft, debitaque procedit cum fubordinatione ad fuum fupremum Caput; ftatim ac animadvertet hoc diffentiens, recedere humiliter debet à propriis determinationibus, & fefe cum eodẽ Capite conformare ad Ecclefiam docendam juxta ejufdem Pontificis definitionem, quæ tamen ex Cathedra fit pronunciata, & tamquam à Spiritus Sancti Organo, communique orbis Magiftro promanans; ficque optimè verificatur, quod habet idem Suarius *difp*.5. *cit*. *fect*.8. *num*.10. non dari videlicet in Ecclefia duas regulas infallibiles vivas, fed unam tantùm, „ quæ eft Summus Pontifex, qui poteft variis modis uti ad definiendum fua poteftate, prout opportunitas tulerit, & Ecclefiæ fuerit

„ rit expediens ; & ideò unus illorum mo-
„ dorum , est definire Concilio generali, &
„ licèt verum quoque sit eo uti Romanum
„ Pontificem , quia interdum expedit
„ ad majorem Ecclesiæ satisfactionem , ut-
„ que magis constet dè communi consensu
„ ejus , & ad majorem confusionem hære-
„ ticorum , vel quorumcumque contradi-
centium.„ Ut tamen verificetur, unicam es-
se regulam vivam, debet quoque verificari,
quòd Concilium se solo infallibilitate ulti-
mata non gaudeat , aliàs non una , sed duæ
dicendæ erunt regulæ vivæ ; Papa videlicet
indépendenter à Concilio , & Concilium
independenter à Papa ,

20. Quòd si plerique adducantur Do-
ctores , qui in casu dissensus inter Pontifi-
cem , & Concilium , hoc illi asserant præ-
ferendum , vel ex pessimè Scripturam in-
telligentibus illi erunt , quos idcircò im-
pugnare ampliùs minimè curamus , ipsis
solummodò proponentes verè formidan-
dam Nicolai Papæ *in epist. ad Mediolanenses,*
quæ legitur *cap.* Omnes *dist.* 22. sententiam:
*Qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso
Summo omnium Ecclesiarum Capite traditum au-
ferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur,
& cum ille vocetur injustus , hic est proculdubiò
dicendus hæreticus ; fidem quippe violat , qui ad-
versùs illam agit , quæ mater est fidei , & illi
contumax invenitur , qui eam cunctis Ecclesiis
prætulisse cognoscitur*: Vel loquuntur , quo-
tiès dissensus est inter Concilium , & Pon-
tificem non definientem ex Cathedra , ut
novissimè animadvertit Franciscus Leytam
Societatis Jesu in suo *impenetrabilis Pont. Di-
gnit. clypeo disp. 8. sect. 9.* ubi quærens: An quã-
„ do totum Concilium esset pro una parte,
„ solus autem Pontifex pro parte opposita
„ possit tunc Concilium deponere Papam ,
„ illumque judicare, & punire, si contumax
„ foret ? „ sequenti respondet ratiocinio :
„ Distinguendum est; Vel veritas , sive pro-
„ positio , pro qua stat universum Con-
„ cilium, est jam definita, ut de fide in aliquo
„ Concilio generali legitimo, & approbato
„ à Sede Apostolica? vel est nondùm defini-
„ ta? Si primum ; jam Papa foret hæreticus,
„ utpote negans veritatem revelatam; qua-
„ lis est veritas de fide definita, & in hoc ca-
„ su posset deponi , Si secundum , & Papa ,
„ non obstante Concilii contraria sententia
„ pro Cathedra definiat oppositam, absolu-
„ te standum est pro Papa , & non pro Con-
„ cilio. Ratio est , quia soli Petro , ejusque
„ Successori Romano Pontifici promissa est
„ infallibilitas in definiendo res fidei, & non
„ Episcopis, ex quibus coalescit Concilium.
„ Nam non dixit Christus: *Rogavi pro vobis,*
„ sed *Rogavi pro te Petre.* Tum quia multa
„ Concilia generalia legitimè congregata, &
„ in quibus præsidebant Legati Sedis Apo-
„ stolicæ , consenserunt unanimiter in ali-
„ quẽ errorem; quem postea solus Pont. Ro-
„ manus definiens pro Cathedra condem-
„ navit. Contrariam sententiam tenere vi-
„ detur Panormitanus Abbas 2. *p. Conc. q.* 1.
„ Cardinalis, apud Eugenium *mox citandum,*
„ Monilianus *de Conciliis œcumenicis cap.* 33.
„ Eugenius Lombardus *lib. 2. de Regali Sacer-
„ dotio* §. 14. *n.* 6. Sed hi Authores loquuntur,
„ quando Papa , ut Doctor privatus, se op-
„ poneret universo Concilio ; tunc enim
„ potiùs credendum est tot tantorumque
„ hominum authoritati tamquàm cuidam
„ asserto *probabilissimo* quàm homini priva-
„ to erroribus exposito . Dixi, *asserto proba-
„ bilissimo* , quia ea , quæ definiuntur etiam
„ à Concilio universali si à Papa non sint
„ confirmata , adhuc non sunt de fide , sed
„ magnam habent authoritatem, quamdiù
„ à Papa non reprobentur , si forte in re
„ non sint vera .

21. Superest & aliis nonnullis opposi-
tionibus occurrere , quibus solet assertum
impugnari authoritatibus, tùm sacræ Scri-
pturæ *Matth.* 18. 19. ubi dicitur ; *Ubi sunt duo
vel tres congregati in nomine meo , ibi ego in me-
dio illorum sum* , tùm Summorum Pontifi-
cum , Hormisdæ in decretis suis (post *ep.* 1.)
In Concilio generali Spiritus Sanctus loquitur, &
Vigilii (*in epist.* 9. & 11.) *Conciliis est præsens
Spiritus Sanctus, eisque à Deo promissa est assisten-
tia* ; tùm generalium eorumdem Conci-
liorum , & præsertim Constantiensis *sess.* 4.
decernentis, quòd *ipsa Synodus in Spiritu San-
cto congregata legitimè generale Concilium fa-
ciens, Ecclesiam militantem repræsentans , pote-
statem à Christo immediatè habet , cui quilibet
cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papa-
lis existat, obedire tenetur in his , quæ pertinent
ad fidem; & extirpationem dicti schismatis, & re-
formationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite, &
in Membris*, & (*sess.* 5.) quòd *quicunque cujus-
cunque conditionis , status , dignitatis , etiamsi
Papalis , qui mandatis , aut præceptis hujus sa-
cræ Synodi , & cujuscunque alterius Concilii ge-
neralis legitimè congregati super præmissis , seu
ad ea spectantibus factis , vel faciendis obedire
contumaciter contempserit , nisi resipuerit , con-
digna pœnitentiæ subjiciatur, & debitè puniatur,
etiam ad alia juris subsidia , si opus fuerit recur-
rendo* ; Basileensis , in quo *sess.* 2. approbata ,
ac confirmata fuere præfata Constantiensis
de-

decreta, & *sess.* 33 stabilitam fide divina tenendam superioritatem Concilii supra Papam: & Tridentini, in quo *sess.* 13. *in proemio* legitur: *Sacrosancta OEcumenica, & generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata Præsidentibus in ea eisdem S. Sedis Apostolicæ Legato, & Nunciis, etsi in eum finem non absque peculiari Spiritus Sancti ductu, & gubernatione convenerit, ut veram, & antiquam de fide, & sacramentis, doctrinam exponeret &c.* quæ indicant infallibilitatem definitionum etiam ante Papæ confirmationem, ad quam pariter prævie hæreses, errorcsque damnati reperiuntur sub anathemate, quod proferendum non erat, si, in damnatione, error ullus contingere potuisset.

22. Hæ autem oppositiones, aliæque similes, non ad Concilii infallibilitatem tuendam tendunt, cum unanimis dumtaxat, nemine discrepante, habetur consensus, sed absolutè pro conciliaribus dogmaticis definitionibus militant, ut infallibiles adstruantur. Non tamen solidè, nam Christi Domini dictum, si id evinceret, evinceret quoque infallibilitatis privilegium in fidei, ac morum resolutionibus inesse debere quibuslibet Conciliis quantumvis non generalibus, dummodò duo vel tres in nomine Christi fuerint congregati. Imò nedùm Conciliis Provincialibus, sed etiam, ut notat Cardinalis de Laurea *disp.* 5. *de* 3. *spec. object. mater. fidei scil. de Eccl. decr. art.* 1. §. *Unic. num.* 27. „ omni Clero, omni Universitati, „ & cuilibet Congregationi Catholicorum, „ & tamen indubitatum est, hos congrega„ tos, etiam si perseverent, & enixè petant à „ Deo veritatem doctrinæ, non proinde „ posse infallibiliter propositiones fidei de„ cernere, etiamsi pro seipsis illuminaren„ tur ad veritates illas percipiendas „ . Variè autem explicatur, & quidem absque ullo ad Concilia generalia, in ordine ad dogmaticarum sanctionum infallibilitatem, respectu, attentis præsertim verbis antecedentibus: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo*, inter quas est illa Glossæ ordin. *Omnis sermo supra ad concordiam, & pacem, quam adeò commendat, ut dicat Deum in medio esse eorum, quia pax, & charitas sedem sibi in paradiso constituit, & veritati meritò omnia petenda, impetranda esse constituit*; cui inhærere videtur Angelicus (2.2. *q.* 188. *art.* 8. *ad* 2.) *Christus est in medio eorum, qui sibi invicem per dilectionem proximi sociantur*.

23. Benè tamen verum est, quòd plerique Theologi, & Expositores prædicta utuntur authoritate ad probandam infallibilitatem Concilii, asserentes ex ea confici posse argumentum à fortiori, „ Si enim, (inquit „ Cornelius à lapide) est Christus in medio „ duorum; ergo multò magis est in medio „ totius Ecclesiæ suo nomine congregatæ„, quod & priùs dixerat Maldonatus D. Gregorii authoritate fretus, & ad instantiam Conciliorum Provincialium, uterque respondet in eis quoque proportionaliter valere argumentum „ cum legitimè fiunt, & „ à Pontifice approbantur „ ut loquitur Cornelius; fusiùs verò Maldonatus, „ Con„ cedo id ita esse, modò Provincialia Conci„ lia in Christi nomine congregentur: „ Tunc autem in ejus nomine congregan„ tur, cum ejus authoritate conveniunt, „ Tunc ejus authoritate conveniunt, cum „ Romani Pontificis, seu ejus Vicarii authori„ tate convocantur, & confirmantur, sine „ qua, quia congregari non possunt, nec „ Christi nomine convenire possunt; ideò„ que non negamus, cum in Christi nomi„ ne non conveniunt, errare posse „

24. At juxta hanc discurrendi formulam, etiam convocatio Conciliorum Provincialium, imò & Diæcesanorum, indiget authoritate Romani Pontificis, ut sint legitima, utque dici valeant facta in nomine Christi, quod à veritate puto alienum, & à D. Gregorio minimè intentum. Eruit quidem Sanctus Doctor illationem à fortiori, dum *lib.* 2. *epist.* 112. loquens *de habendis per Parochias Conciliis*, Domini præsentiam in eis futuram promittit, *quia scriptum est*: ubi fuerint congregati duo, vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum, *Si ergo adesse dignatur ubi duo, vel tres fuerint, quantò magis non deerit ubi plures convenerint Sacerdotes?* non per hoc tamen firmat in dictis Conciliis ultimatam infallibilitatem in dogmatibus decernendis, cum nec de eis sit ibi sermo, nec dicat ea in nomine Christi non congregari absque Romani Pontificis authoritate. Unde, ut vim habeat præfata ratiocinatio, Christi præsentiam, ac Spiritus Sancti assistentiam adesse statui debet in quibuslibet Conciliis, ac Congressibus legitimè habitis, ac in nomine Christi, servatisque cunctis servandis, debitoque præsupposito in congregatis æternæ salutis desiderio, bonique communis zelo, non tamen in singulis æqualis ponderis, & virtutis, sed juxta cujuscunque indigentiam, & cum debita proportione ad finem, materiam, cæteraque, de quibus in eis agitur, & tractatur. Cumque in nullo ex eis definiri pos-

possit ultimatè ullum fidei dogma, adeòut illud universi amplecti teneantur fideles, tamquam primæ Veritati revelanti innixum, nisi quoties Romanus Pontifex, vel prævię Concilium instruit super edenda definitione, vel definitioni consensum præbet, vel definitionem sua authoritate confirmat, in nullo, pariter, ab hoc casu, præsupponi potest divina assistentia ad ultimatam infallibilitatem causandam, modo, de quo hactenùs locuti sumus; & propterea eò definita à Conciliis generalibus excipienda cum veneratione sint, eaque negare sit prorsùs temerarium, in fide periculosum, suspicionemque forsitan ingerat hæresis, non tamen, ut de fide adhuc tenenda, ac si propositiones ipsis oppositæ dicendæ sint formalissimæ hæreses.

25. Optimè catenùs Tridentina Synodus *in Spiritu Sancto congregatam* se dicit, quòd authoritate Romani Pontificis, ipsiusque Legatorum præsidentia fuerit munita, & quidem, ut peculiari Spiritus Sancti ductu veram de fide doctrinam exponeret, sed non expositione, quæ Ecclesiam obligaret, quousquè à Romano confirmaretur Pontifice, cui proponere illam humilitèr debebat, ut ultimata infallibilitate potiretur. Peculiarem idcircò Spiritus Sancti ductum sequuntur Concilii Patres, ut Christi Vicario fundamentum exhibeant, quod consolidet, & confirmet, & in hoc non erraturos ipsos debemus confidere, non tamen fide divina tenere, quin nec fortè, ut omninò, ac, ut ita dicam, metaphysicè repugnans autumare, quòd error quandoque contingere queat saltem inimputabilis, & inculpabilis; eodemque modo occurrendum censemus ad anathemata in singulis definitionibus inflicta contra contumaces, diversa ab iis sentientes, quòd videlicet ea debitum involvant respectum, & subordinationem ad Romanum Pontificem, à cujus confirmatione completam firmitatem, integrumque robur desumptura, ut de ipsis verificari possint relata, in objecto, Pontificum authoritates, sunt condita. Nec fortassis à vero aberraret, qui in prædictorum munimen observare vellet diversitatem inscriptionis, qua usum fuit Tridentinum ab altera Concilii Constantiensis, omissis scilicèt illis particulis *universalem Ecclesiam repræsentans*, quæ in nullo alio legebantur, ante Constantiense, Concilio. Attento etiam quòd, id non evenisse fortuitò, testetur Salmeron *in act. Apost. tract.* 78. referens ortam in eo fuisse difficultatem super dictis particulis apponendis, conclusamque tamquam magis expedientem partem negativam, pro qua facit, quod supra indicavimus, Concilium nempè quantumvis generale, seorsim à Romano Pontifice universalem Ecclesiam completè non repræsentare, sed solum Ecclesiæ corpus, ac membra; quamvis aliàs dicto, aliisque Conciliis titulus præfatus potuisset competere, sumptis cum relatione ad Romanum Pontificem, à quo complementum, & integritatem desumere debebant. Unde si in rigore accipienda sit Constantiensis inscriptio (sermo est de ea, prout habetur antecedentèr ad electionem Martini V. non prout repetitur post ipsius electionem in *articulo* relato *cap.* 2. *artic.* 13. *num.* 11. sic namque patet, eam involvere respectum ad Pontificiam confirmationem) ad statum Ecclesiæ ejus temporis dirigenda est, quo, cum nullus esset certus legitimus Petri Successor, Concilium illud universalem Ecclesiam, prout tunc reperiebatur, dici poterat adequatè, & perfectè repræsentare.

26. Cum præsertim in eo plena residebat authoritas quousque perdurasset schisma etiam in Pontifices illos dubios, & incertos, quorum quilibet se credebat legitimum. Hoc tamen discrimine notato ab Eminentissimo de Aguirre *tract.* 1. *de infall. auth. Romani Pontif. extra Concilium disput.* 15. *sect.* 2. *num.* 15. quòd circa abrogationem eorumdem Pontificum certa, & ultima illa erat, & à nullo infra Deum dependens, sicut & circa electionem novi Pontificis, nam alioquin nullus fuisset terminus schismati, & Ecclesia mansisset à Deo prorsùs destituta, portæque inferi prævaluissent adversùs eam,, Si enim abrogatio trium Pon„tificum incertorum, & electio alterius à „ Concilio factæ fuissent sine explorata au„thoritate, à quonam sub cœlo firmitatem „habere possent? certè à nullo. Neque „enim Pontifex recèns electus posset con„firmare, seu conciliare suæ electioni ma„jorem fidem, & authoritatem, quàm illa „ab initio habuisset. Quoadverò dogmati„cas fidei definitiones, satis consulebatur „necessitati Ecclesię per hoc, ut Concilium „haberet authoritatem damnandi hæreses „emergentes, quamvis non ultimo judi„cio, & irreformabili, sed dependenti à „confirmatione Sedis Apostolicæ, cum pri„mò electus fuisset verus, & indubitatus „Papa, qualis fuit Martinus V. in casu „quæstionis. Etenim durante schismate „illo, omnes prorsùs Christiani, etiam hi,

„ qui incerto titulo contendebant de Pontificatu, tenebantur stare doctrinæ definitæ à Concilio generali, cum in tota Ecclesia militante non esset tunc alia regula æqualis authoritatis ad credendum circa doctrinam controversam in fide, & ensque nondum ritè definitam. Itaque satis consulebatur necessitati Ecclesiæ ad tempus solùm duranti, & præter communem cursum per definitiones à Concilio latas, quamvis postea simpliciter reformari possent à Pontifice ritè electo „ Quod adhuc non est ita accipiendum, ac si pro eo etiam tempore definitiones Conciliares dogmaticæ censeantur absolutè, & simpliciter fidei objecta; quod enim tale semel est, semper tale esse debet, non enim primæ innixum Veritati aliquid esse valet ad tempus, & retractabiliter. Sed quòd pro eo tempore nulli licet definitiones conciliares impugnare, quinimmò eas reverenter excipere, & tamquam certas certitudine infra fidem, summa tamen, quę in illis circumstantiis est possibilis, quæque temporaneæ necessitati Ecclesiæ subveniendæ abunde sufficit.

27. Datæ autem responsioni plurimùm favet testimonium Cardinalis Turrecremata *in Sum. de Eccl. lib. 2. c. 99.* asserentis, decretum Constantiense non fuisse reverà conceptum sub formula expressa *num. 21.* quoad præsertim particulas illas, *& cujuscumque alterius Concilii* (quæ aliàs interpretationis ejusdem essent capaces, eas intelligendo *super præmissis, seu ad ea spectantibus factis, vel faciendis,*) sed sub alia, „ Non est verum, imò falsum, quod Adversarii dicunt, videlicet quòd Constantiæ declaratum sit, sive decretatum, quòd *Universalis Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata generale Concilium faciens, Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem à Christo habet immediatè, cui quilibet cujuscumque status, sive dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire tenetur &c,* „ Planè numquam Constantiæ sub hac forma legitur aliquod decretum factum; „ Declaratio autem facta per Patres illos sub obedientia Joannis XXIII, congregata emanavit sub hac forma: *Hæc Sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis, & unione, ac reformatione Ecclesiæ in capite, & in membris faciendâ, declarat, quod ipsa in Spiritu Sancto congregata generale Concilium faciens; & Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans potestatem à Christo habet immediatè, cui quilibet &c.* Ecce manifestè, quòd decretū illorum Patrum non loquitur universaliter de qualibet Synodo, sed de illa singulariter, pro cujus tempore non erat in Ecclesia unus Pastor totius Ecclesiæ indubitatus.

28. Idem defectus notari posset quoad particulam *ad fidem*, quæ in plerisque codicibus, ut in Coloniensi absoluto in Imperiali Oppido Hagenovu *anno* 1300. in Mediolanensi Typis Gotardi de Ponte *anno* 1511. in Lutetiæ Parisiorum Typis Gabioti à Prato *anno* 1524. & in collectione Conciliorum, quæ *anno* 1530. Coloniæ prodiit, nequaquam legitur. Verùm eruditissimus, & accuratissimus Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus Emanuel à Schelestrate in *opusculo* Antverpiæ impresso 1683. sub titulo; *Acta Constantiensis Concilii ad expositionem Decretorum ejus sess. 4. & 5. facientia,* & in *Tractatu* evulgato, *de sensu, & authoritate decretorum Constantiensis Concilii sess. 4. & 5. circa potestatem Ecclesiasticam editorum* ex antiquissimis manuscriptis, particulam prædictam adesse debere ostendit, ipsiusque omissionis originem in Basileense Concilium refundit, cujus opera facta est prima ex relatis editionibus Imperialis oppidi Hagenow, quam deinceps secutæ sunt aliæ, quousque Petrus Crabbe *anno* 1538. particulam omissam restituere cæpit, nulla facta correctionis mentione, nulloque citato codice.

29. Sicut autèm laudatus Author ex fide dignis manuscriptis codicibus particulam prædictam censuit legitimam, ita & spurias, ac additias asserit alias; *& ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris*, de quibus nulla in illis mentio, non obstante, quòd aliqua à Notariis ipsis conscripta fuerint; unde dein Basileenses compilarunt decreta. Cumque non duo, aut tria ea sint, sed novem antiquitate, & veridicitate, præstantia, cæterisque in contrarium adducibilibus præferenda, quòd hæc ex eodem corruptionis fonte rivuli haberi debeant; sicuti pariter eadem laborant infectione editiones omnes, quæ easdem involvunt particulas, non exclusa ea, quæ Romæ facta est *anno* 1628. sub Paulo V. Summo Pontifice. „ Paulus V. enim non adjecit Bullam in collectionis, aut decretorum confirmationem, neque aliquid de textus germanitate affirmavit, sed veritatem lectionis penès codicum, ex quibus acta desumpta sunt, authoritatem reliquit, Præclarum est hac de re exemplum de actis sextæ Synodi, ubi nomen Honorii legitur, de quo auferendo post Baronium, ad hæc usque tempora certatur; Sicut sextæ Synodi acta ex editione Ro-

„ Romana prodierunt cum ea solùm certi-„ tudine, quam fides græcorum codicum „ meretur, ex quibus edita sunt, ita & fa-„ ctum est de actis Constantiensis Conci-„ lii, quæ post editionem Romanam, aliam „ certitudinem non obtinent, præter eam, „ quam merentur, & authoritas Basileen-„ sium, qui eam compilarunt, & manuscri-„ pti codices, ex quibus edita fuerunt.

30. Non prætermisso, quòd in uno ex novem dictis manuscriptis codicibus post particulas prædictas extet notatum: *iste* (articulus) *imperfectè fuit factus, ut sequitur, ideo suppletur in sessione sequenti*, quod quoque indicat illas abesse debere à decreto sessionis quartæ, idcircò renovato in sessione quinta. Accedentibus in idipsum testimoniis Gobelini Personæ Decani Bilsfeldiensis, & Officialis Paderbonensis, qui tempore Concilii Constantiensis vivebat, actaque ipsius posterorum memoriæ literis cōsignabat. Sic nàque loquitur de sessione quarta, & decreto in ea habito „ penultima die Martii, quæ „ fuit Vigilia Paschæ fuerunt pronuntiati „ quidam articuli per unum de Cardinali-„ bus minùs sufficienter (en æquivalentibus „ verbis, quòd *articulus imperfectè fuit factus*) „ quapropter sexta die mensis Aprilis iisdem „ articuli per unum alium de Concilio Re-„ ge præsente pronuntiati, sunt reformati, quod idem est, ac fuisse suppletum *in sessione sequenti*. Nec non, & ejusdem Basileensis Concilii, quod tanto in pretio est apud nobis in præsenti contradicentes, ex gestis Constantiensis hucusque ineditis rationem assignantis dictæ *imperfectionis ortæ ob diversas opiniones de potestate Concilii generalis, in his, quæ pertinent ad reformationem Ecclesiæ, super prima definitione præscriptus fuerat omissus articulus, de hoc faciens mentionem, & sequens, qui ex primo dependet*.

31. Nec aliquis dicat, superfluas esse has, similesve reflexiones, quòd per accidens omninò ad intentum se habeat decretum integrè fuisse formatum in sessione quarta, vel mutilè, & completum dein sessione quinta, dummodò constet ejusmodi fuisse Concilii mentem. Ex indicatis namque satis elucet, nos ad conjecturas prædictas nequaquam confugere, quasi quòd vim habiturum censeamus decretum, si revera in sessione quarta conditum supponi deberet. Sed ut appareat quàm labili nitantur fundamento, qui, ob illud, afferto nostro se opponunt, quàmque meritò *arundineum fulcbrum* dictum fuerit à Cardinali de Aguirre, non parùm conducere autumamus omni ex parte illud infringere, explicatione videlicet, de qua *n.26.& seq.* & absoluta rejectione, pro qua efficacius viget motivum, si in quinta editum credatur. Ex quo licèt in quarta robur habere nequiverit, quòd à plenario Concilio non fit emanatum, sed ab una tantum ex tribus obedientiis, nempè quæ spectabat ad Joannem XXIII. reliquis duabus Synodo adversantibus sub tunc probabili titulo duorum aliorum Pontificum, quorum jura tuebantur; „ Nullus „ autem dubitat quòd asserere, quòd sola „ obedientia Joannis faceret Concilium „ universale, universalem Ecclesiam re-„ præsentans, esset temerarium, & scanda-„ losum aliis duabus obedientiis, ut ait Turrecremata *cap.99.lib.2.Summ.de Eccles.* so-lidè indicatam duarum partium contradictionem comprobans. Hoc nihilominùs specialiùs verificatur de sessione quinta, quòd etiam contradicentibus gravioribus de obedientia Joannis XXIII. Patribus, fuit celebrata „ Non modò (Turrecremata prosequitur) „ non intervenit universalis Ec-„ clesia, sed obedientia una tantum, scilicet „ Joannis XXIII. sed etiam non integrè to-„ ta illa obedientia, quoniam plures Patres „ doctissimi illius obedientiæ illis non præ-„ stiterunt consensum, aut assensum suum; Et Summus Pontifex Eugenius IV. (*in sua, contra Basileenses, Apologia part. 8.*) *Qui Constantiæ consedebant unius tantùm obedientiæ Synodum faciebant, nec tamen hi omnes in eamsententiam convenerunt, sed nonnulli reclamavere graviores, qui strepente multitudine superati, sicut his novissimis temporibus, quibus carnales exuberant passiones, factum esse manifestum est, audiri nequiverunt*.

32. Quòd si *temerarium* esset universali Concilio tribuere, quod ab unius obedientiæ Patribus est effectum, & nec quidem ab omnibus, qua nota inurendi forent, qui decreti approbationem ipsimet Romano Pontifici non erubescunt impingere? Id sanè ipsi eruere contēdunt ex interrogatione, quæ jussa est fieri à redeuntibus ab hæresi ad Ecclesiam, quæque desuper *cap.2. artic.13. n.11.* est inserta. Sed perperàm, nàm articulus ille supponit Constantiense *universalem Ecclesiam repræsentans*, quod in sessionibus quarta, & quinta nullatenùs poterat verificari. Approbavit igitur Martinus Constantiensis decreta, sed decreta ad fidem spectantia, ac *Conciliariter* facta, non quæ ab una obedientia, etiamsi per unanimem omnium sub ea assensu, & multò minùs, si cum graviorum Doctorum, Patrumve dis-

dissensu, *Cum nonnulli*, legitur *sess.45*, in Actis Constantiensibus per quatuor Protonotarios conscriptis, *multum dicerent, Martinus V, omnibus imposito silentio dixit, respondendo ad prædicta, quòd omnia, & singula decreta Constantiensis Concilii approbabat, & ratificabat, quæ in materia fidei conciliariter statuta erant, non autem alia, neque alio modo.*

33. Neque aliter ratiocinari potest, qui tantum Pontificem desipientem omninò, asserere noluerit, sibique apertè contradicentem. Cum enim constet nedum ipsum condemnasse inter alios articulum septimum Joannis Hus negantis Petrum esse Caput Ecclesiæ, & trigesimum septimum Wiclephi pariter admittere detrectantis, quòd Romanus Pontifex sit Christi immediatus Vicarius, ut *cap.2.art.12.num.10.* & *24.* conspeximus, sed etiam *in Constitutione* (*Ad perpetuam rei memoriam*) in Consistorio generali celebrato Constantiæ 6. Idus Martii edita celeberrimam illam statuisse sanctionem: *Nulli fas est à supremo Judice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice Jesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis fidei, quæ tamquam majores ad ipsum, & Apostolicam Sedem deferenda sunt, declinare*; quomodò cum his cohærere potest, quòd Martinus suam approbationem decretorum Concilii, æqualis, aut ferè æqualis ponderis judicaverit, ac consensum cujuslibet alterius Episcopi Synodum constituentis? quomodò, quòd Concilium in Romanum Pontificem superiùs admiserit? & notetur, nulli fas esse asserere à Pontifice, declinare judicium Apostolicæ Sedis in causis fidei, absolutè, & simpliciter, quòd majores causæ ad Apostolicam Sedem deferri debeant, ut inde evidentissimè pateat, non damnari solummodò, licitam fore appellationem à Romano Pontifice ad Episcopos, Archiepiscopos &c. extra Concilium positos, sed & ad ipsos quomodolibet congregatos, de quibus sic sumptis propriissimè erat sermo. Meritòque: proindè Schelestrates in Maimbourg tali se munientem responsione, *disp.3.cap.4.* scripsit, „ Hæc tamen responsio adeò infirma est, ut „ lector non nisi oculis indigeat ad falsitatem illius ex actis Concilii detegendam, „ Non enim agebatur à Legatis Poloniæ de „ Episcopis particulatim sumptis, sed in „ Concilio adunatis. Appellare volebant, „ non ad Patriarchas, Primates, Metropolitanos, & Episcopos toto Orbe dispersos, „ sed in Concilio generali congregatos, „ Cum autem horum occasione editum „ fuerit à Martino V. decretum de non appellando à Romani Pontificis judicio, ut „ ipse D. Maimbourg fatetur, qua ratione „ negare potest, supradicto Martini decreto prohibitam fuisse appellationem ad „ generale Concilium?

34. Sic Author laudatus, qui plerisque aliis ineluctabilibus argumentis hactenùs delibata confirmat, & roborat, objecta quælibet ad evidentiam diluens, & solvens, & idcircò in hac materia habendus præ manibus, cum à nostro instituto quadantenùs aberraremus, si omnia, & singula expendere hic vellemus, non tàm ad asserti firmitatem necessaria, quàm ad eruditionem, & probationum varietatem, ac ornatum tendentia. Duo proinde alia ex hujusmodi probationibus momenta innuere contenti erimus; quorum alterum ex Bulla Martini V. confirmatoria gestorum Synodi Constantiensis in solis fidei dogmatibus eruitur. Latuit hucusque illa nostri sæculi Peritos, & à diligentissimo Vaticanæ Bibliothecæ Præfecto, pervolvente Regestum variorum Martini, aliud quærendo reperta, publicique juris effecta. In ea autem Summus Pontifex, præmissis, quæ contra errores Joannis Wiclephi, & Hus, ac Hieronymi de Praga à Joanne XXIII. in Concilio Romano decreta fuerant, statutisque Constantiensis Concilii circa propositiones Wiclephi, & Hus, nec non errorem Boëmorum de communione sub duplici specie, aureis hisce concludit verbis: *Nos igitur declarationes, decreta, definitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, statuta, nec non condemnationes, sententias, suprascripta, rata habentes, & grata, illaque authoritate Apostolica ex certa scientia, tenore præsentium confirmantes* (Hæc planè ponderent, qui Concilium Pontifice superius credunt; qui Concilium infallibile seorsim à Pontifice adstruunt; qui indefectibilitatis privilegium non Christi Vicario, sed ovibus ipsi commissis, quantumvis in unum congregatis concedendam effutiunt) *& præsentis scripti patrocinio communientes, supplentes quoque omnes defectus, si qui forsan propter solemnitates juris in procedendo non servatas intervenerint in eisdem. Volumus etiam, & eadem authoritate decernimus, quòd declarationes, definitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, statuta, nec non condemnationes, & sententiæ præinserta plenam vim, plenum robur, & vigorem per omnia habeant* (non igitur habebant independenter à Rom. Pont.) *& ad ea ubilibet probanda hæ nostræ literæ plenè sufficiant &c.*

35. Corruit autè ex hac Bulla confirmatoria

ria ludricum illud argumentum, quo fretus Richerius *lib.2.c.2.§.26.* apud eundem Schelestrate, ex altera Martini Bulla, quæ incipit: *Inter cunctas Pastoralis curæ sollicitudines* à Basileensibus in actis Constantiensibus inserta inferre conatur superioritatem Concilii, ,, quoniam Martinus omnia, & singula de ,, Concilii consensu, & approbatione gerit, quæ particulæ, cum in altera, quæ verè confirmatoria est, nec per umbram legantur, sed Romani Pontificis nomine proprio, nulla Concilii mentione facta, nisi quatenùs Concilium et declaratur subjectum, dum gesta per ipsum asserit Martinus *se approbare, ratificare, confirmare, communire*, nec non, & *defectus supplere*, quæ à solo Superiore fieri possunt, ut inde efficacissima in Richerium appareat retorsio favore Pontificiæ prælationis super quibuslibet Conciliis efformanda. Attento præsertim, quod altera Bulla, quam tanti facit, licèt post Concilii finem legatur, nempè post sessionem quadragesimam quintam, revera tamen ante sessionem quadragesimam tertiam emanavit, nec fuit in rigore confirmatoria omnium gestorum Synodi nondùm finitæ, sed potiùs executoria pro Inquisitoribus hereticę pravitatis in Polonia, Anglia, aliisque locis, ubi wiclephi, & Hus, ac Hieronymi Pragensis hæreses grassabantur, ac idcircò non mirùm, si *sacro approbante Concilio* à Martino V. edita asseratur, ut ingeniosè expendit *diss.3. cap.4.* Schelestrates.

36. Quamquam nec prædicta responsione adeò indigamus, ac si, ea præcisa, legitimam habeamus illationem, quæ ex adverso prætenditur, Ut enim solidè animadvertit Fagnanus *in cap.* Antigonus *de Pactis*, Conciliaria decreta in Conciliis generalibus sub Summorum Pontificum præsentia, ac præsidentia habita, inter quæ numeratur Constantiense post Martini electionem, non sub eadem forma edita apparent. Pluriès namque leguntur Canones conditi sub verbis: *decernimus, sancimus, præcipimus, prohibemus*, nulla Pontificis, aut Concilii facta mentione, ut *in cap.* Ne pro defectu, *cum tribus sequent. de elect.* quandoque *sacro approbante Concilio*, ut *in cap.* Cum laicis *de rebus Eccles. non alienand.* & *in cap.* Sacro approbante Concilio *de sent. excom.* quandoque *sacro suadente Concilio*, ut *in cap.* Licèt Græcos *de bapt.* quandoque *sacra authoritate Concilii*, ut *in cap.* Nimis *de jurejur.* quandoque *sacro præsente Concilio*, & *cum Concilio deliberatione præhabita*, ut *in cap.* ad Apostolicæ *de re judic.* Sicuti quoque ejusmodi constitutiones editæ in Conciliis prædictis, nunc tribuuntur Pontifici in Concilio, ut *in cap.1. de sum. Trin. & fide cath.* nunc Summo Pontifici etiam absque ulla Concilii mentione, ut in plerisque *ex Clementinis* simpliciter inscriptis per dictionem, *Idem*, quamvis ferè omnes editæ fuerint in Concilio Viennensi; nunc factæ asseruntur *ex Concilio generali*, ut *in cap.* Nonnulli *de Cler. non resid.* & *cap. 2. de Stat. Monach.* nunc denique adscribuntur Pontifici ex Concilio generali per illas particulas, *Idem ex Concilio generali*, ut *in cap.* Adversùs *de Immunit. Eccles.*

37. Cujus varietatis causa licèt non eadem sit apud Doctores, aliorum placitis omissis, quæ præfatus Canonista solidè rejicit, præferenda omninò videtur ejusdem opinio in Summorum Pontificum eam arbitrium refundentium. In rigore enim Christi Vicarii nomine edi Decreta, Canones, & Constitutiones deberent, sive denominatio sumatur à Tribuente authoritatem, etiam in concursu Condentis *ex cap.* Si Apostolicæ Sedis *de Præb. & Dignit. in 6.* sive à Confirmante *ex cap.* Si cum *eodem in 6.* sive à Maiori, & Digniori, cum præsertim talis sit eminentiæ, ut in eo residead potestatis plenitudo, qualis est in Romano Pontifice, pro quo longè proindè fortior militat ratio, quàm de Metropolitano in Concilio Provinciali, cujus nomine indigitantur Constitutiones in eo editæ; ut videre est in sex Conciliis Provincialibus Mediolanensibus à S. Carolo celebratis, in quorum principio legitur; *Nos Carolus Borromeus de consilio, & assensu DD. Coëpiscoporum Nostrorum statuimus*, nec non, & in inscriptionibus similium Conciliorum, quæ passim recognoscenda mitti solent ad sacram Congregationem Concilii, *Constitutiones editæ ab Archiepiscopo N. in Concilio provinciali &c.* Cum tamen Metropolitanus se solo nequeat Constitutiones facere sine majoris Concilii partis consensu, ad Romani Pontificis discrimen, qui in Concilio potest decreta condere etiam sine Concilio, ut *in cap.* ad Apostolicæ *de re judicat. lib. 6.* & *in cap.* Cuncta per mundum *9. q.2.* ,, Ergo ,, (infert Fagnanus) si Constitutiones provinciales, quæ constantur, & accipiunt ,, esse ex simultaneo consensu Metropolitani, & Suffraganeorum, non Synodo, sed ,, Metropolitano tribuuntur, longè magis ,, Constitutiones editę in Concilio generali, ,, cui Papa præsidet, adscribendæ sunt Papæ, cum, hoc casu, consensus Concilii

non

„ non requiratur ad substantiandas Constitutiones, quas Summus Pontifex potest „ condere etiam sine Concilio „ quibus nihilominùs non obstantibus, aliisque, quæ in id ipsum conducentia videri possunt apud Cardinalem Turrecremata *lib. 3. summ. de Eccles. cap. 32*. Romani Pontifices consensere, ut Constitutiones ipsis præsidentibus, ac præsentibus conditæ aliquo ex indicatis modis adscriberentur Conciliis, vel ut sic faciliùs, ac feliciùs evulgarentur, vel etiam in humilitatis exemplum Apostolorum Principem imitantes, qui dignatus est consentire, quòd decreta Conciliorum, quorum ipse fuit Præsidens, communi omnium nomine formarentur, ut præsertim observari potest *Act. 15. 7.* ubi licèt Petrus tamquam Apostolorum supremus, & Caput quæstionem proposuerit de circumcisione gentibus non imponenda *surgens Petrus dixit ad eos* &c. determinatio nihilominùs communi prodiit vocabulo: *Placuit Apostolis, & Senioribus cum omni Ecclesia*.

38. Ex his evidens non minùs deducitur solutio ad Concilium Basileense, ut mirum propemodùm sit, reperiri è Catholicis, qui ipsius authoritate uti non erubescant, meritòque in eos Cardinalis Turrecremata *in Summ. de Eccl. lib. 2. cap. 100.* applicat illud Hieronymi, quod habetur (*c.* Non afferamus 24. *q.* 1.) *Non afferamus stateras dolosas, nec appendamus, quod volumus, pro arbitrio nostro dicentes; hoc grave, hoc leve est; sed afferamus divinam Stateram ex Scripturis sacris, tamquam de Thesauris Dominicis, & in illa, quid sit gravius appendamus; Imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus*. Inchoatum quidem fuit Basileense Concilium legitimè, illud indicente Martino V. eoque mortuo indictionem unà cum legatione Juliani Cardinalis Cæsarini confirmante Eugenio IV. & in hoc, Constantiensi præferendum, quòd istud, non nisi à Joanne XXIII. Pontifice incerto sit congregatum; sed quia posteriora deinde minimè responderunt prioribus, conversum est in *Conciliabulum, Schismaticum, Seditiosum*, & nullius prorsus authoritatis, quale illud vocavit generale Lateranense Concilium inchoatum sub Julio II. anno 1511. & finitum anno 1517. sub Leone X. *sess.* 11. cum abrogans R. Pontifex pragmaticam sanctionem in Bituricensi, ac Basileensi Synodis firmatam; *Nec illud*, inquit, *nos movere debet, quòd sanctio ipsa, & in ea contenta in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante à Bituricensi Congregatione recepta, & acceptata fuerunt, cum ea omnia post translationem ejus Basileensis Concilii per reverendæ memoriæ Eugenium Papam IV. etiam prædecessorem nostrum factam à Basileensi Conciliabulo, seu potiùs Conventiculo, quæ præsertim post hujusmodi translationem Concilium ampliùs appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint*. Cujus causalis vim efficacissimè comprobat prægnantibus illis verbis, quæ *cap. 2. art. 12. num. 25.* inseruimus, pleraque deìn subdens exempla, quibus evidens redditur Pontificia authoritas congregandi, ac transferendi pro libito Concilia quælibet etiam contradicentibus Patribus illa constituentibus; post quæ, non minoris momenti subnectit indicatam à nobis *num. 14.* rationem ex eisdem Conciliis erutam gestorum in materia præsertim fidei, confirmationem à Romanis Pontificibus efflagitantibus; *consueveruntque antiquorum Conciliorum Patres, pro eorum, quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione à Romano Pontifice subscriptionem, approbationemque humilitèr petere, & obtinere, prout ex Nicana, Ephesina, & Chalcedonensi hujusmodi, & sexta Constantinopolitana, & septima eadem Nicana, & Romana sub Symmacho Synodis habitis, earumque gestis, nec non in Aimari libro de Synodis manifestè colligitur, quod etiam novissimè Constantienses Patres fecisse constat, quam laudabilem consuetudinem, si Bituricenses, & Basileenses secuti fuissent, hujusmodi molestia proculdubio caremus*.

39. Quod autem de Constantiensibus Patribus indicatur, alterum est, quod insinuandum promisimus *n. 34.* ad evincendum quà longe fuerit eorumdem mens, postquàm legitimum re vera Concilium efformabant ab adstruenda, vel superioritate Concilii in Romanum Pontificem, vel infallibilitatis privilegio independentèr ab ejusdem confirmatione, aut consensu. In quem finem non parùm itidem ponderis habet, quod Schelestrates *diss. 3. cap. 4. pag. 198. edit. Rom.* circa professionem fidei *sess.* 40. actum ponderat, „ Cum Patres Constantienses sess. „ quadragesima ederent professionem fi„ dei, quam Romani Pontifices juxta anti„ quam consuetudinem ante consecratio„ nem emitterent, inter omnia Concilia, „ generalia, quæ decreta in materia fidei „ per totam Ecclesiam recepta ediderant „ unum Constantiense omiserunt, cum ta„ men plura de fide, quàm ullum aliud „ Concilium statuisset: Quare Patres Con„ stantienses innuere voluerunt se futurum „ Pontificem adstringere non potuisse ad decre-

,, decreta fidei in Concilio statuta, nisi Se- ,, dis Apostolicæ judicio fuissent priùs con- ,, firmata ,, quodque *pag.* 206. de gestis *sess.*45. in qua fuit prolata Martini V. responsio desuper relata *num.*32. subdit circa damnationem libri Joannis à Falckembergh ibidem legendum, breviori hic dumtaxat inserta, quam de ea re habet idem Author relatione in *Compendio Chronologico* Constantiensis ejusdem Synodi *pag. LXXIII. & seq.* ,, Sess. quadragesima quinta, & ulti- ,, ma Concilii, Oratores Regis Poloniæ ,, videntes, quòd Martinus V. mitiùs cum ,, libello Joannis à Falckembergh ageret, ,, *Rem novam ausi*, inquit Cromerus War- ,, miensis Episcopus (*lib.*18. *de rebus gestis* ,, *Polonorum*) *ad futurum Concilium appellarunt*, ,, qua de re cum multa dicerent, & tumul- ,, tus in Concilio fierent; Martinus imposito ,, omnibus silentio respondit ad prædicta, ,, & dixit, quòd omnia, & singula in mate- ,, ria fidei *conciliaritèr* statuta, & decreta ,, confirmaret, *neque aliter*, neque *alio modo*. ,, Quibus verbis articulum de Joannis Petit ,, propositione à Joanne Falckembergh in ,, libello prædicto renovatum se cum Con- ,, cilio Constantiensi damnare, Statutum ,, tamen Nationum, & Cardinalium de dam- ,, nandis in sessione publica prætensis aliis ,, libelli erroribus sese rejicere significavit. ,, Cumque Oratores Poloniæ appellatio- ,, nem suam ad futurum Concilium prose- ,, qui vellent, Martinus suprema suæ Sedis ,, auctoritate usus, & contra Constitutio- ,, nem suam de non appellando ad futurum ,, Concilium procedi nolens, appellationem ,, prosequi volentibus silentium sub pœna ,, excommunicationis imposuit; idque in ,, medio Concilii adstantibus cunctis trium ,, Obedientiarum, omnium Nationum, & ,, ipsius Sacri Cardinalium Collegii Patri- ,, bus, fecit, & actis publicis ad perpetuam ,, rei memoriam, inseri jussit, prout etiamnũ ,, inserta sunt actis Constantiensis Concilii ,, tàm editis, quàm non editis, tàm à Basi- ,, leensibus compilatis, quàm ab ipsius Con- ,, stantiensis Synodi Notariis conscriptis.

40. Superfluum propemodùm videtur diutiùs immorari in Basileensis Conciliabuli rejectione, sed non omninò adhuc est omittendum quòd ex Dupino *tom. de antiq. Eccles. discipl. diss.*5. §.6. refert Leytam *in impen. Pontif. Dignit. clypeo discep.*7. *sect.*7. approbatum videlicet illud *fuisse* tùm ab Eugenio IV. ,, in Bulla, quæ lecta est *sect.*14. ibi: *Decernimus, & declaramus præfatum Concilium generale Basileense à tempore prædictæ inchoationis suæ legitimè continuatum fuisse, & esse*, tùm à Nicolao V. Eugenii successore rata habente omnia facta, gesta, concessa data, indulta, disposita, & ordinata. ,, Ergo ,, (infert Dupinus) non est, quid respondeant ,, Adversarii hanc epistolam Synodalem ,, Concilii non fuisse à Romanis Pontifici- ,, bus approbatam: Cum autem in ea Epi- ,, stola Concilii Basileensis definiatur Pon- ,, tificem Romanum in definiendis rebus ,, fidei infallibilem auctoritatem adscribe- ,, re. ,, Sequitur &c. At longè absit immane facinus prelaudatis Pontificibus per manifestam calumniam impingere, quam quoad Eugenium ineluctabilibus rationibus rejicit Turrecremata *lib.* 2. *Summ. de Eccles. cap.*100. promens inter alia declarationem, quam ipse Eugenius Florentiæ in disputatione publica ,, de qua Nos in mino- ,, ribus constituti respondebamus, alleganti ,, in favorem Basileen. Reverendissimo ,, Domino Juliano de Cæsarinis S. Sabinæ ,, Presbytero Cardinali præsentibus Dominis ,, Cardinalibus, pluribusque aliis Prelatis, & ,, Officialibus Curiæ ad argumentum de hu- ,, jusmodi Bullis respondit, ità dicens: *Nos quidem benè progressum Concilii approbavimus volentes, ut procederet, ut inceperat, non tamen approbamus eius Decreta*; Subdenque doctissimus Cardinalis rationem *art.*14. inserendam, ob quam in hoc Pontifex *sapientissimè fecit*, ita prosequitur ,, Præterea quod Do- ,, minus Eugenius approbando processum ,, Concilii, non approbaverit decreta illius, ,, indè manifestè colligitur, quòd licèt Ba- ,, sileenses cum maximo studio repetitis vi- ,, cibus supplicaverunt, oraverunt, & re- ,, quisierunt per Oratores suos, ut Domi- ,, nus Eugenius eorum decreta approbaret, ,, & confirmaret, nunquam tamen appro- ,, bationem, aut confirmationem habere ab ,, eo potuerunt. Et meritò, quia Sedes Apo- ,, stolica, in qua Religio Christiana semper ,, immaculata permansit, & permanebit, ,, talia Decreta, quæ ab Evangelica Veri- ,, tate, & Sanctorum Patrum doctrina alie- ,, na videbantur, nullo modo ab eo passa ,, fuisset confirmare.

41. Jure eatenùs Leytam à Dupino querit, cur non omnia Eugenii verba retulerit? Si enim non legit, negligentiæ, & oscitantiæ redarguendus; si legit, & omisit, doli, & malitiæ ad rudes, & imperitos decipiendos; *Ita tamen*, en Eugenii exceptio à legitimitate Concilii indicata, *quòd Præsidentes nostri ad præfati Concilii præsidentiam admittantur cum effectu, ac omnia, & singula contra Personam,*

sonam,

sonam, authoritatem, ac libertatem nostram, & Sedis Apostolicæ facta, & gesta sunt per dictum Concilium, omninò tollantur, & in pristinum statum reducantur,, Eugenius (subdit Societa-,, tis Theologus) ne approbarit Concilium ,, evertens Pontificis authoritatem, cum il-,, lud tantùm approbet, dummodò, quæ ,, contra Pontificis authoritatem sunt à ,, Concilio gesta omninò tollantur? Non ,, admittit Concilium illud Præsidentes ,, Pontificis, sed seipsum facit Præsidens, ,, & Caput, erigitque supra eos Præsiden-,, tes, & suprà Papam, superbum Tribunal, ,, & approbari dicitur ab Eugenio, qui sta-,, tuit, se non aliter illud approbare, nisi ,, cum effectu Præsidentes Pontificis, ad ,, Concilii præfati præsidentiam admittan-,, tur? cur tacuit Dupinus postea secutas ,, Bullas Eugenii, qui, ut vidit effrænatam ,, superbiam, tumidamque elationem ,, Concilii jam redditi Conciliabuli contra ,, suum legitimum Papam, & indubitatum ,, Christi Vicarium, quasi Dæmonem super ,, folium Altissimi audentem ascendere, ,, toties reprobavit, anathematizavit, pro-,, scripsit, execratus est?

42. Hactenùs Leytam, quem luculentiùs in eadem doctrina præcessit S. Joannes à Capistrano Seraphici mei Ordinis fulgentissimum luminare, Pontificiæ authoritatis, & in Concilia quælibet quantumvis legitima, & oecumenica superioritatis, validissimum propugnaculum, in aureo opusculo *de Papa, & Concil. auth.* (quod confecisse de Eugenii mandato, testatum nobis reliquit ipsius socius Pater Hieronymus de Fara, in vita, quæ adhuc manuscripta asservatur) de quo meminit Pater Lucas Wadingus in Catalogo Scriptorum Ordinis Minorum, his verbis,, Joannes de Capistra-,, no scripsit doctum opusculum de Papæ, ,, & Concilii, sivè Ecclesiæ, authoritate, ,, dum sub Eugenio IV. acritèr, & totius or-,, bis scandalo contenderet Conciliabulum ,, Basileense sibi subdi Summum Pontifi-,, cem.,, In eo autem, quod insertum reperitur inter tractatus universi juris authoritate Gregorii XIII. collectos *tom.13.* impressos *Venet. an.* 1584. quodque publica prope diem fortè iterùm donandum est luce, unà cum reliquis Sancti Viri operibus nostræ tenuitatis diligentia coordinatis, ac non inutili notarum additione auctis, ab Apostolicę Sedis jura tuentibus, non semel, aut iterum perlegendo, ad quoslibet retundendos in ejusdem præeminentiam, dignitatem, primatum, & infallibilitatem Adversariorum conatus, illumque præsertim ex Basileensis Concilii decretis erutum; referens, Papalis muneris inclytus Defensor, impudentissimam insaniam Patrum in eo congregatorum, qui ad depositionem Eugenii devenientes, Amadęum Sabaudiensem ad thronum Petri evehere sunt ausi: *Jam videmus*, inquit, inter alia; *abominationem desolationis, Amadæum Sabaudiensem, non in loco sancto, Romano throno, Domino prohibente, sed in loco prophano, excommunicato, & interdicto, Basilistorum spelunca, Dæmonumque caverna sedentem in Fano Cosrhoæ Persarum olim perditissimi Regis.*

43. Nec diversimodè loqui profectò poterat de Pseudo-Pontifice per Conciliabulum dictum intruso, qui,, non modò ,, falsam (Basileensium doctrinam), verùm ,, etiam in Conciliis oecumenicis damna ,, tam, & ab initio primitivæ Ecclesiæ Pon-,, tificem non ambiguum in universam Ec-,, clesiam, & Concilia imperium exercuis-,, se demonstrat B. Joannes à Capistrano,, ut de eo loquitur Odoricus Raynaldus *ad annum* 1439. *num.* 19. ubi in dictum finem Sanctissimi Minoritæ, hæc notatu digna inserit suis breviusculis animadversionibus intermixta fragmenta.,, *Probatur*, inquit, ,, *per Gregorium X. in generali Concilio Lugdu-,, nensi dicentem in cap. Ubi periculum, de elect. ,, lib.6. in §. Cæterum, ubi exhortando omnes ,, Cardinales, tàm absentes, quàm præsentes pa-,, riter, & futuros, cum agitur de electione Pa-,, pæ dicit: Per viscera misericordiæ Domini ,, nostri, ac per aspersionem sui pretiosi Sanguinis ,, obtestamur, ut pensantes attentiùs, quod eis ,, imminet, cum agitur de creatione Vicarii Chri-,, sti Jesu, & Successoris Petri, Rectoris universalis Ecclesiæ, gregis Dominici Directoris, omni ,, privatæ affectionis inordinatione deposita &c. ,, Cum itaque talis constitutio facta fuerit in Con-,, cilio generali, ubi erant Prælati universalis ,, Ecclesiæ, mirum est, quod si talis constitutio à ,, veritate cessabat, tantorum, & tot Prælato-,, rum præsentia minimè contradixit, & si vio-,, lentia qualiscumque intervenerit, mirum est, ,, quòd non per ipsos nec per eorum Successores ab-,, inde in posterum extitit reclamatum, vel ab ,, aliquo refragatum; unde jam pro tanto tempore ,, omnis est præscriptio consummata ab Ecclesia ,, Romana contra quaslibet Ecclesias.* Et infra. ,, *Cum itaque ab exordio surgentis Ecclesiæ pri-,, mitivæ hanc præeminentiam, & in Christo pri-,, mitùs, & in Petro Christi primo Vicario, & ,, in cæteris Successoribus eorumdem, Summis ,, Pontificibus continuatam priscis, & successivis ,, temporibus contemplemur, quid aliud contra-*

rium

„ rium afferentibus nomen imponere valebimus, „ nisi Schisma? nisi tunicæ Christi inconsutilis laceratiónem? divisionem unitatis? Sanctæ Matris Ecclesiæ desolationem? quin etiam Concilium Constantiense, dum œcumenicum fuit, eam damnasse implicitè, ut „ supra diximus, dum Pontificem esse „ Caput militantis Ecclesiæ adversùs Wiclessum sanxit, explicitis autem verbis in „ Concilio Florentino œcumenico damnatam visuri sumus.

44. „ At Basileenses novatores, quamvis numero essent paucissimi, exclamabant ex eo, quòd, teste Hieronymo, Orbis „ major sit Urbe, totius Ecclesiæ auctoritatem, Romani Pontificis auctoritate, majorem esse, quorum sophisma ita dissolvit idem B. Joannes à Capistrano: *Ad illud, „ autem, quod dixit Hieronymus Orbem majorem Urbe, respondeo, hoc intelligendum „ quoad dimensitatem, non quoad Pontificalem „ auctoritatem, nam cum, in tot suis epistolis Hieronymus Damaso Papæ scripserit, se firmiter tenere, neminem extra suam obedientiam posse „ salvari, quomodò putandum est suæ frequentissimæ protestationis immemorem extitisse, & „ contrarium intulisse? qui hoc credant, meo judicio de Hieronymo malè sentiunt, sed non „ Ego. Ipse igitur hæresum Extirpator se defendat, qui semper fuit possetenus veritatis „ amicus, cultor, atque defensor, ut sum in „ proëmio hujus operis exorsus: scribens enim „ ad Eugenium Presbyterum de præeminentia „ Sacerdotii ad Diaconum, & retundens supercilia „ superbientis Diaconi volentis se præferre Presbyteris ex consuetudine Urbis Romæ dicit. Orbis major est Urbe.* Et infra: *quid mihi præfers unius Urbis consuetudinem, nam ex eo, quòd „ in Romana Curia Diaconi Cardinales, ne contemni videantur, præponuntur omnibus Cardinalibus*, nimirùm in administratione „ opum Ecclesiasticarum, ut pluribus in „ locis observat Cardinalis Baronius, *talis consuetudo* (quam videlicet Romana Ecclesia *sola servat, nec vult ab aliis „ servari*) *non est ad exemplum trahenda, in consequentiam ad alias Ecclesias, sed magis sequenda est consuetudo generalis.* „ Hactenùs Capistranus, & ex Capistrano Odericus Raynaldus, apud quem, & alia præclara videri possunt prædictis affinia fragmenta num. præsertim 26. & n. 32. in quo egregia illa extat illatio, qua Zelantissimus Capistranus ex omnibus à se congestis patere ait: „ *quòd non solùm Urbis, sed Orbis, & totius mundi, & omnium fidelium, tàm quoad membra „ dispersa, quàm quoad unita, & invicem „ congregata Petrus à Christo suscepit plenitudinem potestatis, cum cæteri Episcopi à Petro, & sic à Papa Petri Successore quicumque „ sollicitudinis partem capiant, & impendant.*

45. Ejusdem, ni dicam, perniciosioris veneni plena est (quæ ab eodem prætenditur Dupino) approbatio Basilensis præfati Conciliabuli per Nicolaum V. Pontificem Eugenii IV. Successorem habita, cujus Bullam incipientem, *Ut Pacis* apud Bail *tom. 1. Conc. pag. 499. & seq.* qui vel perfunctoriè, ac leviter legerit, Arguentis temeritatem, non poterit non exhorrere: *Cum itaque*, ait Pontifex, *post crebras, variasque conturbationes, quibus multis ab annis sancta Dei subjacuit Ecclesia, causantibus divisionibus, quæ inter felrecor. Eugenium Papam IV. Prædecessorem nostrum, & tunc Basileense Concilium viguerunt: hoc in nostro tempore, & ex Altissimi Dei providentia ineffabili, interpositione, tractatuque Oratorum Charissimorum in Christo filiorum Francorum Angliæ, & Renati Siciliæ Regum, nec non Delphini Viennen. primogeniti Francorum Regis illustris, Pacem Ecclesiæ redditam videbamus: dum percepimus venerabilem, & charissimum Fratrem nostrum Amadæum primum Cardinalem, Episcopum Sabinensem in nonnullis Provinciis Apostolicæ Sedis Legatum, Vicariumque perpetuum, Felicem Papam V. tunc in sua obedientia nominatum, juri, quod in Papatu asserebat se habere, ad hujusmodi pacem Ecclesiæ obtinendam, cessisse. Eos vero, qui Basileæ, postmodùm Lausanæ sub nomine generalis Concilii hactenùs congregati permanserunt, ordinasse, & publicasse, Nobis tamquam unico, ac indubitato Summo Pontifici obediendum esse à cunctis fidelibus, & præfatam Lausanensem dissolvisse congregationem.* Quis jam ex his verbis non inferat apertissima Arguentis mendacia, falsitates, dolos? Approbator ne gestorum Concilii dicendus Nicolaus, quod Concilii nomine profitetur indignum? id autem ipse clarissimè insinuat particulis illis, *sub nomine generalis Concilii*, quę non veri generalitatem Concilii, sed falsam denominationem generalis Concilii exprimunt. Legitimè Eugeniū depositū habitum à Nicolao credi potest, qui Amadęum in locum Eugenii electum Antipapam agnoscit: *tunc nuncupati Felicis*? OEcumenicum existimatum conventum, cujus decreta in negociis beneficiorum, & dispensationum, ut pacis in Ecclesia perduraret serenitas, non confirmavit, nisi quia perceperat *Amadæum..... Felicem Papam V. tunc in sua obedientia nominatum, Juri, quod in Papatu asserebat se habere...... cessisse*; eos vero sub Concilii nomine congregatos ordinasse,

dinasse, & publicasse Nobis tamquam unico, ac indubitato Summo Pontifici obediendum esse à cunctis fidelibus; Dupinus itaque, (concludit optimè Leytam) „ illo ipso Bullæ mu„crone se jugulavit, quo Sedis Apostolicæ, „ Romanique Pontificis infallibilem au„thoritatem convellere conabatur. Erubescat igitur, dum suorum molem so„phismatum, subitò collapsuram, mobili „super arena fundare contendit.

46. Aliquid ad hujus *articuli* complementum delibandum superest circa Concilium Pisanum tempore indicati schismatis celebratum, cui pariter plurimùm fidere solent, qui pro superioritate Concilii in Romanum Pontificem, ejusque infallibilitate seorsim ab eodem Christi Vicario dimicant. Non una autem est circa illud Doctorum opinio, contendentibus nonnullis habendum æque, ac Basileense, ut Conciliabulum, & illegitimum, propendentibus aliis favore legitimitatis ipsius. Conciliabulum illud tenuit, & appellavit S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus *par. 3. Chron. tit. 22. cap. 5. §. 2. & cap. 6. §. 2.* inquiens: *Per Pisanum Concilium, vel Conciliabulum (cum non esset alicujus eorum, qui se pro Pontifice gerebant, authoritate congregatum) non erat ablatum ipsum schisma, sed augmentatum ex duobus, tribus jam se pro Papa gerentibus*, alludit S. Antistes ad electionem Alexandri V. qui licèt ad Pontificatum à dicto Concilio evectus fuerit, non proinde tamen universalitèr fuit, ut talis habitus, & creditus, sed plures Provinciæ Gregorium, & Benedictum sequi perrexerunt, & Benedicto inter alios per novem post Pisanum Concilium annos adhæsit S. Vincentius Ferrerius, ac idcircò, cum priùs contentio de Papatu ad duos esset restricta, ad tres fuit extensa, adeout ex pluriès citato Schelestrate *diss. 2. cap. 1. art. 1. tractatus laudati pag. 75. & seq.* de Occidente tunc dici potuerit, quod magnus Hieronymus *epistola ad Damasum Papam* de schismate Antiochenæ Ecclesiæ, quam tres eodem tempore regere contendebant, scriptum reliquit: *Vetusto Occidentem Populorum furore collisum, indiscissam Domini tunicam minutatim per frusta discerpsisse*.

47. In Concilii legitimitatem propendere videtur Bellarminus *lib. 1. de Concil. & Eccles. cap. 8.* qui tamen re vera *nec manifestè probatum, nec manifeste reprobatum* appellat. Apertiùs proinde inter œcumenica adnumerandum censet Severinus Binnius *in notis*, Blondus *lib. 10. dec. 2.* & quotquot Alexandrum V. in recta serie Pontificum adnumerant, quorum placitum communius, & verius asserit Bail *tom. 2. summ. Concil. pag. 130. & seq.* Ubi, indicato priùs, quàm dignus ille esset Pontificis infulis ex Luca Wadingo celeberrimo Seraphici mei Ordinis, è quo ad Thiaram Apostolicam evectus ille fuerat, historico, ejusdem favore contra calumnias Theodori Niemi, adducente Platinam, Ciacconium, Papirium, Massonum, Fulgosium, aliosque, legitimitatem prædictam suadere conatur, „ quia „ in casu, in quo plures sunt dubii, & incerti „ Romani Pontifices, iis invitis, Cardina„lium authoritate Concilium generale „ convocari, ejusque potestate omnes è „ Pontificatu amoveri posse patet; quia cum „ non est certus Pontifex, perinde est, ac si „ Pontifex nullus omnino esset, & sic eum „ Ecclesia eligit. Cum ergo multi dubii, „ & incerti pro Pontificibus habentur, jure „ potest Ecclesia novum creare Pontificem, „ & præcipere, ut cæteri omnes Pontifica„tu se abdicent: quod ni fecerint, potest eos „ sententia lata Pontificatu dejicere, & om„nibus fidelibus imperare, ne eos ullo mo„do pro Pontificibus agnoscant, habeant, & „ venerentur. Et licet initio auctum fuerit „ schisma per hoc Concilium, longè tamen „ breviori tempore extinctum est, ut paulò „ post apparuit, quàm si duo tantum con„tendissent, quorum collusione, & obsti„natione spes pacis, & unionis tollebatur. „ Sed undenam, dicet aliquis, colligi potest „ tantum juris, & potestatis esse penès Ec„clesiam? Respondeo id ex Christi institu„tione per necessariam, & evidentem ra„tionem deduci, ne scilicet Christus suam „ Ecclesiam deseruisse videatur; alioquin „ enim multis dubiis, & incertis pro Pon„tificibus Summis in Ecclesia se gerenti„bus, sanè innumeris calamitatibus, & „ malis ipsa premeretur, & vexaretur Ec„clesia.

48. In hac sententiarum varietate patet insufficientia argumenti ex Pisano Concilio, quod proculdubio subjacere alicui incertitudini, non videtur negandum, pro generalis Concilii prælatione, & infallibilitate compacti, cum præsertim, sive, ut Conciliabulum explodatur, sive ut œcumenicum recipiatur, nullius adhuc ponderis esse Christi Vicario injuriosam illationem, indè elucet, quòd, si illegitimum illud est, cum ex principio falso sequi nequeat verum, ejusdem illegitimitati, ac falsitati patet, & illatum fore subjectum, cui obnoxium est antecedens, ex quo illatum eruitur.

tur. Si verò œcumenicum, non nisi in. fulsè, & impudenter ad Pontificem certum, indubitatum, & ab Ecclesia receptum, æque clarum est applicari, quæ Pisanum de Pontificibus incertis, & dubiis decrevisse, manifestissimè cuilibet ipsius acta prælibanti innotescet, & fortiùs, si eadem maturiori consilio perpendet, præter alios complures, cum prælaudato Schelestrate *loco citato*, & novissimè cum Francisco Leytam *in impenetrab. Pontif. dignit. clypeo discept. 5. sect. 3. per totam*.

ARTICULUS XII.

An propositio opposita alteri definitæ tanquàm de fide credendæ in Conciliis œcumenicis approbatis ab Apostolica Sede sit hæretica?

1. EX dictis *art. præced.* insinuatum satis manet approbationem Apostolicæ Sedis circa œcumenicorum Conciliorum definitiones multipliciter haberi posse, vel nempè per consensum ipsum Romani Pontificis Conciliis præsentis, ac præsidentis; vel per instructionem præviè Legatis communicatam, aut ad Concilia ipsa transmissam, qua, quid definiri de fide debeat, comprehendatur; vel per confirmationem decretorum in ipsis Conciliis firmatorum. Primo modo se gesserunt Romani Pontifices in Conciliis occidentalibus, quibus præsentes fuere, ut tetigimus *artic. præced. num. 3.* ubi, quòd ipsi sequuti sint plerúmque exemplum Principis Apostolorum, qui *Act. 15. 28.* licèt esset præsens Concilio habito ad circumcisionem, & legalia abroganda, voluit tamen, ut decretum conciperetur nomine totius Concilii: *Visum est Spiritui Sancto, & Nobis.* Secundo modo approbatio Pontificia contigit in Conciliis Orientalibus, quibus Romanus Pontifex præsuit per Legatos, quos quandoque instructos destinavit de Apostolicæ Sedis sententia, ut præsertim videre est in Concilio Constantinopolitano tertio, ubi Agatho R.P. impertitus est Legatis *licentiam tantummodò, sive authoritatem simpliciter satisfaciendi in quantùm eis dumtaxat injunctum est, ut nihil proferre præsumant, augere, minuere, vel immutare, sed traditionem hujus Apostolicæ Sedis, ut à Prædecessoribus Apostolicis Pontificibus institutam simpliciter enarrare,* adeout, deberent, *non tanquam de incertis contendere, sed, ut certa, atque immutabilia compendiosa definitione proferre.* Tertio modo, præcipuum est exemplum Damasi Papæ, qui Constantinopolitano primo Concilio, nec per se, nec per Legatos Præsidens, ut est communior opinio, Sancti Acholii, seu Ascholii legationem, de qua fit mentio in Synodo quadam jussu Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini opera Lucæ Holstenii edita, ad Constantinopolitanam aliam Provincialem Synodum referēs, ex deductis per P. M. Bonaventuram Sant'Elia *in sua Synopsi œcum. orient. Concil. p. prior. prop. 2. controv. Conc. Constantinop. primi*, sua confirmatione verè reddidit œcumenicum. *Quibus*, scripsit *lib. de septem Synodis*, de sancitis in eo Photius, *haud multò post, & Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans, atque idem sentiens accessit.* Quomodolibet verò Pontificius consensus interveniat:

2. Dicendum absolutè est, propositionem oppositam alteri tanquàm de fide definitæ in istiusmodi œcumenicis Conciliis, habendam *hæreticam*. Solos Acatholicos habet assertum adversarios Lutherum videlicet *artic. 28. & 29.* & in *lib. de Concil.* Brentium in *Confess. Vuittembergensi, cap. de Concil.* Calvinum *lib. 4. Inst. cap. 9.* ubi §. 14. Catholicis impingit, quòd divinam Scripturam Conciliis subjiciant. „ Subjicere in „ eum modum, Dei oracula hominum „ censuræ, ut ideò rata sint, quia placue„ runt hominibus, blasphemia est indigna, „ quæ commemoretur. „ Quidquid verò blaterent fidei hostes, veritas conclusionis evidentissima redditur, si perpendantur, & veluti in unum colligantur, sparsim dicta *cap. 1. art. 3. cap. 2. art. 11. 12. & 13. & cap. 3. art. præced.* cohærenter ad quæ, Magnus Gregorius *lib. 1. Reg. ep. 24.* relatus *dist. 15. C. Sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor, Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur, Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii, & Macedonii error convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur, Chalcedonense verò, in quo Eutychis, Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio; quia in his, veluti in quadrato lapide Sanctæ fidei structura consurgit, & cujuslibet vitæ, atque actionis norma consistit. Quintum quoque* (ut videas eamdem rationem esse de cæteris, in quibus cædem conditiones concurrunt) *Concilium pariter veneror, in quo Epistola,* quæ *Ibæ dicitur, erroris plena, reprobatur &c.* Ubi τὸ *sicut*, non identicam indicat æqualitatem, sed proportionatam similitudinem, illi affinem, qua Christus Dominus (*Matth. 5. 48.*

Estote perfecti, sicut, & Pater vester cœlestis perfectus est; unde Gelasius Papa in Concilio habito Romæ cum septuaginta Episcopis *eadem dist.16.* itidem relatus *C. Sancta R. E. post illas veteris Testamenti, & novi Scripturas, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet, sanctam Synodum Nycænam &c.*

3. Quod si de æqualitate Gregorium velimus accipere, nil indè pro hæreticis colligi potest, ne dum quia æqualitas ipsa non infert Scripturam Conciliaribus definitionibus inferiorem æstimandam, illisque subjectam, ut mentitus est Calvinus, sed etiam, quia æqualitas non in omnibus est desumenda,, sed tantùm (ut Bellarminus ,, *lib.2. de Conc. cap.12.* advertit) in ipsa cer-,, titudine eorum, quæ in Scripturis dicun-,, tur, & in Conciliis definiuntur. Cum ,, enim utraque sint infallibilis veritatis, ,, æquè certa dici possunt., Et proinde utrumque verum, videlicet, quòd Concilia, si quò ad omnia in eis sancita sumantur, sive ad fidem, sive ad mores, sive ad disciplinam pertineant, post sacras Scripturas sint suscipienda, si, quo ad veritates fidei certò tenendas, æquali cum Scripturis veneratione dignas habendas; dummodò tamen Scripturis Sacris semper detur prælatio, ob speciales, quibus potiuntur, prærogativas, quòd nempè Verbum divinum contineant immediatè Canonicis Scriptoribus à Deo, vel revelatum, vel directum, aut inspiratum, quin ipsi multùm laborare deberent, sive scribendo, aut dictando, quæ edebant vaticinia, sive revocando ad memoriam, quæ audierant, aut viderant, sive cogitando verba, quibus exponerent, quas narrabant historias, aut scribebant epistolas: quòd nullus in eis error haberi potest, tàm in rebus fidei, ac morum, & ad totam Ecclesiam spectantibus, quàm & in quibuslibet quantumvis ad unus, vel alterius bonum pertinens, & ne dum quòad cunctas, & singulas sententias, sed, & quò ad omnia, & singula verba, minimum quid exprimentia, ex deductis *cap.3. art.3.* Cùm tamen Concilia in definiendis dogmatibus novas non habeant immediatè revelationes, sed veteres eruant ex implicito ad explicitum, illasque declarent, deducendo per ratiocinationem conclusiones, disputando, legendo, cogitando, quamvis Spiritu Sancto eorum industriam, & diligentiam adjuvante; nec cum de particularibus factis agunt, infallibilia omninò sunt, nec cum decreta fidei condunt, decretorum verba sunt ita de fide tenenda, ut nullum adesse queat superfluum, aut rectè non positum, sed solùm in sensu per verba importato, estò quandoque sensus ipse totus contineatur in aliquo verbo, in quod proinde cadere possit definitio fidei, uti de verbo *Omousion* tetigimus *cap. 3. artic. 14. num. 13. & seq.*

4. Divo Gregorio consentiunt Ambrosius *lib.5. epist.32.* qui exhorrere se profitetur, *Ariminense Concilium sequens tractatum Concilii Nicæni, à quo me, nec mors, nec gladius poterit separare*; & *epist.83.* vocans prædicti Concilii *Fidei vera, & admiranda decreta*. Augustinus *lib.4. contra Donatistas* docens tolerandum, qui videatur non benè sentire in aliqua doctrina, *donec Deus velit, ut declarata veritate plenario Concilio firmetur*; undè *lib.2. de bapt. cap.18.* hoc solo argumento Cyprianum cum suo Concilio, in causa validitatis baptismi ab hæreticis collati excusat, quia in plenario, seu generali Concilio veritas illa adhuc definita non erat. Cyrillus Alexandrinus (*dial.1. cum Hermia*) *Si quis fidem illam à Sancta, & magna Nicæna Synodo divino afflatu, definitam ac expositâ dicere voluerit basim animarum nostrarum, fundamentumque inconcussum, . . . fidelis, & verus adorator relucebit*, Patres Concilii Constantinopolitani IV. œcumenici VIII. (*can.1.*) *Regulas, quæ sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ tàm à sanctissimis Apostolis, quàm ab Orthodoxorum universalibus Conciliis sunt tradita, servare, & custodire profitemur*, quos sequuti dein sunt, & aliorum generalium Conciliorum Patres, ut in eorumdem actis elucet, formula non omissa, quam *ex Const.38.* Injunctum nobis, Pii IV. Tridentinæ sanctioni inhærentis, emittere tenentur *omnes, quos deinceps Cathedralibus, & superioribus Ecclesiis præfici, vel quibus de illarum Dignitatibus, Canonicatibus, & aliis quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis, curam animarum habentibus provideri contingent*; ubi in fine legitur: *Cætera item omnia à sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitantèr recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas ego paritèr damno, rejicio, & anathematizo &c.*

5. Vanum propterea Sectariorum nonnullorum effugium, definitiones Conciliorum generalium veterum admittentium, reliquas verò recipere detrectantium, ut enim arguit, *in sua securi Evangelica par. 2. dist.3. art.5.* Minorita Porterus,, Si Concilia

„ lia generalia legitima non fuit infallibi-„ lia, ergo primum Apostolorum Conci-„ lium non fuit infallibile, ergo nec infal-„ libilia quatuor subsequentia, nempè Ni-„ cænum, Constantinopolitanum, Ephesi-„ num, Chalcedonense: si sic, quomodò „ probabitur definitiones istorum Conci-„ liorum esse de fide? quomodò convincen-„ tur Ariani, Nestoriani, & similes de hæ-„ resi? vel ergo isti fuerunt legitimè à Con-„ ciliis istis damnati, vel non? Si non, ergo „ malè definierunt illa Concilia esse de fide, „ Trinitatis, & Incarnationis mysteria, Spi-„ ritus Sancti divinitatem, unitatem Perso-„ næ, & duas Naturas in Christo: Si autem „ isti hæretici fuerunt legitimè damnati; „ ergo definitiones Conciliorum sunt in-„ fallibiles, & consequenter Concilia œcu-„ menica pollent infallibilitatis privile-„ gio. „ Et infrà: „ Si quatuor prima ge-„ neralia Concilia sunt infallibilia, cur non „ reliqua? cur potiùs Concilium Aposto-„ lorum, quàm alia, cum Christus promi-„ serit se futurum cum Ecclesia usque ad „ consumationem sæculi? vel probent Se-„ ctarii ex Scriptura, quòd infallibilitas sit „ promissa huic particulari Concilio, & „ non istis &c.

6. Quod quoque argumentum vanas Protestantium prætensiones elidit, quibus ad legitimum habendum Concilium generale iniquas expostulare non erubescunt conditiones, ut nempè priùs irritentur omnia acta Tridentini, ut non convocetur à Ro mano Pontifice, nec ei ipse præsideat, ut ex sola Scriptura feratur sententia, non autem ex Traditionibus, vel Canonibus, ut decisio non fiat pœnes suffragiorum pluralitatem, sed juxtà normam Verbi Divini, ut Theologi Principum, æquè ac Episcopi votum habeant decisivum, aliasque his affines à Gaspare Willalpandæo fusiùs, & ex ipso breviùs impugnatas à Bellarmino *lib.* 1. *de Concil. & Eccl. cap.* 21. quæ si ullam, vel minimam subsistentiam haberent, proculdubiò nullum ex veteribus Conciliis, ut legitimum censendum, ac consequenter, nec ritè definita præcipua fidei nostræ mysteria, Consubstantialitatis Verbi, Divinitatis Spiritus Sancti, Processionisque à Patre, & Filio, Trinitatis Personarum, Incarnationis Dominicæ; Realitatis Corporis, & Animæ Christi Domini; Naturarum ejus impermixtionis, & id genus alia, dùm evidentissimè constat conditiones prædictas in eis non fuisse adimpleras, nec adimpleri unquam potuisse, nisi à Cacodæmone earum unico, & præcipuo Authore, cui nihil infensiùs, quòd catholici habeantur consessus pro explicandis divinis dogmatibus in nomine Christi, quos ipsius Vicesgerens in terris convocet, dirigat, regat, roboret, ac confirmet, concurrentibus fidei Judicibus, Apostolorumque Successoribus, seu Ecclesiarum omnium Præsulibus, ac Pastoribus, quos dedit Deus *Speculatores domui Israel* (*Ezech.* 33. 2.) mandans, ut docerent omnes gentes (*Matt. ult.* 10.) cæterisque præcipiens, ut ipsis obedirent tanquam *Præpositis*, & subjacerent *eis* (*ad Hebr.* 13.17.) declarando, quòd eos audiendo, & Christum audirent; *Luca* 10. 16.) *Christus* ajebat proindè *orat.* 2. *de imaginibus* S. Joannes Damascenus: *non commisit Ecclesiam Regibus, & Imperatoribus, sed Episcopis, & Pastoribus.*

7. De qua Evangelica veritate ipsimet Principes illustria præbuere testimonia Constantinus siquidem Magnus, ut referunt Ruffinus *lib.* 1. *hist, cap.* 2. & Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 16, ne dùm cum oblati essent accusationum libelli ab Episcopis, eos audire noluit, sed illam æternis dignam encomiis protulit sententiam. *Vos à Deo nobis dati estis Dii, & conveniens non est, ut homo judicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est*: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit, (*Ps.* 81. 1.) *Et ideò his omissis, illa, quæ ad fidem pertinent, absque ulla animarum contentione, distinguite*, Theodosius, & Valentinianus in *epistola, quæ extat in Actis Concilii Ephesini* se jussisse affirmat; *Candidianum præclarissimum religiosum, domesticum comitem ad sacram vestram Synodum abire, sed ea lege, & conditione, ut cum quæstionibus, & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat; nefas enim est, qui Sanctorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis, & consultationibus se se immiscere* &c. Martianus *actione sexta Concilii Chalced.* ita locutus legitur. *Nos ad fidem roborandam, non ad aliquam potentiam ostendendam, sive exercendam exemplo religiosissimi Principis Constantini Synodo interesse voluimus, ut veritate inventa, non ultra multitudo, pravis doctrinis attracta, discordet*, Basilius in *oratione ad Synodum octavam*, cum ea jam esset ad calcem perducta, laicis in hunc modum reperitur affatus: *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui absolutè conversamini, quid ampliùs dicam, non habeo, quàm quòd nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere; neque penitùs resistere integritati Ecclesiæ, & universali Synodo adversari,*

hac

hæc enim investigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui solvendi, & ligandi potestatem habent, qui ecclesiasticas, & cœlestes adepti sunt claves; Non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus. Et proptereà S. Athanasius *epist. ad solit. vit. agentes* adversùs Constantium usurpatorem præsidentiæ, & judicii ecclesiastici exclamavit: *Quis videns eum in decernendo Principem se facere Episcoporum, & præsidere judicii s Ecclesiasticis, non meritò dicat, illum eam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele dicta est?*

8. Nec alicujus momenti est recursus, quem habere possunt ad Sanctorum Patrum authoritates, quibus in casu contrarietatis vetera Concilia præferenda asserunt Conciliis posterioribus, indè colligentes, non minùs, diversitatis rationem, cur antiquorum recipiant Conciliorum generalium definitiones, non verò subsequentium; quàm, quòd Concilia generalia etiam legitima, & approbata possint errare; aliàs verificari non possent dicta Sancti Isidori Archiepiscopi Hispalensis ad Massanum Episcopum scribentis (*cap.* Domino Sancto *dist.*50. & *cap.* Hoc ipsum 33. *q.*2.) *Quotiescumque in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illius Concilii magis teneatur sententia, cujus, aut antiquior, aut potior extat authoritas.* Magni Leonis ad Anatolium. *Nulla sibimet de multiplicatione Congregationis Synodalia Concilia nec* 300. *illis, &* 18. *Episcopis quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre. Cum divinitùs eo privilegio Nicæna sit Synodus consecrata, ut sivè per pauciores, sivè per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni pœnitùs authoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum.* Cum non desint, & aliæ ejusdem ponderis testimonia, posteriora prioribus Conciliis præferentia, Augustino *lib.* 2. *cont. Donatistas* dicente: solius privilegium Sacræ Scripturæ esse, ut corrigi, aut variari non possit: *Quis nesciat sacram Scripturam, tàm veteris, quàm novi Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari, vel disceptari non possit, utrùm verũ, vel utrùm rectũ sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit?* Contra verò contingere valeat *ipsa plenaria Concilia sæpè priora posterioribus emendari, cum aliquo rerum experimento aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat, sine ullo typo sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate christiana.*

9. Clarum fit ad concordiam eas revocari debere, pro qua, duas conclusiones firmat Cardinalis Turrecremata *lib.* 3. *Summ. de Eccl. cap.* 63. statuens in altera, quòd si discordia inter Concilia generalia supponeretur in materia fidei, antiquiori standum esset Concilio, ipsiusque definitioni adhærendum; dummodò illud legitimum fuerit, & Romani Pontificis approbatione, aut confirmatione munitum; & in hoc sensu locutum ait D. Isidorum. Non quòd censeat Eminentissimus Author discordiam dictam posse quandoque contingere, cum protestetur id à se credi impossibile, sed quòd transmissa hypothesi, quæcumque ea sit, juxta phrasim, quam ab Apostolo servatam innuimus *cap.* 2. *art.* 13. *nu.* 25. cùm *emphaticè* anathema protulit in Angelum evangelizantem præter quàm quòd ipse evangelizaverat, prior definitio præferenda esset posteriori „ Cum enim tale Concilium in fide, stante divina promissione errare non possit, & fides sit simplex, & incommutabilis, ut ait Augustinus, & Leo Papa, non potest sequens Concilium illi in veritate adversari, nisi alterum ipsorum à veritate deviaret, quia vero, non nisi falsum dissonat; aut ergo controversia vera non est, (quod magis credendum est) aut aliquod illorum catholicum non est, quod magis de posteriori præsumendum esset, cum antiquum jam totius Ecclesiæ acceptatione fuisset approbatum.

10. In secunda asserit, quòd si discordia inter Concilia versetur circa ea, quæ positivi sunt juris, quoad regimen humanæ vitæ, aut disciplinam Ecclesiasticam, posterioris determinatio præferri deberet determinationi prioris, ob rationem, quam tangit Augustinus in argumento relatus, ex materiæ variabilitate desumpta, vi cujus aliqua superioribus temporibus erant convenientia, quæ nostris valde inconvenientia forent, & dispendiosa „ Unde Canones Apostolorum licèt cæteris vetustiores sint, tamen in multis eorum rigidæ sententię non statur, sed sententię per pietatẽ mitigatæ per alia sequentia Concilia. In illis enim erat statutum, ut Presbyter fornicationem quomodolibet committens deponeretur, sed talis rigor per Gangrense Concilium mitigatur hodiè, & illi statur, & ita præjudicatur Canonibus Apostolorum, ut *dist.* 2. (Presbyter) Ita etiam Concilio Nicæno circa dispositionem Se-

dium

,, dium Patriarchalium præjudicatũ est per ,, Concilium universale sextum, quoniam ,, juxta dispositionem Concilii Niceni, Alexandrina Ecclesia habebat primum locum ,, post Romanam, juxta vero Constitutionẽ ,, Concilii Cõstantinopolitani sexti, Constãtinopolitana habebat locũ ante Alexandrinam, ut in c. Renovantes *dist*. 22. & illi nunc ,, statur, & præjudicatur Nicæno licet anti. ,, quiori : ,, Quod ultimum cautè accipiendum est in eo, quòd Constantinopolitano Concilio tribuat præjudicium illatum Nicæno. Tum quòd Constantinopolitanum, generale sextum, nullos revera condidit Canones, sed plerique Patres post decennium à terminato Concilio congregati authoritate Callicini Episcopi Constantinopolitani illos firmarunt in *Trullo*, quo, ob rotundam fornicem, appellabatur nomine Oratorium Palatii Imperatoris Constantinopolitani, veluti in supplementum quinti, & sexti generalium Conciliorum, in quibus de solis fidei dogmatibus actum erat, unde, & *Quinisexta*, ea Synodus est inscripta. Tum & præcipuè, quòd falsum absolutè est virtute dicti Canonis illatum fuisse præjudicium Nicæno Concilio, nisi de eo sit sermo, quatenùs successu temporis, consuetudine, licèt iniquè introducta, vigente, Pontificiaque accedente concessione Innocentii III. & subsequentium Romanorum Pontificum, & præcipuè Eugenii IV. in Concilio Florentino, validus, & legitimus effectus fuerit, qui in sui origine nullius erat roboris, & firmitatis, ut ex eruditissimo Schelestrate novissimè animadvertit meus concivis Bonaventura S. Elia in sua *OEcum. Conc. Orient. Synopsi priori part. prop. contr.* 3. *Constantinop. primi, & prop.* 2. *contr. Chalced. unici, & parte poster. in notulis ad can.* 36. *ex Trullanis*; remissivè. Hoc autem ad Turrecrematæ intentum abundè sufficere nemo non videt, & cum eo consentit Cardinalis Bellarminus *lib.* 2. *de Conc. auth. cap.* 7 qui paritèr indicat Augustinum exponi posse vel de Conciliis illegitimis, quæ per posteriora legitima emendantur, vel de legitimis in quæstionibus facti non juris, qualis erat præcipua quæstio Catholicorum cum Donatistis de Cæciliano, libros ne tradidisset hostibus fidei, an non?

11. Futilis paritèr redditur recursus ad necessitatem omnium, & singulorum orbis Episcoporum, ut universale Concilium verè totam repræsentans Ecclesiam, dici valeat, ac si defectus quilibet eorumdem satis sit, ut indè defectibile Concilium illud evadat. Redit namque retorsio contra prima Concilia, & definita per ea, cum constet plures absuisse Episcopos, primum namque ex solis 318. secundum ex 150. Tertium ex 200. Quartum ex 630. constituta reperiuntur, quo non obstante tamquàm Evangelia vidimus veneranda, & universalia, vel ab hæterodoxis habentur, quamvis dein non sibi constantes, omnes, & singulos orbis Pastores necessarios adstruant, ut indè Concilia generalia impossibilia pœnitùs reddant. Omnes itaque convocandos fatemur, quoad tamen fieri potest (neque enim in cujuslibet Principis, aut Tyranni potestate situm esse debet, Concilii legitimitatem infringere, impediendo hunc, vel illum Episcopum, ne ad illud accedat) promulgando saltem Patriarchis, Primatibus, aut Provinciis omnibus edictum congregandi generalis Concilii, ut cuncti vel conveniant, vel eos mittant nomine omnium, qui Patriarchæ, aut Primates, aut etiam Provinciali Concilio sufficere videbuntur.

12. Sufficit proindè, ut œcumenicum sit Concilium, quòd ea adsit Episcoporum multitudo, quæ, si non omnes comprehendat, omnes tamen repræsentet, & vices absentium subeat, id Ecclesiæ praxi testante, immò, & cujuslibet Reipublicæ generalium conventuum, ipsaque dictante naturali humanarum rerum conditione, quæ aliter tractari nequeunt, ut idem moralitèr censeatur, multos, nomine, & potestate omnes convenire, ac omnes ad unum interesse; ut post alios observat Suarez *disput.* 11. *de Concil. sect.* 2. ubi *num.* 7. rectè expendit in Conciliis hujusmodi, ut generalia sint, primò habendam neutiquam esse rationem Episcoporum, qui Romano Pontifici non præbeant obedientiam, sunt namque ab Ecclesia ob schisma divisi, & catenùs non vocandi, nisi fortè, ut resipiscant. Secundò Episcopos Christi Vicario obedientes, qui commodè convocari non possunt, vel convocationem ignorant, vel accedere non valent, obstrictos esse juri suo cedere, ac consentire, ut alii eorum locum teneant, & ita eos velle, præsumi debere. Tertiò, eos qui conveniunt, ex Romani Pontificis authoritate declarare posse se vices omnium subire, & eorum præsertim, qui malitiosè noluerint accedere, aut alios substituere, undè consequens est, quòd tota ejusmodi repræsentatio universalis Concilii potissimùm pendeat ex legitima ejus declaratione Christi Vicario in eam propendente,

dente, qui à principio intendit generale Concilium perficere, & congregare.

13. Et quidem *generale*, absolutè, & simplicitèr, ne dum videlicet authoritativè & quoad jurisdictionem, sed & ob repræsentationem universæ Catholicæ Ecclesiæ, quod ab Augustino simpliciter *plenarium* appellari solebat. Nam *generalis* authoritativè dumtaxat denominatio non ab universitate orbis est desumenda, sed ab universitate potestatis; quoties videlicet Romanus Pontifex plerosque convocat Prælatos, quos pro qualitate negotiorum, & temporum opportunitate, idoneos, & sufficientes duxerit ad eadem expedienda, & resolvenda, dummodò universalis Ecclesiæ gubernium, & directionem respiciant. In quo sensu generalia dici possunt omnia Apostolorum Concilia, illudque præ aliis, de quo pluries actum est *Act.* 15. 20. super cessatione legalium habitum, in quo solummodò Apostolorum Princeps, Jacobus, qui Hierosolymorum erat Episcopus, Paulus, & Barnabas, qui pro determinatione præfatæ quæstionis venerant Hierosolymam, convenisse leguntur; nec non, & cætera omnia, in quibus aliqua fidei definitio facta est Præsidente, aut approbante Romano Pontifice, uti fuit *anno* 255. illud sub Cornelio *maximum* dictum ab Eusebio *lib.* 6. *cap.* 35. in quo Novato cum suis complicibus ab Ecclesiæ gremio depulsis, definitum est, eos, qui lapsi fuerunt, per pœnitentiam curari, ac indulgentiam consequi posse; illud itidem Romanum, contra Nestorium convocatum à Cælestino *anno* 430. in quo laudatus Pontifex Nestorii hæresim nemine refragante condemnavit, ipsique Nestorio decem dierum spatium ad resipiscendum, per literas ad eum missas, præscripsit, nisi resipisceret, anathema comminatus; & id genus alia innumera, quæ ob Romani Pontificis, vel præsidentiam, vel confirmationem, infallibilia innuimus *num.* 2.

14. Aequè corruit, & oppositio, incertitudine, quam habemus de legitimitate generalium Conciliorum innixa, sive quòd non omninò indubiè constet Episcopos in ipsis convenientes esse verè, & in re ordinatos, Pastoresque Ecclesiarum, sive quòd in Conciliis esse servata de jure servanda, non habeamus, nisi ex Historicis id narrantibus, qui cum sui natura fallibiles sint, decipere nos poterant, & proinde incapaces tenendi ad fundandam infallibilem fidem. Quis namque, si præsertim, vel obiter perpenderit, quod ad excludendam sacram Scripturam, Traditionesque à ratione ultimatæ, & adequatæ regulæ fidei tetigimus *cap.* 2. *art.* 10. *n.* 6. & 7. non videat hujusmodi medio enervari penitùs fidem divinam, ne dùm videlicet quoad dogmata definita in novissimis, aut etiam in vetustioribus Conciliis, verùm, & quoad enarrata per divinas literas, aut à Majoribus nobis oretenùs continuata successione communicata? Directè autem, priori oppositionis parti, sunt, qui occurrant, dicendo, sufficere, ad Concilii legitimitatem, quòd Episcopi illi conveniant, qui Ecclesiis præsunt, & tamquàm catholici, ac veri Pastores in omnium æstimatione, ac judicio tenentur, quidquid sit de eorumdem fide interna, dummodò de ea nulla extet in contrarium suspicio. Ad divinæ enim Providentiæ suavitatem spectare, nunquam eventurum casum, quo ejusmodi Concilium, etiam si Episcopis sola externa professione Apostolorum vices gerentibus constans, in fidei, morumque decretis formandis errare valeat, erui putant, ex promissione Spiritus Sancti omnem veritatem docentis facta Ecclesiæ usque in fæculi finem, Concilioque generali Ecclesiam repræsentanti, propter Pastores Concilium constituentes, quos, cum sequi sint obstricti fideles omnes, ne hi exponantur perniciosis erroribus circa Mysteria Religionis, firmitèr habendum, nec Pastores ipsos erraturos in eisdem proponendis, ac explicandis Mysteriis.

15. In hac tamèn responsione aliquid tamquàm verum amplectimur, aliquid, quòd non adeò probabile appareat, rejiciendum censemus. Quod namque Deus permissurus non sit Concilium illud in definitionibus fidei erraturum, certa fide tenendum asserimus, principalitèr ob Romanum Pontificem, vel consentientem, vel præviè instruentem, vel subsequenter confirmantem, neque enim ob aliam rationem *cap.* 2. *art.* 8. *nu.* 19. & *seqq.* & *cap.* 3. *art.* 3. *n.* 15. sustinuimus cum Theologis communissimè hunc numero Romanum Pontificem fide divina credendum legitimum Christi Vicarium, & D. Petri Successorem, & proinde esse revera baptizatum, & ordinatum, sive hoc immediate sub eadem fide contineatur implicitè, sive tamquàm aliquod essentialiter prærequisitum ad eamdem fidem reduci debeat, quòd ex propositione de fide: *Clemens XI. est verus Christi Vicarius*, inferri queat, *ergo est valide baptizatus, riteque ordinatus*, juxta varia Theologorum placita. Indè autem consequens sit,

fit, ut etiamsi Episcopi legitimi non essent, nec ritè, aut baptizati, aut ordinati, adhùc decreta forent infallibilia, illis ad ea concurrentibus, non ut fidei Judicibus, qui in se tales sint, estò tales putentur, sed ad summum, ut Disquisitoribus, & Disputatoribus, quo casu Concilium legitimum dici posset, non quidem ratione materiæ, seu omnium partium illud constituentium, sed ratione præcipuæ partis, ac supremi Ecclesiæ Capitis, causæque efficientis, illud convocantis, & indefectibiliter confirmantis. Ac idcircò nullam cognoscimus necessitatem admittendi, quòd Episcopi illi, qui baptizati, ritèque consecrati non essent, haberi debeant, tanquàm veræ, & legitimæ Concilii partes, ob solam hominum æstimationem, qua censerentur baptizati, ritèque, ac validè ordinati.

16. Minùs verò principalitèr potest & eadem doctrina extendi ad Concilium ipsum, Patresque illud componentes, quòd nempè eàdem proportionaliter certitudine constet de eorumdem baptismate, & consecratione, non quidem quoad singulos seorsim, & distributivè, ac determinatè, sed quoad omnes simul sumptos, & collectivè „ stante enim suavitate divinæ Pro- „ videntiæ (ut ratiocinatur Dominicus à „ SS. Trinitate *lib. 3. bibl. theol. sect. 5. cap. 8.*) „ in sua regenda Ecclesia, nec non veritate „ promissorum, qua Deus illi specialiter „ adest, ne erret in rebus fidei, impossibile „ est, quòd in Concilio universali, quod „ ab eo pro legitimo ex parte materiæ acceptatur, conveniant Personæ, aut om- „ nes, aut pro majori parte, non legitimæ, „ quales essent Episcopi, qui vera fide, „ veraque ordinatione carerent. Sicut „ enim ad fidem pertinet hæc propositio „ universalis: *Ad omne Concilium universale* „ *legitimum, quodque universalem repræsentat* „ *Ecclesiam, requiritur, quòd Personæ illud* „ *essentialiter constituentes, quales sunt Episcopi* „ *pro illo tempore existentes, & illi Concilio* „ *præsentes, sint legitimæ*, ita quoquè ad eamdem fidem pertinet hæc particularis: *Ad* „ *hoc numerò universale Concilium, quodque* „ *universalem repræsentat Ecclesiam, requiri-* „ *tur, quòd Personæ illud essentialiter consti-* „ *tuentes, quales sunt Episcopi pro illo tempore* „ *existentes, & illi Concilio præsentes, sint legi-* „ *timæ*: Quare illo semel ab Ecclesia universali pro legitimo recepto, ex consequenti, sivè certitudine consequentiæ „ theologicæ certi reddimur de vera fide „ interna, veraque ordinatione Episcoporum, non quidem in particulari, & divisivè, sed collectivè sumptorum, qui illud „ Concilium componunt, cum sine talibus conditionibus legitimæ illius partes „ esse non possint „.

17. Similem responsionem adhibet laudatus Author alteri objectionis parti, negando, constare nobis tantùm de legitimitate Conciliorum universalium in Ecclesia celebratorum, ex historicis relationibus, cum etiam pro ea militet, & concurrat unanimis fidelium consensus, & testifica„ tio „ quorum, qui tunc vivemtes, & „ præsentes fuerunt, ut viderunt convenisse in unum Episcopos, qui habebantur „ ab omnibus veri Episcopi, & convenisse „ ex variis Orbis Christiani Provinciis, „ ab eo vocatos, qui habet authoritatem, „ summo nimirùm Pontifice, qui etiam „ eorum decreta confirmavit; & si quid „ aliud requiratur ad legitima Concilia, „ nihil enim eorum excedit sensum visus, „ sicut nec etiam notæ, quibus vera dignoscitur Ecclesia, ita illa tamquàm „ legitima receperunt, posterisque consignarunt, qui id ipsum tenuerunt, nec „ est, aut fuit ex fidelibus aliquis, qui „ contrarium sentiat, aut senserit, qua „ populi christiani consensione nullum „ evidentius signum esse potest, ut certò „ nobis constet de dicta Conciliorum legitimitate, indèque credamus, ea errare „ non potuisse, sivè, decreta eorum infallibilis esse veritatis in rebus fidei, & mo. „ rum „. Sicque pariter respondere videtur Porterus *in sua securi Evang. p. 2. dist. 3. q. 2 art. 2.* lepidam interrogationem præmittens faciendam cuilibet juxta formam prædictâ syllogizanti, „ Quæro unde es Tu? Filius „ Jonathæ, inquies, nego, quis dicit? Cives „ mei, inquies, nego hoc, quod dicis, vel admitte Concives etiam nostros: deinde S. S. esse à Deo alii dicunt, nego eam talem „ esse: quis dicit? totus mundus, inquies, & „ ego, ergo pro me. Respondeo ergo nos „ credere hoc extrinsecè ob Traditionem „ illam humanam, intrinsecè verò ob „ Verbum Dei. „ Quòd si instantiam quis resumat de Episcoporum congregatorum in Concilio fidei habitu, quem deperdere potuerunt ob aliquod infidelitatis peccatum, nihil, inquit, officere, quia dum externè illam profitentur, sunt membra Ecclesiæ, quæ proindè à Deo diriguntur, in ordine ad ipsius regimen. Sed fortè magis consonum erit doctrinam *num. præc.* & huic replicæ servata proportione adaptare.

ARTICULUS XIII.

An Propositio opposita definitioni Conciliorum generalium ab Apostolica Sede approbatorum sit hæretica?

1. QUæstio præsens æquè locum habet circa propositiones oppositas definitioni Conciliorum generalium ab Apostolica Sede approbatorum, ac circa alias oppositas definitioni à solo Summo Pontifice latæ, eam nihilominùs sub prædictis terminis duximus proponendam, quòd, cum infallibilitas generalium Conciliorum catholicos non habeat Adversarios, universalior indè videtur exurgere difficultas de ejusdem infallibilitatis extensione à definitis ad definitionem, quam tamen juxtà nostra inconcussa infallibilitatis Pontificiæ principia, quatenùs admittatur, in eodem prorsus sensu applicandam perpetuò intendimus, & definitionibus Pontificiis. Consultò autem concepta quæstio est de definitionibus veluti genericè acceptis, non verò de definitionibus in materia fidei, quia sub hac restrictione nulla ferè esset dubietas in asserendis hæreticis propositionibus oppositis definitionibus hujusmodi, quibus videlicet mysterium aliquod esse fide divina credendum præscribitur. Si enim definita e.g. in primo Niceno Concilio Verbi Consubstantialitate, Arii propositio, Verbum affirmans creaturam, mansit hæretica, hæretica proculdubiò manere pariter debuit & propositio, quæ asserentur ab Heresiarcha Nicenum Concilium in Consubstantialitate definienda fuisse fallibile, quod, idem est, ac definitionem illam fuisse obnoxiam errori, vim hic habente trita illa regula *cap.2. art.12.num.5.* indicata, *propter quod unumquodque tale, & illud magis*.

2. Sicuti verò non potest de fide teneri, & credi dogma quodlibet ab Ecclesia definitum, nisi & de fide teneatur definitio ipsa, adeò ut hæretica denominatio nonminus competat se se opponenti dogmati eidem, ac definitionem dogmatis impugnanti, inquirendum superest, an valeat à contrario sensu illatio, adeò ut si res definita non sit ut de fide tenenda, & eatenus propositio ipsi opposita non sit inter hæreticas numeranda, definitio pariter non fidei objectum haberi debeat, nec ei contradicere sit hæreticum, sed alia inferiori nota infra hæresim dignum, ea videlicet, qua inuri deberet propositio opposita rei definitæ modo indicato? Quod clariùs restringi potest, ut sensus sit, an cum Concilium generale, vel Romanus Pontifex damnat aliquam propositionem, tamquã scandalosam, temerariam &c. si quis doceret propositionem eamdem scandalosam non esse, nec temerariam, esset habendus hæreticus, vel solummodò scandali, & temeritatis reus, æquè ac scandalosa, aut temeraria est propositio; non autem hæretica.

3. Sotus, vir aliàs doctissimus, ac inter Thomisticæ Scholæ Magistros percelebris, (*lib.6. de just. & jur. art.6. q.1. vers.* Institutum) agens de Montibus Pietatis per insignem Minoriticæ Familiæ Doctorem Barnabam Interamnensem ad Judæorum evellendas usuras, pauperumque Christianorum sublevandas necessitates adinventis, ut testatur *ad annum* 1474. noster Vadingus, perque alios itidem Minoritas Marcum Bononiensem, Michaelem Carcanum, Cherubinum Spoletanum, Jacobum Picænum, & Bernardinum Feltrensem mirificè propagatis, & à Leone X. nonnullorum Prædecessorum suorum exempla terente approbatis, edita pro eorum honestate in Lateranensi generali Concilio *sess.*10. Constitutione, plùs æquo addictus opinioni contrariæ à plerisque cum Cajetano, (cujus tamen integrum de hac materia opusculum scriptum fuisse ante Lateranense Concilium, cui purpuratus Doctor interfuit, contra eundem Sotum probat Lessius *de just. & jur. lib.2.cap.20.de mut. & usur.dubitat.23. n.*192.) propugnatæ, ut eam à censuræ nota eximeret, de Lateranensi prædicta Constitutione veritus non est ita loqui „ Papa, & Concilium, in quibus authoritas residet summa, condendo tùm fidei articulos, tùm morum leges, non curant falcem suam mittere ad definiendas tamquàm de fide Philosophiæ disputationes, quæ non ex Sacra Scriptura, sed ex nuda Philosophia eliciuntur, qualis illa est, quæ instituitur ad examinandum, quisnam contractus sit usurarius, quis verò ab hoc discrimine liber, hoc enim non ex Sacra Scriptura colligitur, unde suas veritates Sancta Sedes elicit, sed ex media, meraque natura rerum. „ Hactenùs Sotus, cujus loquendi phrasim *periculosam, ne ampliùs dicam*, vocat *tom.2. de just. & jur. lib. 2. tract.* 10. *disp.2. num.*384. Dicastillus: *temerariam*, ac *periculosam*, Salon (*de just.& jur.q.*78.*art. 2.contr.*27. *column.*1030.*& seqq.*) *temerariam*, & *erroneam* Gibalinus *to.2. de usur. lib.4. cap.7. art.2.n.3.*, ut cæteros missos faciam in eumdem non difsi-

dissimiles proferentes censuras, ut videre est apud Azorium 3. p. cap. 8. *vers. Quarto*, Torres *de just. & jur. disp.61. dub.12. num.6.* Palaum *tom.7. disp.4. de just. commut. §. 24.*, Malderum *tract. 5. de just. cap. 3. dub. 17.* Rebellum *de obligationibus just.2.p.lib.3.q.13. num.3.*, Dianam *tract. de infall. Summi Pont. p.11. resol.26, &c.*

4. Quicquid autem sit de hujusmodi censurarum qualitate, eas novissimè referens *in sua Theologia reformata* Didacus de la Fuente Hurtadus *dissert.proœm. q.13. & seqq.* duo in primis contra ipsum firmissimè statuenda proponit, primum videlicet, Summum Pontificem (de quo hic Author quæstionem exagitat) jure optimo definire posse in quæstionibus liciti, aut illiciti, aliquid tamquam de fide credendum, e.g. moralem aliquam doctrinam esse scandalosam, temerariam &c. licèt id pendeat ex aliquibus veritatibus philosophicis, idque tùm, quòd fieri potest, ut eædem ipsæ veritates philosophicæ, unde sumitur honestas, aut turpitudo rerum agendarum, revelatæ sint, aut proximè revelatis connexæ, vel sub eis contentæ, tamquam particulares sub universali, & tunc nihil potest obstare, quominùs explicet Pontifex, & declaret illas pertinere ad fidem; tùm, & maximè, quia, estò id deficiat, infallibilitas ejus ad has etiam veritates indirectè extenditur, quando illarum cognitio utilis est ad avertendos fideles à peccatis impedientibus, aut retardantibus consecutionem vitæ æternæ, & ad præservandos illos ab erroribus præsertim practicis, undè eorum salus periclitari posset, quod comprobat paritate, qua ex Cardinali de Lugo usi fumus *cap.2. art.13.n.31. & 32.* Alterum, quod statuit, sistit in eo, quòd, quamvis prædicta non proponantur tamquam credenda per fidem, neque ut revelata à Deo, ac promanantia ex Cathedra rerum credendarum, adhùc posset R.P. illa proponere tamquàm infallibilitèr certa, loquendo scilicet ex Cathedra rerum agendarum, quatenùs ad doctrinam Christianam nedum pertinent, credenda per fidem tradere, sed etiam, quæ indicent agenda.

5. Transitum indè faciens ad gradum certitudinis, qua tenendum sit Pontificem non errare in his censuris, neque in prohibitionibus, præceptisque adjunctis; Sibi ait non videri adeò certum, infallibilem assistentiam Spiritus Sancti, Summis Ecclesiæ Pastoribus in Petro promissam, ad has censuras extendi, ut hæreticus censeri debeat, qui id negaverit, illumque proindè, qui talem assistentiam negaret, erroneam, aut errori proximam doctrinam tradere, non verò hæreticam. Movetur, quòd infallibilitas à Christo promissa solummodò appareat ad definiendum aliquid ex fide divina tenendum, non verò, cùm mitiori censura illud amplectendum, aut respuendum præscribitur. Ac ad replicam, qua, ex traditis *hoc cap.art.9.num.14. & seqq.* dici posset, propositiones ipsas, ut jacent, solùm damnari, ut *scandalosas* e.g., at verò propositionem, quæ affirmat illas esse scandalosas declarari, tamquàm ex fide tenendam, & oppositam damnari, ut hæreticam; mox insurgit, quia juxtà eam quoties Pontifex declarat propositiones scandalosas, totiès deberet fide divina illas esse istiusmodi, ac proindè scandalum in ipsis latens esse à Deo revelatum, quod tamèn est falsum, cum in decretis ejus generis nullum verbum extet prædictam indicans revelationem, attento præsertim quòd pleræque damnationes nitantur factis particularibus, & ad juris positivi interpretationem spectent, ad aliasve materias à divinis revelationibus longissimè dissitas. Quis namque dicat, revelatum esse à Deo scandalosam esse hanc propositionem, quæ est 37. inter damnatas ab Alexandro VII: *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodiè sunt revalidatæ*, cum luce meridiana clarius videatur, id præcisè dictum esse propter evidentiam facti, qua Pontifici constabat, non esse revalidatas? quod subdit sentiendum de alia, quæ est 45: *Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dùm adhibita diligentia corrigantur*.

6. Undè breviter concludit, quòd, vel Pontifex explicitè, aut implicitè declarat, aliquam propositionem esse fidei divinæ objectum, & à Deo revelatam, oppositam proscribendo, ut hæreticam, & sic ejus definitio infallibilitatis fidei privilegio potitur, illudque negans esset hæreticus: vel nulla habetur istiusmodi declaratio, & in hoc casu deciperetur quidem, essetque hæresi, aut theologico errori valdè proximus quicumque scienter, aut protervè id faceret, seu quisquis cum scientia, & advertentia censuræ Pontificiæ, contumacitèr negaret esse scandalosam propositionem, quam, ut talem, R. P. prohibet, non tamen hæreticus. In eamdem opinionem propendit citans Bannez Cardinalis de Lugo *disp.20. de virt. fid. div. sect.3. num.109. & seqq.* ubi, relatis aliorum placitis „ Ego (inquit) id puto, vel „ esse erroneum, vel errori proximum, „

asserere videlicet, posse Ecclesiam in eo ju„ dicio errare „ vel „ quòd in his censuris „ decernendis possit Pontifex Summus er„ rare „ Non tamen in ea omninò firmus videtur, dum *num*. 113. fatetur prius, quòd „ qui postea doceret propositionem illam, „ quam Pontifex damnat, ut erroneam, „ non esset hæreticus formaliter, sed præ„ sumptivè, quatenùs assereret esse verum „ id, cujus falsitas sequitur ex definitione „ Pontificis declarantis illud, tâquàm erroneum, „ & dein concludit; „qui autem dicit „ Ecclesiam in ea censura errasse, incurret „ hæresim, in aliquorum sententia, ut vi„ dimus, & in sententia aliorum incurret „ vel errorem, vel aliquod errori proxi„ mum. „ Quibus nihilominùs non obstantibus;

7. Dicendum ducimus, Definitiones Conciliorum generalium à Summo Pontifice approbatorum, vel à solo Romano Pontifice ex Cathedra universalem Ecclesiam docente emanatas, esse infallibiles infallibilitate fidei, etiamsi res per eas definitæ non sint de fide, quòd ut tales definitæ non fuerint, nec contrariæ proscriptæ, tamquàm hæreticæ, sed tamquàm erroneæ, temerariæ, scandalosæ, aut sub alia simili infra hæresim nota. Pro hac sententia citat Cardinalis de Lugo Malderum 2. 2. q. 11. *de fide art*. 2. *memb*. 5. *circa finem*; ubi ait „ eum, qui „ sustineret pertinaciter, Ecclesiam errare „ in censura alicujus propositionis, fore „ hæreticum „ esto ipsum inconstantiæ redarguat Didacus Hurtadus *diss. proem. cit.* q. 14. n. 84. quòd *tract*. 5. *de just. & jur. dub.* 17. putet definitiones ejusmodi propriè non esse de fide, sed hactenùs ad fidem proximè accedere, quòd certitudinem, & testimonium proximè accipiant à certitudine supernaturalis assistentiæ Spiritus Sancti, quam etiam in naturalibus veritatibus ad legem divinam, seu naturalem pertinentibus Pontifex habet. Ipse tamen pro ea refert Lessium *lib*. 2. *de just. & jur. cap*. 20. *n*. 91. *in fin*. Verricellum 1. *p*. *tract*. 8. *q*. 24. *n*. 9. Navarrum *in comm. de usur. num*. 59. A S. Thoma 2. 2. q. 1. *disp*. 9. Palaum *tom*. 1. *tract*. 4. *disp*. 1. *punct*. 5. §. 3. *num*. 4. Coninchium *disp*. 18. *de fide à nu*. 134. Trullench *lib*. 1. *in Decal. cap*. 2. *dub*. 4. *num*. 18.

8. Pro majori autem asserti dilucidatione, clariùs est exponendum discrimen, quod est inter propositionem aliqua infra hæresim inustam nota, & definitionem, qua eadem sub censura hujusmodi profligatur. Licèt namque tàm definitio, quàm propositio definita respiciant authoritatem Definientis, non inde tamen sequitur, quòd æqualis ponderis esse debeat qualitas, qua afficitur propositio, ac qua afficitur Definitio; illa namque, cum posit sui natura esse capax majoritatis, & minoritatis in denominatione censuræ, eam sumet denominationem, qua dignam censuerit eam Prohibens. At Definitio, quæ est ratio applicativa authoritatis propositionem Interdicentis, cum sit capax totius denominationis, quæ ipsi ab ea communicari potest, non est undè desumi queat limitatio, & coarctatio, & propterea si Definiens, aut Interdicens privilegio gaudet infallibilitatis divinæ, & fidei, eadem infallibilitate debet potiri & Definitio, ea planè ratione, qua, quia Deus est summè verax, qui nec fallere, nec falli possit, Revelatio suo modo erit infallibilis infallibilitate participata quidem, sed ejusdem roboris, & firmitatis.

9. In quem finem facit inspectio illa, quæ à plerisque Theologis fieri solet super qualitate malitiæ, & culpæ eorum, qui infra hæresim errant in propositionibus, vel erroneis, vel temerariis, aut scandalosis &c. Suarez siquidem *disp*. 19. *de Infidelibus Apostatis, seu Hæreticis &c. sect*. 6. distinguens malitiam quasi intrinsecam, quam ex vi objecti importat, ab accidentali malitia, quæ ex circumstantiis oriri potest, per illam, quæ per se constituit peccatum in sua specie, peccatum hoc pertinere ait ad vitium curiositatis in materia supernaturali oppositum virtuti studiositatis, quæ ad virtutem temperantiæ spiritualis spectat, adducitque illud (*ad Rom*. 12. 3.) *Non plùs sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, illudque (*Ecclesiast*. 3. 23.) *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, & in pluribus operibus Dei noli esse curiosus*; confirmans tùm authoritate Augustini (*lib*. 10. *de morib. Ecclesiæ cap*. 21.) *Rectè curiosi esse prohibemur, quod magnum temperantiæ genus est*; tùm ratione, quia studiositas moderatur assensum sciendi, seu cognoscendi, scilicet, ut circa hoc, vel illud, tali vel modo versetur, unde modus peccandi gravior evenit, quando quis aliqua scire vult supra proprii ingenii facultatem, vel modo etiam eamdem facultatem superante, quo modo subdit delinquere hominem circa materiam supernaturalem in hoc genere peccati, de quo agimus. Per hanc, ait, sæpè contingere, quòd propter propinquitatem, & affinitatem, quam habet materia damnabilis infra hæresim, cum ipsa mate-

ria

ria hæretica ex modo errandi, aut temerè opinandi, aliquod fidei detrimentum exurgat, vel debilitando fundamenta ejus, vel causando periculum perveniendi ad hæresim, vel scandalum aliis præbendo, ex quo fit, ut in tali peccato possit frequenter esse accidentalis malitia, vel contra fidem ratione periculi, aut nocumenti, vel contra charitatem ratione scandali, vel contra justitiam, si quis ex officio obstrictus sit veritatem docere.

10. Suarium impugnat de Lugo *disp. 20. de virt. fid. div. sect. 3. num. 133. & seqq.* docens, & fortasse probabiliùs, primò peccatum hoc, quoties assertio est in materia morali, reduci ad genus vitii, cujus materiam concernit assertio falsa, sivè sit justitiæ, sivè religionis, sivè alterius. Secundò ut plurimùm hujusmodi propositiones censurabiles esse contra religionem, prout involuunt blasphemiam, irreverentiam circa res sacras &c. Tertiò non semper assertiones censurabiles esse contra virtutem studiositatis, cum nempè notantur censura propter inusitatum vocum usum. Si enim proferret quis propositionem sapientem hæresim e.g., vel ille heresim in corde teneret, & peccaret contra fidem, vel non teneret, & nec delinqueret contra studiositatem, nec contra temperantiam debitam in sciendo, sed potiùs contra temperantiam debitam in loquendo. Unde concludit, quòd malitia harum assertionum, quando proferens falsum sensum non significat, non est contra studiositatem, sed contra alias virtutes, „ & quidem quando ver„ ba propter malum sonum, vel abusum „ offendunt, vel dubium, aut suspicio„ nem ingerunt de falso sensu, aut falsitate „ saltèm latente in proferente, circa fidem, „ vel circa aliquod, quod connexionem „ habet cum fide, hæc peccata sunt contra „ virtutem fidei . . . . . Quandò verò „ non censurantur propter oppositio„ nem, vel suspicionem oppositionis cum „ fide, sed propter alias rationes; tunc „ malitia non erit contra virtutem fidei, „ sed contra alias virtutes.

11. Quælibet verò seligatur ratiocinatio, patet, malitiam proferentis propositionem nota aliqua infra hæresim inustam, non esse per se contra virtutem fidei, nisi ad summum quandoque ratione materiæ. Non sic autem malitia se opponentis definitioni, vel generalis Concilii, vel Romani Pontificis ex Cathedra universalem Ecclesiam docentis, quæ semper contrarietatem involuit cum fidei virtute, pugnat namque per se cum infallibilitate Ecclesiæ definientis, ut in confesso est apud ipsos Adversarios, qui quoad gradum infallibilitatis solummodò à nobis dissentiunt, non verò quoad infallibilitatem ipsam, quam negare non valent, quæque, cum non nisi ex principiis fidei erui queat, sequitur, fidei virtuti non posse aliquo modo non contradicere, qui infallibilitati debitum obsequium præstare detrectat. Unde quoque est, quòd, sivè definitio versetur circa hanc materiam, vel alteram, id omninò per accidens se se habeat in ordine ad qualitatem dignoscendam oppositionis prædictæ, malitiæque per eam importatæ, quæ semper eadem est, in qualibet materia supponatur illa formata.

12. Hinc autem facilè putamus probari posse, infallibilitatem prædictam pertingere fidei perfectionem, ac meram, accuratè reflectendo ad ea, quæ congessimus, præsertim *cap. 2. art. 13.* & specialiùs *à nu. 37.*, ubi inter fidei objecta adnumeravimus Religionum approbationem, Sanctorumque canonizationem, cum quibus tantam habet materia præsens affinitatem, ut Hurtadus citatus negans gradum certitudinis fidei in censuris infra fidem ferendis *num. 93.* optimum in comprobationem vocat exemplum Canonizationis Sanctorum, quæ juxta plerosque ad fidem non spectat. Cardinalis verò de Lugo non aliundè probat erroneum esse, aut errori proximum, asserere, quòd possit Ecclesia in dictis censuris errare, nisi quia infallibilis Spiritus Sancti assistentia ei promissa non videtur limitanda ad ea solùm dogmata, quæ tamquàm de fide proponuntur, & creduntur ab Ecclesia, sed debet extendi ad ea omnia, quæ fideles ex præcepto Ecclesiæ credere tenentur. Subdensque rationem, qua Bellarminus, cujus verba retulimus *cap. 2. art. 13. num. 32.* probat infallibilitatem R. P. in decretis morum, quia si loco virtutis vitium præciperet, fideles credere deberent vitium esse bonum, pulchrè illam applicat infallibilitati, de qua nunc agimus „ quia „ si Summus Pontifex prohibet fidelibus „ assertionem aliquam, ut erroneam, te„ merariam &c. debent fideles obedire, & „ cavere ab illa doctrina, tamquàm ab „ erronea, & temeraria &c. debent ergo „ judicare, turpe esse amplecti doctrinam „ illam, & quidem tali gradu turpitudinis, „ qualis reperitur in amplectenda doctrina „ illa erronea, vel temeraria &c. „ Ex hac autem ratione, quam doctissimus Cardi-

nalis

nalis solidissimè firmat, & validissimis retorsionibus objecta diluit, nedùm clarum fit, quòd si infallibilitas in decretis morum est infallibilitas fidei, qualem ob indicatam rationem defendit Bellarminus, fidei quoque infallibilitas dici debeat, quæ in censuris ferendis involuitur.

13. Verùm etiam planior redditur oppositionum solutio, quæ congeri solent, ad prædictum certitudinis gradum imminuendum, plerùmque in æquivocatione fundatæ, uti præcipuè est illa, quæ fundamentalis est Hurtadi *num.*89. & 90. quòd Concilia,& Pontifices, cum proscribunt propositiones sub censuris infra hæresim, non proponunt censuras illas sub fide divina credendas, neque ut sibi, vel denuò revelatas,vel in antiquis revelationibus contentas. Neque enim est necesse, ut id in censurarum determinatione exprimatur, quod semper, & quandocumque haberi supponitur, quoties videlicet Concilia, aut Pontifex utuntur potestate sibi communicata sub infallibilitatis privilegio. Requiritur sanè Pontificia, aut Conciliaris hujusmodi expressio, quotiès determinare intendunt rem aliquam, tamquàm fidei objectum, adeòut oppositum sit tenendum hæreticum, quia ut diximus *num.* 8. cum propositiones possint sub variis censurarum gradibus interdici, nisi per Concilia, aut Pontificem explicetur, quænam nota tribuenda potiùs veniat huic, vel illi propositioni, nunquàm infallibilitèr certi efficiemur, an habenda sit hæretica, vel erronea, aut temeraria? At in ordine ad ipsius censuræ qualitatem, an videlicet credi à fidelibus debeat fide divina, non opus est, ut in quolibet casu particulari id à Concilio, vel Pontifice determinetur, ex quo semel habito, tamquàm fidei objecto, privilegio infallibilitatis in censuris quibuslibet ferendis, hæc, vel illa individua determinatio se habeat, tamquàm particulare, vel singulare quoddam contentum, & comprehensum sub universali revelato,juxta explicationem traditam *cap.* 2. *art.*8. *num.* 16. & *seqq.*, & *cap.*3. *art.*5. *à num.* 19.

14. Concedimus idcircò non fuisse à Deo immediatè revelatum Alexandro VII. quòd Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. revalidatæ non sint, (idem servata proportione dictum sit de alia qualibet adducibili damnata propositione) adeòque, qui adhùc sustineret, revaliditas fuisse, hæreticum formalitèr dici non posse, sed id ipsum contigisse vidimus in decretis ipsis Apostolicis *cap.*3. *art.*9. & signanter *à num.* 11. de abstinentia à sanguine, & suffocato, quæ, & si ipsis immediatè revelata neutiquam fuerit,adhuc nonnisi dirigente Spiritu Sancto fuit imposita, & eatenùs fidei objectum illam asseruimus esse, non quoad substantiam, sed quoad modum, seu quoad ipsius sanctitatem, & honestatem, Undè cohærentèr ad *ibidem* tradita *num.*28. dicimus in casu contendentem pertinacitèr Indulgentias Regularibus concessas revaliditas esse, non habendum formaliter hæreticum, sed posse talem convinci, si ex circumstantiis ostendi possit ipsum revalidationem prædictam propugnare, vel quòd putet,in Romano Pontifice non esse sufficientem authoritatem declarandi revalidatas non esse, vel quòd declaratio habita, sancta, & honesta non fuerit. Ad circumstantias autèm recursum facimus veram putantes doctrinam Cardinalis de Lugo *disp.*20. *de virt.fid. div. sect.*3.*n.*114. quòd qui affirmat propositionem e. g. malè sonantem, aut alia nota infra hæresim affectam, non eò ipso dicit, Ecclesiam in censuræ taxatione errasse, nec aliquid, ex quo cogi queat per evidentem illationem ad fatendum Ecclesiam errasse, sed cogitur dumtaxat disjunctim, & divisivè admittere, quòd vel ipse dicat propositionem malè sonantem &c., vel quòd Ecclesia in censura erraverit,ideòque ut posterior illatio potiùs verificetur, ad circumstantias extrinsecas est proculdubiò confugiendum.

15. Neque est, cur Hurtadus exageret infallibilem Spiritus Sancti assistentiam Ecclesiæ promissam nullibi apparere, nisi ad definiendum aliquid esse de fide, aut ad condemnandam assertionem contrariam, tamquam hæresim. Potiùs namque obstringendus est ipse, ut ostendat, undenam desumat promissionem divinam ita limitari, & coarctari debere? De infallibilitate non est dissensio, eam, ut vidimus, propugnat, „ Neque, inquiens inter alia, „(*disp. proem. q.*19. *num.*130.) „ credendum est „ ei, (idest Romano Pontifici) solùm „ fuisse commissam, promissamve authoritatem docendi Ecclesiam ea, quæ sunt „ fidei, & præservandi illam dumtaxat à „ maximis erroribus, quales sunt hæreses „ speculativæ, aut practicæ, sed etiam ab „ aliis minoribus, quæ saluti ipsius possent „ obstare, & esse in causa, ne tandem perveniret ad optatum finem æternæ beatitudinis, ad quem dirigatur tota æconomia supernaturalis. Quare hoc etiam jure

„ jure optimo comprehensum creditur in „ divinis illis promissionibus, quæ factæ „ sunt Petro, & in Petro omnibus aliis „ verè Successoribus ipsius in Pontificali „ dignitate, cujusmodi sunt illæ; *Pasce oves meas: Confirma fratres tuos: Portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam; Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis: Et quodcumque solveris super terram erit solutum & in Cœlis*. Ubi non solùm „ authoritas in alios committitur, sed „ etiam promittitur divina assistentia, ne „ circa ista decipiatur, & deceptione sua „ Christi oves decipiat, avertatque à recto „ tramite. Atque ex speciali ista directio- „ ne, & assistentia oritur, ut universam „ Ecclesiam possit obligare ad assentien- „ dum, vel certè ad non dissentiendum de- „ terminationi, seu definitioni illius. Nam, „ cum ipsa sit *columna, & firmamentum veritatis*, ea tota errare non potest circa „ fidem, mores, aut pietatem, etiam errore „ invincibili, ut fusè ostendit Suarez, *lib. 1. contr. Reg. Angl. cap. 4. & disp. 5. de fid, sect. 6.* „ Errare autem posset, si deberet confir- „ mari saltèm quoad specificationem judi- „ cio fallibili cujuscumque hominis priva- „ ti, ut neque interiori assensu posset ab eo „ discrepari licitè, & ideò solùm potest „ obligari ad creden dum, atque recipien- „ dum, tamquàm in se verum, ac rectum, „ vel ad cavendum tamquàm falsum, aut „ iniquum, id, quod superiori ista assisten- „ tia, atque directione præmunitur. Pro- „ fectò obedientia cæca, quæ est obedientia „ judicii, licèt in subditis laudetur quàm- „ maximè, adhùc tamen non est adeò ne- „ cessaria, ut eam possint sua propria au- „ thoritate Superiores præcipere, vel Sub- „ diti ad illam obligari, quoties preceptum, „ aut censura alicujus propositionis ema- „ nat ab aliquo Tribunali, vel Superiore „ fallibili. Ergo, ut istiusmodi obligatio „ locum habeat, necesse est, ut à Prælato „ infallibilis authoritatis proficiscatur, at- „ que ut ea uti velit in censura ipsa.

16. Infallibilitatem itaque jam tenemus, eamque inclusam fateri debemus in divinis indicatis promissionibus, quibus inhærentes Alexandrum VII. & Innocentium XI. ad propositionum per ipsos damnatarum proscriptionem devenisse colligitur ex eorumdem verbis *cap. 3. art. 13. nu. 14.* relatis, ex quo igitur capite restringenda est, ne credatur fidei divinæ objectum in omnibus, & singulis casibus, ad quos se extendit? Mitior sanè est censura erroneitatis, scandali &c, quàm hæresis, sed numquid quia mitior censura, debilior erit & infallibilitas? Non certè, quia hujus firmitas ex divina promissione dependet, & oritur, cumque hæc absque ullo discrimine æquè in ordine ad graviores, ac mitiores se extendat censuras, æquè afficere necesse est illas, ac istas, quæ propterea ad invicem diversæ erunt specificè ratione materiæ, non verò respectu infallibilitatis, à qua promanant, cum non minus infallibile sit propositionem aliquam esse scandalosam, quæ ut scandalosa proscribitur, quàm esse hæreticam, quæ profligatur, ut talis, & si respectu illius diminutio admitteretur in infallibilitate, multùm timeri potest, ne & eadem diminutio interatur respectu istius, ratiocinando in hoc casu, sicuti *hoc cap. art. 2. num. 17.* ex Augustino, & *art. 3. num. 4.* ex Angelico intulimus; quòd si in Sacra Scriptura error assereretur in minimis, asserendus quoque esset in maximis.

17. Absque eo quòd instetur cum Moja *tom. 1. select. tract. 3. de Sacram. Pœnit. disp. 8. q. 6. num. 22.*, & cum Cardenas in sua *Crisi theologica* super 65. prop. ab Innocentio XI. damnatis *dissert. proem. cap. 8. art. 2. num. 139.* syllogismi confectione in hanc formam; *Papa non potest errare in doctrina fidei, & morum, concurrentibus omnibus requisitis ad rectè definiendum: sed Innocentius Papa in decreto, quo proscripsit 65. propositiones, tradidit doctrinam morum concurrentibus omnibus requisitis ad rectè definiendum; ergo Innocentius Papa non potuit errare in hoc decreto*, indè eruendo, oppositum prædictæ conclusionis non esse, nisi ad summum, erroneum, ex quo conclusio ex duabus præmissis pendeat, quarum major est de fide, minor verò evidenter nota. Mutata namque minori propositione in hanc aliam: *Sed Silvester Papa e. g. in Concilio Nicæno tradidit doctrinam fidei, definiendo Verbi consubstantialitatem concurrentibus omnibus requisitis ad rectè definiendum*; posset quis paritate rationis deducere, non esse de fide conclusionem, quæ eruenda esset: *Ergo Silvester Papa non potuit errare in dicta definitione*. Quod enim in secunda hac minori repetatur particula, *fidei*, nil facere ad firmandam ullam discriminis rationem, videtur apertè inferri ex ponderatione majoris, in qua non dicitur solùm, *Papa non potest errare in doctrina fidei*, quam nempè tradit fide divina tenendam, sed universalitèr in *doctrina fidei, & morum*, ut propterea *infallibilitas* minimè dependeat ab eo, quòd doctrina tradenda, sit doctrina fide divina in se

se ipsa tenenda, sed dumtaxàt quòd sit doctrina *concurrentibus omnibus requisitis ad rectè definiendum* tradita, attento præsertim quòd *doctrina morum*, quæ universaliter ponitur in majori, non semper traditur, ut tamquàm de fide habenda, in se ipsa, & quoad rem definitam, cum, quandoque ipsum Romanum Pontificem Authorem respiciat, nec primæ Veritati immediatè innitatur, quamvis Spiritus Sancti dirigentis influxu perpetuò ille potiatur.

18. Nec sanè apparet quomodò alitèr Cardenas discurrere valeat, qui *loc. cit.* per plures *artic.* infallibilitatem Pontificiam in materia fidei æquè, ac morum propugnans, Authoresque pro ea referens, qui quoad utramque partem, tamquàm de fide illam defendunt, rationesque, quibus utuntur, quas inter, argumentum verbis Castropalai formatum; „ De fide est Pontificem errare non posse „ in pascendis ovibus, sed oves non solùm „ doctrina fidei, sed morum institutis pascuntur, ergo de fide est, in his institutis „ errare non posse „ infert *num.* 60. *art.* 4. „ „ non solum errare non posse Pontificem „ Summum in materia juris naturalis, aut „ divini positivi, approbando aliquid juri „ divino, aut naturali contrarium, sed „ etiam *eadem certitudine* tenendum est, il„ lum errare non posse in materia morum, „ approbando aliquod, quod jure canoni„ co, aut civili est moralitèr malum, aut „ è converso. Ita cum declarat, talem „ actionem esse in se sacrilegam, vel simo„ niacam ex præsuppositis præceptis cano„ nicis, vel violationem jejunii esse cul„ pam lethalem, aut similia, errare non „ potest, sed ad hęc omnia habet infallibi„ lem Sancti Spiritus assistentiam, ne erret. „ Patet hæc illatio, tùm quia Ecclesia non „ haberet professionem sanctam, si appro„ baret sacrilegium, quamvis jure huma„ no inductum; tùm propter argumenta „ in hoc articulo instructi. Posset quidèm „ relaxare jus illud canonicum, vi cujus „ actio violatrix illius juris redditur sacri„ lega, & sic relaxato jure, jam non esset „ sacrilega. At retento eo jure non potest „ approbare tamquam bonam, & hone„ stam violationem illius: sic enim appro„ baret formalem inobedientiam respectu „ præcepti gravitèr obstringentis conscien„ tiam, & saltèm mediatè opponeretur „ quarto Decalogi præcepto.

19. Agnosco, duas hic moveri adhùc posse difficultates non parvi ponderis, è quibus prima ex eo deducitur, quòd si verum esset assertum nostrum, loqui ex eo videretur, quamlibet propositionem proscriptam sub aliqua infra hæresim nota, esse necessariò debere falsam, quod tamen non ab omnibus est receptum. Secunda, quòd si Concilia, vel R. P. infallibilitatis fidei privilegio potirentur in prædictarum censurarum taxatione, eadem quoque infallibilitas admitti deberet, quotiès aliquam propositionem definiunt tamquàm probabiliorem, ut contigisse constat in Viennensi generali Concilio, cum, relata duplici Theologorum opinione, *quibusdam ex eis dicentibus, per virtutem baptismi parvulis quidèm culpam remitti, sed gratiam non conferri. Aliis è contra asserentibus, quòd & culpa eisdem in baptismo remittitur, & virtutes, & informans gratia infunduntur quoad habitum, & si non pro illo tempore quoad usum.* Clemens Pontifex posteriorem alteri prętulit, concludens: *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptisma applicatur paritèr omnibus baptizatis, opinionem secundam, quę dicit, tàm parvulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tamquàm probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem sacro approbante Concilio duximus eligendam.* Hoc autem videtur contradictionem involuere, dum ex una parte opinio prædicta posterior e. g. infallibiliter vera esset ob definitionem enunciatam, & ex altera non infallibiliter vera ob probabilitatem oppositæ, quam Pontifex non exclusit. Solutionem nihilominùs tradendam remittimus *cap.* 5. ubi *per distinctos articulos* utraque examinabitur quæstio. Cum præsertim in ordine ad punctum præsens æquè instantia solvenda veniat in nostra, ac in Adversariorum sententia, sive namque infallibilitas Pontificia, ac Conciliaris in ferendis censuris infra hæresim sit infallibilitas fidei, sive inferioris gradus, semper verificari debet infallibilitatis conceptus, cum quo simplicitèr incompossibilis est falsitas, & probabilitas in contrarium, ut consideranti patere facillimè poterit.

20. Colligas autèm ex his obitèr velim, ex quot capitibus Sotus impugnari queat circa opinionem, qua, non obstante Conciliari definitione, sustinere contendit, Montes Pietatis usurarios esse censendos. Sibi namque in primis contradicit, dum in Papa, & Concilio authoritatem summam admittit condendi, tùm fidei articulos, tùm morum leges, & dein illam limitat, quoties leges ejusmodi non oriuntur ex sacris Literis,

ris, non enim summa, sed mutila est illa authoritas, quæ non ad omnes leges morum se extendere potest, si semel aliquæ sint, quæ ad Ecclesiæ gubernium esse possent necessariæ, aut utiles, & ex sacris Literis immediatè non eruantur. Dein, talem supponit esse legem de contractibus, an sint usurarii, necne? & præsertim id intendit de contractu mutui, de quo agit, non advertens de eo clarum esse Christi præceptum; *Mutuum date, nihil indè sperantes* (*Lucæ* 6.35.) cujus finalis, certa, & ultimata explicatio, præsertim quoad particulam *nihil*, quæ multiplicis interpretationis sui natura est capax, non nisi ad Concilia generalia, ac ad Romanum Pontificem pertinere poterat, cum præsertim non deessent Doctores, & Magistri dicentes, *eos montes non esse licitos, in quibus aliquid ultra sortem per ministerium hujus montis ab ipsis pauperibus, quibus mutuum datur, exigitur*, quorum proindè oppositionibus; *Nos*, ait Pontifex, *opportunè providere volentes sacro approbante Concilio declaramus, & definimus, Montes Pietatis antedictos per Respublicas institutos, & authoritate Sedis Apostolicæ hactenùs probatos, in quibus pro eorum impensis, & indemnitate aliquid moderatum ad solas Ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illarum conservationem, (ut præfertur) pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxàt, ultra sortem, absque lucro eorumdem Montium recipitur, nec speciem mali præseferre, nec peccandi incentivum præstare, nec ullo pacto improbari; quinimmò meritorium esse, ac laudari, & probari debere tale mutuum, & minimè usurarium putari, licereque eorum pietatem, & misericordiam populis etiam cum Indulgentiis à Sede Apostolica eam ob causam concessis, & deinceps alios similes Montes cum Apostolicæ Sedis approbatione erigi posse.* Hactenus Pontifex, cujus verba referre placuit, ut absque ullo alio ratiocinio eluceat, quàm futile, & in viro docto, ut cum Dicastillo *tom.2.de just.lib.2.tract.*10. *disp.*1.*nu.*383. loquar, vix tolerabile, effugium aliàs omninò in facto insubsistens, quo aureum istud decretum non acceptatum à populis pronunciavit idem Sotus, & post ipsum Arragon *de just. & jur. quæst.*78. *art.*4. *ad* 2. ac si decreta doctrinalia circa institutionem morum, ac præservationem à peccatis, ex hominum acceptatione dependeant, quo, quid profectò cogitari potest absurdius?

21. Si namque à melioris notæ Theologis absurda censetur nonnullorum opinio leges canonicas, etiamsi à Romano Pontifice fuerint conditæ, autumantes dependere, ut validæ reddantur, à subditorum acceptatione, adeò ut oppositum, tàm certum putaverit Suarez *tom. de leg. lib.*4. *de leg. posit. canon.cap.*16. *num.*2. ut secundùm fidem negari non possit, ex quo Christus absolutè dixerit Petro, *Pasce oves meas*, nihil subjungendo de populo, neque conditionem ponendo, *Si populus acceptaverit*; quis non videat longè absurdius habendum, opinionem (si tamen opinionis adhùc illa nomen meretur) prædictam extendere etiam ad definitiones illas Rom. Pontificis, quibus non novum aliquod propriè conditur jus, sed universalis solummodò Ecclesia docetur super iis, quæ, vel honestatem continent, & proindè amplectenda, ut supremo Numini grata, vel à rectis morũ regulis discrepant, & eatenùs respuenda? Fortiùs adeò militat ratio ista in hoc casu, ut etiamsi respectu legum Pontificiarum ex indicatis *c.*2. *art.*13. *nu.*34. licita admittatur subditis supplicatio, rationabili concurrente causa, pro earumdẽ mitigatione, moderatione, aut suspensione, modo, quem ipse Suarez *num.*7. expendit, quia videlicet „ eo ipso, quòd lex universalis fertur, facilè fieri potest, ut non congruat moribus, aut dispositionibus gentium omnium, pro quibus fertur. quod maximè contingere potest in legibus canonicis, & Pontificiis, quæ pro universa Ecclesia dantur: nam Ecclesia complectitur varia regna, & provincias habentes varios ritus, & modos vivendi. Undè licèt talis lex regularitèr loquendo non sit disconveniens, vel nimis dura pro universa Ecclesia, & ideò respectu totius non habeat locum supplicatio, nihilominùs in uno, vel alio regno, aut provincia potest esse nimis dissentiens à moribus ejus, & contra consuetudines ejus, quas non solent Pontifices velle mutare, nisi id exprimant, sed potiùs conservare, juxta *cap.* Certificari *de sepul.* In tali ergo casu ratio postulat, ut liceat supplicare Pontificem, quia scientia ejus universalis non potest semper extendi ad hæc particularia.

22. Adhùc tamen, ut rectè animadvertit Cardenas *diss.* 1. *proem. cap.*12. *art.*1. (& juxta asserti, quod propugnamus, principia, longè majoris est ponderis) quidquid sit de supplicatione in ordine ad censurarum ecclesiasticarum suspensionem, quæ solent ad cujuslibet propositionis damnationem adnecti contra audentes eam ampliùs propugnare, aut defendere, futilis penitùs est, & prorsùs inanis, quoad suspensionem cujus-

jbet decreti aliquam propoſitionem proſcribentis, ſive illud accipiatur, ut declaratorium eſt, ſivè ut prohibitorium. Clarum namque eſt, alium effectum non poſſe ex ſupplicatione ſperari, quàm revocationis decreti, aut ſuſpenſionis effectus per illud intenti. Utrumque autem eſt manifeſtè contra ſanctitatem Eccleſiæ. Ex revocatione enim, vera redderetur propoſitio contradictoria cenſuræ propoſitionis damnatæ, & ſic ſi propoſitio eſſet proſcripta, tamquam ſcandaloſa, verum foret dicere illam ſcandaloſam non eſſe, ex quo conſequenter inferretur, vel Pontificem erraſſe in eo, quòd declaravit illam eſſe ſcandaloſam, vel à Romana Cathedra procedere revocationem, in materia morum ad univerſam ſpectante Eccleſiam, certiſſimè falſam; ex ſuſpenſione verò effectus per decretum intenti, libera fidelibus via aperiretur ad capeſſenda vitia, tamquàm honeſta. Quòd ſi replicetur poſſe ad minus Pontificem facere, ne decretum ejuſmodi promulgetur in hac, vel illa orbis parte, quæ pro ſuſpenſione ſupplices ad eum preces direxit. Mox idem Author reſumit, quòd ubi facta eſt promulgatio Romæ, & de ea, notitia certa habeatur, jam ſcitur, quænam ſit doctrina vera circa objecta propoſitionum, & proindè nihil proderit, & omninò fruſtranea erit promulgationis ſuſpenſio.

23. Clariùſque hoc evincitur ex doctrina *num.* 15. ex Hurtado tranſcripta ſuper poteſtate Eccleſię obligandi fideles ad aſſentiendum, vel certè ad non diſſentiendum, (quæ tamen disjunctiva locutio ex dicendis minimè arridet) determinationi, ſeu definitioni illius, cum enim ea non ſit, niſi infallibilitati definitionis innixa, conſequens eſt, quòd ſi ab ea recedi, nec per actum internum poteſt, multò minùs licitus poteſt eſſe receſſus ſupplicationis, aut non promugationis prætextu. Dignum tamèn hic ponderatione videtur diſcrimen, quod in hoc ponit idem Author *diſſ.proèm,quæſt.* 12. *n.*75. inter decreta Alexandri VII., & Innocentii XI. propoſitiones permultas damnantium ut *minimùm tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas*, & aliud, quo Clemens VIII. damnavit propoſitionem illam, qua ſupponebatur *licere per literas, aut internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentalitèr confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere*, quòd ,, per illam non imponitur directè ,, obligatio cohibendi aſſenſum internum ,, damnatæ propoſitionis, neque cenſura ,, ſcandaloſi in illum cadit, at verò qui ,, interiori judicio affirmaret, licere per li- ,, teras confeſſionem, & abſolutionem ab- ,, ſentis, eo ipſo ſe directè opponeret defini- ,, tioni Pontificis ,, Priorem partem probatam ſupponit *quæſt.* 6. *num.*28. ex quo ,, ,, propoſitio merè interna non eſt materia ,, prohibitionis, punitioniſve eccleſiaſticæ. ,, Cenſura autem, quam adjunxit Pontifex ,, in ſolas aſſertiones exteriores cadit; nam ,, propoſitio merè interna, neque proximo ,, ponit offendiculum, cum ſit ipſi penitùs ,, ignota, nec ei præbet occaſionem ruinæ, ,, & quod hinc ſequitur, neque poteſt eſſe ,, ſcandaloſa, nec hac cenſura notari. ,, Poſteriorem probat, quia ,, qui affirmat aliquam propoſitionem, dicit illam eſſe ve- ,, ram . . . . Pontifex autem è contrario ,, dicit illam eſſe falſam. Quocirca, ſi quis ,, ſciens, & advertens ad decretum Clemen- ,, tis eam propoſitionem interiùs conciperet, neceſſariò convinceretur credere, ac ,, putare, Pontificem in ſua cenſura erraſſe, ,, negat enim ſaltèm implicitè, & in actu ,, exercito eſſe falſum, quòd Pontifex fal- ,, ſum aſſeruit ,, Ita Hurtadus, univerſalitèr *cit. num.*28. aſſerens, cenſuras, alias eſſe communes propoſitionibus internis, & externis, ut eſſe hæreticam, erroneam, temerariam, falſam, aut errori proximam, alias verò adaptandas dumtaxàt externis, ut eſſe malè ſonantem, piarum aurium offenſivam, ſeditioſam, denigrativam famæ alienæ, & ſcandaloſam.

24. Hanc Cenſurarum diviſionem amplectendam ex indicandis apparebit, ut verò quid ex toto Hurtadi diſcurſu ſeligendum ſit, quidve reſpuendum, multiplex eſt præ oculis habenda ad æquivocationes quaslibet evacuandas diſtinctio. In primis namque, ex traditis *cap.*2.*art.*2.*num.* 1. 2. 3. & *hoc art.num.*21. Cenſura alia eſt theologica, quæ afficit immediatè doctrinam, & mediatè Perſonam, & definitur *nota prava, ac maligna, quæ poſt qualificationem reflexam, atque theologicam immediatè tribuitur doctrinæ*; alia Eccleſiaſtica, quæ afficit immediatè Perſonam, & mediatè doctrinam, eſtque *pœna, quæ hominem baptizatum privat aliquo bono ſpirituali*, juxta ipſius qualitatem. Utrumque autèm cenſuræ genus involuitur regularitèr in propoſitionum damnatione, dùm poſt expreſſionem notæ, qua propoſitio aliqua afficitur, imponitur regularitèr eccleſiaſtica aliqua pœna iis, qui illam inpoſterùm auſi fuerint propugnare, ac defendere, ut videre eſt in decretis Alexandri VII., & Innocentii XI., in quorum calce legitur,

Qui-

Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel de eis disputativè publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit, (præterquàm in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi. De his itaque censuris ecclesiasticis si sermo esset, admitti posset, quòd propositio merè interna non sit materia earum, & punitionis ecclesiasticæ, at non sic, si id intelligatur de censuris theologicis, ut patet ex ipsius Hurtadi contextu, quo, non sine aliquali, ni fallor, inconstantia terminorum, admittit aliquas saltèm censuras communes esse propositionibus, tàm internis, quàm externis, quòd quoque in aliquo vero sensu concedere etiam debebat de aliis ob mox insinuanda.

25. Aliud insuper est, habere quempiam actum internum, quo veram autumet propositionem, tamquam scandalosam proscriptam, & quo putet eam scandalosam non esse. De illo enim judicio, an sit latæ censuræ opposita, pendet decisio ex resolutione quæstionis de falsitate propositionum damnatarum, quam *cap. 7.* discutiendam reliquimus. Interim nihilominùs, cum opinetur Hurtadus *diss. proœm. q. 6. num. 29. & seqq.* in præsenti materia, & terminis decreti Pontificii non posse facilè intelligi, quomodo scandalosa sit assertio aliqua, vel perniciosa in praxi, nisi etiam simul sit falsa, sequi indè videtur, quod etiam, qui actu interno dicit esse veram propositionem scandali nota affectam, indirectè saltèm, aut illativè sentit Pontificem errasse, illam scandalosam declarando, quæ scandali capax esse non potest, eo ipso quòd falsitatem non continet, quæ est necessarium scandali fundamentum. Undè alia differentia non extat quoad hoc inter decreta Alexandri VII., & Innocentii XI. & aliud Clementis VIII., quòd illa primò, & directè non enunciant falsitatem propositionum, sed scandalum falsitati innixum, hoc verò immediatiùs falsitatem indicat, contradictoriam præsupponens omninò veram, ex quo fit, quòd qui dicit *esse verum, licere absentem absolvere*, verum adstruit contradictorium propositionis damnatæ *licere per literas &c.* qui verò id enunciat de propositione scandalosa, non adstruit immediatè verum contradictorium, quia non asserit propositionem, scandalosam non esse, uterque verò in actu exercito, estò non æquè immediatè sentit Pontificem errori obnoxium esse posse in propositionum proscriptione, censurisque cujuslibet generis ferendis. De altero verò judicio, quo affirmatur propositionem scandalosam non esse, quæ scandali nota fuit infecta, nulla prorsùs disparitas apparet, ob quam diversimodè sit de eo sentiendum, ac de judicio, quo quis existimat: *licere per literas &c.* dùm æquè contradictorium sit dictæ propositioni affirmativæ: *licere per literas &c.* negativa: *non licere per literas, &c.* ac alteri affirmanti scandalosum esse hoc, vel illud objectum, assertio, qua dicatur illud scandalosum non esse.

26. Hinc verò sequitur eodem itidèm modo discurrendum circa obligationem cohibendi assensum internum, æque videlicèt, quòd ad propositionem: *licere per literas &c.*, ac quoad aliam, qua hoc, vel illud scandalosum esse definiatur, cum in utroque casu teneamur judicium formare, tùm revera *non licere per literas absolutionem impertiri*, tùm simplicitèr *scandalosum esse, quod tamquàm scandalosum est declaratum*, immò & etiam falsum id ipsum esse, Hurtadi mox relatis inhærendo principiis. Cujus disjunctio, quę obligationem dictam exprimit *ad assentiendum, vel certè ad non dissentiendum*, haud plenè satisfacit, si per eam asserere intendat, nos simplicitèr obstrictos non esse ad præstandum positivum assensum, proprium conformando judicium, judicio Ecclesiæ, sed ad suspendendum dumtaxàt dissensum, per quem positivè disformemur ab illo. Sicuti namque non sufficit ad obligationis adimplementum, qua Sacram Scripturam jubemur obsequentèr amplecti, & recipere, præcisè non dissentire in ipsa contentis, sed requiritur prorsùs, ut captivemus omninò intellectum in obsequium fidei, positivumque præbeamus eisdem assensum ob primam Veritatem Dei revelantem, ita in proposito non potest sufficere sola dissensus suspensio eàdem prima Veritate revelante exigente positivum dissensum, non quidèm, quòd hæc immediatè afficiat semper rem definitam, aut nota aliqua deturpatam, sed quòd ipsi perfectè sit innixum infallibilitatis privilegium, quo res illa definitur, aut censorio aliquo confoditur stigmate. Et propterea tota differentia, quantùm ad hoc, cum aliquod definitur, ut de fide tenendum, & cum tantummodò proscribitur, ut scandalosum, temerarium &c. quòd in primo casu Veritas revelans tamimmediatè afficit definitionem, quàm rem

definitam, in secundo verò se tenet solùm ex parte definitionis, non verò ex parte rei definitæ juxta intentum asserti, quod propugnamus. Scandalosum idcircò non esse, qui propositionem ea affectam censura internè sustinet, concedimus ob Hurtadi rationem, quòd per actum internum neque proximo ponit offendiculum, cui est ignotus, nec ei præbet occasionem ruinæ, quamquàm & hujusmodi denominatione dignus haberi adhùc posset veluti fundamentaliter, & in radice externi illius actus, in quem proximè, formaliter, & propriè, scandali cadit censura; ita tamen, ut inurendus ille formalissimè teneatur nota illa, quæ sese opponenti infallibilitati Ecclesiæ in suis definitionibus circa censuras, quantumvis hæresi inferiores, debetur, quam nos utique adhùc probabiliùs censuimus esse intèr fidei objecta adnumerandam.

27. Aptus, idoneusque nobis hic aditus aperitur, totis viribus detestandi impudentissimam Jansenistarum audaciam, & vafritiem, qua, nedùm circa propositiones sub censuris infra hæresim ab Apostolica Sede profligatas, sed & circa eas, (quinque videlicet ex Jansenii libro excerptas, & in Jansenii sensu damnatas, quas *cap.3. art.4. num.6.& seqq.* unà cum ipsius Jansenii contextibus, eas formaliter æquipollentibus saltèm verbis exprimentibus, per extensum retulimus) quæ hæreticæ sunt non semel, aut iterum declaratæ, formulario professionis fidei, cui deberent subscribere, etiam formato, veriti non sunt duas illas æterna dignas infamia propositiones evulgare: 1. *Ad obedientiam Sedi Apostolicæ debitam, non requiritur, ut quis sensum libri Jansenii, cui titulus,* Augustinus, *in quinque famosis propositionibus interiùs, ut hæreticum damnet, sed satis est, si ea de re obsequiosum silentium teneat.* 2. *Formulæ à san. mem. Alexandro VII. præscripta in Constitutione* Regiminis Apostolici, *subscribere licitè potest, qui interiùs non judicat in Jansenii libro, cui titulus,* Augustinus, *doctrinam hæreticam contineri.* Delatæ illæ ad Petri Cathedram fuere, ac præclarissimorum Theologorum examini à SS. Domino nostro deputatorum priùs commissæ, inter quos summa ejusdem SS. D. N. Clementia propriæ insufficientiæ supplente defectum, minimus ipse fui adnumeratus, & deindè Pontificio mucrone confossæ, Constitutione *Vineam Domini Sabaoth*, edita, cujus potiorem partem, ad operis decus, & ornamentum, lectorum profectum, & in Apostolici Throni reverentiam mox recensebimus.

28. Ut autèm pateat, quanto sint veneno refertæ, præter indicatam ponderationem exprimentem propositiones Jansenii in sensu per ipsum intento, (quod fieri posse *cap. 1. art.5.* satis innuimus) hæreticas declaratas fuisse, & propterea præclusum quodlibet utcumque probabile effugium, quo infallibilitatis privilegium non omninò fide divina tenendum, asseri queat (dummodò tamen fidei proximum habeatur) in censuris infra hæresim ferendis; cum insignibus prædictis Qualificatoribus observare non pigeat insinuatæ formulæ professionis fidei tenorem aureis hisce conceptæ verbis: *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maji 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen* Augustinus, *excerptas, & in sensu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

29. Quænam jam subjectio erga Romanos Pontifices propositiones Jansenianas, ut hæreticas proscribentes, asserentesque eas ex libro Jansenii excerptas, & in sensu Jansenii damnatas, in eo, qui nil aliud in eorum præstat obsequium, quàm silere? Numquid qui solummodò silet, tenet per hoc, quod Christi Vicarii tenendum præcipiunt? Æquè sanè silere potest, qui internè cum Ecclesia sentit, ac qui eidem repugnat, contradictionem quidem externam excludere potest silentium, non internam, potestque per consequens simùl verificari, quòd quis perfectè sileat, & quòd pervicaciter simùl à definitis dissentiat. Non hoc exposcunt supremi Romanæ Cathedræ Directores, cum aliquid vel fide tenendum præcipiunt, vel ut hæreticum rejiciendum præscribunt; *Quamcumque* (inquit Alexander VII. in celeberrima sua *Constitutione* Ad sanctam) *dubitationem auferre volentes, ut omnes Christifideles in ejusdem fidei unitate se se contineant &c.* eo damnationis Apostolicæ finis, dubietates vel minimas eliminare, fidei servare unitatem, pro quo, ne dùm mandat, *ne prædictam doctrinam prædicent, doceant, verbo, vel scripto exponant, vel interpretentur publicè, vel privatìm, palàm, vel occultè imprimant*, quæ adimpleri solo silentio, quadantenùs possent, sed præcipuè, & primo loco, *ne prædictam doctrinam teneant*, quod conformitatem judicii exposcit, non meram taciturnitatem, nec nisi sacrilegè jurare quis audebit, se non

se non tenere, quod Pontifex teneri prohibet, dum nil aliud exhibet, quàm externum silentium, animi pervicacia intus retenta, cum qua prorsùs incompossibilis est *sinceritas animi*, quæ clarissimè in formula professionis fidei exprimitur.

30. Non me latet, quandoque silentium sufficiens esse posse, saltèm pro foro externo, cum nempè non urget præceptum loquendi, sed numquàm per illud adimplebitur mandatum tenendi intùs, quòd tenet Ecclesia, si non extet sincera animi subjectio, perfectaque mentis conformitas cum definitionibus Pontificiis. Neque cum emittitur professio fidei, primò, & per se ea ad externam locutionem dirigitur, sed ad internam animi subjectionem, ac promptitudinem illam exteriùs ad effusionem sanguinis propugnandi, quotiès occasio contigerit, & idcircò in SS. Inquisitionis Tribunali, cum aliquis absolvitur pœnitens, jam hæreseos reus, conditio illa apponitur: *Si ex corde convertitur*, qua deficiente conditione, deficiet & absolutionis favor, ut notat Cardinalis de Lugo *disp.23.de Virt. fid.div.sect.3. §.2. num.92.* & in terminis propositionum Jansenii, debitum hujusmodi mentis obsequium erga Innocentii X. *Constitutionem incip.* (Cum occasione) eas profligantem egregiè fassi sunt Episcopi Galliæ *in literis* ad eumdem Pontificem directis, & ab ipsis in Parisiensi Urbe congregatis unanimiter subscriptis, in quibus, per extensum relatis à Dominico à SS. Trinitate *lib.3. bibl. theol. cap.16. sect.4.*, præclara illa legitur comparatio inter Innocentium X., & Innocentium I.,, Quo in negotio illud observatione dignum accidit, ut quemadmodùm ad Episcoporum Africæ relationem, Innocentius I. Pelagianam hæresim damnavit olim, sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem, hæresim ex adverso Pelagianæ oppositam, Innocentius X. auctoritate sua proscripserit. Enimverò vetustæ illius ætatis Ecclesia Catholica, sola Cathedræ Petri communione, & auctoritate fulta, quæ in Decretali epistola Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque dein Zosimi altera ad universos orbis Episcopos epistola subsecuta est, Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solùm ex Christi Domini pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversùs Apollinarium, & Macedonium, non dùm ab ulla Synodo oecumenica damnatos, à Damaso paulò ante factis, Judicia pro sancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione, (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) divina æquè, ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur. Ea nos quoque sententia, ac fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem, debita observantia colentes, Constitutionem divini Numinis instinctu à Beatitudine vestra conditam, nobisque traditam ab Illustrissimo Athenarum Archiepiscopo, Nuncio Apostolico, & promulgandam curabimus in Ecclesiis, ac Diœcesibus nostris, atque illius executionem apud fideles populos urgebimus.

31. Ad rem pariter facit multiplex silentii genus, dùm quandoque laudem mereri valeat, & in ipsis fidei controversiis, quandoque verò æquè ac ipsa contumax contradictio perpetua execratione dignum. Utrumque perbellè expendit in inclyta Honorianæ Oeconomiæ defensione notissimus meus concivis Bonaventura Sant'Elia Tertii Ordinis S. P. N. Francisci Theologus à SS. D. Nostro inter Sac. Congregationis Indicis Consultores, sanctæque Romanæ, & Universalis Inquisitionis Qualificatores adscriptus *in sua Oecum. Orient. Conc. Synopsi part. post. prop.1. contr. Concil. Constantinop.3.* S. Maximi auctoritate fretus, qui cum esset hostis infensissimus œconomiæ Monothelitarum, qui silentium imponi peroptabant super unius, vel duarum voluntatum admittendarum in Christo existentia, hocve medio propugnantium impiissimi Constantis Imperatoris typum, adeò ut Troilo, & Gregorio Monothelitis asserentibus, *quia per typum non interimit, sed taceri jussit, ut pace fruamur omnes; respondit: silentium verborum interemptio est verborum, per Prophetam enim dixit Spiritus Sanctus*: Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum, (*Psal.18.4.*), & iterùm; *Est apud divinam Scripturam taciturnitas demptio*; fuit nihilominùs acerrimus defensor Honorii Papæ, ejusque œconomiæ, quæ licèt in idem silentium esset directa, fuit tamen ab illa Monothelitarum toto cœlo diversa, quòd per eam Christi Vicarius in vocum suspensionem ita propendit, ut æquivalentibus verbis, ne dum dualitatem naturarum in

In Christo admitteret, sed & firmitèr stabiliret, & proindè non cum Monothelitis comparandus, sed cum D. Gregorio Papa, qui admonitus à Constantio Mediolanensi Episcopo de animo Theodolindæ Reginæ infenso erga Synodum quintam, censuit de ea nec verbum eidem scribere, quantumvis ut œcumenicam veneraretur; cum Patribus, generalis Ephesini Concilii, qui damnantes libellum Theodori Mopsuesteni, Theodorum ipsum putarunt anathemati non subjiciendum *propter dispensationem*; cum D. Basilio, qui, ut Macedonianos Spiritus Sancti Divinitatem negantes ad rectitudinis semitam revocaret, vocem Deitatis dispensavit ad tempus, illam tamen aliis vocibus à Sacra Scriptura petitis, eamdemque vim habentibus summa soliditate corroborans.

32. Non hoc profectò est, quod Jansenistæ proponunt silentium, *obsequiosum* in Apostolicam Sedem illud vocant, intendentes infallibilitatis ipsius infringere privilegium, æquè prorsus ac Monothelitæ dualitatem naturæ à Christo taciturnitate ipsa quærebant expungere. Agnovit propemodùm hanc ipsorum dolosam astutiam Sanctissimus D. N. plurimaque ad eam convellendam Spiritus Sancti ipsum edocentis ductu, præclara Ecclesiæ Catholicæ tradidit documenta. Delatis siquidèm ad supremam ipsius Cathedram quibusdam foliis Lutetiæ Parisiorum impressis, casum quemdam conscientiæ continentibus, in quo nonnullæ responsiones Viri cujusdam Ecclesiastici legebantur ad nonnullas difficultates adhibitas, eidem motas à suo Confessario, quòd suspecta haberetur circa eas ipsius doctrina, & præsertim super quinque Jansenii propositionibus, quas „ in omnibus sensibus, in „ quibus damnatæ sunt, in sensu etiam Jansenii eo modo, quo eas explicavit Sanctiss. Papa Innocentius XII. in suo Brevi Episcopis Flandriæ directo, purè, & sine restrictione se eas damnare, & semper damnasse professus est. Præterea secundùm illius Brevis tenorem, formulæ subscripsit ad primam requisitionem, & à Vicario Generali Domini Episcopi. N. concessum sibi hac de re (Confessario) ostendit. Quantùm ad factum Jansenii, cum aut indoctum planè, aut malitiosum esse oportet, velle quòd Ecclesia eandem circa factum, quàm circa jus, fidem exigat, pro hac determinatione facti, eamdem fidem, quam se habere profiteretur, pro decisione juris, se non habere respondit. Reverentiæ enim, & „ silentii obedientiam iis, quæ Ecclesia circa factum determinavit, sibi sufficere putat, & quod non debet inquietari, aut fides ipsius suspecta haberi, quàm diù ex damnatis propositionibus aliquam se propugnasse convinci juridicè non potuerit, cum defunctus Papa Innocentius XII. per Breve, quod Clerus Gallicanus in ultima convocatione approbatum, (proh impudens, & inverecunda locutio!) „ istud prohibeat „.

33. Istiusmodi, inquam foliis Christi Vicario denunciatis, ne dum, servatis de more servandis, per suum Breve *sub die 12. Febr. 1703.* incipiens: *Cum nuper in lucem* pro commissa ei ab æterno Pastore gregis sui cura damnavit, reprobavit, ac legi, & retineri prohibuit, ac *sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione, incurrenda*, interdixit; Sed & Pontificias direxit literas tùm ad Eminentissimum Archiepiscopum Parisiensem Cardinalem de Noailles, tùm ad Christianissimum Regem Ludovicum XIV. illum admonens, *ut zelum, quo maximè serves pro sana doctrina, Ecclesiæque pace tuenda excites, exeras, atque intendas in investigandis omni studio diligentiùs libelli hujus Authoribus, (neque enim clàm fieri potuit, quòd non nisi à multis valuit pertractari) atque in eos postmodùm gravibus, ut tantæ debetur audaciæ, pœnis animadvertas. Porrò Doctores illos, quos sanè decebat magis expugnandis Ecclesiæ teterrimis hostibus, quàm convellendis Apostolicæ Sedis Constitutionibus nomen inscribere, omninò volumus severam adeò, te puniente, districtionem subire, ut cæteri inposterùm à similibus absterreantur.* Huic ostendens summoperè, *decere Regalis brachii tui in præfati Cardinalis auxilium exeri potestatem, atquita paucorum hominum temeritatè compesci, ut palàm fiat omnibus eam hodiè inter Sacerdotium, & Imperium, miserante Domino, vigere concordiam, ut impunè non liceat turbulentis ingeniis, & nunquam cavillandi finem facientibus, ecclesiasticas simul, ac regias leges infringere.*

34. Neque omisit zelantissimus Petri Successor silentii prædicti aperire vafritiem, fraudem manifestare, improbam temeritatem explodere, eadem folia *in eisdem literis ad Cardinalem laudatum*, vocans *libellum mole siquidèm perexiguum, sed multiplici noxiâ doctrinæ veneno abundè refertum, quo scilicèt plures damnati erroris, perniciosæque novitates adstruuntur, ac ipsæ etiam fel. record. Alexandri VII. Prædecessoris nostri ad Jansenianam hæresim non modò damnandam, sed & præclusis omnibus*

omnibus callidiorum hominum effugiis, ac tergiversationibus radicitùs evellendam, tanta maturitate editæ Constitutiones, quibus, & Nos firmissimè adhæremus, indirectè siquidèm, ac veluti per cuniculos impetuntur. Quid enim aliud esse dixerimus, Libelli hujusmodi Auctores tàm splendido verborum apparatu erga Pontificias Constitutiones internam semper observantiam polliceri, quam interim exteriùs violant, & ut silentium polliceantur, quotidiè silentium rumpere? Quid inanibus quæstionibus, & quæ ad nihil proficiunt, prætèrquam ad subversionem audientium, ecclesiasticarum sanctionum perspicuitati tenebras velle effundere, nisi malum, quod corde fovent, per quamdam dissimulationem aperire? ita ut illud jure usurpari possit: Sermo eorum ut Cancer serpit; & *aliud*: Acuerunt linguas suas, sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum (*Ps.* 139.4.) *Ingemuimus planè videntes homines, qui se Catholicos profitentur, eò temeritatis, ac pervicaciæ devenisse, ut præfatis Constitutionibus Apostolicis, cæterisque hujus Sanctæ Sedis decretis, adhùc obviam ire, eorumque vim, emendicatis undique captiosis subtilitatibus eludere se posse confidant. Verùm cum tàm subdolis eorum artibus non modò, ut par esset, minimè obsistere, sed potiùs patrocinari, ac veluti manum porrigere compererimus non paucos Parisiensis Scholæ Doctores, qui Libellum ipsum palàm ausi sunt suo calculo comprobare, obstupuimus planè, & magna simùl perturbatione pro domo Dei exarsimus.*

35. Cumque adhùc non acquiescerent pervicaces, ut ita dicam, Silentiarii, nec adeò perniciosam doctrinam disseminare cessantes, auream illam Christi Vicarius Constitutionem ad universam edocendam Ecclesiam condidit, cujus initium. *Vineam Domini Sabaoth*. in qua insertis Constitutionibus Innocentii X., & Alexandri VII., tot in detestationem silentii oracula protulit, quot verba: *Sic equidem*, inquiens, post præfatas Prædecessorum suorum Constitutiones relatas; *Causa finita est; non tamen sic, ut par erat, finitus est error Apostolico totiès mucrone percussus. Neque enim defuere, nec adhùc desunt homines veritati non acquiescentes, & nunquam Ecclesiæ contradicendi finem facientes, qui variis distinctionibus, seu potiùs effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis quæstionibus, quantùm in ipsis est, involvere, & implicare conantur; quodque deterius est, ipsamet Apostolicæ Sedis Decreta redarguendis eorum pravis sensibus condita, ac præsertim quasdam piæ mem. Clementis Papæ IX. die 19. Januarii 1669. ad quatuor Galliæ Episcopos, nec non binas similis me; Innocentii Papæ XII., etiam Prædecessorum nostrorum die 6. Februarii 1694., & die 24. Novembris 1696. ad Episcopos Belgii in forma Brevis respectivè datas literas, in erroris sui patrocinium advocare, temerario planè ausu non erubescunt; perinde ac si memoratus Clemens Prædecessor, qui eisdem suis literis, se Innocentii X., & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutionibus supradictis firmissimè inhærere, ac à dictis quatuor Episcopis veram, & totalem obedientiam, adeoque Formulæ à præfato Alexandro Prædecessore, sicut præmittitur, editæ, sincerè per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tàm gravi negotio exceptionem, seu restrictionem, quam nullam prorsùs se umquam admissurum fuisse protestatus fuit, re ipsa admisisset; dictus verò Innocentius XII. Prædecessor dùm sapientèr, ac providè prædictas quinque Propositiones ex memorato Libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent, ac præseferunt, damnatas esse pronunciavit, non de ipsomet obvio sensu, quem in Jansenii Libro habent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac à præfatis Innocentio X., & Alexandro VII. Prædecessoribus damnatus fuit, sed de alio quopiam diverso sensu cogitasset, dictasque Innocentii X., & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutiones temperare, restringere, aut alio quovis modo immutare voluisset, iisdem ipsis literis, quibus eas in suo robore fuisse, & esse, seque illis firmiter inhærere verbis apertissimis asserebat.*

36. *Præterea iidem inquieti homines sparsis undequaque scriptionibus, ac libellis, exquisita ad fallendum arte compositis, non sine gravi Sedis Apostolicæ injuria, maximoque totius Ecclesiæ scandalo docere non sunt veriti; Ad obedientiam præfatis Apostolicis Constitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janseniani Libri sensum in antedictis quinque propositionibus, sicut præmittitur, damnatum, interiùs, ut hæreticum damnet; sed satis esse, si ea de re obsequiosum, (ut ipsi vocant) silentium teneatur. Quæ quidem assertio quàm absurda sit, & animabus Fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio non deponitur error, sed absconditur, vulnus tegitur, non curatur, Ecclesiæ illuditur, non paretur; & lata demùm filiis inobedientiæ via sternitur ad fovendam silentio hæresim, dum ipsam Jansenii doctrinam, quam ab Apostolica Sede damnatam Ecclesia universalis exhorruit, adhùc interiùs abjicere, & corde improbare detrectant. Quin etiam eò impudentiæ nonnullos devenisse compertum est, ut veluti naturalis honestatis, ne dum Christianæ sinceritatis obliti, asserere non dubitaverint, præfatæ formulæ à memorato Alexandro Prædecessore præscriptæ*

sub-

subscribi licitè posse, etiam ab iis, qui interiùs non judicant prædicto Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri. *Quasi verò contra quam scriptum est:* Qui loquitur veritatem in corde suo, (*Ps.* 114. 3.) *&:* Qui jurat proximo suo, & non decipit, (*Ps.* 14.4.) *hujusmodi erroris Sectatoribus liceat Ecclesiam ipsam jurejurando decipere, simulque Apostolicæ Sedis providentiam fallere, dum ejusdem formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Ecclesia loquitur, quod tamen sentit ipsa, non sentiunt, seque parere Constitutionibus Apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt.*

37. *Hinc est, quòd Nos ad opportunum, & efficax tam exitiali morbo, qui ut Cancer serpit, & quotidie in deterius vergit, remedium adhibendum, non minùs demandatæ nobis omnium Ecclesiarum sollicitudinis debito, quamplurimorum Ven. Fratrum nostrorum diversarum partium, ac præsertim Regni Galliarum, Episcoporum zelo, ac precibus excitati, ne hujusmodi pravi homines catholicæ Ecclesiæ pacem subvertere impunè pergant, & simplicium, ac pusillorum mentibus imponere, docentes, quæ non oportet, neve ullus apud eos quoque, qui bona, ut ajunt, fide, ac falsis rumoribus decipi se fortasse patiuntur, de mente, ac sententia Apostolicæ Sedis ampliùs ambigendi supersit locus, Divino priùs, tam privatis nostris, quàm publicè indictis precibus, implorato præsidio, ac re maturè discussa, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio, auditisque compluribus in Sacra Theologia Magistrorum suffragiis; Primò quidem præinsertas Innocentii X. & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutiones, omniaque, & singula in eis contenta, Authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, approbamus, & innovamus. Ac insuper ut quævis in posterùm erroris occasio penitùs præcidatur, atque omnes catholicæ Ecclesiæ filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solùm (Nam & impii in tenebris conticescunt* (1.Reg. 2.9.) *sed & interiùs obsequendo, quæ vera est Orthodoxi hominis obedientia, condiscant; hac nostra perpetuò valitura Constitutione, Obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri, sed damnatum in quinque præfatis propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ut præfertur, ab omnibus Christifidelibus, ut hæreticum, non ore solùm, sed & corde rejici, ac damnari debere, nec alia mente, animo, aut credulitate supradictæ formulæ subscribi licitè posse, ita ut, qui secùs, aut contrà, quoad hæc omnia, & singula, senserint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel scripto docuerint, aut asseruerint, tamquam præfatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores omnibus, & singulis illarum censuris, & pœnis omninò subjaceant, eadem Authoritate Apostolica decernimus, declaramus, statuimus, & ordinamus.* Hucusque Sanctissimus Pontifex, cui in clamculariis, ac *silentiariis* hisce profligandis puritatis catholicæ fidei hostibus jure optimo aptari potest, quod de Sixto III. protulit S. Prosper (*de grat. & lib. arb. contra Cassianum Collatorem cap. ultimo* ante finem) *In custodia Dominici gregis, hæc sit pars gloriæ huic reservata Pastori, & ut Prædecessores ejus, lupos abegêre manifestos, ita hic depellat occultos.*

ARTICULUS XIV.

An Propositio opposita alteri à solo Papa definitæ de fide, sit hæretica?

1 Superflua fortè videri potest hæc quæstio, cujus affirmativa resolutio evidentissimè constat ex hactenùs firmatis, & præcipuè *cap.1.art.3., cap.2.art.11. 12. 13., ac cap.3.art.11. 12. 13.* non tamen inutilis apparebit illam attentè pervolventi, in qua plures intendimus enucleare difficultates, ad corroborationem doctrinæ traditæ plurimùm conducentes, ut promisimus *cap.2. art.12. num.53.* In quem quoque finem habenda præ oculis semper est perpetua Ecclesiæ praxis, qua per Romanos Pontifices, absque ulla convocatione generalis Concilii, damnari consueverunt innumeræ hæreses, tamquàm tales ab universis fidelibus habitæ ex sola Apostolicæ Sedis definitione, ut propterea eò fortius reddatur pro hoc dogmate argumentum *artic. præc. num. 2.* pro Concilio generali à Christi Vicario approbato confectum, quo major est numerus Mysteriorum de fide definitorum, hæresumque profligatarum virtute solius Romanæ Cathedræ, eo, qui à generalibus Conciliis ortum agnoscit. Quin & illa eadem dogmata de fide firmata, errorésque proscripti à Conciliis, non semel fuerant à Petri Successoribus antecedentèr resoluta, & respectivè Pontificio mucrone confossa, cunctis Catholicis ea recipientibus, aut anathematizantibus, absque ulla vel minima discrepantia ab Apostolicis Decretis, quæ per Spiritus Sancti organum Catholicæ Ecclesiæ agnoverunt communicata. Illa autem quisquis perpendere voluerit, adeat Eminentissimum de Aguirre *in suo opere inscripto, Authoritas infallib. & summa Cathedræ S. Petri extra, & supra Conc. quælibet &c. tract. 1. disp. 8. q. 10. &c.,* & P. Franciscum

ciscum Leytam in suo Impenetrabili Pontif. Dignit. Clypeo discept. 6. sect. 5. 6. 7. 8. 9., qui, præter alios complures, exempla hæresum à solis Unigeniti Patris Vicegerentibus in terris interdictarum independenter à Conciliis generalibus, serie sæculorum servata, congerunt, & comprobant. Quas inter:

2. Sæculo primo Apostolorum Princeps Petrus S. Marci Evangelium *probavit, & Ecclesiæ legendum sua authoritate dedit*, ut habet D. Hieronymus *lib. de Script. Eccl.* Simonemque Magum, quem *primogenitum diaboli* dixit S. Ignatius M. *in epist. ad Trall.* ab Ecclesia ejecit, & hæreticum declaravit. Quem dein imitati sunt ejusdem legitimi Successores. Secundo sæculo contra hæreses, de quibus mentio habetur apud Epiphanium *hæres. 22.* Eusebium *lib. 4. hist. cap. 5.* Baronium *ad ann. 120. n. 22.* Anacletus, Evaristus, Alexander I., Sixtus I., Thelesphorus, Higinus, Pius I., Anicetus, Eleutherius, & Victor I. Tertio Sæculo contra hæresim Montanistarum Eleutherius, Victor I., & Zephirinus; contra rebaptizantes ab hæreticis baptizatos Stephanus; contra Novatum Cornelius &c. Quarto Sæculo contra Ursacium, Valentem, Auxentium, nec non & contra Macedonianos Spiritus Sancti Divinitatem negantes, etiam ante Constantinopolitani Concilii celebrationem Damasus: contra Jovinianum Virginitatem Deiparæ improbantem Syricius &c. Quinto Sæculo contra Pelagianos Innocentius I., de quo Ecclesiæ Gallicanæ Præsulum testimonium innuimus *art. præc. num. 30.* Zosimus, Cœlestinus I. contra Prædestinatianos, (de quorum hæresis existentia, & qualitate non una est Catholicorum opinio) Simplicius, contra Acacium, & Fullonem Episcopos, Felix II. contra Eutychetem Leo magnus, qui dein ad Chalcedonense generale Concilium Legatos destinavit, præcipiens, nè à decretis Sedis Apostolicæ latum unguem discederent. Sexto Sæculo contra Semipelagianos Bonifacius II. contra Thalmudistas, Agnoetas, Tritheitas &c. Hormisdas, Joannes II., Vigilius, Pelagius I., & II. Gregorius Magnus, quorum luculenta exhibentur argumenta in præclarissimis, quas ediderunt, epistolis Decretalibus. Septimo Sæculo contra Monothelitas Theodorus, Martinus I., Agatho Panormitanus, de quo Angelicus relatus *cap. 2. art. 12. num. 49.* cujusque mandatum Legatis ad sextam generalem Synodum destinatis innuimus *art. 12. num. 1.*

3. Octavo Sæculo contra Aldebertum, & Clementem Scotum Zacharias; contra Iconomachos, priusquam convocaretur Nicænum II. generale Concilium, Gregorius II., & III., Stephanus III. Nono sæculo contra Claudium Taurinensem Episcopum Paschalis I., contra Gothescalcum, Bonifacius II. Nicolaus &c. Undecimo Sæculo (omittitur decimum, in quo nulla legitur hæresis damnata, neque in aliquo generali Concilio, nec extra) pro vera, & reali Corporis, & Sanguinis Domini in Sacramento Eucharistiæ existentia contra Leuthericum Archiepiscopum Senonensem Leo IX., contra Berengarium ejusdem hæresis fautorem idem Leo, Victor II., & Gregorius VII. acerrimus, & invictus Pontificiæ Dignitatis propugnator, à quo pariter, ejusque Successore Urbano II. jus à Principibus laicis prætensum dandi investituras in Ecclesiastica beneficia fuit proscriptum. Duodecimo Sæculo contra Basilium Hæresiarcham Gelasius II., contra Giliberium Porretanum, & contra Henricianos Eugenius III. &c. Tertiodecimo Sæculo contra Raymundum Lullium laicum mercatorem Gregorius IX., contra Fraticellos Honorius IV., contra Pseudo-Apostolos Bonifacius VIII. Decimoquarto Sæculo contra impudicissimum Dulcinum Clemens V., contra Lolardos, Joannem de Poliaco, ac Petrum de Cugneriis, Joannes XXII., contra Riccardum Armacanum, & Nicolaum Calabrum Innocentius VI., contra Joannem Vuicleff Gregorius XI. Decimoquinto Sæculo contra Joannem Hus, & Hieronymum de Praga Alexander V., & Joannes XXIII., qui quamvis non omninò certi Pontifices, Apostolicæ nihilominùs Sedis privilegium satis ostenderunt, eosdem se solis prius condemnando. Decimo sexto Sæculo contra Lutherum Leo X. damnans, inter alios, perduellis hæresiarchæ *articulum 27.* sic conceptum: *Certum est, in manu Ecclesiæ, aut Papæ non esse, statuere articulos fidei, imò nec leges morum, seu bonorum operum*: & (*art. 28.*) *Si Papa cum magna parte Ecclesiæ, sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret; adhùc non est peccatum, aut hæresis, contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium Universale alterum reprobatum, alterum approbatum*, contra Michaelem Bajum Pius V., & Gregorius XIII. Sæculo XVII., contra Cornelium Jansenium Urbanus VIII., Innocentius X., Alexander VII., aliique Pontifices, usque ad Sanctissimum D. N., de quo *art. præc. nu. 35.*

4. His ad intentum præsens quantumvis perfunctoriè delibatis, & ex aliis permultis selectis, ac memoratis, ad difficultatum indicatarum examen descendimus, quarum prima erui potest ex monito Patris Suarez relati *hoc cap. art.* 11. *num.* 4., quo Concilium generale independentèr à Pontificia approbatione excludendum autumat à fidei regulis, etiamsi *probabilissimum* judicet, ipsum sic sumptum errori esse non posse obnoxium, ex quo id sit sub opinione. Quod pariter non deerit, qui objicere contendet, in Pontificiam infallibilitatem, quæ adhuc inter Catholicos controvertitur, ut inde inferat, hereticam dumtaxat habendam propositionem illam, quæ opponitur alteri definitæ per Concilium generale simul, & Pontificem, modo, quem *art. præc.* expendimus. Latissima nihilominùs viget disparitas inter Concilium generale independenter à Romani Pontificis approbatione, instructione, aut consensu, & ipsummet Christi Vicarium ex Cathedra aliquod mysterium, vel dogma universali Ecclesiæ credendum proponentem de fide. Illius namque infallibilitas, verè controvertibilis est quoad certitudinis gradum, an videlicet Summus ille sit, qui ad fidei dogma constituendum est necessarius? sufficienterque censemus stabilitum, re vera ad gradum hujusmodi nullatenùs pervenire, quo posito, cum probabilius extet, fidei objectum non esse, quod de fide tenendum, sit à Concilio, ut tale definitium, præciso Pontificio influxu, probabilius quoque erit propositionem oppositam dogmati definito à Concilio, non esse hæreticam, cum qua probabilioritate pugnat ratio regulæ infallibilis fidei, quæ Concilio certò adaptetur.

5. Non sic discurrendum de definitis, ut fide divina tenendis dogmatibus per Apostolicam Cathedram, cujus infallibilitatem, non *probabiliter*, aut etiam *probabilissimè*, dumtaxat, sed *certissimè* ex sacris literis satis evicisse putamus *locis citatis*, in eamdem veritatem convenientibus Sanctis Patribus, ipsisquemet Conciliis generalibus, ut indè redarguendi propemodum veniant, qui Concilia generalia infallibilitatis privilegio fulta autumantes, adimunt Romano Pontifici, in quo ipsamet Concilia generalia illud plenissimè adesse supponunt, ut luculentissimè probant Cardinales Bellarminus, & Aguirre, item Suarez, Luchesinus, aliique innumeri, ad quos nos brevitati consulentes Tyrones remisimus *c.* 2. *art.* 12. *num.* 38. Unde, quòd, his non obstantibus, adhùc extent Catholici Doctores, qui prædictam Pontificiam infallibilitatem in dubium vocent, minimè sufficiens esse valet ad *probabilitatem* oppositæ eorumdem opinionis fundandam, sed solùm, nè ista *hæretica* absolutè pronuncietur ob tolerantiam Apostolicæ Sedis, uti loquutum conspeximus Bellarminum *cap.* 2. *art.* 13. *nu.* 45., cui adhærens Leytam in suo *Impenetrab. Pontif. Dignit. Clypeo discep.* 6. *sect.* 10. *num.* 149., motæ difficultati his verbis respondet; „Quòd verò Ecclesia nunc non condemnet, ut hereticam, illam opinionem, est argumentum purè negativum, quod nihil valet. Primò, quia satis illam opinionem jam habet reprobatam in Concilio Lateranensi, Florentino, in Constitutione Martini V. in multis sacris Canonibus, in SS. Patribus, Imò se habet Ecclesia prudentèr non declarando hæreticos illos A.A. timore majoris mali, sed ista ejus permissio, seu potiùs dissimulatio, non est, nec esse potuit approbatio erroris, sed timor schismatis, quemadmodùm pater, qui habet filium primogenitum, à quo videt dependere suam familiam, si videat istum filium in aliquibus esse inobedientem, & prudentèr timeat, si illum gravitèr puniat, ne à domo fugiat; illum interim tolerare impunitum, non est approbatio excessus, sed timor discessus. Sic, quòd Respublica permittat meretrices, ne fiant adulteria, est timor adulterii, non approbatio meretricii. Secundò quia satis declarat Ecclesia se damnare illam opinionem negantem infallibilitatem Papæ in definiendo extra omne Concilium, quando toties extra Concilium definit multas hæreses, condemnando, ut hæreticos, eos, qui in illis à se damnatis contumacitèr persistunt. Sin minùs, dicant isti Patres Doctores Parisienses pugnantes jure optimo contra errores Jansenii, quid respondebunt Jansenistis, qui dicunt, eas, scilicet propositiones Jansenii, non fuisse damnatas in Concilio, sed à solo Papa, proindeque adhùc posse defendi, ut non hæreticas? Si dent manus argumento Jansenistarum, cur pugnant contra illos? Si agnoscunt infallibilitatem Papæ in illis quinque propositionibus extra Concilium damnatis, cur negant infallibilitatem in aliis materiis? nam infallibilitas non minor est in una materia, quàm in alia; Deus enim non minorem fidem mere-

„ meretur, quando revelavit canem Tobiæ, quàm dum revelavit Mysterium „ Trinitatis.

6. Leviam in hac responsione præcessit Eminentissimus Sfondratus *in suo Regali Sacerd. prælud.* 5. *num.* 3. cujus verba *num.* 154. transcripsit: „ Si quæ inter Catholicos de „ Religione dubitatio surgat, habent in „ Romano Pontifice Judicem erroris expertem, & infallibilem, cui omnes, & „ meritò acquiescunt; jam, hac ipsa infallibilitate decidendi Papæ adempta, & in „ Concilium translata, quem, rogo, Judicem adhibent, qui lites dirimat? nam si „ ad Concilium differantur, erunt utique „ immortales; imitari ergo Judices Areopagi oportebit, qui difficili, implexaque „ lite producta, partes jubebant post centum annos judicio sisti, accepturas nimirum à morte sententiam. Vicerunt Jansenistæ, si Concilium expectatur, & Innocentius, Alexander, Clemens Pontifices Maximi errare potuerunt. Verissimè scribit B.Cyprianus (*ep.* 55. *ad Cornel.*) „ *non aliundè hæreses sunt exortæ, & nata schismata, quàm quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia Dei Sacerdos, & Judex vice Christi cogitatur,* „ apertè indicans non semper sufficere ad fundandam probabilitatem alicujus sententiæ Doctorum numerum, qui illam propugnent, sed inspiciendum ulterius, an illa revera defendant, contradicentibus dumtaxat aliis Doctoribus, vel contradicente Apostolica Sede, Romanaque Cathedra; in primo namque casu utraque pars dici, & esse potest probabilis, saltem probabilitate extrinseca, quæ regulariter intrinsecam infert, quòd non videatur verisimile regulariter saltem, Doctores illos in unam, vel alteram partem propendere absque prævio motivo ex intrinsecis rei prudentèr eruto; & ideò Innocentius XI. jure merito damnans 65. *propositiones* paci, & charitati consulens *in virtute S. Obedientiæ præcipit, ut tàm in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni censura, & nota; nec non à quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controvertuntur, donec à S. Sede recognita, super eisdem propositionibus judicium proferatur.*

7. At in secundo, non ita, ex quo, ut fusiùs alibi vid. bitur, Apostolicæ Sedis authoritas tollit omnem probabilitatem in oppositum, & maximè, cum aliquam doctrinam, ut de fide tenendam præscribit, oppositam statuens, ac definiens hæreticam, & propterea damnatis per Innocentium X. quinque propositionibus excerptis è libro Jansenii *filios iniquitatis* vocavit (*in constit.* Ad Sanctam) Alexander VII., qui illas, *vel in libro prædicto ejusdem Concilii Jansenii non reperiri, sed fictè, & prò arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse* asserere, magno cum Christi fidelium scandalo, non formidarunt. Quis jam probabile dicere ampliùs ausus fuerit, quod non nisi ab *iniquitatis filiis* defendi poterit? idem sanè id erit, ac veritatem expectare à mendacii Spiritu, quo, quid magis chimericum? Locum idcircò habere potest quadantenùs mota difficultas circa eas propositiones ab Apostolica Sede proscriptas sub aliqua infra hæresim nota, ex quo, ex dictis pateat infallibilitatem Pontificiam in his censuris ferendis non esse adhùc apertè definitam, tamquam fide divina tenendam, aliquibus nobiscum affirmativè sentientibus, aliis verò negantibus, omnibus tamen temerarium, erroneum, aut hæresi proximum putantibus oppositum dictæ definitioni tueri, ac propugnare. Undè, quòd definitio hujus generis sit fidei objectum, non excedere videtur probabilioritatis limites, & proindè adhuc aliqualiter probabile manet, fidei objectum non esse quantumvis certissimum fidei proximo certitudinis gradu. De ea autem in hoc sensu plena dabitur solutio *art.* 21. *hujus capitis.*

8. Interim non dissimili modo occurrendum alteri reflexioni, quæ fieri solet ex eadem paritate definitionum Concilii generalis præcisa Apostolicæ approbatione, aut consensu, & definitionum à Romanis Pontificibus emanatarum, his applicando ratiocinationem, qua *hoc cap. art.* 11. *num.* 14. illas probavimus infallibilitate propria fidei præditas haudquaquàm esse, quia aliàs cessaret quodlibet motivum requirendi Pontificiam corroborationem, quam perpetuò cuncta generalia Concilia expostularunt. Id ipsum verò urgere videtur in Pontificias definitiones, quæ, si infallibiles fidei infallibilitate admittantur, non esset cur dein eadem dogmata à Christi Vicariis definita, generalium Conciliorum ampliùs committerentur discussioni, & examini, quod tamen pluriès factum, ecclesiasticæ historiæ monumenta satis ostendunt. Clarumque præ cæteris extat de hoc testimonium Magni Leonis volentis, ut Euthychiana hæresis contra dualitatem naturæ in Christo per ipsum apertè damnata, in Chal-

çedonensi generali Cocilio denuò examini subiiceretur, cumque Concilium eam proscripsisset, summoperè gratulatus est Pontifex *ad Flavianum ep.16.* scribens: *Quia piè, ac religiosè Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, ut pleniore judicio error aboleri possit;* (en Concilii judicium, *plenius* dictum judicio Apostolicæ Sedis, & proindè superius, ac firmius.) *gloriamur in Domino, qui nullum Nos in nostris Fratribus desiderium sentire permisit, sed quod nostro prius ministerio definierat, universæ Fraternitatis firmavit assensu, ut verè à se prodiisse ostenderet, quod priùs ab omnium Sede firmatum, totius Orbis judicium recepisset.* At si *pluriès* id gestum dicitur, non *semper*, en Expressa discrimininis ratio, quòd de Conciliaribus definitionibus *semper* id verificatur, non *pluries*. Nos enim dici potest essentialis, & necessaria confirmatio Conciliaris, quæ absque ullo præjudicio definitionum Apostolicarum potest non exquiri, & multotiès non est exquisita, quin tamen ideo minoris ponderis sit habita, ac idcircò Conciliaris definitio Pontificiam præsupponens, non in toto rigore, *confirmatio* appellatur. Bene verò confirmatio Pontificia, quæ semper necessariò requiritur, & si decreta Conciliaria præsupponat, ut hæc vim habeant Ecclesiam totam obligandi ad ea tenenda tamquam fidei objecta, quaque præcisa tamquam talia non reciperentur.

9. Ad rem facit solida Cardinalis Turrecrematę *in Summ, de Eccl, lib.2. cap.*100. consideratio hic inserenda à nobis consultò omissa *hoc cap. art.*11, *num.*40. qua purpuratus Doctor expendit sapientissimè fecisse Eugenium non approbando decreta Basileensia. „ Quis enim nisi imprudentissimus „ Princeps approbaret decreta, quæ numquàm vidisset, aut quæ priùs non examinasset, si quid in eis minùs rectum, minùs verum, aut minùs expediens contineretur, Undè mos fuit Summorum „ Pontificum, cum confirmaturi essent „ decreta Conciliorum universalium, quibus personalitèr non interfuerunt, congregare Synodum Prælatorum, qui erant „ sub Patriarchatu Romano, & ibidem diligenti examinatione facta, illa confirmabant, sicut de Beato Sylvestro legitur, „ cum decreta Concilii Nicæni approbasset. Idem diebus posterioribus Papa Clemens V. ita fecisse legitur, ut Joannes „ Andreas *in principio Clement.* ponit de „ Constitutionibus factis in Concilio Viennensi, quæ, quia (ut inquit) aliquæ earum erant ineptæ, aliquæ prolixæ, aliquæ defectivè compositæ, aliquæ etiam „ non expediebant, fecit illas Clemens recenseri per peritiores, qui aliquas illarum in toto reservaverunt, aliquas mutaverunt quoad verba, mente servata, „ aliquibus verò earum quibusdam detractis quoad verba, & quoad mentem, aliqua sunt addita. „ Evidentissimum igitur est confirmationem hujusmodi esse ad infallibilitatem decretorum necessariam, utpotè factam ab eo, cujus est examinare, si quod in eis *minùs rectum, minùs verum, minùs expediens* contineatur.

10. Oppositum è diametro contingere, cum decreta Pontificia ad generalia Concilia transmittuntur, luculentèr eruitur ex iis, quæ tetigimus *hoc capite art.* 12, *num.* 1, concludentia, adeò à veritate alienum esse, quòd Pontificiæ definitiones indigeant Conciliari confirmatione, ut potiùs per eas limitari, & restringi queat Conciliorum authoritas, ne vel in minimis, quæ ad fidem pertineant, ab illis discedere audeant. Cujus veritatis præclarissimus extet testis, & assertor idem Magnus Leo, qui non nisi per summam audaciam adducitur in contrarium, ut solidè novissimè notarunt Leytam in suo *Impenetrab. Pontif. Dignit. Clypeo discept.7. sect.1, à n.*15. Maimburgi solvens objectionem; & Luchesinus in *Sacra Monarchia S. Leonis Magni &c. cap.*20. *& alibi passim*, perpendentes Sanctissimum Pontificem ad Synodum scripsisse; (*ep.*54.) *Unde Fratres charissimi rejecta penitùs audacia disputandi contra fidem divinitùs inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat; nec liceat defendi, quod non licet credi, cùm secundùm Evangelicas authoritates, Apostolicamque doctrinam plenissimè, & lucidissimè per literas, quas ad Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis Domini nostri, pia, & sincera confessio.* Et ad Pulcheriam Augustam (*ep.*33.) *Remoto longarum disputationum labore Cyrilli Alexandrini Episcopi epistolæ acquiescas, & epistolæ meæ ad Flavianum, quia mea, & Sanctorum Patrum de Incarnatione concors per omnia, & una confessio est, quam si quis existimaverit non sequendam, ipse se à compagine unitatis abscindit.* Mandato huic Pontificio, quo quælibet disceptatio interdicebatur, (de disceptatione loquor, quæ ad indagandam veritatem, de qua ullum sit dubium, non de ea, quæ veritate firmitèr supposita, ad refractarios fidei hostes retundendos licita certissimè est, & encomiis digna) super definitione Mysterii Dominicæ

In-

Incarnationis, & impermixtionis duarum naturarum in Christo in literis ad Flavianum tradita, tanto obsequio paruere Synodi Patres, ut cum perlegeretur Flaviani ejusdem professio fidei, non alio argumento eam orthodoxam probarunt, nisi quia; *Fidei expositio cum Beatissimi, atque Apostolici Viri Papæ Romani epistola concordat*, uti locutum legimus Paschasium Episcopum Vicarium Apostolicæ Sedis, cui omninò se conformans Lucentius itidem Legatus in Latrocinalis Ephesinæ Synodi Patres retorquendam *necesse* esse pronunciavit damnationem in eumdem Flavianum latam; *quoniam S. M. Flaviani fides concordat cum Apostolica Sede &c.*

11. Fuere equidem pauci aliqui, qui de Leonis epistola hæsitarunt, ad quorum infringendam audaciam, mentemque illustrandam duxit legimus a Chalcedonensis Synodi Judicibus; *Quia conveniens est omnibus dubitantibus persuadere, Reverendissimus Archiepiscopus Anatolius elegit de his, qui subscripserunt;* (hanc particulam nota, ut videas disceptationem etiam post subscriptionem permissam, & idcircò, non ejus generis esse potuisse, quæ de re esset Subscribentibus adhuc dubia) *quos putaverit idoneos esse ad docendum eos, qui dubitant*. Sed citatus Luchesinus *cap.* 30. eos fuisse ostendit, qui æquè de notissimis catholicæ fidei articulis dubitarunt, incredibilem erga Dioscorum amorem præferentes, eos autem Synodus evincere studuit uniformitatem proponens doctrinæ Leonis cum doctrina Cyrilli, quòd hæc ab Adversariis illis catholica haberetur.
„ At cur (Luchesinus loquitur) eorum
„ hic dubia scissa non sunt affirmando, fal-
„ li non posse Pontificem Maximum iis in
„ literis, quas cum jussisset in publica Sy-
„ nodo legi profitebatur à se per illas Ec-
„ clesiam edoceri? Ita ne verò non solven-
„ dus nodus Auctoritate Cyrilli, sed ut
„ Gordius, Alexandrino ense Pontificiæ
„ Infallibilitatis scindendus erat? At cur
„ Augustinus non pepercit labori scribendi
„ librum de consensu Evangelistarum? res-
„ pondere dubitantibus de veritate Sacræ
„ narrationis à pluribus exaratæ, cò quòd
„ una pugnans alteri alicubi videatur, uno
„ verbo potuisset, negans, ullam ex ipsis
„ falli, quia omnes sunt Infallibiles? Hanc
„ non inivit viam Sapientissimus Ecclesiæ
„ Doctor, non inierunt alii plurimi, qui
„ ad os Infidelibus obstruendum in aperto
„ sole statuerunt fœdus, quod uni cum al-
„ tero Sacrosancto Historico intercedit, vel
„ uni cum altero universali, & ab Aposto-
„ lica Sede confirmato Concilio. Ita igitur
„ licèt impos falli haberetur à Synodo Li-
„ tera Pontificia, (quemadmodum innu-
„ meris argumentis frequentissimè Syno-
„ dus eadem ostendit,) tamen arbitrati
„ non sunt Patres, opportunum esse, ad
„ hanc infallibilitatem confugere ad fauces
„ infirmorum in fide Antistitum occlu-
„ dendas. Sed cum iidem magno in pretio
„ haberent, & meritò quidem, doctri-
„ nam Cyrilli, ac se jactarent illius contra
„ Nestorium defensores; consonam ei-
„ dem esse ostenderunt Leonis epistolam,
„ Fide credenda jam erant, quæ in literis
„ Cyrilli continebantur, quia comprobata
„ ab Ephesino primo Concilio, directò
„ ab Apostolica Sede, & ab eadem amplis-
„ simè confirmato. Divina paritèr fides
„ præstanda erat Leonis epistolæ, à Petri
„ Cathedra directæ pro credendi forma ad
„ Synodum universalem. Hanc igitur con-
„ ferendo cum aliis à Cyrillo datis Chal-
„ cedonenses Patres scriptum unum Infal-
„ libile, cum alio paritèr infallibili contule-
„ runt, eo pacto, quo Evangelium Lucæ
„ facto ipso cum Marci narratione confer-
„ tur; sicut ergo Evangeliorum Collato-
„ res non proindè negant eorum Infallibi-
„ litatem, quam verbis nequaquam alle-
„ gant, ita qui Pontificiam cum Cyrilli E-
„ pistolis comparaverunt, non inficiati
„ sunt Leonis infallibilitatem, aliàs à se
„ frequentissimè assertam.

12. „ Quod Chalcedonenses Patres o-
„ stenderint, eamdem esse Leonis, & Cy-
„ rilli doctrinam, solummodò, ut Hære-
„ ticos in veritatis viam revocarent, & non
„ quia putarent Pontificiam Auctoritatem
„ aliena attestatione fulciendam esse; ma-
„ nifestissimè constat ex iis, quæ paulo an-
„ te contigerant, Cum enim è suo sensu
„ Catholici Episcopi locuti sunt, veram
„ esse Leonis fidem, & cælitùs à Petro di-
„ ctatam illam epistolam, inclamarunt,
„ nihil de Cyrillo solliciti, quia probè no-
„ verant, certissimum ipsi Leoni assen-
„ sum necessariò adhibendum esse. Nunc
„ autem in Cyrilli consensione vim fa-
„ ciunt, alienæ se infirmitati accommo-
„ dantes, Libet hic animum advertere ad
„ stultas querelas Petri Suavis, qui de No-
„ rimbergensi decreto locutus addit; *Ex*
„ *quibus apparet, Edictum, quod flammam con-*
„ *troversiarum credebatur extinctarum, eam-*
„ *dem violentiùs accendisse, eoque magis piorum*
„ *hominum mentibus fixum, immotumque sedit*
il-

„ *liberi Concilii desiderium*, *cujus beneficio* „ *utrisque partibus ei se submittentibus à tot* „ *tantisque malis liberatio expectaretur*. Ita ne „ vero *pars utraque*, Catholica videlicet, „ atque ejus Caput Pontifex Maximus, „ & Hæretica, *Subjicere se* Concilio debuis„ set? At quid simile Eutyches, ac Dioscorus, atque hi, de quibus nunc loquimur, „ Præsules flagitarunt? An Chalcedonenses Antistites obtemperare Leoni, parti „ scilicet uni, juxta Suavis nomenclaturam, recusaverunt?

13. Videant propterea quam similibus ratiociniis in Pontificiam infallibilitatem non verentur insurgere, Dioscori nempè Sequacium; ni dicam, & ipsis quodammodò pejores effici, in eo, quòd Leonem ipsum accerrimum, ac invictum Romanæ Cathedræ Atletam, (de quo, dicente in Concilio Cecropio Episcopo Sebastopolitano: *Forma data est à Sanctissimo Archiepiscopo Romanæ Urbis, & sequimur eam, & Epistolæ omnes subscripsimus. Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Ita omnes dicimus, sufficiunt, quæ exposita sunt. Alteram compositionem non licet fari*, & insuper tota Synodus Marcianum Imperatorem alloquens: *Unde nobis impenetrabilem in omni errore Propugnatorem Deus providit, & Romanæ Ecclesiæ Papam ad victoriam præparavit, doctrinis eum per omnia veritatis accingens, ut quemadmodùm fervens affectu Petrus, & Hic affectu ferventiore omnem ad Deum sensum, intelligentiamque perducat*,) Authorem promere temeratio planè ausu non timeant indigentiæ, quam in Pontificiis decretis somniant ad esse, ut à Concilio comprobentur. Gratulatus utique est Pontifex *pleniori judicio* Eutychianam hæresim extinctam prospiciens, sed undè nam colligitur, quòd ut *plenius* habeatur *judicium* necesse sit, quod Concilium sit Papa superius? quod Conciliaris definitio sit Pontificia firmior? *Plenius* sanè *judicium* extensivè fit, quò solemnius, plenius, quo à pluribus, sed plenitudine *extensiva*, non intensiva, seu quæ aliquem præsupponat defectum. Ad eum planè modum, quo, (servata tamen proportione) Deus, & Creatura, quid majus dici quadantenùs potest, quam Deus, numero, videlicet, & extensione, non tamen perfectione, cum nulla sit in Creatura perfectio, quæ non sit supereminentèr in Deo, quæque non originem ducat à Deo. Qua paritate uti, mirum non erit ei, qui attenderit nos verbis Leonis responsionem parare, quibus se gloriari dicit IN DOMINO, qui *quod nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis firmavit assensu*, Deus igitur cum asseratur utriusque definitionis origo, & radix, non altero profectò sensu dici potest *plenius* Concilii judicium, nisi quo majus quid Deo, Creatura simul, & Deus. Hoc tamen discrimine, quòd in hoc casu prorsùs impertinens est locutio, quæ in altero non omninò impropria, ex quo in eo, Deus solus comparatur cum complexo, (ut ita dicam) ex Deo, & Creatura, in isto verò fit comparatio inter complexum Dei, Romanique Pontificis ministerii, & complexum Dei cum ministerio *universæ fraternitatis*, quæ certè plenior est extensive, quam ministerium solius R. P. absque ullo in hoc perfectionis defectu, quæ cum tota proveniat à Deo, æquè est in solo Romano Pontifice, & in Romano Pontifice simul, & totius Synodi Patribus, utrisque ab eodem fonte promanans, licèt ita ut immediatè Romano Pontifici ex Divina promissione sit debita, Synodi verò Patribus non nisi mediante ipso Romano Pontifice, & cum convenienti ad ipsum subordinatione, & obsequio.

14. Secunda difficultas, quæ fieri potest, sita est super signis, quibus regulari valeamus ad dignoscendum, quandonàm decreta Romani Pontificis censeri debeant ex Cathedra promanantia? quod idem est, ac inquirere, quid re vera sit, Christi Vicarium loqui ex Cathedra? Pro cujus explicatione rectè premonet Leytam in *suo impenetrab. Pontif. Dignit. Clypeo discept.6. sect.11. n.156.* posse varias, diversasque actiones ab uno, eodemque reali principio prodire, & si non sub eadem formalitate inspecto, uti patet in homine, à quo procedunt sensationes, intellectiones, volitiones &c., non tamen sub unica formalitate, sed sub pluribus, adeò ut sensationes ipsum respiciant, ut formalitèr sensitivum, intellectiones formalitèr intellectivum, volitiones formalitèr volitivum. Qua proinde ratione patet, eumdem Romanum Pontificem posse considerari, ut Personam privatam, privatumque Doctorem, & ut Personam publicam, Doctorem universalis Ecclesiæ, seu ut Summum Pontificem, & Papam universalem. Si autem consideretur tamquam Persona privata, etsi non desint Authores, qui eum nec usquam errasse in fide, nec in posterùm erraturum, immò nec errare posse contendant, ut probabile putat Cardinalis de Aguirre *in suo opere inscripto Authoritas infallibilis, & summa Cathedræ S. Petri disput.33. sect.1. num.3.* pro ea opinione citans Albertum

tum Pighium *lib. 4. Hier. Eccl. cap. 8.* Bellarminum *lib. 4. de Rom. Pont. cap. 6.* Suarez *tract. 1. de fid. disput. 10. sect. 6. num. 11.* oppositum nihilominus alii probabilius judicant, magisque à Doctoribus apparet receptum, immò Suarez ex adverso adductus, (qui aliàs *lib. 1. con. Regem Angl. cap. 6. nu. 15.* benè advertit, quæstionem hanc non pertinere ad fidei fundamenta) non id profert universaliter de hæresi, prout importat solam à fide deviationem, sed quatenus *contumaciam* involvit, dicens, magis pium, & probabilius videri, posse quidem Papam, ut privatam Personam, errare ex ignorantia, non tamen *ex contumacia*, sicque pariter loquitur Bellarminus, probabile, piumque esse, credens hæreticum esse non posse falsum aliquid contra fidem *pertinacitèr* credendo, nec aliter loqui poterant cohærentèr ad responsionem, quam ad exempla Summorum Pontificum Alexandri III., & Cœlestini, qui errores insimulantur, adhibuisse vidimus *cap. 2. art. 13. num. 27. 28.* nec dissentit de Aguirre camdem particulam *pertinacitèr* exprimens, relatè ad quam, eorum opinio divinæ Providentiæ suavitati, qua Ecclesiam suam Altissimus dirigere ad sæculi consummationem promisit, videtur non parùm conformis.

15. Patet autem quòd sub hac consideratione, cum Pontifex aliquod pronunciat, dici non possit ex Cathedra loqui; sed hac denominatione potiri, si consideretur ut loquens tamquàm Persona publica, universalis Ecclesiæ Doctor, orbis catholici Pastor, communisque Magister cunctos fideles obligans ad aliquod credendum, vel servandum, ut non semel hactenùs observavimus, & ita expressè sentiunt Melchior Canus *lib. 6. de locis theol. cap. 8.* Suarez *citat. lib. con. Regem Angl. num. 16.* Granadus *2. 2. contr. 1. tract. 7. disput. 2. sect. 1. num. 1.* Valentia *2. 2. quæst. 1. punct. 7. §. 39.* quorum verba refert eos sequens Cardenas *in sua Crisi theol. super prop. damn. ab Innocentio XI. diss. 1. proem. art. 2. cap. 4.* Leytam verò *loco num. præced. cit. num. 155.* addit Vincentium Fusari *in Append. pag. 70.* Cardinalem Sfondratum sub nomine Eugenii Lombardi *lib. 2. §. 6. pag. 357.* & ex ipso Cabasutium *in sua historic. notit.* agens *de sexta Synodo*, & copiosiùs *lib. 2. §. 1. pag. 467.* Dissensio nihilominùs adhùc est inter Catholicos, an loqui ex Cathedra sit dicendus quotiès revera agit, ut Persona publica &c. sive tradat aliquid ex fide tenendum, aut rejiciendum, sivè universalem condat legem, aut aliquid prohibeat nota ulla infrà hæresim? an solummodo, cum dogma aliquod inter fidei objecta recenset, oppositumque inter hæreses ad numerandum recenset? Hoc namque posteriùs docet Petrus Cuncus *lib. de perpetua Cathedræ Petri firmitate*, Gibalinus *tom. 2. de scient. canon. lib. 5. cap. 3. num. 17.* apud Didacum de la Fuente Hurtadum *in Theologia reformata dissert. proem. quæst. 18.* qui cum Theophilo Rainaudo *tom. 10. in corona aurea Rom. Pontif. fol. 15.* oppositum tuetur, ac propugnat, ductus, quòd *Cathedræ* nomen supremam Pontificis authoritatem denotet, sivè ad docendum, sivè ad præcipiendum, sivè ad judicandum de dubiis fidei, ac peccatis, ita ut *Cathedra* Pontificia universam potestatem, & authoritatem Pontificis, sicut *Cathedra* Episcopalis totam Episcopalem designet, & sedere in *Cathedra* alicuius Ecclesiæ idem sit, ac esse illius Episcopum, quod indicare voluit Magnus Leo *epist. 84. ad Anast. cap. 8.* relatus *in cap.* Si quis Episcopus *7. quæst. 1.* ibi -- *Non solùm à Cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit, & propria.* Hæcce posterior opinio cohærentior est nostris principiis, quibus infallibilitatis divinæ privilegium ad omnes hujusmodi Pontificias resolutiones, leges, aut decreta extendimus, non quidem quoad eorumdem objecta, ac si singula sint immediatè à Deo revelata, sed quoad ipsas definitiones, ex quibus nihil ad universam spectans Ecclesiam, cunctorumque fidelium animos obstrigens potest promanere non honestum, non sanctum, non rectis morum regulis consonum.

16. Sed ecce hujus difficultatis præcipuus cardo super diligentia à Romano Pontifice adhibenda, quoties ex *Cathedra* aliquod debet præscribere, & præsertim, si debeat aliquod, ut fide divina tenendum ultimatè definire? Morem, quem servabant antiquitùs Romani Pontifices, cum præsertim definitionem dogmatum promere intendebant, ex Turrecremata tetigimus *num. 9.* ad præsens autem, & si Concilia non congregent, Sacrarum Congregationum utuntur consilio, ac Theologorum prævia discussione, & examine, ut videre est in decretis propositionum ab Alexandro VII. & Innocentio XI. damnatarum, in quibus iidem Christi Vicarii protestantur se præviè ad earumdem proscriptionem: *Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus*, eas subjecisse, nec nisi iisdem *sedulò, & ac*

& accuratè sæpiùs discussis eorumdem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis, per Sanctitatem suam auditis &c. ad Constitutiones pro earum damnatione devenisse. Humanam siquidem diligentiam adhibere utique debet Pontifex, non tamen hunc, vel illum modum præ alio seligere, dummodò non temerè in tanto negotio procedat, à qua nota potest optimè quandoque se eximere etiam Cardinalibus, & Theologis inauditis, si per se ipsum in Doctorum libris perlegat, & discutiat quidquid Cardinales, & Theologi consulere possunt, ut notat cit. Cardenas *cap.5. nu.*108.postquàm *num.*104. *& seqq.* tres retularat in hac materia opiniones pro hypothesi, qua Pontifex aliquid universali Ecclesiæ credendum, aut servandum proponeret, maturo examine, ac diligenti indagine non præmissis.

17 Primam videlicet, quam defendunt Gravina *in controv. tom.2. p.2. art.9.* Araux 2.2. *q.1. art.* 10. *dub.5. num.*14. Bordonus *in Trib. cap.5.q.25. num.*219. asserentes Pontificem sic facientem exponi periculo errandi, aut saltem non esse certum, quod hoc modo haberet divini Spiritus assistentiam, eo quòd hæc promissa est à Christo Romanis Pontificibus, dum ad decreta fidei, & morum prudenti more procedunt. Secundam è diametro oppositam propugnant Valentia 2. 2. *q.1. punct.* 7. §. 40. Castropalao *tom.* 1. *tract.4. disput.* 1. *punct.*5. §.1. *num.*12. Bannez 2.2. *q.1. art.*10. §. *Ad quartum*, & novissimè Cardinalis Capisucchi *in suis quæst.theol. selectis moralib., & dogmat. dissert. histor. theol. de Hæret. Prædestinatianis*, §.4. *secunda digress.incid.* citans Ludovicum Caspensem *in cursu theol. tom.2.tract.*15.*disp.2.sect.3.num.*68. Tertiam inter extremas mediam, quæ casus possibilitatem negat, eamque tuentur Granadus *tract.7. de fide disp.2. sect.2.nu.*30. Melchior Canus *lib.5. de loc. theol. cap.5. ad 2.* Tannerus *tom. 3. disp.4 q.q. dub.6. num.* 159. & Suarez *disp.5. de fide sect.8. num.*11. cujus hæc sunt verba,, Solet autem quæri, quid
,, sit futurum, si Pontifex sine præmissa di-
,, ligentia definiat? Aliqui dicunt posse
,, tunc Pontificem errare,& Ecclesiam pos-
,, se tunc non assentiri, sed hoc periculo-
,, sum est, quia Ecclesiæ non poterit con-
,, stare,an Pontifex adhibuerit sufficientem
,, diligentiam, nec ne?vel relinquetur sin-
,, gulorum arbitrio,ut judicent,an diligen-
,, tia sufficiens fuerit? & ideò meliùs, ut
,, existimo, respondetur non admittendo
,, casum. Nam Spiritus Sanctus, qui regit
,, Ecclesiam, non permittit,Pōtificem tàm
,, imprudenter definire, & ideò quotiès
,, absolute definit,credendum est sufficien-
,, tem diligentiam præmisisse,, Huic sententiæ adhæret Cardenas cum Tannero concludens certissimam adesse Spiritus Sancti assistentiam ad unum è duobus, vel ne Pontifex in materia fidei, & morum aliquid decernat absque matura deliberatione, vel ne erret, si absque illa decreverit.

18. Periculosam primam opinionem & nos censemus, talemque judicasse videtur Capisucchius, dum ex sua sententia infert, definitiones fidei non dependere ab Ecclesiæ acceptatione, & consensu; rectèque proinde ab Inquisitione Hispanica *anno* 1683. erroneam, & hæresi proximam declaratam esse propositionem illam: *Papa in decidendis articulis, qui pertinent ad fidem, non est infallibilis absque consensu Ecclesiæ.* Argumento namque à contrario sensu, sequitur, quòd ex prima opinione Pontificię definitiones ex consensu, & acceptatione prædicta pendere deberent, ob illud idem motivum, quo *hoc cap. art.5. num.*15. ex Suarez diximus fortassè non esse sufficientem propositionem electionis Canonicæ Romani Pontificis, ut fide divina credatur, donec moralitèr constet esse à tota Ecclesia acceptatum, & pacificè possidere suum Primatum, sicque auferatur omnis fallibilitas, quæ de canonica electione posset haberi, cui similis esset fallibilitas cognitionis de adhibita à Romano Pontifice debita diligentia, ac examine, pro hac, vel illa propositione damnanda, si semel hæc, æquè ac illa non possit virtute ipsius Pontificiæ definitionis superari. Ex quo consequens fieret, ut in cujuslibet pervicacis arbitrio situm esset Pontificias definitiones non acceptare, ut nostris hisce temporibus deplorabili temeritate vidimus à Jansenistis practicatum, & utinam adhuc in dies non practicetur! Contra quos, & in assertionis munimen, nostrique operis ornamentum præstat hic inserere integrum *Caput*, quo hujusmodi effugium infregit zelantissimus Infallibilitatis Pontificiæ Assertor Michael Paludanus Gandavensis Ordinis Eremitarum S. Augustini (*in sua* verè aurea *Apologia Constitutionis Urbanianæ, quæ incipit*, In eminenti Ecclesiæ) cujus *Caput undecimum*, quo probandum assumitur: *Infallibilitas Pontificis est absoluta, non dependens à conditione, quam ipse cum definit, possit omittere*, in hanc formam concipitur:

,, 19. Et hisce quidē ratiocinationibus spe-
,, raveram, satis obstructos esse omnes exi-
,, tus, per quos ad destruendam hanc Constitu-

,, ſtitutionem videbatur poſſe erumpi, ne-
,, que credebam aliquid ulteriùs metuen-
,, dum ab illis, qui nobiſcum profitentur
,, Pontificis infallibilitatem, poſtquàm il-
,, lis oſtenſum foret, materiam hujus Con-
,, ſtitutionis ſub infallibilitatem cadere.
,, Quis enim putaret eos, vel cogitare poſſe
,, de Pontifice ad revocationem ſeu πα-
,, λινῳδίαν illius definitionis urgendo, qui
,, cum iſta in re infallibilem credunt? E-
,, rumpunt tamen: Et ea quidem parte,
,, qua minimè timebatur, id eſt, non per
,, oſtium, aut foramen: ſed, utì deſperatis
,, rebus fieri ſolet, per præcipitium. Nam
,, quo aptiore alio vocabulo appellem,
,, neſcio, hanc eorum doctrinam, qui dog-
,, matizant: Ad infallibilitatem Pontificis,
,, etiam in his, quæ ad Fidem ſpectant, mul-
,, ta requiri, quæ tamen Pontifex poſſit
,, omittere, & proprio ſenſui, propriæque
,, prudentiæ, (prout hæc ſcilicet condi-
,, ſtinguuntur contra directionem Spiritus
,, Sancti) inniti. Adeòut etiam in materia
,, fidei, & doctrinæ licitè ſuſpendi poſſint
,, Bullæ, definitioneſque Papales, donec
,, ſcilicet examinatum fuerit: An à Pon-
,, tifice adhibita fuerint omnia, quæ ad in-
,, fallibilem definitionem requiruntur? Ad
,, quam doctrinam, velut unicam in hoc
,, naufragio Tabulam convolant, ne hujus
,, argumenti, quod à Pontificia infallibi-
,, litate deſumptum eſt, impetus, omnem
,, eorum contra hanc Conſtitutionem co-
,, natum abſorbeat. Quod utique fieret,
,, ſi eam agnoſcerent in Pontifice eſſe infal-
,, libilitatem, ut hoc ipſo, quòd ab eo
,, emanat aliqua definitio, (cujus objectum
,, intra ſphæram Pontificiæ infallibilitatis
,, continetur) certi eſſemus nihil omiſſum
,, eorum, quæ ad infallibilitatem requi-
,, runtur.

,, 20. Fateor, illius doctrinæ ſuæ admi-
,, niculo vim argumenti effugiunt, & id
,, aſſequuntur, ut ſuppoſita illius doctrinę
,, veritate, non impudenter de Bullæ hu-
,, jus valore dubitare judicentur, cum di-
,, cunt ſibi non conſtare omnia ad infalli-
,, bilitatem requiſita hic adhibita fuiſſe,
,, ideòque non immeritò ſe accuratius exa-
,, men, plenioremque diſcuſſionem cauſæ
,, urgere. Sed tàm longam incommodo-
,, rum iliadem hæc eorum de Pontificis
,, infallibilitate principia poſt ſe trahunt, ut
,, ſi, poſtquàm illa attenderint, animoſi-
,, tas defendendæ præconceptæ ſuæ opinio-
,, nis eos ab his principiis non patiatur
,, avelli, ſuo facto plùs ſatis oſtendant,
,, quàm ſit miſerum eò uſque progreſſum
,, eſſe, ubi manere non liceat, & undè re-
,, dire jam pudeat.

,, 21. Certè, qui ad enervandam hujus
,, Conſtitutionis vim, illius principii uſum
,, in Eccleſiam volunt inducere, ſimiles
,, mihi videntur illi, qui ut alicujus opti-
,, mæ, fertiliſſimæ, & in plura brachia
,, diffuſæ arboris ramuſculum unum, ſibi
,, fortè minus commodum, areſaciat, ra-
,, dicem arboris ſucciderct, aut vitiaret;
,, qua ſucciſa, aut vitiata non unum illum
,, ramuſculum, ſed totam arborem cum
,, omnibus ſuis brachiis, & fructibus are-
,, ſcere, & perire foret neceſſe. Scopum
,, quidèm ille ſuum in areſactione ramuſ-
,, culi aſſequeretur; furioſus tamen judica-
,, bitur, qui totam cum magno optimo-
,, rum fructuum proventu arborem ma-
,, luerit everſam, quàm unum in ea ramuſ-
,, culum, minùs ſibi arridentem, videre
,, incolumem.

,, 22. Nam hoc principium non magis
,, in hanc Conſtitutionem, quàm in cæteras
,, omnes incurrit. Atque, ut daretur non
,, omnem omninò Infallibilitatem Pontifi-
,, cis funditùs evertere, facit illam nihilo-
,, minùs inutilem reſpectu quarumcumq;,
,, quæ à Pontifice emanant definitionum.
,, Enimverò Infallibilitas Pontifici definiēti
,, promiſſa ſub conditione, quæ ab eo, dum
,, definit, omitti, & deficere poteſt, non
,, poteſt in nobis firmum, & indubitatum
,, aſſenſum producere, quamdiù de purifi-
,, cata cōditione non conſtat. Fluctuabimus
,, ergo circa Pontificis quaſcumque, & in
,, quacumque materia definitiones, donec
,, nobis aliundè conſtet de exiſtentia condi-
,, tionum ad infallibilitatem requiſitarum.
,, Sicut inter ſpem, & metum fluctuamus,
,, dubii de æterna noſtra ſalute, cujus obti-
,, nendæ, & ſi promiſſionem habeamus ab
,, eo, qui neque fallere, neque falli poteſt,
,, tamen quia promiſſio iſta facta eſt ſub
,, conditione perſeverantiæ, quamdiù perſe-
,, verantiæ noſtræ ſumus incerti, ſumus
,, etiam incerti ſalutis.

,, 23. Atquì, niſi ipſamet definitio Pon-
,, tificis, hoc ipſo, quòd ab eo è *Cathedra*
,, procedit, ſecum adferat certitudinem,
,, quòd adhibita ſint omnia ad infallibili-
,, tatem requiſita; non poterit nobis de
,, purificata conditione ad infallibilitatem
,, requiſita conſtare. Ergo infallibilitas
,, Pontifici à Chriſto promiſſa non poterit
,, in nobis producere firmum, & indubi-
,, tatum aſſenſum veritatis definitæ. Sed

erimus ſemper *parvuli fluctuantes, & circumferemur omni vento doctrinæ*. (*ad Eph.* 4. 14.) Et per conſequens omnis, quæ in Pontifice ponetur, infallibilitas (ſi tamen juxta hæc principia, aut poſſit, aut debeat in ipſo aliqua poni) erit Eccleſiæ, fidelibuſque prorsùs inutilis, utpote, quæ non ad alium finem ſit data, quàm ne ſimus ſemper parvuli fluctuantes, & omni vento Doctrinę circumferamur, ad quem finem evidens eſt eam non poſſe pertingere.

24. Ut minorem clarè oſtendam, ſuppono non poſſe ordinariè ad oculum, aut per alterius ſenſus experientiam demonſtrari, Pontificem in ſuis definitionibus adhibuiſſe, aut omiſiſſe, quæ ad infallibilitatem adhibita, aut omiſſa oportuit; cum inter alia etiam hoc enumerent: *Ne proprio ſenſui, propriæque prudentiæ innixus ad definiendum procedat.* Quod pro magna parte ex interna animi præventi, aut non præventi diſpoſitione dependet. Aliquis ergo Judex quærendus, & adeundus erit, qui hanc de adhibitis per Pontificem, aut non adhibitis omnibus ad infallibilitatem requiſitis conditionibus controverſiam ſuâ ſententiâ dirimat. Peto, Quis ille erit? An ipſemet Pontifex? ſed hunc non admittent Adverſarii, qui Urbano VIII. aſſerenti ſibi poſt diligentem, & maturam hujus libri lectionem, compertum eſſe in eo contineri, & renovari propoſitiones à Prædeceſſoribus ſuis damnatas, audent in faciem reſponſare, (ſi non expreſſè, & in terminis, ſaltem implicitè, & ipſo facto) ſe ei de ſua in examine adhibitâ diligentiâ teſtificanti non credere, ideòque provocare ad aliud examen, non quodcumque, ſed quod cauſæ definiendæ ſufficiat.

25. Et verò, ſi nobiſcum nolint colludere, & cauſæ ſuæ eſſe prævaricatores, neceſſe eſt eos animum ſuum, quo jure, qua injuria, in Pontifice, tamquam Judice hujus Controverſiæ, recuſando, obfirmare. Nullum enim Papam invenient ſuæ authoritatis adeò prodigum, ſuæque Sedis tàm incurium, qui poſtquàm è *Cathedra* aliquid definivit, interrogatus an adhibuerit omnia ad infallibilitatem requiſita, aliud reſponſurus ſit, quàm ſe ea adhibuiſſe. Alius ergo quærendus Judex, coram quo Pontifex citetur, rationem ſuæ definitionis redditurus.

26. Sed iterum peto. Quis ille erit? An Reges? An Imperator? An Epiſcopi? An Univerſitates? Et certè aliquos horum videntur ſuprà memorata opuſcula ſuggerere, à quibus, vel coram quibus hoc examen fiat. Sed omnes hi, ſi Catholici ſint, excuſabunt ſe, etiam cum ſtomacho, & dicent: *Prima Sedes à nemine judicatur; Suo ſe ore ipſa judicet.* An ad Concilium Oecumenicum hanc controverſiam deferent? Nec procul ab hoc conceptu abludit aliquod dictum in uno iſtorum opuſculorum poſitum, ſed (præterquàm quòd hoc dę Saliva Pelagianorum pluſculum ſapiat, qui teſte *Auguſtino lib.* 4. *cont. duas Epiſt. Pelag. c. ult.* ad iteratum cauſæ ſuæ examen volebant Orientis, & Occidentis Synodum congregari) vellem mihi dici, quid de Pontificiis definitionibus fiet, interim dum Oecumenica Synodus congregabitur? Quarum Synodorum, ea jam eſt infrequentia, ut cum ab annis ferè nonaginta Tridentina Synodus ſit abſoluta, neſciamus, An non totidem, vel plures adhùc anni ab hoc tempore uſque ad proximam Synodum ſint effluxuri. Niſi quis velit, quotieſcumque aliquem malè feriatum libido contradicendi Pontificiis definitionibus ſtimulaverit, mox Orientis, Occidentiſque Epiſcopos è ſuis Sedibus, & Eccleſiis ad Synodum eſſe convocandos, de tali controverſia judicaturos.

27. An ergo uniuſcujuſque conſcientiæ, & arbitrio res hæc committetur, ut prout quiſque ſibi perſuaſerit, Pontificem adhibuiſſe, vel non adhibuiſſe ea, quæ ad infallibilitatem neceſſariò ſunt requiſita, ſicque de ejus definitionibus, an rectè, an perperàm editæ, an recipiendæ, an rejiciendæ ſint, decernat? Sed quantulùm hoc aberit ab illo Manichæorum apud Auguſtinum decantato privilegio, ſeù veriùs ſacrilegio, quo ex Scripturis quidquid volebant, credebant, quidquid non volebant, non credebant: ac per hoc non Scripturis, ſed ſibi ipſis credebant? An non pari ratione, prout quiſque concluſioni per Pontificem definitæ fuerit affectus, ſibi in alterutram partem de adhibitis, vel omiſſis ad infallibilitatem requiſitis, rationes excogitabit, crediturus, quæ volet, quæ non volet non crediturus? Ac per hoc non Pontifici, ſed ſibi ipſi crediturus? Undę fiet, ut ſicut Pelagiani dum Gratiam Dei à prævia voluntate hominis ſuſpendunt, illam ipſam Dei gratiam, quam buccis turgentibus deprędicabant, funditùs everterunt; ita per hujuſmodi

prin-

„ principia, quæ paulatim eò ducunt, ut & „ norma credendi, & forma obediendi in „ uniuscujusque relinquatur arbitrio, & „ fides, & obedientia Sedi Apostolicæ debita subruantur, quantumvis à principiorum istorum Assertoribus magnifico „ verborum apparatu non tàm deprædicentur, quàm ad declinandam invidiam deprædicari fingantur. Nec enim fides „ est, nec obedientia, quæ nulli, nisi sibi „ credit, & obedit.

„ 28. Unum adhùc suspicari quis posset superesse, quo hæc incommoda declinentur, effugium; putà, si quis dixerit „ Pontificias definitiones deberi tunc haberi infallibiles, quando Ecclesia, aut major „ Ecclesiæ pars eas pro talibus acceptaverit. „ Quæ cum errare non possit, tunc possimus esse certi Pontificem adhibuisse „ omnia ad infallibilitatem requisita, quando Ecclesia ejus definitionem pro infallibili recepit. Sed ex hac responsione non „ minora incommoda oriuntur. Nam, „ (præterquàmquòd nimis incertum sit, „ quandonam dici debeat major Ecclesiæ „ pars aliquam definitionem acceptasse) „ hæc responsio re ipsa infallibilitatem „ aufert à Pontifice, eamque immediatè „ in ipso Ecclesiæ corpore constituit. Si „ enim non adhibeatur plena fides definitioni Pontificiæ, nisi quia Ecclesia eam „ acceptat, & approbat, non tàm creditur „ Pontifici, quàm Ecclesiæ: immò non magis creditur Pontifici, quàm cuicumque particulari Episcopo, aut Doctori. „ Nam si & horum sententias Ecclesia approbet, illis erit acquiescendum. Ex quo „ principio ulteriùs consequens est Ecclesiam, (& idem judicium est de Concilio „ Oecumenico, quod universalem Ecclesiam repræsentat) esse supra Pontificem. „ Nam penès illum est suprema potestas, „ penès quem est infallibilitas.

„ 29. Et eò, ni fallor, (& utinam fallar!) collimant quorumdam principia, „ qui (ut nihil dicam de iis, quos nuper „ non puduit Ecclesiam in Apostolis Petro, & Paulo facere bicipitem, & sic „ paulatim extinctâ Monarchiâ, introducere Aristocratiam, Episcoporumque „ omnium, & inter se, & cum Romano „ æqualitatem) ideo fortè docent nullam „ esse in Pontifice leges ferendi authoritatem, populo eas non acceptante; ut faciliùs credatur nulla in Pontifice esse infallibilitas, nisi Ecclesia definitionem approbante. Primum certè horum pro„ nam viam sternit ad secundum. Ecce, in „ quæ periculosissimarum opinionum abrupta, aut verecundia deserendæ, aut „ pertinacia defendendæ prioris sententiæ „ hominem abducat! Qui modò unam „ sibi invisam Constitutionem suffocet, „ susque, deque habet, an eadem simul „ operâ tot alias, seu editas, seu edendas, „ imò ipsam totam Pontificis infallibilitatem, qua nihil augustius, nihil divinius „ Christus Vicario suo reliquit, in eamdem ruinam præcipitet: ac si unius hujus „ Constitutionis eversio tanti foret, ut cæterarum omnium periculum, immò „ ruina, in lucro deberet computari, modò „ illis omnibus cadentibus, everteretur, „ & hæc una.

„ 30. Equidem si calculum rectè pono, „ hæ contra Bullam machinationes de infallibilitate non nisi conditionatâ, infallibilitatem primæ Sedis non solùm otiosam reddunt, & inutilem, sed prorsùs „ nullam. Quis enim aut sibi, aut alteri „ persuadere possit Christum Dominum „ Petro, ejusque Successoribus seriò infallibilitatem hanc promisisse, cui adjecerit „ talem conditionem, per quam directè „ impediretur obtineri unicus finis, cui assequendo hanc infallibilitatem, velut „ medium destinabat? Rideri te judicares, „ si quispiam tibi, in vicinam provinciam „ profecturo, equum, quo in via vehereris, „ addiceret: sed hac lege, ne eum è stabulo „ abducas. Sicut ergo hæc promissio destruit se ipsam, ideòque nulla est; ita censendum est de promissione, qua Christus „ Pontifici, ne quisquam circa ejus definitiones hæsitaret, promisisset infallibilitatem, sed sub tali conditione, de cujus existentia constare non posset.

„ 31. Dices; Pontifex in suis definitionibus non est infallibilis nisi præmisso diligenti, & maturo juxta rei qualitatem, „ & gravitatem examine. Alioquin cur „ Pontifices tantam circumspectionem, „ quantam in Clemente VIII. & Paulo V. „ circa materiam de Auxiliis Gratiæ observare licet, suis definitionibus præmitterent, si, quacumque ratione ad definiendum prosilirent, haberent sibi Spiritum „ Sanctum infallibilitèr assistentem, & dirigentem? Ergo infallibilitas ista non est „ absoluta, sed conditionata, dependens à „ diligentia, & maturitate adhibiti examinis. Et per consequens Definitiones Pontificis tamdiù possunt suspendi, earumque „ obedientia differri, donec compertum

fuerit, omnia necessaria adhibita fuisse. Respondeo, Infallibilitatem esse absolutam. Non quidem hoc sensu, quasi Deus eam nullis conditionibus alligaverit. Sapientia enim Dei, (quæ sicut omnia attingit fortitèr, & à fine sibi proposito nunquàm aberrat, ita disponit omnia suavitèr) finem non vult obtineri per saltum, & ex abrupto, sed per media congrua, & opportuna vult gradatim ad eum deveniri. Ideòque hęc conditionalis admittenda est. Si Pontifex mediis hisce prætermissis præcipitantèr ad definitionem proruerer, periculo erroris foret expositus. Sed nihilominùs habet absolutam infallibilitatem, quia independentem à conditione, quæ actum suspendat, seu de cujus existentia, postquam definitio emanavit, possit dubitari. Promissio enim infallibilitatis facta Pontifici simul involuit promissionem applicandorum mediorum, sine quibus ejus definitio infallibilis non foret.

32. Quemadmodum illi, quos Deus præordinavit ad vitam æternam, absoluta infallibilitate ad eam pertingent, etiamsi executio istius prǽordinationis ab eorum bonis operibus, finalique perseverantia dependeat; sine qua de iis verum est dicere, quòd ad vitam æternam non pervenirent. Infallibilis nihilominùs est eorum salus, non conditionatè tantùm, sed etiam absolutè ex eo, quòd Deus, qui eos ad salutem præordinavit, iis etiam absolutè præparaverit bona opera, sine quibus salutem non assequerentur. Ita in proposito, definitio Pontificis est absolutè infallibilis, eò quòd Deus Pontifici è *Cathedra* aliquid definituro etiam assistat ad illa media præmittenda, quibus non præmissis periculo erroris obnoxius foret. Ideòque quando constat à Pontifice emanasse definitionem in aliqua materia, quæ sub ejus infallibilitatem cadit, non est ulteriùs examinandum, An isti definitioni præmissa fuerint omnia præmittenda? quia ipsa definitio secum affert certitudinem, omnia hæc præmissa fuisse: Et sicut revelatio, qua Deus aliquid revelat, reflectitur supra se ipsam, nec tantùm revelat suum objectū, sed etiam se ipsam; adeò ut, cum Deus aliquid revelat, hoc ipso revelet se hoc revelare; pari ratione definitio Pontificis quasi reflectitur supra se ipsam, & hoc ipso, quo aliquid definit, definit etiam definitionem esse legitimam, id est, adhibita esse omnia ad legitimam definitionem necessaria., Hactenùs sapientissimus Paludanus, cui nos subscribentes ad ulteriora transitum facimus.

33. Tertia difficultas formari potest super extensione infallibilitatis Pontificiæ, an videlicet admittenda ea sit, ne dùm in quæstionibus juris, sed & in quæstionibus facti, seu veriùs, facto aliquo mixtis? quam fusiori stylo pertractat Cardinalis de Laurea *disp. 6. de objecto materiali fidei in quæst: facti art. 6. & 7.* nos verò in ea, haud multa prolixitate indigemus, quòd ferè ex toto resolutam in præcedentibus censeamus. Siquidèm si loquamur de factis particularibus ad Ecclesiæ totius instructionem, & directionem non pertinentibus, quæ proindę resolvit Romanæ Sedis Moderator non *ex Cathedra*, & tamquàm omnium Fidelium Magister, ipsum infallibilitate prædicta, quæ fidei objecta constituat, non gaudere, evincunt, quæ tetigimus *cap. 2. art. 13. à n. 33. & n. 41.* Si verò de factis, vel in Sac. Scriptura implicitè saltem contentis, de quibus nulla potest esse difficultas, cum immediatè, & per se sint primæ Veritati revelanti innixæ, vel necessariò connexis cum quæstionibus juris, & cum dogmatibus definiendis, ad ea dictam infallibilitatem esse ampliandam indirectè saltèm, per quamdam illationem, & quatenùs eorumdem notitia ad dogmata stabilienda est necessariò prærequisita, *ibid. num. 31. & 32.* notavimus, & deducitur ex resolutis *cap. 2. art. 8. num. 19. & seqq.* ubi, quòd fidei objectum sit SS. D. N. Clementem XI. esse Christi Vicarium, & Apostolorum Principis Successorem, quamvis, quòd ipsius electio fuerit ritè, & canonicè habita, sit quid facti; & ex corollariis firmatis *cap. 2. art. 13. à nu. 37.* quoad Religionum approbationem, & Sanctorum Canonizationem, quæ pariter à plerisque factis dependent, præsertim verò ex *cap. 1. art. 5.* ubi de condemnatione quinque propositionum Jansenii *in sensu ab ipso intento*, quam recipere tamquàm fidei objectum Jansenistę detrectant sub prętextu, quòd sit quæstio puri facti, quod tamen nos futile, vanumque deduximus *ibid. n. 16.*

34. Ad cujus clariorem notitiam, ac quamlibet precludendam equivocationem, iterum considerandum proponimus, quòd cum Romanus Pontifex definit aliquod objectum, ut de fide tenendum, quod ex aliquo, vel pluribus factis dependet, non inde illud, vel illa facta definita credi debere de fide, sed definitio fidei cadit dumtaxàt in illud objectum, ut tale pronunciatum, ex quo

quo dein inferri valeat, & vera quoque ea, quibus motus est Pontifex ad illud definiendum, non quidem semper virtute immediatè fidei, sed ut tetigimus *cap. 3. art. 12. num. 15. & seq.* vel fidei saltem implicitæ, vel infra fidem, aut moralis solius certitudinis. Sic e.g. cum Pontifex definit S. Franciscum esse Sanctum, & ab Ecclesia universali colendum, objectum fidei est ipsa sanctitas glorificata Sanctissimi Pauperum Patriarchæ, non verò quilibet actus virtutum, in quibus se se exercuit, & quodlibet miraculum ab eo patratum, & à S. Sede approbatum. Hæc namque se habent dumtaxat, ut quædam dispositiones ad definitiones fidei promendas, (de quibus in *difficultate præcedenti*) requisitæ, ut Pontifex maturo procedat consilio, & examine, quo præmisso, non ampliùs humano se gerit more, sed ex Spiritus Sancti ductu, directione, & assistentia S. Franciscum catalogo Sanctorum adscribit. Undè etiamsi in approbandis virtutum actibus, miraculisque Pontifex deciperetur, (quod tamen confidere firmitèr debemus nunquam eventurum) deceptio nullum inferret præjudicium definitioni canonizationis, ad quam abundè sufficit, ut prudens approbatio fuerit, quod, non obstante deceptione, potest verificari.

35. Si namque ullum, vel leve præjudicium insurgeret in definitionem fidei connexio cum factis, nulla ampliùs fidei definitio haberi posset, immò & corrueret quælibet hactenùs edita, ex quo nulla valeat assignari, quæ plures facti circumstantias, & qualitates non involuat. Ac, ut proximiùs Jansenistarum infringamus temeritatem, exemplum sit in definitione illa Nicæni primi Concilii contra Arii propositionem *Verbum est creatura*, determinante *Verbum Patri æquale*, ipsiq; *consubstantiale*, evidens enim est, quòd sivè sit sermo de *consubstantialitate* definita, sivè de ratione *creaturæ* proscripta, nec proscribitur sonus materialis verborum, *Verbum est creatura*, nec definitur externa illa combinatio literarum, qua formatur altera propositio. *Verbum est Patri æquale*, sed tàm definitio, quàm proscriptio cadunt super sensum per illa verba importatum. Quo posito, dicant Jansenistæ, an per hujusmodi definitionem, aut proscriptionem, de fide maneat tenendum, quòd priora illa verba: *Verbum est creatura*, diversum habeant, immò & contrarium significatum, quàm posteriora *Verbum est æquale Patri*? Id certè non asserent, nisi desipiant, cum penitùs evidens sit significatum unicè pendere à vocum Institutoribus, illudque esse, quod habetur in vocabulariis, & proindè esse quid merè præsuppositum ad definitionem, & proscriptionem respectivè propositionum præfatarum.

36. Ut quid igitur tot clamores? ut quid tot contentiones? ut quid tot instantiæ, & replicæ, quòd in damnatione propositionum Jansenii separetur factum, & jus? eamdem & ipsi faciant separationem in Arii propositione, & quòd deindè affirmabunt damnatum in ea ab Apostolica Sede, id & nos proscriptum proportione servata dicemus in quinque Jansenii. Fuit in illa, ut hereticus proscriptus sensus vocibus quidem impositus ab earum Institutoribus, qui in vocabulariis reperitur, juxta quem fuit ab Ario prolatus, & tamquàm verus habitus, & propugnatus; fuit in istis sensus proscriptus, quem intendit Jansenius eas proferens juxta significatum, quod Institutores vocum ipsis imposuere. Factum ne est, Jansenium intendisse hunc sensum? factum, & esse necesse erit, Arium sensum prædictum intendisse pronunciando, *Verbum esse creaturam*. An forsan negabunt hanc propositionem fuisse damnatam in sensu ab Ario intento? Vanum hunc recursum universali ratione evicimus *cit. cap. 1. art. 5. num. 19.* satisque erit ad præsens Jansenistas interrogare, quæ nam fuerit Nicæni primi Concilii, cæterorumque generalium Conciliorum mens, cum Arium, aliosque pervicaces hæreticos damnarunt? Si enim fatebuntur habitam damnationem doctrinæ Arii fuisse in sensu intento ab Ario, cur & idem fateri contumacitèr negligunt circa damnationem propositionum Jansenii? Si id negabunt; sciant, id ipsum negatum fuisse ab Eusebio Nicomediensi, & Theognide Nicæno, ut refert Sozomenus *lib. 1. hist. cap. 20.* qui tamen eo fucato prætextu resistentes se subscribere damnationi Arii, depositi sunt, quousque resipiscentes veniam petierunt.

37. Pœnitentes hos & ipsi imitentur, non potiùs Pelagianos, *omnibus suis petitionibus nihil aliud, quàm dari negotio suo Judices*, vociferantes, quorum ex Augustino per doctissimum Paludanum in *Apol. consi. Urb. cap. 6.* simul collectæ, hæ erant querelæ, postquàm à Romana Cathedra damnationis mucrone se conspexere confossos: *Quòd Judices priùs cæperant odisse, quam nosse. Quòd per impotentiam Adversariorum omnia erant acta subreptionibus. Quòd à simplicibus Episcopis in locis suis sedentibus erat extorta subscriptio*,

tio. Quòd potentes homines mole suæ dignitatis obstiterint, ne disceptationi tempus, & locum permitterentur impetrare. Quòd denegaretur iis examen, & Episcopale judicium; quorum propterea impudentiam retundens Sanctus Ecclesiæ Catholicæ Doctor, & lumen, ipsis exprobravit (*lib.1. contr. duas epist. Pelag. cap. ult.*) *Quòd adhùc flagitent audientiam, cum damnati deberent agere pœnitentiam*, & (*lib.3. cont. Jul. c.1.*) *Vestra apud competens judicium Episcoporum communium modò causa finita, nibil ampliùs vobiscum agendum est, quantùm ad jus examinis pertinet; nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini. Quòd si nolueritis, à turbulenta, vel insidiosa inquietitudine cohibeamini &c.*

38. Hic est ille Augustinus, quem tanti faciunt Jansenistæ, ut præferre non vereantur ipsismet Pontificiis Bullis, indè desumentes motivum contemnendi Apostolici Throni Constitutiones, in Jansenii propositiones editas, quòd has autument esse ipsissimam, & defæcatam tanti Præsulis doctrinam. Sicque nedùm injuriosi in Augustinum ipsum, tum ex eo, quod ex D. Thoma, & eodem Augustino indicavimus *art. 2. num. 19.* tùm quòd re vera non Augustinum Pontificibus præferunt, sed Augustinum propriis imaginationibus subjiciunt, ut sub larvato Augustini aspectu se se super ipsos Christi Vicarios evehant, non attendentes ad Hieronymi monitum (*lib. 1. de Trin.*) *Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potiùs, quàm attulerit; neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum*; sed hæreticorum terentes vestigia, ut meritò in ipsos Petrus à Sancto Joseph Fuliensis, in *sua defensione S. Augustini Hypponensis adversùs Augustinum Iprensem*, scripserit „Certè opera Calvini, „ Petri Martyris, aliorumque hæreticorum „ hujus temporis, Augustinum continuò „ crepant, ut vix aliquam propositionem „ quantumvis falsam, & erroneam propugnandam suscipiant, quin statim aliqua „ hujus Doctoris verba in suam defensionem adducant ...... an propterea dicemus genuinam esse Augustini sententiam, quam novatores quoad hoc illi „ affingunt ?...... Ita fanè sentiendum „ erit, si Iprensis vestigiis insistamus, qui ut „ dogma catholicum statuit, quid quid ex „ verbis ambiguis Augustini sibi rectè colligere videtur .... Quisnam viderit „ quàm iniquè cum Sancto Augustino „ agat Iprensis, qui multas propositiones „ non modò improbabiles, sed erroneas, „ & ab Ecclesia proscriptas ei affingit, eò „ quòd prima fronte iis favere videtur; „ quique ne à præconcepta sententia divellatur, ad omnes pro illo expositiones, „ modificationes, distinctiones, etsi in aliis „ illius verbis fundatas, & communissimè „ receptas, penitùs obsurdescit.

39. Verùm etiam validissimum ad rem præsentem exhibent argumentum, cui nusquam poterunt respondere. Obtrectant siquidem Jansenistæ se submittere Pontificis mandatis, seque subscribere *ex corde*, & *sincerè* damnationi Jansenii *in sensu intento à Jansenio*; quòd credant eas continere germanam S. Augustini doctrinam, sequentesque Jansenii ipsius semitas, qui tanta certitudine id asseverabat, ut scribere non erubuerit; *Si quis vobis annuntiaverit præter id, quod ex Augustino accepistis, anathema sit*: quali verborum tenacitate id repetant, ex paucis aliquot textibus, quos è scriptis, quibus respondet Paludanus *in Apol. Const. Urb. cap. 5.* excerpsit, colligere liceat: „ Liber Jansenii scandalosus esse, aut videri „ non potest, nisi doctrina S. Augustini „ tot Pontificibus, Conciliis, Sanctisque „ Patribus probata, scandalosa esse simul „ judicetur; utpote nihil, præter ipsissimum Augustini sensum contineat, & „ propositiones, quæ plùs cęteris agitantur, „ & impetuntur propriis ipsius Sancti Doctoris verbis referantur: „ Non ii tantum, „ qui Jansenii defensionem susceperunt, „ sed & alii innumeri, tùm sæculares, tùm „ ex omni Ordine regulares præclarissimi „ Theologi constantissimè asserunt Jansenii „ librum nihil præter meram doctrinam, „ verissimaque Divi Augustini sensa continere. Quod eorum judicium ne in uno „ quidem articulo refellere potuerunt, qui „ Jansenium oppugnant: „ Non est credibile Sanctitatem suam induci se passuram „ ad proscribendum eum librum, in quo „ perspectum haberet nihil aliud contineri, quàm doctrinam Augustini toties à „ Prædecessoribus suis approbatam, quamque etiam Unus, (Clemens VIII.) haud „ pridem disertè professus esset, Ecclesiam „ quasi jure hæreditario suam fecisse: „ In „ libro Jansenii nemo loquitur nisi Augustinus per propria sua scripta, & per os „ illius Interpretis (Jansenii) qui non potest „ convinci aliquid addidisse de suo capite: „ Doctrina Janseniana concordat in omnibus, & per omnia cum Augustiniana.

40. Tanta itaque certitudine, tanta animi constantia exploratum habent Jansenistæ,

nistæ, quòd ipsorum communis Magister Augustini sensa assecutus fuerit, at numquid Jansenius impositor fuit significationis vocum? non certè, sed quòd supposita impositione ejusmodi, id suis expressit verbis Jansenius, quod totidem, (ut per calumniam prætendunt,) vel æquivalentibus expresserat Augustinus. Sed undè id, nisi ex sensu, quem præseferunt tùm Augustini, tùm Cornelii Jansenii verba? Insuper si anathematizandus à Jansenio censetur, qui aliquod prater Augustini doctrinam docet, ergo Augustini sensus adeò clarè innotescere potest ipsum legentibus, ut anathemate feriendus veniat, qui diversimodè sentiat. In quæstione igitur, quam *facti* voçant, tanta in ipsis evidentia, tanta securitas, authoritas tanta, & quidem ne dùm in exquirendo Jansenii sensu, sed & ipsorum Conciliorum, summorumque Pontificum, ut pronunciare non metuant Jansenii doctrinā à *Prædecessoribus approbatam*, eamque ex Clementis VIII. mente *Ecclesiam quasi jure hæreditario suam fecisse*. Negant idcircò fieri per Romanos Pontifices posse, quod ipsi facere valent, seque peritiores jactant in intelligentia Augustini, Jansenii, Summorum Pontificum Constitutionum, quibuslibet Christi Vicariis ipsius Ecclesiam moderantibus. Qua quæ major audacia? quæ execrabilior temeritas? quæ detestabilior petulantia? cum ea procul dubio comparanda, quam Dungalus à Bonuccio *in Vindic. Decr. Alex. VIII. cap.* 30. relatus, notavit in Claudio Taurinensi Iconoclasta: „Sancto „ Augustino lascivè blanditur, & adulatur „ singulari eum præferens laude, quasi suæ „ fautorem vecordiæ; & cum sit omnium „ artium inscius liberalium, nititur pro„ cacissimè ipsius dialectica per se ipsum „ sine ullo uti magisterio; & ad ea, quæ „ affirmare maluerit, ipsam imprudentissi„ mè detorquet. Sicut per hoc ejusdem „ exemplum, quod pravo sensu ex *libro de* „ *Trin. octavo* arripuit, memorias Sancto„ rum non esse orationis studio appeten„ das, eorumque Reliquias despectui, atque „ odio esse habendas voluit adstruere; „ & Facundus *apud eumdem* agnovit in Mociano, & Fausto: „Mocianus volens ad interdictam „ transgressorum communionem ignaros „ quosque deflectere, quædam B. Augusti„ ni dicta circumfert: & quæ ille contra „ Donatistas convenientèr locutus est, „ inconvenientèr ipse ad decipulam Sim„ plicium, causæ nititur aptare præsenti. „ Sic aliquando Faustus Gallus in quæ„ stione liberi arbitrii malè intellectis, in„ congruè adhibitis ipsius B. Augustini „ sententiis fallebat, & in assensionem sui „ erroris inducebat incautos, qui tamen à „ S. Fulgentio detectus, atque convictus „ est.

41. Insanam hujusmodi temeritatem obtegere nituntur Jansenistæ effutientes ne dùm eos, qui *Jansenii defensionem susceperunt*, sed & innumeros alios tùm *Sæculares, tum ex omni Ordine Regulares præclarissimos Theologos asserere Jansenii librum nihil præter meram doctrinam, verissimaque Augustini sensa continere*. Sit ita. Quid inde? quæna m comparatio membrorum cum Capite, Ovium cum Pastore, Discipulorum cum Magistro, erudiendorum cùm supremo Doctore? nulla propemodùm, nisi ea, quæ (ut ita dicam) admitti potest inter creaturam, & Deum, cujus cùm sit Organum Romanus Pontifex, non ex se ipso loquens, sed ex Spiritu Sancto eum dirigente, idem prorsus est, *ex Cathedra* ipsum aliquod definire, ac Spiritum Sanctum ipsius ministerio abditam aperire veritatem, occulta manifestare mysteria, sacraque dogmata explicare, ut proindè, nedùm hi, vel illi Theologi, pauci sint, vel multi, sed & integra ipsa Concilia, nullo habenda in pretio, cum à Christi Vicario *ex Cathedra* aliquid definiente discordant ad evidentiam *art.* 11. fuerit demonstratum.

42. Sed quinam sunt ii Theologi adeò insignes? quilibet sanè potest Theologos præclarissimos, doctissimos, in sui favorem proclamare, non tamen quilibet potest tales evincere, nisi pro insignibus teneat, quos suæ opinionis quamtumvis à fidei puritate alienæ, Patronos agnoverit. Insignes proculdubiò sic fuere Theologi, quos consuluit Confessarius circa conscientiæ casum relatum *hoc capite art.* 13. *num.* 32. qui tamen non nisi *captiosis subtilitatibus*, *subdolisque artibus* libellum *multiplici noxiæ doctrinæ refertum* suo calculo comprobarunt. Insignes & illi, quos *art.* 11. *num.* 12. indicavimus subscripsisse formulæ Arianismo faventi, cum orbis totus visus est Arianus. Insignes quotquot cum Cypriano convenere definientes baptizatos ab hæreticis rebaptizandos.

43. Absit tamen hæc effutire, non quòd, & hos omnes, hisque consimiles reverà absolutè ignaros, insipientesque autumemus, sed quòd quantumvis ingenio, eruditione, sapientia celebres, stultos asserimus effectos, quoties, vel plùs æquo, propria fiden-

fidentes judicio, vel obdurata excæcati malitia, sæculi sapientia inflati, semitas cœlestis sapientiæ neglexerunt, indeque in errores prolapsi, uti passim discurri solet de Origene, Tertulliano, cæterisque olim primariis catholicorum dogmatum Interpretibus, dein verò complurium hæresum, errorumque Propugnatoribus; à quorum vestigiis ut alieni reddamur, illos Ecclesiæ Doctores imitari debemus, qui Apostolicæ Cathedræ definitionibus, eo, quo decuit, obsequio semper se conformarunt, propria scripta, disputationes, commentarios Romanorum Pontificum subjicientes correctioni, & examini. *Quæ dixi*, inquit *ep. ad Lugdun.* S. Bernardus: *absque præjudicio sanè dicta sint sanius Sapientis: Romanæ præsertim Ecclesiæ authoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ hujusmodi sunt, universa reservo, ipsius, siquid aliter sapio, paratus judicio emendare.* Et Angelicus Præceptor, cujus doctrinā, licèt perperàm, se sequi jactant Jansenistæ (in Ep. Catenæ aureæ præfixa, & Urbano IV. dicatæ) *Suscipiat vestra Sanctitas præsens opus vestro discutiendum, corrigendumque judicio, vestræ Sollicitudinis obedientiæ meæ fructum, ut dum à Vobis emanavit præceptum, & Vobis reservetur finale judicium, ad locum enim, unde exeunt flumina, revertuntur.*

44. Æquè idcircò vanum redditur & aliud Jansenistarum effugium, quo damnationem propositionum in sensu à Cornelio intento elidere tentant, quòd ipsam nulla præcesserit in Galliis Concilii convocatio, in hunc finem decreto Innocentii I. *in Epist. ad Victricium Rothomagensem Episc.* abutentes: *Si autem majores causæ in medium fuerint devolutæ ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, post Episcopale judicium referatur.* Quod tamen minimè objicerent, si maturè perpenderent præcedentia verba: *Nec alicui liceat sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri, relictis suis Sacerdotibus, qui in eadem Provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare Provincias*, exceptio namque *Romanæ Ecclesiæ* quid aliud importat, quàm quòd possit ad eam à qualibet orbis parte fieri recursus, etiam *relictis suis Sacerdotibus*? Aliud proindè est, quòd in causis majoribus Episcopale judicium super eisdem latum egeat Apostolicæ Sedis munimine, ut robur, & firmitatem habeat; aliud, quòd Episcopale judicium debeat necessariò præcedere, ut Pontifex Romanus propriam valeat pronunciare sententiam. Prius est, quod intendit Innocentius conformitèr etiam ad id, quod in *alteræ epistola*, quæ est *decima. nona inter Augustinianas*, scripsit, decretum nempè à Patribus: *non humana, sed divina sententia, ut quidquid de disjunctis, remotisque Provinciis ageretur, non priùs ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ubi tota hujus authoritate, justa, quæ fuerit pronunciatio, firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ veluti de naturali suo fonte &c.*

45. Non verò posteriùs, quod nullo, vel levi fulciri posse motivo, præter hactenùs discussa, ex eo potest facilè deduci; quòd aliàs Christus Dominus Ecclesiam suam reliquisset remediis necessariis orbatam, quibus occurrere posset contra hæreses insurgentes. „ Nam, quid fiet, si (quod aliquando contingit) Principes nolint in suis ditionibus haberi Concilia? Quid fiet, si nolint ipsimet Episcopi convenire, quod etiam contingens est? Quid, si cum convenerint, majori parti, nec tamen saniori, videatur nihil decernendum, sed permittendum disputationibus hominum id, de quo justa suspicio est? Et qui putant octoginta, & ampliùs errasse „ (eos videlicet, qui Jansenianas propositiones Apostolicæ Sedi obtulerunt examinandas, ac resolvendas) „ dum fidei causam indiscussam ad Pontificem referunt, non possunt timere, ne faciliùs errent novem, decemve, qui fortè ad Concilium provinciale vocabuntur, dùm majori eorum parti doctrina, quæ re vera periculosa est, tuta videtur, ac proindè nec Pontifici proponenda? Quàm numerosa fuere olim Arianorum Episcoporum Concilia? Quàm fuerunt etiam densa, refertaque Donatistarum? legimus apud Augustinum non nisi per centurias numerata. Ergo quid fieret, sicubi contingeret Jansenismum ita propagari, ut Concilium cogi non posset, quod non constaret majori ex parte Iansenistis? demus ver. gra. esse saltem possibile, quod Ianseniani per insignem calumniam in Clerum Gallicanum mentiuntur (*in secunda pro Jansenio Apologia*), *Episcoporum Galliæ majorem, melioremque partem* adhærere Iansenio. Pudendum equidem mendacium, & Illustrissimis Præsulibus injuriosissimum. Sed demus, fieri saltem posse, quod factum illi calumniantur. Ut ea controversia ritè solvatur ab Episcopo Romano, necessarium erit causam priùs agitari à congregatis in Concilio aliquo Episcopis Galliæ, uti jam volunt. Ergo quid putamus

con-

„ concludendum in eo Concilio, cujus „ pars major, minori nequicquam repugnante, Jansenio favebit? Et cum in gratiam Jansenii fuerit ab illis pronunciatum, Christi Vicarius quid faciet? „ Debebit confirmare, quòd ab illis fuerit „ definitum? An etiam confirmare debuit, „ quod definitum olim fuit à tali quodam „ Concilio Donatistarum, Arianorum, „ Novatianorum, & similium? Hoc est, „ an debebit errare? Ergo contradicere poterit? Dicant modò Janseniani, qui „ potest fidei causam definire contradicentibus Episcopis, definire non poterit „ eisdem silentibus? Quid gravius est, „ quidve operosius, petentibus suggerere, „ quod credant; an ingerere repugnantibus? Quod, inquam, difficiliùs, statuere „ aliquid nullo existente, qui resistat, an „ resistentibus, & in contrarium nitentibus iis, quorum interest? & si hoc potest Romanus Episcopus, illud non poterit?

46. Ita fortissimè discurrit Annatus *in Jansenianorum cavillis cap.* 6. postquàm ab eisdem exegit, ut proderent Concilia, quæ præcesserunt, antequam Pius I, judaizantes correxit Ecclesias Quartadecimanorum errore infectas; Eleutherius scripsit Episcopis Galliæ contra dogmata Montanistarum, & Marcionistarum, Victor damnavit Theodorum Coriarium; Zephirinus Montanum; plurimique alii Romani Pontifices alia in materia fidei condiderunt decreta, absque ullo præcedenti Concilio, ut vel ipsis Ecclesiasticæ eruditionis Tyronibus est notum. Tot nihilominùs exempla contemnunt Jansenistæ, paucis aliis ea postponenda ducentes, in quibus Pontificias definitiones præcessere Conciliorum resolutiones, ac si ad evincendam alicujus rei necessitatem, sufficiant aliqui de ea eventus, etiamsi adsint in oppositum numero longè majores, cum veriùs, unum, vel alterum exemplum contrarium, efficacissimum esse debeat ad necessitatem infringendam, ex quo non possit essentialitèr necessarium esse ad aliquem effectum, quo non habito, quandoque integer, plenusque haberi possit effectus.

47. Impudens sanè sic discurrentium insolentia, sed fortè ea gravior, altera aliorum Jansenii ejusdem sequacium, qui sese obsequentes volentes ostendere erga Pontificiam authoritatem, damnationem propositionum Jansenii, etiamsi nulla Conciliaris eam præcesserit discussio, ac resolutio, amplectuntur, absque ullo tamen Jansenianæ doctrinæ præjudicio; quod præstare satagunt duplicis sensus distinctione, quem illis aptare nituntur, ut indè damnationem cadere faciant super sensu improprio, & alieno à Jansenii mente; alio, qui earumdem est proprius, quemque intendit Jansenius, retento tamquàm orthodoxo, mentique Augustini conformi. Abyssus verè Abyssum invocat, nulloque verecundiæ rubore suffundi potest, qui semel à fide, quæ fundamentum totius boni est, pertinacitèr defecit. „ De propositionibus (inquiunt *in scripto*, quod Romano tradidere Pontifici, priusquàm propositiones proscriberentur) „ autem, non in sensu alieno, ad quem trahi possent, quique à nobis respuitur, sed „ in sensu legitimo, qui à nobis defenditur, „ atque adeò de fide catholica in iis controversia est. „ Ita ne? si igitur resolutio expectabatur controversiæ respondens, non super improprio, de quo nulla lis, nullaque difficultas, sed de proprio ad fidem catholicam spectante, ea esse debebat. Sed quid ab *iniquitatis filiis* prodire potuit, postquàm in sensu ab ipsis propugnato, & defenso proscriptas conspexere ab Apostolica Sede propositiones, nisi quòd Summi Pontifices, non dictum respexerint sensum, sed alium, qui per violentiam propositionibus potest adaptari, ex quo consequens est mendacii redarguendos ipsos Christi Vicarios, qui in proprio eas damnare sensu, quem verba præseferunt, sunt pluriès protestati; quis hæc audiens non obstupescat?

48. Ut autèm funditùs appareat tantæ impudentiæ gravitas, deberet hic exponi propositionum omnium sensus alienus, in quo eas fingunt damnatas, ut indè eluceat irridendos veriùs eos esse, quàm impugnandos. Satis nihilominùs sit primam duntaxat expendere, quæ ad intentum præsens abundantissimè sufficit: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque iis gratia, qua possibilia fiant.* Hæc est propositio damnata. *Justis omnibus quantumlibèt volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quantascumque vires, quæ à gratia magna, & efficaci habentur, mandata Dei sunt impossibilia, deest quoque illis semper, & quamdiù vivunt, gratia, qua possint, vel unum mandatum Dei adimplere*: Hæc est propositionis prædictæ explicatio in sensu alieno, ad quem *malignè trahi possunt*, & in quo autumant illam esse proscriptam: *Aliqua Dei præcepta aliquibus justis volentibus, & conantibus*

bus invalidè, & imperfectè, secundùm præsentes, quas habent vires, parvas scilicet, & infirmas, seu auxilio efficaci ad plenè volendum, & operandum necessario, destitutis, impossibilia sunt proximè, & completè, seu ab iis adimpleri proximè non possunt: deest quoque illis gratia efficax, qua præcepta illis proximè possibilia fiant; seu deest illis speciale illud auxilium, sine quo justificatus, ut ait Concilium Tridentinum, in justitia, idest in observatione mandatorum Dei perseverare non potest. Hæc est explicatio propositionis damnatæ in sensu germano, & proprio, quam Jansenistæ defendunt pertinaci, obdurato-que animo asserentes erutam ex Augustini doctrina, & à Patribus Tridentinis definitam, & juxta eam subjungunt, propositionem ab Apostolica Sede nullatenùs definitam, & proscriptam.

49. Judicet jam æquus lector, irridendi potiùs sint, an impugnandi explicationum harum Authores? primum sensum verè *alienum*, verè *malignè* propositioni violentèr affixum, dixerunt ante damnationem, & post ipsam constanter affirmant, & nihilominùs super eo prolatam Pontificiam resolutionem contendunt, idque non obstante prævia ipsorum protestatione, quòd de eo neutiquàm ageretur, utpotè nullatenùs controverso. Igitur Apostolica Sedes *expectantibus distinctum*, & perspicuum *judicium* super vero propositionum sensu, responsum tulit super *maligno*, improprio, violento, de quo *nulla quæstio, nullaque difficultas*? At quænam sperari indè poterat à Romanis Pontificibus tempestatum, & procellarum, quæ ex Janseniana doctrina vigebant, tranquillitas? intactam reliquerunt controversiam, animum vertentes ad sensum non controversum; itaque intactum dissensionum fontem, intactam causam dissidiorum, intactum fomitem litium, & catenùs nonnisi mimicè, mendacitèr, fictè Innocentius X. *in sua Constitutione incipiente Cum occasione* præmittens causam impressionis libri, cui titulus *Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis* ortam in Galliis controversiam super quinque ex illis, factamque ipsi instantiam, *ut easdem propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam*, protestationem subdidit, animi, munerisque sui, exponentem, scopum, & finem: *Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus tutò militare, & tamquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit pro rei gravitate coram aliquibus S.R.E. Cardinalibus ad id specialitèr sæpiùs congregatis, à pluribus in Sac. Theologia Magistris, easdem quinque propositiones, ut supra Nobis oblatas, fecimus singillatim diligentèr examinari, eorumque suffragia, tùm voce, tùm scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros variis coram Nobis actis Congregationibus prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes audivimus. Cum autem ab initio hujusmodi discussionis ad Divinum implorandum auxilium multorum Christi Fidelium preces, tùm privatim, tùm publicè indixissemus, postmodùm iteratis eisdem ferventiùs, ac per Nos sollicitè implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem divino Numine favente ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem.*

50. At sileant impii Nebulones, & in tenebris conticescant, nil aliud vanis hisce agentes effugiorum cuniculis, quàm hæreticis omnibus viam sternere, ut quælibet Pontificia, aut Conciliaria Decreta in eorumdem errores, hæresesque hactenùs pronunciata, asserant non ad sensum ab ipsis intentum referri debere, directaque usquam fuisse, sed ad alium, quem ipsi nusquàm somniarunt, omninò *malignè* eisdem propositionibus aptatum, omninò improprium, omninò *alienum*. Sileant prorsùs, & ea, qua decet, reverentia Alexandrum VII. Pontificem Maximum ipsorum retundentem temeritatem, audaciam, insaniam, audiant; *Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque Propositiones, vel in Libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictè, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere, magno cum Christi fidelium scandalo non reformident: Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficientèr, & attentè perspeximus, utpotè qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dùm adhùc in minoribus constituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica Authoritate eadem causa discussa est, ea profectò diligentia, qua major desiderari non posset; quamcumque dubitationem super præmissis in posterùm auferre volentes, ut omnes Christi fideles in ejusdem fidei unitate sese contineant, ex debito nostri Pastoralis Officii, ac matura deliberatione, præinsertam Innocentii Prædecessoris nostri Constitutionem, Declarationem, & Definitionem harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus; & quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis; cui titulus est;* Augu-

Augustinus, *excerptas, & in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, definimus, & declaramus, & uti tales, iusta scilicet eadem singulis nota, qua in prædicta Declaratione, & Definitione unicuique illarum singillatim inuritur, iterum damnamus.*

51. Ab his propterea cavillationibus meritò recedunt alii Jansenii Affeclæ, qui tamen adhùc de Pontificia infallibilitate in propositionibus damnandis in Jansenii sensu hæsitant, Pelagii, & Cœlestii factum in medium adducentes, quorum fidei professio *catholica* habita est à Zosimo Papa, qui illo fretus principio: *De occultis animorum solius Dei nostri posse esse judicium, & optimæ mentis indicium esse, prava difficiliùs credere*, Africæ Episcopis, qui Pelagium, Cœlestiumque accusaverant, scripsit non sine increpatione, eos à qualibet suspicione immunes declarans; qua tamen declaratione non obstante Episcopi Africani, quibus Pelagianorum artes notiores erant, quàm Zosimo, tùm per literas, tùm per Paulinum Diaconum curarunt, ut Romanus Pontifex majus experimentum de fide Cœlestii coram capere vellet, & ejus mente perspecta de Pelagio quoque pariter judicaret. Undè contigit, quòd Cœlestius hæreticum animum patefecerit, qualisque fuerit Pelagii mens, palàm ostenderit; Synodi verò laudata Africanorum Episcoporum constantia utrumque hæreticum ab Ecclesiæ Catholicæ finibus exterminaverit. Quod autem accidit Zosimo ex professione fidei colligenti sensum, animumque Pelagii, & Cœlestii, cur & evenire non potuit ipsius Successoribus eruentibus Jansenii mentem ex propositionibus, quas in ipsius opere perlegerunt? deceptus est Zosimus, licèt favore Pelagii, cur & decipi non potuere Urbanus, Innocentius, Alexander adversùs Jansenium? numquid efficacioris virtutis infallibilitas Pontificia, quoties hæreticos absolvunt, quàm cum hæreticos damnant? Fidei igitur objectum sit propositiones temerarias, impias, blasphemas, hæreticas respectivè esse, non tamen quòd his notis inurendæ relatè ad Jansenii mentem, & animum, ac *in sensu à Jansenio intento*.

52. *Verè*, ut cum Augustino in *Ps.* 7. loquar, *defecerunt scrutantes scrutationes*, quibus in primis satis occurrisse putamus *cap.* 1. *art.* 5. *num.* 5. duplicem ponderando mentis alicujus Authoris acceptionem, quarum altera sit penitùs interna, sivè hæc sit propositioni externè prolatæ conformis, sivè non; altera, quæ etsi interna sit, est tamen cum externa propositione connexa, & per hanc manifestata. Cum verò Pontifex damnat propositionem in sensu intento ab Authore, diximus intelligendum de sensu, quem verba præseferunt, ac proindè de eo, qui respondere deberet propositioni *externè prolatæ*. Sic autem, quod dicimus de damnatione propositionis, sensusque Authoris, dicimus & de approbatione propositionis, aut professionis fidei, & sensus eam Proferentis; & sicuti ex prima sequitur damnatio Authoris, si post propositionis damnationem velit pertinaciter in ea persistere, sic ex secunda sequitur absolutio Enunciantis illam, de quo adsint sufficientia indicia, quòd verè, & sincerè se gerat. Pontifex itaque Zosimus, deceptus sanè est Pelagium, & Cœlestium catholicos judicando, sed deceptio non fuit in eo, quòd catholicos eos habuerit in sensu, quem præseferebat professio, attentis præsertim ultimis verbis: *In qua si minùs peritè, aut parùm cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à Te, qui Petri, & Fidem, & Sedem tenes*, quæ expendens Cardinalis Baronius *ad ann.* 417. *nu.* 37. „ Quidnam, (ait) reliquum Accusatoribus, „ ut in eum afferre possent, qui ad normam „ fidei, perfectionem expectare se profitentur à Catholicæ Sedis Antistite? vel quam „ Judici in eum sententiam ferre, jam liberum esset, qui se eadem velle sentire, „ quæ ipse sentiat, tàm firmitèr asseveret? „ Quomodo inter hæreticos relinquendus „ Pelagius erat, & non inter Catholicos „ adsciscendus, qui catholica professione „ catholica sapere declaravit, & hæreticum „ esse non posse contestatione illa apposita „ significavit? ejusmodi sanè fuit thecna „ Pelagii, ut non potuerit, ea confessione „ præmissa, ut hæreticus condemnari, un„ dè meritò, quod de Leviathan habet „ divinus sermo (*Job* 41. 4.) congruè de „ Pelagio dici possit: *Quis revelabit faciem „ indumenti ejus*? certè non nisi Deus „

53. Par itaque ratio inter Pelagium, & Jansenium quoàd sensum ab eisdem intentum, prout consideratur hic expressus per verba, quæ in illo catholicum, in hoc hæreticum arguunt. Par & in hoc, quòd sicut Pelagius versipellis hæresiarcha ovina pelle undique circumtectus, omnique ex parte ovem præseferens, lupus intùs impœnitens rejiciebat, quæ ore profitebatur, ita & Jansenius potuit propositiones hæreticas pronunciare, & eas intùs detestari, alium sensum eisdem aptando alienum tamen, improprium, illique oppositum, quem verba

nata sunt ex vocabulorum impositoribus exprimere, & idcircò Romani Pontifices propositiones damnantes in Ianfenii fenfu, minimè id intellexere de fenfu improprio, violento, & alieno, fed de fenfu, quem verba habent fui natura importare. Hoc tamèn eft difcrimen inter unum, & alium cafum, quòd Pelagius aliud ore profeffus eft, aliud corde retinuit, ut Catholicos deciperet, & à fupremo Paftore approbationem fuæ fidei extorqueret, illorum unus effectus, de quibus Chriftus: (*Math*. 7. 15.) *Cavete ab hominibus, qui veniunt ad vos in veftimentis ovium, intrinfecùs autem funt lupi rapaces*. At in Ianfenio, quodnam motivum, quinam finis valet excogitari, vi cujus hærefim pronuncians, catholicam fidem intùs confervaret intactam? contingere quidem potuit, quòd externam ipfam propofitionem hæreticam non haberet, & proinde mens ejus catholica effet, fi præfertim animus in eo non defuerit fe fubjiciendi Sanctæ Matris Ecclefiæ correctioni, at quòd catholicus effet per hoc, quod aliud fentiret in corde, quòd pronunciabat externè; fundamento omni penitùs caret.

54. Aliàs id ipfum poffet & de quibuflibet hæreticis arbitrariè afferi, eos tales exiftimando ob propofitiones, quas tenuerunt externè, & cum pertinacia (qua in Ianfenio non probata, nulla in Perfonam fuit lata cenfura) non verò quoad eorumdem animum, & mentem, quibus oppofitum fentiebant. Cum tamen vanum hujufmodi effugium rejectum viderimus relatè ad Perfonam Arii *nu*. 36, Praxifque Ecclefiæ femper fuerit, hæreticos omnes damnare, quos pertinacitèr reperit in externa hærefum defenfione, ut pafsim in Oecumenicis Conciliis, Romanorum Pontificum Conftitutionibus, & fidei profeffionibus ad fidei puritatem, fartam tectam cuftodiendam formatis, quorum exempla videre eft apud Cardinalem de Laurea *difp*. 6. *de object. materiali fidei in quæft. fact. art*. 6, & 7, cum ad intentum abundè fufficiant interrogationes, quæ juffu Martini V. fieri debebant addifcernendum Catholicos ab hæreticis Huffitis, & Wicleffiftis; *Utrum credant, quòd condemnationes Joannis Wicleff de Anglia, Joannis Hus de Bohemia, & Hieronymi de Praga, factæ de Perfonis, eorum libris, & documentis per facrum generale Coftantienfe Concilium, fuerint ritè, & juftè factæ, & à quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmitèr afferendæ? Utrum credat, teneat, afferat, Joannem Wicleff de Anglia, Joannem Hus de Bohemia, & Hieronymum de Praga fuiffe hæreticos, & pro hæreticis nominandos, & reputandos; & libros, & doctrinas eorum fuiffe, & effe perverfos; propter quos, & quas, & eorum pertinacias per Sacrum Concilium Conftantienfe pro hæreticis funt condemnati*: Quæ præcifa damnationis tradita ratio oftendit nullam habendam confiderationem fuper hæreticorum fenfu, quem Hæretici dicti retinere potuerunt in mente, prorsùs alienum, & oppofitum doctrinis evulgatis, & pertinacitèr propugnatis, de quo nulla, vel leviffima haberi poterat conjectura, cum præfertim non poffit *arbor bona malos fructus facere* (*Math*. 7. 17.) & mens catholica in deteftabiles prorumpere hærefes, eas pertinacitèr propugnando.

55. Majus quid quoad hoc punctum laudatus Cardinalis firmare videtur, videlicèt ne dùm Arium, cæterofque hæreticos tales habendos relatè ad fenfum, quem propofitiones eorumdem præferunt, quique fupponi debet in earum Authoribus, fed etiam quòd internè nullum alium fenfum habuerint, & proinde quòd infallibilitas Pontificia vel immediatè, vel illativè faltem fe extendat ad actus merè internos, natura fua cum externis actibus non connexos. Siquidem ftatuens *num*. 300. conclufionem „ quòd declarati hæretici per definitionem Concilii, aut Papæ fint tales „ credendi, ut fidei objectum, & fi non habeatur ex revelatione explicita perfona„ rum, habetur tamen ex revelatione generali implicita; & ex inftinctu, ac fuggeftione Spiritus Sancti, quòd particulares illæ Perfonæ fint de numero revelatorum implicitè, ac in univerfali; „ eam probat præter alias rationes paritate ex Sanctorum canonizatione defumpta: „ Eatenùs „ (inquiens *num*. 311.) eft objectum fidei, „ quòd aliquis canonizatus fit Sanctus, „ licet virtutes, ac miracula ipfius naturalitèr per proceffum, & dicta teftium fint „ probata, quia in generali revelatione „ prædictum eft, quænam fint conditiones, „ ac certæ notæ alicujus Sancti, & à Salvatore paritèr prædictum, quòd ubi ipfe eft, „ illic & ejus Minifter erat futurus; & Summus Pontifex auditis virtutibus, & miraculis ex Dei illuminatione, atque inftinctu agnofcit probationes veras effe, ac „ talem Dei Servum iis virtutibus, atque „ miraculis corufcaffe. Ergo ita dicendum „ de damnatione Hærefiarchæ, pro tali „ proponendi, ut anathematizetur, ac vitetur; fuppofita enim generali revelatione de horum impiorum futuritione, & dili-

„ diligentiis, an hic, vel ille sit talis? Deus „ assistit Concilio, vel Papæ, ut agnoscat „ per instinctum, ipsum esse talem, & ita „ definit, atque credendum proponit „ Atqui, (subsumi indè potest) in canonizatione Sanctorum infallibilitas Pontificia se extendit quoque ad actus merè internos Sanctorum, non quidem omnes, & singulos juxta notata *num.* 34. sed eos ad minùs, sine quibus Sanctus aliquis esse non posset, uti si non obiisset in gratia per perseverantiam finalem, sed simulatè extremum clausisset diem internè lupus existens, externè ovis apparens; pariter igitur ejusdem infallibilitatis objectum erit, ne dum sensus hæreticorum, quem in ipsis arguunt verba, quæ proferunt, sed ille, quem revera habent, adeò ut alium habere non valuerint ab eo, quem habere externis propositionibus professi sunt, quemque proscribere intendit Apostolica Sedes.

56. Obvia nihilominùs esse potest discriminis ratio, quòd in damnatione hæreticorum necessaria non sit cognitio, & notitia actuum internorum, & si enim quis corde retineat, *Verbum esse æquale Patri*: Si tamen ore sustinet, *Verbum esse creaturam*, damnandus est, Apostolo ad *Rom.* 10. v. 10. dicente: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: quorum altero dumtaxat deficiente *ex Deo* aliquis esse non valet, sed *ex patre Diabolo*. Neque cum ad Ecclesiæ gubernium, & directionem necessarium, aut utile fuerit pervicaces hos homines designare, ut vitentur, si adhuc vivant; habeantur perpetuo igni destinati, si pertinaces obierint, attendendum necessariò est ad eorumdem mentem, quam habere possent, vel potuerint non expressam per verba, immò forsan verbis contrariam, dum etiam in hac hypothesi, (quæ tamen morali ad minùs certitudine est tenenda impossibilis) omnia persistent requisita ad infallibile Ecclesiæ judicium efformandum, & ad fideles infallibilitèr instruendos, qui non ex actibus internis externis non respondentibus, sed ex externis inficiuntur. Contra accidit, cum quis Sanctorum catalogo adscribitur, ex quo æquo prærequiruntur actus interni, & externi virtutum, in quibus se se exercuit, & præsertim perseverantiæ finalis, & proptereà non minùs, imò magis ad illos, quam ad istos infallibilitas Pontificia debet se extendere, ut ad canonizationem devenire valeat, proponendo eos fidelibus adorandos, & invocandos.

57. Instinctus proinde Spiritus Sancti in his definitionibus esse debet, ne dùm ad eruendum ex actibus externis sensum, vel mentem, quæ ipsis respondere debet in Elicientibus illos, sed ad sensum, vel mentem, quæ re vera extent, dignosque sacris Altaribus declarent, & reddant. Circa quod Theologos in duas divisos classes reperio. Aliqui enim ne temerè Pontifex procedat in canonizatione Sanctorum, inter necessariò prærequisita adnumerant miracula, quæ à canonizando patrata sint, & præsertim post mortem, utpote quæ de finali ejus perseverantia indubium exhibent testimonium, cui sententiæ plurimùm favent Pontificiæ canonizationum Bullæ, in quibus de miraculis fit mentio, tamquàm de signis, quæ ipsam præcedere debeant, ut in Sanctorum album quis relatus fide divina tenendus habeatur; *Duo*, inquit, præ aliis *in Const.* 4. *pro Canon. S. Antonii* §. 23. Gregorius IX. *Ecclesia requirit & merita, & miracula, ut hæc, & illa sibi invicem contestentur; cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plenè sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium veritatis; sed ut merita sanè præcedunt, & clara succedunt miracula, certum præbent indicium Sanctitatis.*

58. Aliqui verò etsi meritorum, & miraculorum complexum regularitèr asserant exquirendum; non tamen illũ adeò necessarium putant, ut ex solis meritis nequeat Rom. Pontifex ad canonizationem devenire, maximè si canonizatio Martyris sit, de quo constet revera esse mortuum in Fidei, aut Virtutum defensionem, Unigenito Patris testante: quòd *majorem hac dilectionem nemo habet, ut Animam suam quis ponat pro Amicis suis.* Quin officiat, quòd valeat aliquis hypocrita fictè, & simulatè semper in virtutum exercitio se gerere usque ad mortem, hoc namque præstat Divina assistentia Christi Vicariis in definiendis fidei rebus, Sanctisque publico cultui *ex Cathedra* proponendis, ut, ne ulli errori subjaceat, vel non permittat ullum ex iis, qui Cœlitibus umquàm erunt adscribendi hypocritè vixerint, & decesserint, vel ipsos dirigat, & illuminet, ne in finalem, ultimamque definitionem prorumpant. Quæcumque autem seligatur opinio, semper viget disparitas assignata, quòd in canonizatione agatur de objectis fidei, quæ in canonizandis expostulant, ut actus externi internis responderint, quantùm ad minùs satis est ad eos Cœlicolis adnumerandos, in damnatione verò hæreticorum sufficiat pertinax externa ipsorum contumacia, quamvis interna

non

non correspondeat, adhùc omisso, quòd id quandoque possit contingere. Quæ omnia ex abundanti dicta intendimus, qui in casu propositionum Jansenii, quo non ipsius Persona fuit damnata, sed sensus non de eo intelligitur, quem habere potuit Jansenius, sed quem habere Jansenius debuit, verbis utendo juxta significationem, quam eis dedere vocabulorum Impositores, seu quam verba præseferunt, ipsum intendere debuisse, non quem habere potuit disparatum omninò à verbis, cum eis nullatenùs connexum, immò & omninò ipsis repugnantem, de quo cum sit merè internus, verificatur Ecclesiam non judicare de internis ad directionem videlicet, & gubernium Dominici Gregis nullatenùs conducentibus, & ad damnationem propositionum in sensu Authoris ad prioris explicationis tenorem nullo modo prærequisitis, quibus à contrario sensu adaptari possunt Baronii *num.* 52 relata ponderatio, verbaque Zosimi Papæ de Cœlestio Africanis scribentis Episcopis, *quòd de occultis animorum solius Dei nostri posse esse judicium*.

59. Hic autèm ob factam mentionem doctrinæ Cardinalis Minoritæ obitèr occurrendum censeo tacitę instantiæ, qua forsitan posset quis me redarguere, quòd malè *cap.* 2. *art.* 13. *n.* 41. & 53. ipsum adduxerim pro infallibilitate fide divina tenenda, ne Romani Pontifices errent in canonizatione Sanctorum; cum clarè appareat id ab ipso negari *eod. disp.* 6. *art.* 4. §. 2. *num.* 159. ubi objectioni desumptæ ex Scholasticis, qui canonizationem Sanctorum negarunt esse objectum divinæ fidei, „ Resp. dist. antecedens; nega„ runt esse de fide, quòd canonizatus sit „ Sanctus, nego. Negarunt esse de fide, „ quod Papa in ea actione possit errare, „ concedo, & nego consequentiam. Ratio „ est, quia ego non quæro, an sit de fide, „ quòd Papa non possit errare in canoniza„ tione? sed quæro an sit de fide, quòd „ canonizatus sit Sanctus? & dico esse. Et „ ipsimet S. Thomæ discipuli, aliique se„ quentes id etiam affirmare videntur, quia „ licèt negent esse de fide, quòd Papa non „ possit in canonizatione errare, tamen „ confitentur, quòd honorare Sanctum „ canonizatum est professio, qua creditur „ gloria illius Sancti. Ergo quòd sit Sanc„ tus, & in gloria, etiam per eos est obje„ ctum fidei, qua creditur gloria illius „ Sancti„. Verùm instantia ista purpuratum Doctorem, non me percutit, qui ipsum pro Pontificio privilegio non errandi in canonizatione Sanctorum adduxi referens ipsius ratiocinium, quod conficit ex verbis Angelici Præceptoris inferens: *Concludens ergo est D. Thomæ argumentum*, cujus illatio erat, *piè credendum est, quòd nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit*; unde ibidem *num.* 135. connectit verba S. Doctoris, quæ nos retulimus pro prima objectorum classe, quæ sunt fidei certò divinæ, cum iis, quæ habet ex objectis tertiæ classis, inter quæ est Sanctorum canonizatio, inferens; *ergo lumine divino, seu instinctu Spiritus Sancti Pontifex judicat vera esse, quæ de aliquo Dei Servo sunt probata*. Ne dum igitur per Eminentissimum Scriptorem fidei objectum est Sanctitas canonizati, sed & judicium ipsum Ecclesiæ, quòd sit erroris penitùs incapax.

60. Nec aliter discurri potest, quia licèt possit Ecclesiæ definitio esse fidei objectum, quin fidei objectum sit res definita, aut præcepta, ex discussis *hoc cap. art.* 13. non tamen verificari potest fidei objectum esse rem definitam, quin fidei objectum sit ipsamet definitio, cujus virtute nobis constat revelatio rei definitæ. Quæ fuit ratio, ob quàm *cap.* 2, *art.* 3. *num.* 19. & *seqq.* innuimus evertenda universa fidei dogmata, nisi fidei objectum esset SS. D. N. ex. gr. esse legitimum Christi Vicarium, idque, quia, si de fide id non est, nec de fide erunt ipsius definitiones, & proinde nec res definitæ. Nec video, quomodò dicat se non quærere, an sit de fide, quòd Papa non possit errare in canonizatione Sanctorum? cum præmittens *num.* 50. dubium discuti solere sub titulo prædicto, ab eo non recedit, subdens solùm *distinctionis gratia* illum aliter concipere voluisse; sicuti nec approbare possum, quod ait de S. Thomæ Discipulis, quod nempè objectum fidei teneant, quòd Sanctus sit in gloria, quamvis negent objectum fidei esse, quòd Ecclesia, seu Romanus Pontifex errare non possit in ejusdem canonizatione, quos enim hactenùs legi, utrumque æquè negare, & quidem cohærentèr conspexi, quam tamen cohærentiam difficile mihi est Eminentissimi Scriptoris pace, in ipsius ratiocinatione perfectè salvare.

61. Hac etiam occasione abs re non videtur indicare cum Gonzalez *in lib.* 3. *Decret. tit.* 45. *de reliq. & vener. Sanctor. cap.* Audivimus *num.* 65. olim Romanos aliquot Pontifices, priusquàm definitionem canonizationis alicujus Sancti pronunciassent publicè protestari consuevisse suæ intentionis non esse aliquem exindè in Ecclesiam errorem inducere, ut refert Christophorus Marc.

Marc. Arch. Corcir. *lib.* 1. *sacr. cerem. ad Leonem X. sect.* 6. *cap.* 2. ubi sub titulo: *De his, quæ fiunt in die canonizationis*, hæc leguntur; „ Pontifex antequam pronunciet, convenit protestari in hanc formam, quam invenimus servatam à multis Pontificibus; „ Antequam ad pronunciationem veniamus, protestamur publicè apud vos omnes hic præsentes, quòd per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere, quòd sit contra fidem, aut Ecclesiam catholicam, seu honorem Dei, Deinde alta voce sedens cum mitra pronunciat in hunc modum; *Ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis decernimus, & definimus beatæ memoriæ N. N. in cœlesti Hierusalem inter Beatorum choros jam receptum*. Ex qua tamen protestatione, non rectè deducas, (subdit Gonzalez) pronunciationem ipsam errori subjectam esse, nam simili protestatione usi fuerunt quidam timorati Pontifices usquequaque suammet potestatem non percallentes, undè tale factum arguit tantum timoratam eorum conscientiam, & exiguam suæ Potestatis peritiam, Undè sequentis ævi Pontifices ab ea protestatione deinceps abstinuerunt „ Potest quoque, & protestatio dicta referri ad gesta ab eisdem Romanis Pontificibus præcedentia ipsam canonizationem, ac ejusdem præparatoria, per eam indicare volentibus, se omnia, & singula executioni mandasse, quæ tanti negotii gravitas exigebat, adeout per actum canonizationis, ad quem se accingebant, facere non intenderent aliquid contra fidem, aut Ecclesiam catholicam, aut honorem Dei, non quòd censerent actum ipsum canonizationis obnoxium in se esse potuisse hujusmodi periculo sumptum relatè ad assistentiam Spiritus Sancti infallibiliter Christi Vicariis canonizantibus promissam, sed quòd timerent non omnem præviam, quam poterant, diligentiam adhibuisse, ne temerè ad canonizationem devenirent, & proindè quantùm esset ex parte sua, in aliquo deficerent, & proindè se adhùc obstrictos crederent inter alias diligentias, & illam protestationis haud negligere, qua animi sui rectitudinem demonstrarent nihil faciendi, quod esset fidei, aut bonis moribus dissonum. Qua peracta, veluti indicantes se non ampliùs eamdem, quam prius Personam gestare, seu non humano adhùc procedere modo, cum Mitra sedentes, & *ex Cathedra* verè loquentes, indicantem canonizationis formam pronunciabant, cujuslibet prorsus erroris, vel levis suspicionis expertem.

62. Hujus articuli prolixitas cogit Lectores remittere ad Polemicos de infallibilitate Pontificia pertractantes, penès quos soluta reperient, quæ adversùs eam congeri solent ex eorumdem Romanorum Pontificum resolutionibus, & gestis, quibus præsertim Eterodoxi prætendunt eos in fide erasse, etiam cum docerent catholicum Orbem. Unicum nihilominùs nequaquàm omittendum videtur quòd cum ad Minoritici Ordinis regulæ intelligentiam, & explicationem tendat, inconveniens quadantenùs est, ut à Minorita Scriptore totalitèr negligatur. Continet autem contradictionem, & repugnantiam, quæ esse videtur inter Summos Pontifices Nicolaum IV, & Joannem XXII. quorum prior *cap.* Exiit, *de Verb. Signif.* definit Christum verbo, & exemplo docuisse perfectam paupertatem, quæ consistit in abdicatione omnium rerum, nullo sibi dominio relicto, nec in particulari, nec in communi, ac proindè talem paupertatem esse *sanctam*, & *meritoriam*, quod falsum esse, & hæreticum docet Joannes XXII. *in Extravagantibus suis, titulo de Verborum significatione*, nam *in Extravaganti*; (Ad Conditorem Canonum) docet esse impossibilem talem paupertatem, qua quis in rebus usu consumptibilibus abdicat se omni dominio solo usu retento. Et *in Extravaganti* (Cum inter nonnullos) declarat esse hæreticum dicere Christum talem paupertatem verbo, aut exemplo docuisse Et *in Extravaganti*, (Quia Quorumdam) idem docet, & proliziùs inculcat.

63. Nihilominùs hos Pontifices liquidò conciliat Cardinalis de Laurea, *loco mox citato* §. 10. & Cardinalis de Turrecremata *lib.* 2. *Summæ cap.* 112. cum quibus, & præcipuè cum Cardinali Bellarmino *lib.* 4. *de Rom. Pont. c.* 14. notamus præfatos Pontifices tres quæstiones movisse, prima est; *An in rebus usu consumptibilibus possit separari usus à dominio*? Secunda; *An Paupertas, quæ omne dominium à se removet solo usu relicto, sit sancta, & meritoria*? Tertia, *An Christus talem paupertatem verbo, & exemplo docuerit*? & ad primam respondet Joannes XXII. non posse separari usum à dominio in hujusmodi rebus; dominari enim est posse rem destruere; proinde impossibile est posse quem rem destruere utendo, ut panem comedendo, & non esse dominum panis. At Nicolaus IV. docet id fieri posse, & rectè, nam idem apertè docuit postea Clemens V. *in Clementina*, Exivi

Exivi de Paradiso, *de Verborum significatione*, & ratio est manifesta, quia esse dominium non est posse rem destruere quomodocumque, sed posse liberè destruere quando, ubi, & quomodò quis voluerit, & etiam donare, vendere, & commutare. Constat autem, omnes veros Religiosos habere usum panis; quem comedunt, & vini, quod bibunt, nec tamen posse illa donare, vendere, mutare, projicere; opponuntur ergo certò præfati Pontifices in hoc puncto, sed neuter dogmaticè errat, quia quæstio non spectat ad fidem, cum inter Canonistas, & Theologos utraque sententia tunc saltem temporis probabilis fuerit.

64. Circa secundam quæstionem Nicolaus sentit illam paupertatem, quam Fratres Minores sectantur, & Christus Dominus verbo, & exemplo docuit, esse *sanctam*, & *meritoriam*, quod negat Joannes, & quamquàm meliùs Nicolaus sentiat, nihilominùs nec Nicolaus hoc desinivit tamquàm articulum fidei, nec Joannes directè id impugnavit. Joannes enim in *illa Extravaganti*. (Ad Conditorem Canonum) solùm intendit renunciare dominio earum rerum, quæ pro eleemosina donantur Fratribus Minoribus, quas Nicolaus asserebat esse sub perfecto dominio, ac proprietate Romani Pontificis, quod dominium, ac proprietatem Joannes à se abdicare poterat, & de facto hujusmodi juri renunciavit, quin ulla extet contradictio inter præfatos Pontifices. De Tertia verò quæstione, quæ omnium gravissima est, & ad fidem pertinet, non dissentiunt Nicolaus, & Ioannes, nam Nicolaus dixit, Christum aliquando perfectissimam illam paupertatem verbo, & exemplo docuisse, aliquando autem paupertatem minùs rigidam exemplo demonstrasse, tamquàm communem omnium Patrem, & Doctorem. Joannes autèm definivit, esse hæreticum asserere, Christum nihil umquàm hic in terris habuisse proprii, nec in speciali, nec in commumi. Quæ duo non pugnant, nam Nicolaus non negat, Christum aliquando habuisse aliquid proprii saltem in communi; sed negat semper talem vitam Christum egisse, Ioannes quoque non negat, Christum aliquando nihil habuisse proprii, nec in speciali, nec in communi, & huic controversiæ quadrat illud sacræ paginæ Interpretum effatum, *distingue tempora*, *& concordabis Scripturas*.

65. Totum hoc eruditè demonstrat Suarez *lib*.4. *de Romano Pontifice cap*.14., his verbis., „ Quòd autem Christus utrumque „ docuerit verbo, & exemplo, probatur; „ nam paupertatem omnimodam docuit „ *Matth*.10., cum ait. *Nolite possidere aurum*, „ *nec argentum, neque pecuniam in Zonis vestris*, „ *non peram, nec duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*. Neque refert, an hæc „ verba sonent præceptum, an consilium? „ & an possint exponi aliter quam de abdicatione omnis dominii? Nam satis est „ ad sententiam Nicolai salvandam, quòd „ hæc sit Christi doctrina, & quòd non repugnat: Et si enim Christus subjiciens, „ *dignus est operarius mercede sua* (*Lucæ* 10.7.) „ obligavit populos ad sustentandos Prædicatores, & proindè concessit Prædicatoribus, ut jure exigerent sustentationem à populis, non tamen obligavit ipsos „ Prædicatores, ut quasi debitam exigant, „ ut patet ex Paulo 1. *Corinth*. 9., sed permisit eis vivere de suis laboribus, vel accipere tamquàm donum sine ulla usurpatione dominii, quod ex justitia illis debebatur. Accedit, quod in hoc sensu illa „ verba accepit S. Franciscus, cujus Viri „ instituta, & Deus plurimis miraculis, & „ Ecclesia universa communi consensu „ approbavit. Quòd autem exemplo hoc „ idem Dominus ostenderit; patet ex illo „ (*Matth*.8.20.) *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet*, & ex illo (*Lucæ* 8.3.) „ *sequebantur eum mulieres*, *quæ ministrabant ei de facultatibus suis*. Tunc enim „ Dominus cum Apostolis sine *loculis* „ vivebat ex solis fidelium eleemosinis. „ Quòd autem Dominus etiam alterum „ vitæ genus exemplo suo docuerit, patet „ ex *Joan*.13. ubi legimus eum habuisse *loculos*, ex quibus in communi cum Discipulis vivebat, nec dubium est, quin „ habuerint dominium earum pecuniarum, saltem in communi, quandoquidem ex eis eleemosinas facere etiam „ consueverant, ut patet ex eodem loco. „ Quam vitam postea imitati sunt fideles, „ qui erant in Hierusalem sub Apostolis, „ ut patet *Actor*.4., & ferè omnes Ordines „ Religiosi. Nam exceptis Franciscanis, „ omnes habent saltem in communi dominium rerum mobilium.

66. Præ reliquis autem Doctoribus, qui in hac materia scripsere, audiendus est Sanctus Joannes de Capistrano in *tractatu de Christi, & Apostolorum sanctissima paupertate*, ubi ex instituto examinat quæstionem de concordantia Decretalium Nicolai IV., & Joannis XXII., & post distinctos varios status Christi, & Apostolorum per quinquo

que articulos, tandem art.6. resolvit quæstionem, his verbis. Sextus articulus principalis, in quo attendendum est, quòd ratione diversitatis rerum, & temporum, de quibus prædictæ sacræ Decretales loquuntur minimè inter se contradicunt, immò mutuò se declarando confirmant. Hoc autem potest probari, primò generalitèr, quia in Decretali Domini Nicolai IIII. Exiit, qui seminat asseritur, quòd abdicatio proprietatis omnium rerum, tàm in speciali, quàm etiam in communi propter Deum meritoria est, & sancta, quam Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit. Hujus Contradictoria est, quòd abdicatio proprietatis, & dominii non est sancta, nec meritoria, quam Christus viam perfectionis ostendens verbo non docuit, nec exemplo firmavit. Sed miraculum est, quòd præmissa immediatè propositio in nulla Decretalium Domini Joannis Papæ XXII. continetur, ut patet cuilibet intuenti, ergo adinvicem non contradicunt. Secundò ad idem, Propositio modificata pro aliquo tempore non contradicit propositioni de inesse, vel modificatæ alia modificatione. Ista enim: [omnis homo currit], non contradicit isti: [Sortes non currit necessariò]. Nec ista: [omnis homo currit velocitèr] contradicit isti: [Sortes non currit necessariò]. Sed ista: [Christus viam perfectionis ostendens non habuit proprietatem in particulari, nec in communi alicujus rei, à qua possit usus à dominio separari]; est modificata quatatùm ad determinatum tempus, quo Christus talem modificationem verbo docuit, & exemplo firmavit; est etiam modificata quantùm ad proprietatem abdicatam. Decretalis autèm Domini Joannis est simplicitèr de inesse, vel modificata alia modificatione, quia pertinacitèr asserere, videlicet, quòd Christus, & ejus Apostoli non habuerunt in particulari aliqua, nec etiam in communi, hæreticum est censendum: Constat quòd in ista propositione nulla determinatio temporis, nulla determinatio ponitur proprietatis, ergo adinvicem non contradicunt. Tertiò quia ad propositionem Domini Joannis Papæ XXII. videlicet, quòd asserere pertinacitèr, quòd Christus non habuerit aliqua &c. sequitur evidentèr, quòd nunquàm habuerit, quia posito, quòd aliquandò habuerit, falsa esset illa assertio, quòd Christus non habuit aliqua in particulari, vel in communi. Ad illam autem Domini Nicolai Papæ IIII. quòd Christus viam perfectionis ostendens non habuit proprietatem alicujus rei, à qua possit usus à dominio separari, non sequitur, quòd nunquàm habuerit aliqua, sed solùm quòd pro illo tempore non habuerit proprietatem alicujus rei . . . .

67. Prædicta etiam Decretalis Domini Nicolai veritatem habet quam maximè pro tertio tempore, in quo (Matth. cap.10. 9.) dixit Christus Discipulis: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; & Marc. 6. 8. præcepit eis, ne quid tollerent in via, non peram, non panem, neque in zona æs, & ne induerentur duabus tunicis, & Lucæ 9. 8. nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis . . . . Secundò apparet mihi dicendum pro isto tempore, quòd Apostoli non habuerunt proprietatem, seu dominium alimentorum in communi. Quia si probibiti sunt pro isto tempore portare, quod inter alimenta est magis necessarium, præcepit enim eis, ut non portarent panem, quomodò permisisset eis carnes, vel caseum, vel vinum, potagium, & alia hujusmodi? Si panem magis necessarium habendum, & portandum prohibuit, & non solùm prohibuit pro isto tempore alimenta, imò ad alimentorum portandorum vasa idonea, quia præcepit non portare peram: Pera namque secundùm Sanctos est vas pro cibis portandis.

68. Pro quo tempore, Christus faciendo, quæ docuerat, & ejus Apostoli servando Christi præcepta pro illo tempore data, non poterant emere, nec vendere, nec locare, nec conducere, nec aliqua hujusmodi facere, quæ supponunt dominium particulare, vel commune, quæ ipsi in rebus eis interdictis minimè habuerunt. Satìs etiam sequi videtur ex præmissis, quòd pro rebus eisdem prohibitis ad possidendum pro isto tempore, non erat eis licitum litigare, maximè si non habebant proprietatem in particulari, nec etiam in communi, ut superiùs est deductum. Constat autem, quòd modo debito, & coram Judice, & tempore, & loco competentibus, habentibus proprietatem in particulari, vel in communi, licitum est litigare. Et sic apparet evidentèr, quòd Decretales Sacrorum Summorum Pontificum supradictorum in nullo contradicunt, imò mutuò se confirmant pro diversitate rerum, & temporum intellectæ, quia Decretales Domini Joannis Papæ XXII. pro rebus, quarum usus non potest à dominio separari pro omni supra prædicto tempore, verum dicunt. Decretalis autem Domini Nicolai, pro rebus, quæ usu non consumuntur, verum habet pro secundo tempore, & pro tertio, & pro quarto, ut superiùs est deductum, pro tertio etiam tempore pro possessione, proprietate, & dominio auri, argenti, & pecuniæ, & cæterorum, quæ in Evangelio inhibentur, plenam continet veritatem. His, aliisque Capistranus, contradictionem RR. PP. solvens eorundem Infallibilitatem salvans, FF. MM. pau[...]tatem propugnat.

ARTICULUS XV.

An Propositio opposita alteri, quæ fuerit definita de fide à Legato Romani Pontificis, sit hæretica?

1 Legati nomen à *legando*, seu *legendo* ortum agnoscit, quòd indicet esse quempiam *lectum*, & *electum* ad publicum aliquod negotium pertractandum. Cum enim non omnia expediri queant immediatè per Principem, maximè quæ cum absentibus sunt agenda, eaque cuncta præscribere per epistolas periculosum quandoque esset, præsertim cum de rebus sit resolutio capienda, quæ mutuo, præsentique egent colloquio, id fit Legatorum ministerio. Eorum proindè usus invaluit apud omnes nationes pro expediendis publicis belli, pacisque negotiis. Non tamen in rigore *Legati* dici soliti sunt, qui ab inferioribus ad Principes destinantur, sed qui à Principibus ad Principes *l. fin. ff. de legationibus*, vel à Rebuspublicis ad Respublicas *l. 1. ff. eodem*, qui vocabantur *Legati* hujus, vel illius Provinciæ, puta Legatus Ciliciæ *in l.* Testium 3. *vers.* ideoque ff. *de Testibus*. Galliæ *in l. 2. ff. de jure immunit.* Numidiæ *in l.* Nam 7. *ff. de legat. prestan.* &c. Potiebantur autem *Legati* ejusmodi privilegiis, & prærogativis ferè innumeris, eorumque Personæ *Sanctæ* intitulabantur, quòd nullo modo lædi, aut violari possent, ut videre est apud Duarenum *lib. 1. disp. cap. 37.* Joannem à Solorzano *tom. 1. de jur. Ind. lib. 2. cap. 20. num. 27.* & alios. Non tamen omnes exercebant jurisdictionem, sed qui præsertim mittebantur à Proconsulibus, & Præsidibus, de quibus legi potest Petrus de Marca *de concord. Sacerd. & Imper. lib. 5. cap. 1. num. 5.*

2. In Ecclesia pariter à primis Sæculis magna fuit *Legatorum* authoritas, quicquid contra ipsos blaterent hæretici, de quibus præfatus de Marca *cap. 2.* Perstringendo autem sermonem ad Legatos Apostolicæ Sedis, de quibus procedit proposita quæstio, in tres classes dividi solent. Alii namque dicuntur *Legati nati*, ex quo, cum ipsâ dignitate, quam obtinent, ipso jure Legatorum officium nanciscuntur, talesque à nonnullis sunt putati quotquot à Romano Pontifice Pallii honorem consequuntur, sed eos decipi probat Cironius *lib. 1. observ. cap. 7.* Ad pauciores idcircò *Legationis* officium restringendũ, quo potiuntur Archiep. Cantuariensis, Eboracensis, Bituricensis, Rhemensis &c. Alii dicuntur *Legati missi*, qui nempè, etiamsi non nascantur modo dicto *Legati*, ob eorum tamen industriam, & peritiam mitti a Romano Pontifice solent in aliquam Provinciam *cap.* Cum dilecti *de accusat.* & *cap.* Mandata *de præsumpt.* Alii sunt *Legati à latere*, quos *à facie* vocavit *scholio 1, ad Syn. sextam Trull.* Balsamon, *Laterales* Ivo Carnotensis *ep. 109.* quia à Christi Vicarii mittuntur *latere*, ut loquitur Leo Pontifex *ep. 14. ad Faustum* scribens: *Cum propter causam fidei, quam Eutyches perturbare tentavit, de latere meo mitterem, qui defensioni veritatis assisteret.* Quamvis autem olim necesse non esset, ut *Legati à latere* Cardinalitia dignitate fulgerent ex Jureto in notis ad *ep. 200. Carnotensis* laudati, decursu tamen temporis invaluit, ut è Collegio Cardinaliũ seligerentur, quòd hi præ cæteris quibuslibet sint ad ejus *latus*, & de Pontificis corpore.

3. Prædictis Apostolicæ Sedis Legatis non unam, æqualemque jurisdictionem, ac privilegia competere notat Emanuel Gonzalez in *lib. 1. Decret. cap.* Cum non ignoretis *de Offic. Legat. num. 6.* ubi, quæ sint ipsis communia, quæque specialia, distinguit apud ipsum legenda. Singulares verò prærogativas impertitas fuisse *Legatis* à Romanis Pontificibus ad Concilia generalia missis, ut eorum vicibus fungerentur, non est dubitandum. Cum enim non solerent Apostolicæ Cathedræ Supremi Rectores per se ipsos ad Concilia generalia Orientalia accedere, ut liquet *ex epist. 17.* Magni Leonis se se excusantis cum Theodosio Augusto, quòd ab eo invitatus ad Concilium non pertrexerit: *Occurrere me nulla ratio permittit, cum nec aliqua ex hoc exempla præcesserint*, Legatos destinabant è latere, qui Personam Pontificiam, & authoritatem repræsentarent. Quibus proindè primus debebatur locus, primique omnium subscribebant, ut in actis Conciliorum passim conspicimus, eo quoque ordine servato, quòd cum plures essent Pontificii *Legati*, ille omnium primus eminebat, cui præ cæteris esset Christi Vicarii repræsentatio demandata, uti perpendens subscriptiones Nicæni primi trecentorum decem, & octo Patrum, quarum prima legitur: *Osius Episcopus Civitatis Cordubensis Provinciæ Hispaniæ dixit, ita credo, sicut superiùs scriptum est.* Secunda: *Victor, sive Vitus, & Vincentius Urbis Romæ pro Venerabili Viro Papa, & Episcopo nostro Silvestro subscripsimus*, cæteris deindè sequentibus reliquorum cunctorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, hoc con-

conficit argumentum ad *ann.* 325. Baronius. „ Ut quid igitur, Primus omnium ponitur „ Osius mediocris Ecclesiæ in Hispania „ Episcopus primo loco, & ante Legatos „ Apostolicæ Sedis, ante Orientalium Se„ dium Patriarchalium Antistites, ante „ totius Africanæ Ecclesiæ Primatem, et „ de aliis præstantissimarum Sedium Epi„ scopis taceam, ipse in aliena Provincia, „ & celeberrimo omnium consessu sub„ scripserit, nisi locum teneret, & Perso„ nam repræsentaret amplissimæ omnium „ Potestatis? „ His præmissis.

4. Quæstionem propositam negativè ducimus resolvendam, cujus asserti veritas evinci facilè potest ex traditis *hoc cap. art.* 11. ubi probatum manet fidei objectum esse non posse rem definitam à generali Concilio, etiamsi in definitionem consenserint unanimes omnes Patres, simul, & Pontificii *Legati*, nisi hi prævìè instructi fuerint de sententia Apostolicæ Sedis, quo casu, non tam ut *Legati* agerent, quàm ut Præcones, qui promulgarent supremi omnium Patris jussa, & proindè infallibilitas eorumdem esset ipsissima, & indistincta infallibilitas Romani Pontificis, dummodò ab accepta instructione nullo modo aberrarent. Possent quoque & in probationis munimen adduci exempla plurium Apostolicæ Sedis *Legatorum*, quos sivè in Conciliis, sive extra prævaricatos fuisse legimus, etiam in fidei materia. Ab his nihilominùs recensendis consultò abstinemus, quòd quæstionis legitimus sensus non sit circa indefectibilitatem Legatorum in genere, ac si in omnibus, & singulis ea sit supponenda, ut proindè quilibet possit res, ut fide tenendas præscribere, adeò ut propositiones rebus definitis adversantes sint pro hæreticis eliminandæ; cum sole clarius sit potestatem *Legatis* communicari posse sub illis limitationibus, quæ R. P. magis placuerint, immò & de facto *Legatos à latere* quamvis de jure possent causas omnes de hæresi cognoscere, tamen de consuetudine sine speciali commissione id facere non posse notat Thomas del Bene *de off. S. Inquis. circa hær. part.* 2. *dub.* 195. *sect.* 18. *num.* 2. sed solùm utrum Pontificiis *Legatis*, sicuti committitur Pontificiæ repræsentationis honor, ita possit quandoque inter alia privilegia, & prærogativas *Infallibilitas* communicari in sacris dogmatibus definiendis? in quibus terminis pro negativa resolutione à posteriori facit Ecclesiæ praxis, in qua nusquàm legitur communicata hujusmodi facultas, sed quoties Rom. Pontifices voluere, ut dogmata à Conciliis Præsidentibus ipsius *Legatis* ultimatè definirentur, id præstitere præscribendo, ut nuper est indicatum, quid præcisè esset definiendum, signum quòd aliud medium censerent non esse ad dicti finis consecutionem, quod si adsuisse putassent, per communicationem infallibilitatis propriis *Legatis*, illud quandoque saltèm adhibuissent.

5. A priori verò motivum eruitur, ex quo, non omnis potestas, seu jurisdictio est natura sua delegabilis, ea namque, quæ ad supremi Principis constitutionem essentialitèr pertinent, indelegabilia sunt, quæ est potissima ratio, cur Romanus Pontifex non possit etiam de plenitudine suæ potestatis se alteri subjicere, seu facultatem concedere, ac communicare, ut aliquis tamquàm Judex ejus valeat in eum clave uti exterioris judicii, ut optimè firmat Cardinalis Turrecremata *in Summa de Ecclesia lib.* 2. *cap.* 104. & 105. Quia videlicet Pontifex non potest agere id, quod derogat dispositioni divinæ, jus enim divinum est immutabile, ac proindè cum juris divini sit, quòd ipse sit supremus Prælatus, & Judex omnium, Dei solius subjectus arbitrio; sequitur non posse facere, ut alter sit sibi ipsi superior, sicque derogare Apostolicæ authoritati sibi divinitùs collatæ; nec sine contradictione, inde orta, quòd Papa in hypothesi esset, & non esset supremus omnium Judex. Undè Angelicus Præceptor, & S. Bonaventura apud laudatum Turrecremata discrimen assignant inter judicium exterius, & interius, seu Sacramentale, in quo Pontifex sit Confessario suo subditus, quia *judicium exterius*, (inquit Aquinas) *est secundùm homines, sed judicium confessionis est quoad Deum, apud quem, quis redditur minor ex hoc, quòd peccat, non autem apud hominum prælationes, & ideò in exteriori judicio nullus in se ipsum sententiam dare potest excommunicationis, nec alteri committere, ut se excommunicet, sed in foro conscientiæ potest alteri committere absolutionem, qua ipse uti non posset.* Et Doctor Seraphicus: *Quia Prælatus, scilicet Papa super omnes est, prælatio, quæ attenditur quantùm ad prælationem super homines in eum haberi non potest, nec ipse alteri dare salvo jure suæ dignitatis, ratione cujus potest dicere: Tibi soli peccavi, & ideò non potest alii dare potestatem se excommunicandi.*

6. Pariformitèr discurrendum de infallibilitatis privilegio in definiendis fidei dogmatibus, ac proscribendis propositio-

nibus contrariis, tamquam hæreticis, quod Pontificis ita est proprium, ut characteristicum dici debeat supremæ ipsius dignitatis ei à Christo concessæ indelegabilitèr, per pronomen solius suæ Personæ demonstrativum: *Tu es Petrus: Tibi dabo claves; Tu confirma Fratres tuos.* Quod neutiquam verificaretur alteri commissa prærogativa non deficiendi à fide, tunc enim non Pontifex, sed *Legatus* cæteros confirmaret, & ipse Romanus Pontifex confirmaretur, non confirmaret. Quin obstet, quòd potestas Legati ab eo ortum duceret, quia etiam idipsum dici posset de potestate à Romano Pontifice alteri communicata, ut se posset excommunicare, quòd tamen mox conspeximus esse omninò inconveniens, ut admittatur. Quo ratiocinio utitur Suarez *in suo tomo de legibus lib.4. de leg. posit. Canon. cap. 6. num. 22.* probans indelegabilem à Romano Pontifice esse potestatem ferend. leges, quæ universum obligent orbem; „ At verò quoad absolutam legislatio„ nem, per quam lex accipiat vim obligan„ di totam Ecclesiam absque speciali ap„ probatione Pontificis, non videtur talis „ potestas posse delegari, immò nec ullo „ modo alteri committi. Ratio est, quia „ leges Canonicæ obligantes totam Eccle„ siam proficisci debent à potestate, quæ „ in rebus ad mores pertinentibus errare „ non possit, hæc autem potestas cum „ pendeat à speciali directione Spiritus „ Sancti Pontifici promissa, delegabilis non „ est, sicut nec potestas definiendi, ut ex „ propria materia suppono, & ideò nec „ potestas legislativa pro tota Ecclesia est „ illo modo delegabilis, vel certè saltem „ non est illo modo deleganda, ne tota „ Ecclesia periculo alicujus erroris in re „ tâm gravi exponatur „ Quas ultimas particulas consultiùs omisisset, & quatenùs locum habere valeant in legibus ferendis, quæ licèt obligent, non tamen infallibilitèr constet infallibilitate divina eas esse honestas, & rectis morum regulis consonas, non tamen respectu earum, quæ ut tales haberi debeant, in hoc æquiparandas cum fidei dogmatibus, juxta quæstionis, quam in præsenti discutimus, sensum.

7. Totum hoc corroborari potest ex distinctione, quam tradit prædictus Gonzalez *in lib. 1. decret. tit. 29. de offic. potest. Jud. deleg. cap.* super quæstionem *in Commentar. ferè per totum* Delegatorum videlicet, qui à Potestatibus inferioribus destinantur, & eos, qui à supremis Principibus; quòd illi, vel sunt *dati*, vel *mandatam habentes jurisdictionem*? Si *dati*, utique datur ab eis appellatio ad *Dantem*, *Datus* etenim à *Dante* dumtaxat recipit notionem, seu judicandi munus, non verò jurisdictionem, & proindè cum *Dans* Superior semper maneat, à *Dato* ad *Dantem* interponitur appellatio, tamquàm ad immediatum Superiorem. Hi verò è contra, cum Mandantis jurisdictione utantur, illiusque vices gerant, una Persona cum *Mandante* censentur, adeo ut sententia à *Delegato* prolata, ab ipso *Mandante* lata videatur, undè non *Mandans*, sed *Mandantis* Superior erit provocandus, ne de pari ad parem habeatur appellatio. Eo excepto casu, quo *Mandans* non totam jurisdictionem in *Delegatum* transtulerit super causa, vel causis ei commissis, sed aliquid sibi de jurisdictione reservaverit, tunc namque, cum *Mandans*, superior in rigore maneat, *Delegatus* consideratur, veluti *Datus* ut ab eo ad *Mandantem* detur appellatio, tamquàm ad superiorem, ob sibi reservatam in causa, vel causis jurisdictionem. A *Delegatis* verò Supremorum Principum, semper, & in quolibet casu dari potest appellatio, ac proindè locum in eis non habeat tradita diversitas *Dati*, & *mandatam jurisdictionem habentis*; & ratio est, quia supremi Principes semper, & essentialitèr manere debent Superiores *Delegatis* ex vi supremæ potestatis, qua potiuntur, quamque, etiamsi maximè velint, nulli concedere valent, ex quo consequens fit, ut impossibilis sit casus, quo à *Delegatis* ad Supremos Principes vetita sit provocatio.

8. Ad rem itaque nostram, cum infallibilitatis privilegium in dogmatibus definiendis, tradendisque præceptis pro universalis Ecclesiæ directione, & gubernio, supremitatem Romani Pontificis constituat, qua super omnes omninò potestates, cunctosque fideles, sivè congregatos in unum, sivè non congregatos, tum in Conciliis, tum extra ipsa, Pastores sint, aut Oves, Prælati, aut Subditi, Principes, aut Vassalli, eminet, ut sic possit in fide, rectisque morum regulis, dominicum gregem regere, fratresque confirmare, hinc fit manifestum illud alteri esse penitùs indelegabile, cujus communicatio cuilibet facta læderet supremitatem Potestatis Christi Vicarii, ipsumque exueret superioritate ei ab Unigenito Patris concessa, ut per eam suas vices in Terris gereret, solique suo subjaceret arbitrio, & maximè in definiendis dogmatibus, moribusque instituendis ex divino instinctu,

San,

Sanctique Spiritus afflatu ei privativè concesso. Unde est, quòd asserti hujus veritas à Theologis supponatur potiùs, quàm probetur ob sui evidentiam, & certitudinem. „ Suppono, (inquit Del bene *de locis theol. dubit.*258. *num.*4.) Pontificem non posse „ delegare alteri potestatem definiendi infallibilitèr res fidei; quia hæc consistit in „ assistentia Spiritus Sancti ex promissione „ Dei, quæ cum sit facta solùm Petro, & „ ejus Successoribus, solus ille,& ejus Successores hanc assistentiam habere possunt, „ & non alius ex delegatione, vel alia via; „ Tum quia hæc potestas est quædam gratia pertinens ad donum Apostolatus, „ sicut Prophetia, & Scientia, quæ alteri „ communicari non potest,ut rectè docent „ Canus *lib.*5. *de loc. theol.cap.*5.Bannez 2.2. „ *quæst.*1. *art.*10. *dub.*4. Turrecremata *lib.*3. „ *de Eccl. cap.*6. 8, 38. & Valentia *disput.*1, „ *quæst.*1. *punct.*7. §.45.

9. Posset hic curiosus quis inquirere, an saltem in *Legatis*, vel aliis quibuslibet fidei mysteria proponentibus, sivè ex prævia Romani Pontificis instructione, sivè ex definitionibus aliàs factis, sivè ex Scriptura, aut Traditionibus &c. admittenda sit aliqua infallibilitas, quæ gradum infallibilitatis Pontificiæ non pertingat, sed eo inferior habeatur, non quòd ullo modo possit falsitati subesse, sed temporanea sit, & veluti per modum transitus illis insidens? Hanc namquè distinctionem legere est apud Suarez *disp.*5. *de regulis, quibus fidei objectum infallibilitèr proponitur sect.*1. *per totam*„ duo„ bus modis posse intelligi esse infallibilem „ authoritatem in Proponente, uno modo „ permanentèr,& ut ita dicam per modum „ habitus, alio modo solùm actualitèr, „ quantùm ad certitudinem illius doctrinę, „ quam sufficientèr proponit,ut à Deo tra„ ditam, vel ut definitam ab aliquo haben„ te authoritatem,„ Ex qua indè duas elicit conclusiones, in quarum prima negat Proponentem fidem habere authoritatem infallibilem priori modo, quòd sic Proponens privatus homo sit,privatusque Doctor majorem humana authoritatem non habens; nec divina sit ei promissa assistentia, qua veritatem infallibilitèr assequatur, & aliis tradat. In secunda asserit, quòd quoties Proponens sufficientèr facit credibilem veritatem propositam, ita ut indè oriatur obligatio illam credendi tamquàm à Deo dictam, necessarium esse, ut Proponens credatur esse infallibilis authoritatis, seu veritatis actualis in eo, quòd dicit, eò quia ea est inter dictum, & Dicentem relatio, ut non possit res dicta existimari infallibilitèr vera, quin etiam ipse Dicens credatur non posse fallere in eo, quod dicit; sed quoties veritas fidei sufficientèr est proposita, tenetur homo credere rem dictam, tamquam infallibilem, ergo debet consequentèr credere sic loquentem non fallere,quod idem est, ac habere infallibilem authoritatem,

10. Nonnihil durior videtur hic dicendi modus Dominico à SS. Trinitate *lib.* 3. *Bibl. theol. sect.*4. *cap.*16. duo animadvertenda spectari posse in primo, seu supremo Proponente, alterum, quòd ex parte Personæ se teneat, quæ non possit errare ex vi officii, quo fungitur, alterum ex parte doctrinæ propositæ; in quo adhuc duo consideranda veniunt, unum ex parte modi illam proponendi, seu motivorum, quæ ad illam credendam pro sufficientibus adducuntur; aliud ex parte ipsius doctrinæ propositæ, quòd videlicet sit sufficiens. Quoad primum, nec etiam ipse Suarez admittit in Proponente infallibilem authoritatem ex vi ministerii, quod exercet, populum instruendi, quòd nullibi extet facta promissio divinæ assistentiæ ad hujusmodi infallibilitatem suadendam, soliusque Petri, & Successorum Romanorum Pontificum prærogativa sit, ut ex vi supremi, quo in totum Dominicum gregem fruitur, Pastoralis muneris, errare non possit. *Cui enim alteri Sedi*, ait *ep.*190. *ad Innocentium*, Bernardus, *dictum est aliquando*: Ego rogavi pro Te, ut non deficiat fides tua? Quoad secundum verò clarum est admittendam infallibilitatem, non tamen, quæ se habeat ex parte Proponentis, sed præcisè ex parte rei propositæ, & credibilitatis ejus expositæ, quæ sola obligat Audientes ad credendum, non Dicentis authoritas, quasi quòd in priori habeant hanc esse infallibilem, ut indè rei propositæ valeant fide divina assentiri. Unde hæc est disparitas inter Summum Pontificem, & quemlibet alium Proponentem fidei mysteria, quòd ille proponat per modum Judicii, & Regulæ animatæ determinantis res fidei, alii verò, ut manifestantes, vel judicium Summi Pontificis,uti diximus de *Legatis* cum prævia ipsius instructione Concilio præsidentibus, vel dogmata expressa in sacris literis, aut nobis per Traditionem consignata; ad eum fermè modum, quo discriminantur Princeps, qui legem aliquam condit propria utens authoritate,& is, qui conditam legem promulgat absque ulla

ulla prorsùs authoritate illam condendi, nec quidem per modum transeuntis,

11. In re nihilominùs non adesse ad eò ingentem discrepantiam inter hos Authores, ex explicatione, quam subjungit *nu.5.* Suarez, erui potest, asserens, quòd Proponens rem ut sibi revelatam, necesse est, ut aliquo miraculo, vel signo divino illum confirmet, nisi prævie in ipso supponatur infallibilitatis privilegium promissum, quale est in solo Romano Pontifice, quod cohærens est *cap.* Cum ex injuncto *de Haeret.* ubi Innocentius III. *si fortè quis dicat se invisibilitèr missum à Deo, & si ab homine invisibilitèr non mittatur, & multò sit dignior sua missio, quia divina, potest rationabilitèr responderi, quòd cum interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nudè tantùm asserere, quòd ipse sit missus à Deo, cum hoc quilibet hæreticus asseveret, sed oportet, quòd adstruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi, vel Scripturæ testimonium speciale.* Proponens verò rem ut aliis revelatam, debet illam confirmare aliqua infallibili Regula, per quam alios valeat obstringere, indubiam, ut fidem adhibeant, indeque concludit „ quando „ authoritas infallibilis permanentèr con„ venit ipsi Loquenti, talis ejus authoritas „ dat infallibilitatem, & conciliat authori„ tatem rei dictæ saltèm quoad nos, quia „ eò ipso, quòd res aliqua traditur ab ha„ bente hujusmodi authoritatem, fit infal„ libile, quod dicitur. At verè è contrario „ in alio modo, potiùs ipse Proponens „ authoritatem accipit infallibilem, ut sic „ dicam à doctrina, quam tradit, & à „ signis, vel Regulis, quibus illam confir„ mat „ Quo tamen non obstante, si loqui velimus, relatè ad eos, quibus proponitur res aliqua de novo credenda, priùs est, quòd hi certificentur, quòd à Proponentibus non sint decipiendi, quàm quòd res proponendas habeant, ut certa fide tenendas, juxta illud, (*ad Rom.* 10. 14.) *Quomodò credent ei, quem non audierunt? ergò fides ex auditu.* Undè si semel quis de veracitate Proponentis dubitet, nusquam rem propositam fide divina credere poterit.

12. Non indè tamen sequitur Proponentem modò dicta mysteria fidei censeri debere infallibilem, ut enim advertit Cardinalis de Laurea *disp.7. de objecto formali fid. infus. art.8. num.* 281. etsi Deus non obligaverit fideles ad credendum mysteria fidei per solam humanam fidem, sed per divinam, eos tamen obligavit ad credendum iis, qui ea mysteria proponunt, si præsertim id ex munere suo, & officio agant, de quibus idem Cardinalis *disp.8. de Proponente objecta fidei art.3, per plures paragraphos.* Sufficit proindè moralis certitudo, qua censeatur eos non fore nos decepturos, cum illis signis conjuncta, quæ res faciant evidentèr credibiles, ac à Deo revelatas, ut inde per voluntatis imperium prævia illustratione divina firmissimum præbeamus assensum juxta dicta *cap. 2. art.7. à num.18.* & dicenda *hoc capite art.21.* quæ hic facilè servata proportione poterunt applicari, absque eo, quòd eadem pluriès replicemus.

13. Cum itaque *Legati* ex Summi Pontificis prævia instructione, ac præscripto definitionem Pontificiam promulgent in materia fidei, propria infallibilitate minimè gaudent: assentiendum nihilominùs rebus, quas proponunt, ut fide divina tenendas, si constet verè Christi Vicarii vices gerere, nullaque extet suspicio, quòd ab Apostolicis mandatis recedere audeant. Firmitas autem assensus nullatenùs in *Legatos* refunditur, sed in Pontificiæ infallibilitatis privilegium, vi cujus res definitas credimus divinæ revelationi innixas, quæ est objectum formale fidei. Et eatenùs semper verum manet, quod in *hoc articulo* explicandum remisimus (*hoc cap. art.11. num.8.*) *Legatos* videlicet Summi Pontificis Personam repræsentare, ejusque vicibus fungi, & potiri, non tamen in iis, quæ supremam respiciunt authoritatem Pontificiæ Sedi essentialitèr affixa, & ab ea sunt prorsùs inseparabilia; inter quæ præcipuum est *Infallibilitatis* in definitionibus fidei, & morum privilegium, ut hùcusque est demonstratum.

ARTICULUS XVI.

An Propositio opposita communi sententiæ Theologorum sit hæretica?

1. Sacræ Doctrinæ antiquitas ea est, ut ab ipsismet orbis incunabulis agnoscat originem Magno Gregorio *homil.* 19. *in Evang.* docente: *Patrem familias, qui exiit primo mane, & circa horam tertiam, sextam, nonam, undecimam Operarios in vineam suam conducere* (Matth. 20. 6.) *esse Deum Conditorem nostrum, qui in universalem Ecclesiam, à mundi hujus initio usque in finem ad erudiendam plebem fidelium prædicatores congregare, ac mittere non destitit, quia & priùs per Patres, & postmodùm per legis Doctores, & Prophetas, ad extremum verò per Apostolos, dum plebis suæ mores excoluit, quasi per Operarios in Vinea cultum laboravit.*

vivit. Multiplicem divisionem patitur, multiplicem proindè denominationem desumens. Denominatur namque *Argumentativa*, seu *Dialectica* non quidem *substantivè*, sed *adjectivè*, quatenùs per eam illationes promuntur argumentandi, differendique arte, undè & *Scholastica* est dicta, ejusque Professores *Scholastici*, quorum scopus est ex Scriptura, Conciliorum, Summorumque Pontificum decretis, Patrum authoritatibus conclusiones deducere, & comprobare, quod fieri cultiori methodo cœpit sæculo duodecimo, quo floruit Petrus Lombardus, qui antonomasticè *Magister Sententiarum*, est appellatus.

2. *Positiva*, non quòd agat de jure positivo libero, sed quòd ordinativa sit, & explicativa suorum locorum, qui *loci Theologici* dicuntur, utpotè continentes veluti promptuaria quædam, media, quibus utuntur Theologi ad theologicas argumentationes conficiendas, solentque in quatuor dividi classes, seu species, juxta varios modos, quibus illationes deducuntur, vel nempè ab authoritate divina media revelatione facta Prophetis, & Apostolis, seu Ecclesiæ Principibus; ex ratione humana; ab authoritate Doctorum Ecclesiæ; ab authoritate Philosophorum. Et si enim primus modus sit maximè hujus doctrinæ proprius, ut habet Angelicus 1. *p.* q. 1. *art.* 8. *ad* 2., & efficacissimus, ex quo fundetur super revelatione divina: *Utitur tamèn sacra doctrina, etiam ratione humana: non quidem ad probandum fidem*, (*quia per hoc tolleretur meritum fidei*) *sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina: Cum igitur gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet, quòd naturalis ratio subserviat fidei, sicut, & naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati. Undè & Apostolus dicit* (2. *ad Corinth.* 10.) in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. *Et indè est, quod etiam auctoritatibus Philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt, sicut Paulus* (*Actuum decimo septimo*) *inducit verbum Arati, dicens*: sicut, & quidam poëtarum vestrorum dixerunt: genus Dei sumus. *Sed tamen sacra doctrina hujusmodi auctoritatibus utitur, quasi extraneis argumentis, & probabilibus. Auctoritatibus autem canonicæ Scripturæ utitur propriè ex necessitate argumentando. Auctoritatibus autèm aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi arguendo ex propriis, sed probabilitèr. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt. Non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta. Undè dicit Augustinus* (*in epistola ad Hieronymum* (solis enim Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo errasse aliquid firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem, quod ipsi ita senserunt, vel scripserunt.

3. *Polemica*, vel ut aliis placet *Reflexiva*, eò quia se habeat ad modum sapientiæ, seu superioris scientiæ, in reflectendo supra sua principia, quæ sunt articuli fidei, non ad ea probanda, sed ex eis ad aliquid ostendendum procedens, *sicut Apostolus* (1. *ad Cor.* 15.) *ex resurrectione Christi argumentatur ad resurrectionem communem probandam* ex eodem Angelico (*ibidem in corp.*) *Methodica* ob debitam, ac ordinatam dispositionem materierum theologicarum; si namque omnem scientiam, omnem artem, omnem disciplinam methodo aliqua tradi, & absque methodo clarum est non posse consistere, hoc præcipuè militat in sacra Doctrina cunctis scientiis nobiliori, & excellentiori. *Symbolica* ob Metaphorarum usum, quibus quandoque divina, & spiritualia exprimit, ac designat. Cum enim naturale sit homini, *ut per sensibilia ad intelligibilia veniat, quia omnis nostra cognitio à sensu initium habet. Undè convenientèr in sacra Scriptura traduntur nobis spiritualia sub methaphoris corporalium, & hoc est, quod dicit Dionysius* (*primo capite cælest: Hierarch.*) Impossibile est nobis alitèr lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum. *Convenit etiam Sacræ Scripturæ, quæ communitèr omnibus proponitur, secundùm illud* (*ad Romanos primo*) sapientibus, & insipientibus debitor sum, *spiritualia sub similitudinibus corporalium proponuntur, ut saltem vel sic rudes eam capiant, qui ad intelligibilia secundùm se capienda non sunt idonei*, ut itidem loquitur Aquinas *ibidem art.* 9. *in corp.*

4. In sacram hanc doctrinam, calamo exprimi nequit, quanta animi pervicacia, odioque implacabili Heterodoxi insaniàt, ac debacchentur, quatenùs præsertim argumentandi munus involuit, ob quod *scholasticæ* fortita est nomen, ejusque Professores denominantur *Scholastici*. Hinc Augustino Donatistæ pro crimine Dialecticæ usum objiciebant, ac si veritati nequaquam congrueret, ut ipsemet Augustinus testatur (*lib.* 1. *contra Cresconium Grammaticum cap.* 13.) *Nosti enim quàm maximè apud Stoicos viguisse dialecticam, quamvis & ipsi Epicurei,*

quos

quos imperitia liberalium disciplinarum, non solùm non pudebat, verùm etiam delectabat, quasdam disputandi regulas, quibus quisque usus minimè falleretur, se potiùs & tenere, & docere jactabant. Quid est enim aliud Dialectica, quàm peritia disputandi? quod ideò aperiendum putavi, quia etiam ipsam mihi objicere voluisti, quasi Christianæ non congruat veritati, & ideò me doctores vestri velut hominem Dialecticum, meritò fugiendum potius, & cavendum, quàm refellendum, revincendumque censuerunt. Quod cum tibi non persuaserint, nam te adversùs nos etiam scribendo disputare non piguit, tu tamen in me dialecticam criminatus es, quo falleres imperitos, illosque laudares, qui disputando mecum congredi noluerant. Sed tu videlicet non Dialectica uteris, cum contra nos scribis, ut quid te ergo in tantum disputandi periculum projecisti, cum disputare non noveris; aut si nosti, cur Dialecticus Dialecticam criminaris, ita vel temerarius, vel ingratus, ut aut imperitiam, qua vinceris, non refrænes, aut doctrinam, qua juvaris, accuses? Inspicio sermonem tuum, istum ipsum, quem ad me scripsisti, video te quædam copiosè, ornatèque explicare, hoc est eloquenter, quædam verò subtilitèr, argutèque disserere, hoc est dialecticè, & tamen eloquentiam, dialecticamque reprehendere. Si noxia sunt, quare hoc facis? Si non sunt, cur arguis? Sed ne etiam nos verbi controversia torqueat, cum res ipsa intelligatur, minus laborandum est, quid hominibus eam vocare placuerit. Proindè si eloquens ille appellandus est, qui non solùm copiosè, & ornatè, sed etiam veracitèr dicit. Itemque si Dialecticus ille appellandus est, qui non solùm subtilitèr, sed veracitèr etiam disserit, nec eloquens es, nec dialecticus, non quia jejuna, & inordinata est dictio tua, nec quia obtusa, & crassa est disputatio tua, sed quia ipsa facundia, atque solertia ad defensionem abuteris falsitatis. Si autem non in sola veritate, sed etiam cum mala causa disseritur, vel verbosè agitur rectè potest eloquentia, vel dialectica nominari, & eloquens es, & dialecticus, quia & facundè dicis vana, & acutè disputas falsa, sed de te videro.

5. Vviclephus articulum illum protulit à Constantiensi Concilio proscriptum: *Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria in eisdem esse vana Gentilium introducta, & tantùm prodesse Ecclesiæ, sicut prodest diabolus.* Calvinus *in suis institutionibus* effutiit, quòd tota Papatus Theologia im„ manė sit chaos, & horribilis labyrinthus, „ quia neglecto Christo, sibi insanis, & „ ventosis speculationibus indulgent „. Lutherus *lib. 2. de abroganda Missa* Theologorum scholas *Satanæ lupanaria* dicere non erubuit. Dolent siquidem impii, quòd videant suas fraudes, dolos, imposturas, ignorantiam per scholasticam Theologiam confutari, & in nihilum redigi machinationes illas, quibus vellent, si possent, sacra dogmata tenebris errorum involuere, totum Dominicum Gregem inficere, Ecclesiæque pacem perturbare. Hinc de Angelico dicere solitus erat Bucerus: *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam*, & de Subtilium Principe, quanti terroris fuerit fidei hostibus, satis colligitur ex Nicolao Sandero *de Schism. Anglic. lib. 2.* dum primùm invadente, & depascente Angliam hæreseos flamma voraci omnia ad suum depravatum usum convertere, & impedimenta suæ pestis diffundendæ removere, artibus quibuscumque studerent Hæretici, illam præcipuam excogitarunt, ut tollerentur è medio omnes Orthodoxi Doctores, & libri comburerentur. Ita rem narrat Author prædictus sub Edovardo VI. impii Henrici VIII. digna progenie „ Libros omnes eorum „ Magistrorum, qui vi, & ratione Theo„ logiam, cæterasque disciplinas tradide„ runt, quia istorum solida doctrina, & „ methodica institutione Hæreticorum „ populares fraudes non difficultèr cerni, „ & dispelli sciebant è studiosorum mani„ bus, & ferè è bibliothecis excutiunt; „ Lombardi, Aquinatis, Scoti, cætero„ rumque doctissimorum Scholasticorum „ nomina, de barbarie, Scripturarumque „ ignoratione, & varia deceptione tradu„ cunt, memoriamque, quantùm possunt, „ damnant. Denique, ne quidquam ad „ summam, & impietatem, & stultitiam „ in hoc genere deesset effecerunt, ut pe„ tulantes juvenes horum Scriptorum „ tamquàm jam recentèr mortuorum, „ ingentem conquisitam struem in ludicro „ spectaculo per orbem in feretro circum„ ferrent, & demùm in foro cum Canti„ bus lugubribus concremarent. Hoc ap„ pellabant funus, seu exequias Scoti, ac „ Scotistarum „ Ita in omnes Scholasticos, (subdit hoc referens P. Lucas Vvaddingus *in suis Annalibus tom. 3. ad an.* 1304., *& ad ann.* 1308. *in vita Scoti*, quæ etiam extat *tom. 1. fol. 28. Operum Doctoris Subtilis collectorum, recognitorum, notis, scholiis, & commentariis illustratorum, & in duodecim tomos in folio distributorum*) quasi in unum Scotum, & ita in unum Scotum, quasi in omnes debaccharentur, insaniunt. Plùs omnibus Scotus invisus, quem præ omnibus volunt sepultum.

Quid

6. Quidquid autem hæretici garriant, *per hanc scientiam*, inquit de Sacra Theologia *lib.14. de Trin. cap.1.* Augustinus, *Fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*, quin ad hujusmodi intentum officiat, quòd inferioribus facultatibus persæpè utatur, ut enim elegantèr *cap.1. Dialog.*, discurrit Damascenus; *Omnis Artifex aliquibus instrumentis opus habet ad operum suorum effectionem. Porrò decet Reginas Ancillarum quarumdam uti ministerio. Accipiamus igitur doctrinas istas, tamquàm veritatis famulas, & impietatem, quæ tyrannico dominatu sibi eas usurpaverat, procul amandemus; neque bono malè utamur, nec ad circumveniendos simpliciores convertamus artem illam disputandi. Ac tametsi neutiquàm variis istis sophisticis inventis veritas opus habeat; nihilominùs ad evertendos malos illos propugnatores, & ad falso nomine appellatam istam refellendam scientiam illis utimur.* Abusus itaque naturalium scientiarum extirpandus, quo fides ab illis dependens efficiatur, contra quem *lib. de Symb. cap.10.* Ambrosius: *Fides non sit in hominum sapientia, & hæresis non erit*, non rectus earumdem usus, quo illæ pedissequæ habentur, & famulæ veritatis indagandæ, Augustino *lib.4. de doctr. Christ. cap.11.* docente: *Bonorum ingeniorum insignem esse indolem in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi patere, quod clausum est?*

7. Hinc autem oritur proposita quæstio super authoritate Theologorum in aliquo asserto convenientium tamquàm fide divina tenendo, an videlicet talis ea sit firmitèr habenda, ut opposita ei propositio *hæretica* debeat reputari? Quam affirmativè resolvit Dominicus à SS. Trinitate *lib.3. bibl. theol. sect.6. cap.9.* Apostoli authoritate *ad Ephes. 4. 11.* præcipuè fretus: *Et ipse dedit quosdam quidèm Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consumationem Sanctorum in opus ministerii in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, in virum perfectum, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Videtur namque, ex his verbis sequi quòd quamdiù perduraverit Christi Ecclesia, ad divinam Providentiam pertineat non permittere, ut sacræ doctrinæ Doctores, quales ad præsens sunt Theologi Scholastici, à vera fidei semita aberrent, sicque populus per eos instruendus parvulorum fluctuet more; cum præsertim *Math.5. & 13.*, ac *Lucæ* 10. Fideles obligentur sequi doctrinam suorum Doctorum, & Pastorum, qui catenùs dicuntur *Sal terræ*, ac *Lux Mundi*, „ quia nimirùm per „ eos condiendi sunt, & illuminandi popu„ li, non modò ad primos Theologos, hoc „ est, Apostolos, verba illa referebantur, „ sed ad Doctores etiam in Ecclesia futu„ ros, quamdiù pascendæ essent oves in „ scientia, & doctrina. Quemadmodùm „ igitur primis in Ecclesia Theologis ob „ hanc rationem concessum fuit à Deo „ privilegium infallibilitatis in docendo; „ idem affirmare debemus de præsentibus „ Theologis collectivè, atque simul con„ sideratis, ubi aliquam rem tamquam „ de fide tradunt. Et quemadmodùm, qui „ Theologos Christo succedentes contem„ nebat, Christum is etiam Dominum „ contemnebat: ita qui Theologos junio„ res antiquis succedentes despicit, hic „ Christum quoque ipsum, qui illos in „ Ecclesia posuit, despiciat, necesse est, „ nec non & ipsos antiquos Patres. Unde „ Chrysostomus, sive quis alius Author „ (*operis imperfecti super Math. homil. 42.*) „ *Cum audieris*, inquit, *aliquem beatificantem* „ *antiquos Doctores, proba qualis est circa suos* „ *Doctores. Si enim illos, cum quibus vivit,* „ *sustinet, & honorat, sine dubio illos, si cum* „ *illis vixisset, honorasset. Si autem suos con*„ *temnit, si cum illis vixisset, illos contempsisset.*

8. Augetur rationis vis, argumento à posteriori ex eo deducto, quòd ab eo tempore, quo Theologi Scholastici florere cœperunt, nullum fuerit dogma ab iis certitudinalitèr assertum, quod Ecclesia universalis, eorum auctoritate permota, non acceptaverit, quoties illud definire judicavit expediens. „ Sic, quòd Pater, & Filius sint „ unum principium Spiritus Sancti, defini„ tum est ex communi Theologorum „ Scholasticorum doctrina in Concilio „ Florentino, ut omittam alia plura, quæ „ tàm in illo, quàm in Tridentino, ex „ Scholæ etiam authoritate determinata „ fuere. Non quasi dependeat Ecclesiæ „ definitio ab illa tamquàm à determinan„ te, & ultimam formam in decisione tri„ buente, hoc enim competit soli Ecclesiæ, „ sed veluti à dirigente, manuducente, & „ disponente, ut nullum sit erroris pericu„ lum, si consulta authoritate Scholasti„ corum, qui præsentes sunt Ecclesiæ Do„ ctores, ipsa definiat, maximum verò „ esset, si iis per impossibile non auditis, „ & consultis, aliquid statuendum suscipe-

„ ret; quod ne contingat, ad suavem Dei „ providentiam spectat, secundùm quam „ Ecclesia in suis definitionibus non potest „ non præviè adhibere omnes diligentias „ ad hoc requisitas, inter quas proculdubio una est, consulere concordem, & „ unanimem tàm veterum, quàm modernorum Doctorum consensum circa ali„ quod fidei dogma definiendùm,

9. Iisdem ferè argumentis ante præfatum Authorem innixus Melchior Canus *de loc. Theol. lib.8. cap.4. conclus.3.* cum disjunctione locutus est, videlicet; „ concor„ dem omnium Theologorum scholæ de „ fide aut moribus sententiam contradice„ re, si hæresis non est, at hæresi proximum „ est, „ Suarez *disput.5. de Regul. fid. sect. 2. num.5.* obiter indicat inter fidei regulas non numerandum, neque *consensum Sanctorum Patrum*, neque *Scholasticorum omnium*, ex quo „ Si conveniunt rem esse de fide, semper „ applicabunt aliquam regulam fidei, cu„ jus ipsi sunt quasi testes, & ratione illius „ faciunt certam fidem „ & quoad Patres *sect.3. nu.13.* clariùs id repetit; „ Dico, quòd „ si tradant illum, ut certum, vel ut tradi„ tum ab Apostolis, ut sufficientem ad „ confirmandum dogma fidei, tunc facere „ certam fidem, quia tunc Patres solùm „ sunt sufficientes testes de communi con„ sensu, & traditione Ecclesiæ „ loquens verò de Episcopis totius orbis Ecclesias moderantibus *sect.6. num.10.* non esse, ait, satis exploratum, an omnes Episcopi Ecclesiæ possint convenire in aliquo errore? cum ex Catholicis sint pro utraque parte Doctores; licèt probabile judicet ad Providentiam Christi spectare, ut id non permittat. Cum tamen rationes, quæ pro consensu unanimi Patrum, & Scholasticorū probant, concludentes esse videantur, & de Episcopis omnibus, etiam extra Pontificem *ex Cathedra* loquentem, cohærentius fortè esset eodē tenore de illis, ac de istis loqui, attenta præsertim ratione innuenda *art. seq. n.12.* Deniq; Thomas del Bene *de loc. theol. dub.258.* apertè firmat quòd „ Si consensus Patrum, & DD. „ sumatur ante approbationem Pontificis, „ etsi de facto forsan nunquàm erret, po„ test tamen errare, & à Pontifice emen„ dari, quia omnes Patres, & Doctores „ secluso Pontifice, non sunt regula infal„ libilis veritatis „ & ad instantiam: de Ecclesia universali, quæ etiam, ut distincta à Pontifice, non potest errare, ut eveniret, si omnes Patres, & Doctores errarent; respondet, id esse verum de impotentia morali, non verò de impotentia infallibilitatis, „ includens, quòd „ universali Ecclesiæ cum „ Capite competat infallibilitas physica, „ universali verò Ecclesiæ, ut distinctæ à „ Capite, competat infallibilitas solùm „ moralis, ita ut qui dissentit illi, sit hære„ ticus formaliter, qui verò dissentit huic „ absque scilicet sufficienti fundamento, „ sit solùm temerarius, non autem hæreti„ cus formaliter „ Hæ videntur esse in hac materia præcipuæ opiniones, quarum quælibet alios habet Patronos, quos hic recensere minimè est necessarium,

10. Ad nostram idcircò aperiendam sententiam devenientes, approbare in primis nos non posse, quod in postrema ex relatis assertionibus dicitur, Ecclesiam videlicèt universalem non gaudere infallibilitatis privilegio in *credendo*, ac si soli Romano Pontifici sit concessum; deduci valet ex traditis *cap.2. art.12. num.53. & seqq.* & *cap.3. art.11. num.10.* circa distinctionem duplicis infallibilitatis *activæ*, & *passivæ*, *judicialis*, & *personalis*, in *judicando*, ac *credendo*, quarum priorem characteristicam esse Romani Pontificis ultrò admittimus, posteriorem verò & ipsi Ecclesiæ competere asseveramus. Quin & quoad Romani ipsius Pontificis spectat electionem, si perpendantur, quæ indicavimus *dicto cap.3. art.5. nu.15. & seqq. & art.11. num.26.* videtur quoque infallibilitas Ecclesiæ aliquid de judiciali quadantenùs per quandam proportionem involvere, dum ex ipsius acceptatione, & consensu pendet unicè, ut hic numero Romanus Pontifex sit fide divina tenendus, tamquàm verus Christi Vicarius, Divique Petri legitimus Successor, uti cum Suarez notavimus *art.5. num.15. hujus cap.* Quamvis verò *locis citatis* simus locuti de *passiva* Ecclesiæ infallibilitate in sensu veluti generico, eam tamen verificari firmitèr dicimus pro singulis casibus particularibus, adeout nullum dari valeat dogma, aut mysterium, quod ab Ecclesia unanimi omnium fidelium consensu creditum sit, tamquàm divinæ fidei objectum, quod tale revera non fuerit, aut potuerit tale non esse. Ad hujusmodi quidem consensum, & acceptationem necessariò confugere nos debere pro fidei dogmatibus, falsum vidimus esse, arduum, & periculorum vorticibus expositum *cap. 2. art.12. à num.33.* quòd impossibile sit illum in singulis casibus exquirere, & invenire, cum præsertim de dogmatibus sermo habeatur obscuris, circa quæ proindè facilis esse potest Ecclesiarum dissensio, opinio-

num-

numque inter Doctores varietas, ac idcircò Judex supremus esse debeat, qui finalem, & ultimatam resolutionem pronunciet, cui omnes fideles obstricti sint obtemperare, seseque submittere. Sed si semel constet totam Ecclesiam convenire in aliquo dogmate, aut mysterio de fide tenendo, illud, fidei objectum esse indubitantèr affirmandum putamus: *Non deserit*, ait *ep.* 31. Magnus Leo *Ecclesiam suam Divina protectio, dicente Domino: Ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem sæculi* ideòque *Ep.* 118. *ad Januarium* Augustinus: *Insolentissimæ* dixit *esse insaniæ contra illud disputare, quod universa sentit Ecclesia*.

11. Ex quo sequitur non sine fundamento esse ratiocinationem Dominici à SS. Trinitate inferentis non posse Doctores omnes Scholasticos in aliquo dogmate convenientes, & concordes errori fieri obnoxios, ex quo si hi quantumvis unanimes errarent, error ex natura rei in totam refundi deberet Ecclesiam,, si qua enim in quæstione (Canus loquitur) universi Theologi eadem inter se concinunt, profectò si in eo errant, Ecclesiam item errandi periculo exponunt. Sive enim qui confessiones audiunt, sivè qui ad populum habent conciones, utrique plebem instituunt, ut à Theologis acceperunt. Ita fit ut Ecclesia eorum in fide communem errorem dissimulando Christifideles suo silentio deciperet. Error enim, cui non resistitur, approbatur, & veritas cum non defenditur, opprimitur, ut Innocentius ait (83. *dist. c.* Error). Atque Deus ipse, si Theologorum omnium errorem non aperiret, in necessariis Christiano populo deesset. Quid enim facturus est populus imperitus, nisi eos sequi, quos pro eo tempore ecclesiasticæ doctrinæ Magistros accepit?,, Sicque etiam discurrit percelebris Scotista Franciscus de Pitiglianis *in sua Sum. Theol. Specul. & moral.* & *comm.* 3. *Sent. dist.* 25. *qu.* 1. *art.* 9. *concl.* 6. Quin responderi valeat, eveniente hujusmodi casu, adesse Romanum Pontificem, qui errorem illum possit emendare, & corrigere. Nam ultra quòd correctio hęc non semper ita in promptu adesset, ut pro aliquo saltem tempore Ecclesia tota ex natura rei admitti deberet deceptionis discrimini exposita, (nisi ad aliquod extraordinarium, & miraculosum recurrere velimus medium, quod, esto divinæ potentiæ minimè sit difficile, non tamen à nobis arbitrariè admittendum, quoties obvia alia sint, ex quibus intenta veritas eruatur, nisi ex hypothesi impossibili sermo haberetur, de quo *art. seqq. num.* 8. Romano ipsi Pontifici deficeret præcipuum motivum, ex quo divinam revelationem, regularitèr ad minus, deberet deducere. Neque enim ei infallibilitatis privilegium ita est concessum, ut arbitrariè, & nullo præhabito maturo consilio ad dogmatum definitionem deveniat, ut satis notatum est *hoc cap. art.* 14. *à num.* 18. & consequenter ad ibi dicta prosequitur Canus,, An post hæc omnis Scholæ Theologia contemnenda est? Crederem, nisi ejus authoritate Ecclesia res plurimas definiisset. Quippè tercentos ab hinc annos, si quas Ecclesia hæreses condemnavit, si quæ de fide, & moribus decreta tulit, in utrisque Scholasticorum subsidio, & diligentia vehementèr adjuta est. Id quoniam constat inter omnes, quibus, vel Conciliorum gesta, vel negotia cognitionis fidei sunt cognita, fateamur, necesse est, Doctores scholasticos simul omnes in fide, & moribus errare non posse,, Et propterea aptè *lib.* 1. *de Serm. Domini in monte cap.* 6. Augustinus: *Qui erunt homines, per quos à vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum*? & ante Augustinum D. Dionysius (*cap.* 14. *de divin. nominibus*) *Una sapientia est à multis opinionibus convertens, & ad unam, veram, & uniformem congregans cognitionem, & uno unitivo lumine complens*; idest juxta Angelici explicationem: *Illi, qui cognoscunt veritatem, conveniunt in una sententia, sed illi, qui ignorant, dividuntur per varios errores*.

12. Non ideò tamen admittere in Scholasticis constringimur *privilegium infallibilitatis in docendo, quod primis Theologis*, hoc est, *Apostolis* indubitantèr concedimus. Sicuti namque discurrere solent Doctores illi, qui probabilius autumant Apostolos omnes à Christo Domino jurisdictionem immediatè accepisse, non verò illam immediatè soli Petro, & per Petrum ipsis communicatam, id colligentes ex Christi verbis. (*Joan.* 20. 21.) *sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos*, & ex promissione illa (*Matth.* 18. 18.) *quæcumque alligaveritis &c.* absque eo quòd id ipsum concedant de Episcopis Apostolorum Successoribus, quos in comperto est jurisdictionem non immediatè à Christo, sed per Romanum Pontificem recipere, latum adnotantes discrimen inter Romanos Pontifices Divo Petro succedentes, & Episcopos Apostolis, quòd illi eâdem in omnibus potestate, jurisdictione, cæterisque prærogativis potiantur, quibus Petrus, cu-

jus vices plenè, & absque restrictione supplent; hi autem, etsi Apostolorum vices gerant in iis, quæ ad Episcopale munus, & exercitium spectant, non tamen in potestatis, ac jurisdictionis amplitudine, quæ in Apostolis fuit generalis, quamvis cum debita subordinatione ad Petrum ipsum. In Successoribus verò Apostolorum ad hos, vel illos est limites restricta. „ Privilegia (inquit aptè Canus *li.6. de Eccl.Rom.auth. cap.8. propè fin.*) „ Apostolis à Christo concessa, aliter „ ad ipsos, aliter ad successores referuntur; Quippè in Apostolis fuerunt etiam „ privilegia personalia amplioris gratiæ, „ quàm in posteris, ut verbi causa per illa „ verba: *Quæcumque ligaveritis super terram*, &c., & per illa: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, &c. intelligimus potestatem „ generalem in universum Orbem Apo„stolos suscepisse. Ita pares Petro dicuntur „ *21. dist. cap.* In novo, & *24. quæst.1. cap.* „ Loquitur. Sed Episcopi posteriores, non „ succeslere Apostolis in potestate genera„li extraordinaria, sed in ordinaria, quam „ singuli in suis Ecclesiis Apostoli habuerunt, ut Simeon Jacobo in Ecclesia Hierosolymitana &c.„

13. Neque quoad modum illam habendi, qui in Apostolis ex peculiari privilegio fuit immediatè ab Unigenito Patris communicata, utpotè quæ ad totū orbem extendebatur ob necessitatem, quæ tunc dabatur, propagandi fidem, & fundandi Ecclesiam. Unde concludunt, quòd „ Episcopi succedere „ dicuntur Apostolis secundùm quamdam „ accommodationem, & repræsentatio„nem, ad eum modum, quo Presbyteri „ succedere perhibentur septuaginta duo„bus Discipulis, quia nimirùm eorum „ subeunt vices, officioque funguntur, sic „ enim in Episcopis residet Pontificia, & „ Episcopalis dignitas, quæ fuit in Apostolis: sunt etiam præcipuæ Columnæ, & „ Pastores Ecclesiæ, quibus commissum „ est illius regimen, quibus in muneribus, „ Apostolis assimilantur, succedereque di„cuntur„ ut loquitur Suarez *disput.10. de Sum.Pont. sect.1. nu.4.* citans Alensem *part.4. quæst.49. memb.6. art.3. §.2.* D. Thomam *in 4. dist.19.q.1. art.3. ad 1.* Richardum *d.24. art.5. q.3.* Paludanum *de potest. papali art.2. c.7.* & 8.

14. Ita & dicimus de infallibilitatis privilegio fide divina tenendo, quod Apostolis ex peculiari Christi ordinatione concessum in Successores nequaquàm transfunditur, aliàs nedum Episcopis collectivè acceptis, Doctoribusque in unam, eamdemque sententiam de fide, & moribus convenientibus, sed singulis ipsorum communicatum censeri deberet, eo planè modo, quo ex Evangelicis ipsis authoritatibus *num. 7.* indicatis infertur communitèr, nedum Episcopis collectivè obtemperandum, sed & distributivè cuilibet ipsorum, sicuti etiam cuilibet respectivè Doctori, qui datus fidelibus sit, ut eos in fide doceat juxta indicata *art. præc. num. 12.* Quibus inhærendo ea est disparitas inter eum, qui aliquod objectum de fide credit, motus prævia instructione Parochi, ut Doctoris ex officio ipsum instruentis, & alium, qui movetur ex nota sibi Doctorum omnium concordia asserentium esse objectum illud divina fide credendum, quòd ille quandoque potest decipi à Parocho, vel Doctore instruente, & consequentèr non elicere actum fidei supernaturalem, esto elicere valeat actum fidei divinæ ad tradita *cap.2. art.7. nu.5.6.* hic verò semper eliciturus sit fidei supernaturalis actum, ex quo Doctores unanimitèr convenientes in materia fidei, & morum, certum sit non posse ipsum decipere, nec decipi.

15. Non quidèm certitudine fidei, sed certitudine ad fidem prævia, & dispositiva ad ipsam, suavitati quidem divinæ Providentiæ innixa, ad quam pertinet in adimplementum promissionis Christi, quòd Ecclesia nusquàm à vera fide aberrabit, non permittere, ut media ad fidem eliciendam conducentia, & cum fide connexa, fallibilia sint, eo modo, quo diximus de Concilio, Romani Pontificis approbatione præcisa *cap.3. art.11.* hoc tamen discrimine, quòd ibi agentes de infallibilitate *judiciali*, possibilem *fortassis* casum admisimus, seu veriùs transmisimus (esset enim casus indicandus *art. seq. num.5.* & 6.) quo Concilium erret, attento præsertim quòd de ratione Concilii non sit, quòd omnes omninò conveniant, sed satis est, quod major, saniorque pars in aliqua definitione consentiat, ut ea dicatur definitio Concilii; hic verò, cum sermo sit in ordine ad infallibilitatem *personalem*, & *passivam*, hypothesim illam omninò negamus, ne ob insinuata *num.11.* ex ea oriatur, quòd tota Ecclesia à vera fide in aliquo dogmate ulli regularitèr fiat periculo obnoxia, credendi de fide, quod fidei non est objectum. Undè quoad hoc validior est comparatio inter omnium Doctorum consensum asserentium aliquod mysterium esse à Deo revelatum, & motiva, quæ Religionem nostram reddunt evidentèr credibilem præ aliis omnibus sectis, juxta illud (*Ps.92. 5.*)

5.) *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, idest, ut exponit Lyranus, *magis, quàm prima principia scientiarum*, ea videlicet, ob quæ Apostolorum Princeps: (*Epist.1.cap.3. 15.*) *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe*.

16. Eo namque modo, quo credibilitatis motiva non sunt immediatè objecta fidei, sed meræ dispositiones ad fidem, quæ objecta ipsa fidei evidentèr credibilia reddant, adeout ipsis non habitis fides non præberetur mysteriis revelatis *ab eo qui credit*. *Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquod hujusmodi*, ut habet Angelicus *2.2. q.1. art.4. ad 2.* ita dicimus Doctorum consensum unanimem in aliquo dogmate non esse fidei regulam, nec certum in se ipso certitudine fidei, sed esse dispositionem tanti ponderis, ut sine ea fortè non haberetur fidelium adhæsio in eo recipiendo tamquàm à Deo revelato. Testes idcircò Regularum fidei, Doctores unanimes in dogmate hujusmodi rectè vocavit Suarez, Regulam fidei minimè constituentes, sed Regulam fidei infallibilitèr proponentes, ad distinctionem Romani Pontificis, qui cum sit pariter testis Regulæ fidei, puta Traditionis divinæ, vel Sacræ Scripturæ, est tamen simul Regula fidei animata, & viva, utpotè qui non merè procedit proponendo, sed definiendo, & finalitèr, ac ultimatè judicando. Ex quo aliam differentiam colligere obitèr liceat inter definitionem fidei, & propositionem fidei, quòd illa necessariò debeat esse fidei objectum, æquè ac objectum definitum, immò magis quodammodò, cum dari queat casus, quo res definita non sit fidei objectum, benè autem ipsius definitio, ut probavimus *art.13. hoc cap.* fidei autem propositio etiamsi ab omnibus Doctoribus concorditèr habeatur, fidei objectum non est, quamvis fidei objectum sit, quod ab eis de fide credendum absque hæsitatione proponitur.

17. Ex his verò germanam responsionem quæstioni propositæ dandam, eruas velim, propositionem videlicet oppositam propositioni tamquàm de fide habitæ à communi omnium DD. Theologorum consensu, esse hæreticam, non formalitèr ob consensum prædictum, sed ob oppositionem, quam involuit ad revelationem divinam per dictum consensum propositam. Et proindè qui contradicit consensui prædicto, non est formalitèr censendus hæreticus, licèt talis denominari valeat radicalitèr, utpotè qui culpabilitèr impedit judicium illud prævium, quo objectum reputatur fide divina credibile, indèque consequentèr dissentit objecto ipsi, quod fide divina credere obstringitur. Et in hoc sensu verum puto quod habet Canus *loc.cit.* nempè „ quòd nullum tàm proprium Scholæ „ decretum est, quod vel ex sacris literis, „ vel ex Apostolorum traditione, vel ex „ Conciliorum, aut Pontificum definitio- „ nibus non habeat certam originem. Ita, „ qui Scholæ decreta refutarunt, hi semper „ inventi sunt, & fontem, undè illa manant, „ repudiasse. Atque, ut uno verbo dicam, „ nemo qui in Catholicis habeatur, omnes „ sine discrimine Theologos explosit, „ Sicque discurrere solent passim Theologi quoad motiva credibilitatis, & præ ertim laudatus Suarez *disp.4. sect.3. num.7.* ubi ex D. Thoma, quòd infidelitas positiva licèt proximè, & immediatè sit contra præceptum divinum supernaturale, remotè, & radicalitèr est etiam contra rationem naturalem dictantem credendum esse, quod Deus dicit, & credendum dici à Deo, quod ut tale sufficientèr proponitur, & *sect. 6. num.2. 3.* ubi quòd judicium credibilitatis non sit actus credendi, non elicitus lumine fidei, nec tàm certus, sicut assensus fidei, adeout qui dubitat de evidentia, & certitudine illius judicii credibilitatis, non esset hæreticus persistendo in certitudine illa, quatenùs ex evidentia causatur, sicut esset, qui dubitaret de certitudine fidei, quicquid sit, an hæc doctrina cohæreat cum altera ejusdem Authoris, quam rejecimus *cap.2. art.7. num.17.*

18. Hinc autèm deduci paritèr potest, quid sentiendum sit de concordi Scholasticorum omnium authoritate circa alias res, quas non asserunt esse de fide, sed fidei proximas, adeout contrarias habeant censura inurendas, vel sapientis hæresim, vel periculosæ in fide, aut aliqua alia simili. Ea namque in summo habenda est pretio, & non nisi cum maxima temeritate posset quis contradicere, nec absque eo quòd dignus radicalitèr efficiatur eadem nota, sub qua doctrinam aliquam illi unanimitèr respuunt. Et propterea Romani Pontifices ex notatis *num.8. & 11.*, & fusiùs *cap.3. art.14: à num.17.* in suis definitionibus fidei, propositionumque etiam infra fidem resolutione, aut proscriptione, prævia consultatione Theologorum, ipsisque veluti manuducentibus semper procedunt. Non quòd ad hujusmodi definitiones sit prærequirenda con-

concors omnium mens, unanimisque consensus, qui si clarus adesset, omnibusque constaret, non esset necessaria Pontificia resolutio, nisi ad majorem solemnitatem, authenticamque declarationem per modum Regulæ fidei; sed quòd communior, & sanior eorumdem sententia aptius, securiusque sit Christi Vicariis medium se disponendi ad definitiones promendas, & ad Spiritus Sancti promerendum instinctum, & afflatum eis infallibilitèr promissum. Quòd si Theologi probabilitèr dumtaxàt discurrant, tunc eorum authoritas probabilitatis limites non excedit, licèt sic quoque sit magnificanda, quotiès plurium, doctiorumque concurrit in aliqua opinione consensio, si præsertim videatur magis Sacris Literis, Patrumque authoritatibus innixa, ita nos perspicuè suadente in Viennensi generali Concilio Clemente V., qui sacro illo Patrum consessu approbante eligendam duxit opinionem, quæ dicit, *tàm parvulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tamquàm probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem*.

ARTICULUS XVII.

An propositio opposita alteri à SS. Patribus unanimitèr propugnatæ, ut fide divina tenendæ, sit hæretica?

1. PRæcedenti affinis est quæstio præsens, quam prævié ad illam agitatam majori cum limitatione resolvisse videtur Dominicus à SS. Trinitate *cit. lib. 3. bibl. theol. sect. 6. cap. 3. concl. 4.* dum asserens communem Patrum sententiam in rebus fidei facere argumentum de fide, dummodo omnes unanimitèr consentiant, id subdit non esse intelligendum, quasi sola PP. authoritas possit ex se facere aliquam rem esse de fide, quæ de se non sit talis, sivè à Deo revelata, sed quatenùs ex ordinatione Dei, & Ecclesiæ declaratione, constans, & unanimis illorum consensus in aliquo, tamquàm in dogmate fidei asserendo, est signum à posteriori Traditionis Christi, seu irrefragabile testimonium revelationis divinæ, licèt paulò post in secunda conclusionis probatione parumpèr à limitatione se elonget, dum Patrum consensum eumdem esse dicit, ac Ecclesiæ sensum in rebus fidei, ex infallibilitate Ecclesiæ tàm in docendo, quàm in credendo, Patrum quoad utrumque inferens infallibilitatem; undè est, quòd si quæ fidei quæstio occurrat, Ecclesiæ judicium nihil novi auribus christianæ plebis infert, sed Majorum antiquam in ea rem fidem & inquirit, & sequitur, quæ aliundè erui nequit, quàm ex Patrum authoritatibus; *Antiquitatem scilicet sequimur, si ab his nullatenùs sensibus recedamus, quos Sanctos, Majores, & Patres nostros celebrasse manifestum est*, ut loquitur Lyrinensis *cap. 3.* Attento etiam, quòd ad quæstionis calcem distinguens Author infallibilitatem *passivam* in sentiendo, & credendo, ab *activa* in definiendo, se locutum asserit de infallibilitate *activa*, quæ à nemine *citrà hæresim* negari potest „ Utrùm „ verò personalitèr etiam errare non possint sentiendo aliquid esse de fide, quod „ non est, vel non esse quod est, probabilitèr solùm inter Doctores disputatur; licèt probabilior sit eorum sententia, qui „ ab eis non solùm doctrinalem, sed etiam „ personalem errorem tamquàm quid divinæ Providentiæ magis consentaneum „ removent.

2. Hoc autem firmatum supponit *sect. 3. cap. 10.* ubi *concl. 4.* id non excedere probabilitatis limites deducit, ex quo non reperiatur in Scripturis expressa facta promissio de *personali*, ac *passiva* infallibilitate; in illis enim solùm jubemur facere, & servare, quæ dicunt, & docent, non autem quæ faciunt, ac sentiunt. Quod paritèr *concl. 5.* docet de Laicis toto orbe diffusis, quos simul sumptos sustinet errare nec posse in credendo, quamvis minùs certam assertionem hanc addat esse, quàm alteram.

3. Nobis verò eodem prorsus modo procedendum in hujus quæstionis resolutione, quo usi fumus in *præcedenti*, huic proportione servata, quæ *ibi* tradidimus applicando. Quibusque innixi infallibilitatem *passivam* Ecclesię membris collectivè acceptis communicatam fide divina, ac supernaturali tenendam iterum asserentes, non verò *activam*, quæ solius est Capitis, ipsi in Petro promissam; ad eam sartam tectam habendam satis *cap. 2. art. 12. num. 53. & 54. cap. 3. art. 1. num. 10. & 11. & art. 16. num. 10.* innuimus esse, quòd nulla sit dabilis hypothesis, aut casus, quo per orbem terrarum non adsint fideles, qui veram fidem habeant in omnibus, & singulis à Prima Veritate manifestatis, & ad quæ credenda obligantur; & econtra impossibile sit, quòd universalitèr credatur revelatum aliquod dogma, quod in se verè revelatum non extet, idque loquendo ne dùm ex errore culpabili,

li, sed & de inculpabili, à fidelium collectio-
ne illum etiam excludendo, ut rectè advertit idem Dominicus à SS. Trinitate *lib. 3. bibl. theol. sect. 3. cap. 10. concl. 1. & 2.* asserens, in hoc *tamquàm de fide* convenire *omnes Catholicos*. Quamvis enim error invincibilis, seu inculpabilis supernaturalem, infusamque fidem non destruat, utpotè qui dicitur error negativus potiùs, quàm positivus, & pravæ affectionis, attentis nihilominùs Christi promissionibus, quòd Ecclesiæ daturus esset *Spiritum veritatis*, qui cum ea in æternum maneret, sequitur penitùs impossibile esse, ut ea in fide, etsi inculpabiliter, deficiat, & quidem cohærentèr ad tradita *cap. 2. art. 11.*

4. Cum autem Ecclesia ex suo conceptu sit congregatio, & societas, ob quam rationem non posse subsistere in una sola Persona, communissima est Theologorum opinio, quam sequitur citatus à SS. Trinitate *lib. 3. bibl. theol. sect. 3. cap. 5. §. 7.* contra Cardinalem Turrecrematam, qui *in sum. Eccl. lib. 1. cap. 30. in responsione ad ultimum* citans Anselmum (*lib.* Cur Deus homo) Alensem *in fin. 3. in expos. Symb. Apost.* & Guillelmum Duran. *in ration. divin. off.* innuit in triduo mortis Christi fidem in sola Deipara Virgine integerrimam, & illibatam permansisse, cæteris verò tuentibus ab ea tunc temporis non defecisse, nec Apostolorum Principem, nec Joannem Evangelistam, immò probabilius nec reliquos Apostolos, ut probat Suarez *disp. 9. de Eccl. sect. 3. num. 8.* & Bellarminus *lib. 3. de Eccl. Milit. cap. 17.* quatenùs verò reduplicat perfectum statum à Christo institutum hierarchicos involvit gradus ab Apostolo relato *art. prac. num. 7.* enunciatos, rectè statuitur infallibilitatem in *credendo*, seu *passivam* potiùs competere debere Episcopis, Patribus, Doctoribus, quàm solis Laicis, quòd illi præcipuam partem componant, nec suavi Christi Providentiæ consonum videatur, ut Ecclesiam suam, quam toties regnum vocavit, civitatem, ovile, magnam domum, in solis Laicis consistentem usquàm permittat absque Pastoribus, Doctoribus &c. à quibus regi, pasci, & instrui valeant; hi verò infimam portionem, sine qua non adeò absurdum esset, saltem de potentia absoluta admittere possibilem casum, quo Ecclesia in solis Sacerdotibus, Episcopis, Doctoribus sub Romano Pontifice conservetur, ut ex Andrea Duvallio *2. 2. tract. de fide quæst. 1.* probabile autumat idem à SS. Trinitate *loc. cit.* ex quo, optimè retineretur ordo inferiorum ad Superiorem; ut proindè licèt in hypothesi futura esset Ecclesia in statu quadantenùs imperfecto, ac idcircò de potentia ordinaria repugnante, adhuc tamen status, ille esset quoad substantialia completus, prout à Christo institutus.

5. Hinc verò sicuti ad fidei certitudinem nō spectat, ne dum, quòd Laici, ut ab hierarchicis gradibus sejuncti, sed & quòd Patres, Doctores &c. convenire in aliquo errore personali non possint, sed solùm quòd Ecclesia indefectibilis habeatur in fide, adeout semper in ea adsint, qui veram fidem teneant, nullumque fide tenendum existimēt dogma, quod fidei objectum non sit, sivè Laici illi sint, sivè Pastores, Doctores &c. Romano semper Pontifici subordinati, & ab eo *ex Cathedra* docente, & definiente penitùs dependentes, juxta à SS. Trinitate *sect. 3. cap. 10.* reflexionem „ Cum Ecclesia „ universalis toto orbe diffusa partim constet ex Laicis simul sumptis, partim ex Pastoribus, ac Doctoribus simul etiam spectatis, dubium est, num una, vel altera pars simul deficere possit? circa quod divisi sunt Doctores, aliqui enim affirmativam, alii negativam sententiam tenent, & alii neutram satis exploratam habent. Nos pro illius explicatione notamus ex hoc absolutè non pendere veritatem sententiæ catholicæ de infallibilitate Ecclesiæ in *credendo*, quandoquidem si una pars tota deficeret, in altera adhùc subsisteret Ecclesia toto orbe diffusa, & sic in tali casu rigorosè adimplerentur divinæ promissiones de tali privilegio facta „ ita & fortiùs videtur fidei objectum esse non posse, quòd Patres, Episcopi, aut Doctores convenire non valeant in docendo aliquo dogmate tamquàm de fide tenendo, quod Primæ Veritati revelanti non existat innixum.

6. Quod namque *ibidem* subjungit, quòd si Pastores, Patres, Doctores &c. haberent infallibilitatem in *docendo*, & non in *credendo*, dareturque casus, quo omnes essent hæretici, deberet magnum miraculum admitti, quo nempè Deus illos manu sua teneret, ne docerent hæresim, quam intùs propugnant, ad eum planè modum, quo de Romano Pontifice dici debet, in hypothesi, quòd esset mentalitèr hæreticus saltèm materialitèr, & ad hæresim definiendam se accingeret: hoc tamen discrimine, quòd respectu Romani Pontificis miraculum dictum rarissimum esset, & insolitum „ secùs autē ubi singuli, & omnes Pastores,

&

„ & DD. essent mentalitèr hæretici, tunc „ enim illa divina manutenentia esset vul„ garis, & frequentissima, quippè quæ in „ omnibus quotquot essent Pastores „ (quod limitandum censeo, ex quo in hypothesi satis ad intentum appareat, quòd in plerisque contingeret, ut indè non omnes convenire in docendo errorem verificaretur)„ deberet reperiri, cujus tamen „ nulla fit in Scripturis divinis mentio, aut „ promissio; unde ne cogamur tale quid „ admittere, satis est asserere, omnes Pasto„ res, & Doctores simul sumptos mente „ sua nusquàm futuros hæreticos, seu, „ quod idem est, nusquàm personalitèr „ erraturos „ ne dum probat probabilio, rem esse mox indicatam illationem, sed & infallibilitatem Pastorum, & Doctorum in *docendo* esse non posse fidei objectum, nisi infallibilitas in *credendo* sit eadem fide tenenda, ut ex sequenti erui potest ratiocinio.

7. Siquidem, quia fidei objectum est Romanum Pontificem infallibilitatis privilegio gaudere in promendis definitionibus dogmatum, non tamen ipsum infallibilem esse in *credendo*, sequitur quòd in hypothesi, (quæcumque ea foret) qua mentalitèr hæreticus reperiretur, miraculosè Deus illum præservare obstringeretur, ne ad hæresim definiendam, tamquàm quid revelatum prorumperet; quantumvis ad id præstandum se accingeret. Dum itaque in Pastoribus, & Doctoribus simul sumptis, & collectivè, parilis sit infallibilitas in *docendo* supponenda, tamquàm fidei objectum, sequi inde necesse est, quòd in hypothesi erroris eorumdem personalis in *credendo*, ad simile patrandum miraculum Omnipotens obligetur. Cum autem divinæ hujusmodi manutenentiæ *nulla fit in divinis Scripturis mentio, aut promissio*, argumento à contrario sensu deducto, inferri debet, vel fidei objectum non esse Pastorum, & Doctorum collectivè etiam sumptorum infallibilitatē in *docendo*, vel quòd, si fidei objectum illa est, & adhùc ne cogamur miraculum illud necessarium admittere, neganda sit hypothesis communis omnium Pastorum, & Doctorum erroris *personalis*, & in *credendo*, eadem & nobis danda erit responsio pro tuenda infallibilitate *passiva* Ecclesiæ, ut fidei supernaturalis objecto, quin fidei objectum credamus esse infallibilitatem in *docendo* Pastorum, & Doctorum in eadem doctrina unanimitèr convenientium.

8. Non enim valet illatio, objectum fidei non est prædictorum infallibilitas in *docendo*, ergo admittenda possibilis suppositio, in qua omnes unanimitèr errorem doceant. Ut enim objectum fidei aliquod afferatur, requiritur expressa, & clara ipsius revelatio, divinaque in casu promissio divinæ assistentiæ, & manutenentiæ, ne Pastores, & Doctores quid falsum populis, velut fidei dogma tradant, quæ tamen non probatur nisi soli Romano Pontifici debita, à quo cæteri etiam collectivè sumpti sunt confirmandi tamquàm oves à supremo eorumdem Pastore. At, ut suppositio dicta admittatur possibilis, satis non est revelationis indicatæ deficientia, cum possit aliis è capitibus esse repugnans. Patet id in propositionibus illativè æquivalentibus propositionibus fidei, quas *cap.3. art.5.* diximus non esse fidei objecta, neque proinde ipsis contrarias formalitèr hæreticas, quin indè inferri queat admittendam suppositionem, in qua haberi possent falsitati obnoxiæ. Sic, *Christum esse hominem*, est objectum fidei, non autem *Christum esse risibilem*. Indè autem quis inferet Christum adhùc hominem fore, si non esset risibilis? Nisi dicatur id procedere ex quadam impossibili hypothesi, quæ fieri solet ad explicanda prædicata quidditativa, distinctionemque eorumdem à non quidditativis, eo modo, quo Theologi hypothesim admittunt, quòd Spiritus Sanctus à Filio non procederet, ut indè eruant prædicatum præcisum, per quod ab eodem Filio distinguatur.

9. Quo sensu, neque in nostra sententia recusamus concedere, semel transmisso, quòd Pastores, Doctoresque omnes in *docendo* populos fidei dogmata, unanimitèr errarent, Deum obligari miraculosè populos ab errore eodem præservare, sive Romano Pontifici inspirando ad oppositam ultimatam decisionem condendam, sive alio quovis medio, ex innumeris, quæ extant in ærario suæ Omnipotentiæ. Sic namque nullum absurdum foret, ad miraculum, & adeò extraordinarium remedium confugere, pro hypothesi, quam nullatenùs eventuram asserimus; uti absurdum vidimus esse *art. præced. num.*11. si ad illud haberetur recursus pro hypothesi attento ordinario cursu rerum possibili. Hocce duntaxat evincit Apostoli authoritas 1. *ad Cor.*12.& *ad Ephes.* 4. testantis Deum dedisse Ecclesiæ suæ Apostolos Prophetas, Pastores Doctores &c. ut *jam non simus parvuli fluctuan-*

ctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris, quæ verba, ficuti non eodem rigore, & sensu accipienda veniunt quoad præcedentes particulas; quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ac si singuli Pastorum, & Doctorum, æquè ac Apostoli,& Evangelistæ privilegio infallibilitatis gaudeant, ita & quoad posteriores, sensus non est, infallibilitatem Ecclesiæ in credendo à Pastoribus, & Doctoribus ita pendere, uti pendet ab Apostolis, canonicisque Scriptoribus, quos veneramur tamquàm fidei normas, & regulas; sed dumtaxat, ne simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, quod verificari adhùc posset, etiam transmissa, & non concessa hypothesi, quòd quandoque convenirent Doctores omnes, aut Episcopi in aliquo errore docendo, & præsertim si inculpabilitèr id accideret, & quoad rem, cujus notitia non sit necessaria simplicitèr ad salutem. Hicque esset casus paulò ante indicatus,quo Deus de extraordinario remedio provideret Ecclesiæ suæ, ac cæteris fidelibus, ne deciperentur ad fidei integritatem in ea conservandam.

10. Hinc quamvis communissimè Theologi probent ex eadem authoritate Ecclesiam perpetuò duraturam, & quidem ut à Christo institutam, nempè cum hierarchicis eam componentibus gradibus, non tamen concordes sunt in stabilienda infallibilitate fidei in docendo, quæ concedi debeat Pastoribus, & Doctoribus quantumvis in una eademque sententia convenientibus, ita tamen, ut ea fidei objectum habeatur; esto certitudine infra fidem indubitantèr autument,ex suavitate Divinæ Providentiæ casum dictum fore impossibilem. Ex quo patet responsio ad præcipuum objectum, quod indè erui solet, quòd videlicet, si omnes in aliquo dogmate errarent dici non amplius deberent dati à Deo in ædificationem corporis Christi, cum ipsi potius errando, causa essent; cur populi à fide aberrarent, Christi ejusdem præcepto devincti: *Omnia quæcumque dixerint vobis, servate, & facite* (*Math.*23. 3.) *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit* (*Lucæ* 10. 16.) Præterquamquòd enim hoc præceptum nimis quid concluderet, utpotè non ad solos Pastores unanimes, & concordes directum, ut innuimus *art. præc. num.* 13. regularitèr interpretandum venit, & non pro casu, qui ita possibilis admittitur, ut per extraordinarium remedium fideles illuminandos dicatur, ne in fide decipiantur, vi cujus cessaret spretus, & contemptus à Salvatore interdictus. Non omisso, quòd ficuti his, vel illis Pastoribus, aut Doctoribus in errorem aliquem prolabentibus, & ad illum populos inducentibus, non ideò dici potest ipsos à Deo non datos in ædificationem, sed in destructionem; ex quo, non Deo, sed eorumdem pervicaciæ sit imputandus effectus oppositus fini per Unigenitum Patris intento: ita & proportione servata discurrere possumus, etiamsi omnes Pastores, aut Doctores concordes supponerentur in errore evulgando. Sicque in simili ratiocinari solent Theologi quoad Evangelicæ legis invariabilitatem, cui non officit quælibet ejusdem violatio, quæ posset accidere, quia hæc non pertinet ad ipsam legem, sed ad legis observantiam, quæ pendet ex libera hominum voluntate, lex autem ex sola Dei voluntate, undè licèt mutentur mores hominum,non mutatur lex, ut ex D. Thoma observat Suarez *de legib. lib.*10. *cap.*7. *num.*9.

11. In quamdam proindè veluti summam redigendo hactenùs indicata, duas in Ecclesia fide divina tenendas infallibilitates putamus, *activam* videlicet, & *passivam*, illamque, quæ pertinet ad clavem scientiæ soli supremo Gregis Dominici Pastori *ex Cathedra* docenti fideles omnes, ex divina promissione competere; hanc verò etiam ipsismet ovibus, & præsertim potiori, & nobiliori eorumdem parti exEpiscopis,Doctoribus &c. constitutæ. Qui quoniam datos à Deo scimus, ut alios sibi subditos, ac rudes in fide instruant, errori obnoxii fieri nequeunt, cum concordes in aliquo edocendo dogmate reperiuntur, quia aliàs *passiva* eadem Ecclesiæ infallibilitas aperto, ex natura rei, & rerum connaturalitate attenta, exponeretur discrimini, ut ad eam tuendam, ad extraordinaria, & miraculosa media esset confugiendum non fine suavitatis divinæ Providentiæ præjudicio. Non tamen proindè id propugnandum assumimus,ut fidei objectum,dum nec de eo clara, & expressa divinitùs facta assignetur promissio, nec aliàs necessaria simplicitèr videatur ad fidei nostræ munimen. Quod totum, dictum volumus, sivè agatur de dogmatibus, quæ ex sacris literis eruuntur, circa quæ decrevit *sess.*4. Tridentina Synodus *ad coercenda petulantia ingenia, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat;* aut

aut contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Sacram Scripturam interpretari audeat; sivè de aliis, quæ ex Traditione divina promuntur, cujus certissimum signum est Patrum eorumdem concors assertio, ut ex hic discutiendis indicavimus *hoc cap. art. 10. num. 17.* Indeque patet quoque responsio, quam dandam promisimus *ibid. art. 11. num. 17.* objecto, quo Dominicus à SS. Trinitate ex unanimis Patrum consensus infallibilitate, procedebat ad inferendam infallibilitatem Concilii, etiam præciso Christi Vicarii influxu. Neutra namque est infallibilitas fidei, sed adhùc securior, & certior illa Patrum, cum re vera omnes omninò unius sunt mentis, à quibus erudiendi sunt reliqui omnes fideles, non sic à Concilio, quod legitimum cum non sit, sine Capitis supremi concursu, eo præciso non habet conditiones omnes requisitas, ut penitùs immune ab errore habeatur; undè & *fortè* dabilem *ibid. num. 19.* habuimus casum, quo totum Concilium, quantumvis conveniens in aliqua opinione, errori subjaceat, quod nupèr de Patribus negandum censuimus, esto ex abundanti data contraria hypothesi, adhùc Deum Ecclesiæ suæ provisurum de extraordinario remedio diximus ad integritatem ejusdem fidei, quousque præsens durabit sæculum, conservandam.

12. Absit autèm, ut quis ex dictis inferat pariles nos fecisse cum Patribus, Doctores Scholasticos, eamdem de utrisque in præsenti materia statuentes conclusionem. Id sanè aberrans omninò à veritate, & à nostro prorsùs est intento alienum. Nec Patribus quidem, nec Doctoribus Scholasticis infallibilitatis *activæ*, & *in docendo*, privilegium concessum putamus. At Patres, fontes catholicæ doctrinæ dicimus; Doctores rivulos indè emanantes; Magistros eos, hos verò Discipulos. Altissimus namque in mediis seligendis ad Ecclesiæ firmitatem stabiliendam, non semper ejusdem præstantiæ, & nobilitatis ea esse disposuit, sed quæ satis essent ad prædicti finis consecutionem pro temporum varietate, nusquàm omisit. Undè, sicuti, ut D. Gregorius *hom. 29. in Evang.* observat, miracula *necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt*, non verò fide per orbem jam propagata, *quia & nos cùm arbusta plantamus, tamdiù eis aquam infundimus, quousque ea inserta jam coaluisse videamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit*; Ita & in exordio Ecclesiæ necessarii Apostoli fuere, qui & confirmati in gratia essent, & singuli infallibilitatis prerogativa potirentur: Apostolis conveniens fuit, ut succederent Patres sanctitate insignes, doctrina celeberrimi; post Patres tandèm satis fuit, ut advenirent Doctores Scholastici; & idcircò solidè Canus *lib. 8. cap. 4.* Apostoli *textum* relatum *art. præc. num. 7.* expendens subdit, „ Nec „ verò si hoc Apostoli testimonium æquè „ pro *Antiquis*, & *Junioribus* facere dici„ mus, *Juniores* Theologos priscis illis „ mox æquamus; (scimus enim quantùm „ antiquitati deferendum est, quantùm „ etiam sanctitati) sed firmum esse hunc „ etiam locum, tùm ex multis aliis, tùm „ ex hoc Apostoli testimonio, pro nostra „ quidem virili contendimus. „ Quoties itaque SS. Patres, aut Scholasticos Doctores unanimes conspexerimus in fidei dogmate constantes, & absque hæsitatione asserendo, sufficiens signum illud erit, ut tamquàm fidei dogma amplectamur, quòd veluti tale absque discrepantia ulla, proponunt. Idemque in decursu *hujus*, & *præc. articuli* sentiendum innuimus de Episcopis in materia fidei populis tradenda concordibus ad Apostolici *textus* tenorem, cùm præsertim non desint, qui Tò *Doctores* cum Tò *Pastores* conjungant ob munus Episcopis essentiale Dominicum gregem pascendi, explicante *textum eumdem* Hieronymo; *Nec in Ecclesiis quisque, quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen debet assumere, nisi possit docere, quos pascit*. Patres nihilominùs Doctoribus perpetuò præferamus. Eosque nedùm, çum in una conveniunt sententia, sed & cum discrepant, veneratione dignos quoque habeamus, benignè interpretantes, cum in rigore verborum sequi non possumus, & in bonum sensum trahentes, cum à veritatis semita quandoque distantes apparebunt, præ oculis habito Augustini, & Angelici monito indicato *art. 2. num. 19. hujus cap.* Ad quod præstandum, & ad uberiorem Patrum venerationem, ac intelligentiam, pleræque à Theologis tradi solent regulæ;

13. Quibus monitos eorumdem Lectores faciunt, ut in pervolvendis ipsorum operibus inter alia animadvertant, *Primò*, an scripserint in materiis dogmaticis (de quibus præcipuè loquimur) ante exortas hæreses? his namque adhùc in Ecclesia Dei non vigentibus, non mirum, si aliquod minùs cautè protulerint: *Antequam in Alexandria*, inquit *lib. 2. apolog. adversùs Ruffinum* Hieronymus, *tamquàm dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocentèr quædam, & minùs cautè*

cautè locuti sunt. *Secundò* an ex propria, vel aliorum loquantur sententia? ne quæ, vel indulgendo, aut disputando quandoque, transmittunt, approbata ab ipsis accipiantur, unde de Origene *in lib. de decr. Nic. Syn.* notavit Athanasius: *Quare disputandi, certandique gratia scripsit ea, non quasi ipsius sint verba, aut quasi ipse ita senserit, sed eorum, qui cum eo contentiosiùs disputarent, accipienda sunt*. *Tertiò*, an per excessum aliquid proferant? propendentes veluti in extremam oppositam partem, cum aliquam hæresim infringere, intendunt; *Antiqui Doctores emergentes errores circa fidem ita persecuti sunt, ut interdùm viderentur in errores labi contrarios*, verba sunt Angelici *lect. 7. in cap. 1. Jo.* *Quartò*, an figuratè, & per hyperbolem, aliamque consimilem figuram? quidquid in contrarium asserere audeant pauci quidam Recentiores, quos inter, Gaspar Iveninus, majori sanè reprehensione dignus, ea, quam in alios profert *to. 6. instit. theolog. part. 7. pag. 645. edit. Venet.* verbis illis „ Quid est asserere „ Augustinum, aliosque Sanctos Docto„ res in extremum (quod falsum est) de„ clinasse, quàm eos fuisse mentitos, ut „ hæreticos mentientes ad veritatem redu„ cerent? Si res ita se habet, fatendum erit, „ Augustinum, & alios Patres, cum adver„ sùs hæreticos disputarunt, suo agendi „ genere favisse Priscillianistis, apud quos „ palmarium erat axioma, licere loqui „ mendacium cum iis; qui nobis societate „ conjuncti non sunt „ quibus nihil sanè impudentius, dum fucato Priscillianismi prætextu, usitatissimum Patrum loquendi morem rejicit, quem ex ipsismet sacris literis desumpsere, in quibus, Angelico teste, (*in cap. ult. Joann.*) *salva eorum fide plerùmque verba excedere videntur fidem, quod contingit quando id, quod apertum est, vel augetur, vel extenuatur, nec tamen à tramite significantiæ veritatis erratur; quoniam sic verba rem, quæ indicatur, excedunt, ut voluntas loquentis, nec fallentis appareat. Hunc loquendi modum græco nomine hyperbolem vocant, qui . . . . . in nonnullis divinis literis invenitur*, & præsertim in *Epistolis* Doctoris gentium, de quo Cornelius à Lapide in *Canonibus*, quos pro ipsius intelligentia tradidit „ Spiritus ejus „ sublimis, & acer in partem, quam incli„ nat ita vehementèr fertur, ut in extrema „ declinare videatur, alterumque extre„ mum negare „ id plerisque confirmans exemplis, quorum unum, quòd „ cum „ Judaizantes oppugnat Paulus, dicit cir„ cumcisionem nihil esse, & vetera Sacra„ menta fuisse *infirma*, & *egena elementa* „

14. Inter has regulas paritèr recenseri debet, quòd non omnes Patres haberi debeant ejusdem inter se ponderis, & authoritatis. Etsi enim ex pluriès indicata Apostoli authoritate, improbanda penitùs sit Hæreticorum petulantia, qui quatuor, aut quinque primorum Ecclesiæ sæculorum Patrum testimonia ducunt recipienda, cunctis aliis subsequentibus despectis, ac neglectis, quòd videant ab his quandòque efficaciùs infringi perversorum suorum dogmatum figmenta, quia forrasis præcedentes de ea materia, aut ex professo non egerint, aut non ea diligentia discusserint, qua subsequentes fecere, juxta responsionem, quam Augustinus *de præd. SS. cap. 14.* adhibuit objicientibus doctrinam suam non extare apud Antiquiores, id inquiens contigisse, quia *non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod proculdubiò facerent, si respondere talibus cogerentur. Undè factum est de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam Scripturarum suorum locis, & transeuntèr attingerent, immorarentur verò in eis, quæ adversùs alios inimicos Ecclesiæ disputabant*: Non ideò tamen omnes, & singulos eadem metiendos æstimatione putandum, ut enim *in exhortat. ad Synod. Orient. pro Florent.* animadvertit Georgius Scholarius: *Quòd omnes omnia dicunt non pari doctrina, cælestique gratia, sed est inter eos, uti Sanctitatis, laborumque proprietate susceptorum, ita quoque scientiæ, facundiæque, ac divinæ gratiæ, per quam hæc omnia dantur, & confirmantur ordo quidam, & gradus . . . . Docti quidem omnes erant, sed doctrinæ modo inter se differebant, & veritatem quidem omnes attigerunt, sed iste non tantùm veritatis apprehendit, quantùm ille* &c.

15. Primorum itaque Sæculorum Patres in materiis dogmaticis, quas pertractarunt, non negamus potiori veneratione dignos habendos, hoc namque est discrimen inter veterem legem, & Evangelicam, quòd in ea Spiritualium Patrum scientia semper creverit, ne dum quoad modum, sed & quoad substantiam. Undè D. Gregorius *hom. 46. in Ezech.* testatum nobis reliquit: *Plùs Moyses, quàm Abraham, plùs Prophetæ, quàm Moyses, plùs Apostoli, quàm Prophetæ in Omnipotentis Dei scientia eruditi sunt*: At in lege Evangelica è contra semper Antiquiores præferendi Moderniorbus, quia licèt in his reperiri queat major claritas, ornatior methodus, distinctior explicatio; quoad fidei tamen principia, & dogmatum substantiam semper debet fieri recursus ad Veteres; & ratio

ratio est in promptu, quia, cum eò major divinæ Scientię participatio convenientiùs communicata appareat Sanctis, qui Incarnatæ Patris Sapientię temporibus fuere proximiores, indè est, quòd eodem prorsùs motivo, quo in lege scripta Novissimis erant postponendi Veteres, in lege gratiæ Veteres sunt cæteris paribus, servataque proportione præferendi Novissimis, ad Vincentii Lirinensis à Dominico à SS.Trinitate *lib.3. bibl.theol. sect.6.cap.5.* relati effatum: *Id est proprium christianæ modestiæ, ac gravitatis, non sua Posteris tradere, sed à Majoribus accepta servare. Ducatum quippè præbet nobis Religio, non nos Religioni, nec Majorum sensa, quò volumus, trahemus, sed potiùs quà illa trahunt, retrahuntque, sequemur*, quod & passim observatum legimus in definitionibus fidei; Episcopi, ait, *in Epist. ad Afros*, de Niceni primi, Patribus Athanasius, *non sibimetipsis adinvenientes verba, sed habentes ea à Patribus testimonia conscripserunt*; in Ephesino paritèr Patres illi se ad Nestorii damnationem inductos fatentur *sequentes Sanctorum PP. confessiones*, in Chalcedonensi (*act.1.& 4.*) *sequentes SS.PP. docemus*, & *act.5. Hæc est fides Patrum*, quæ verba, ut alia omittam, repetita legimus in Tridentino, per ea acclamantibus cunctis illud constituentibus: *Hæc est fides Patrum, hæc est fides Orthodoxorum*.

16. Servandam verò dixi proportionem, & attendendum, an cætera sint paria; aliàs namque negari nequit Sanctos præferendos non Sanctis, juxta illud Christi (*Math.5.19.*) *Qui fecerit, & docuerit, hic Magnus vocabitur in regno cœlorum*, quia & illi, qui defecerunt à fide, Patres in toto rigore dicendi non sunt, licèt adhùc adduci queant ad Traditiones comprobandas, quò ad ea, quæ scripsere, antequàm in errores prolaberentur, & in quibus non se reddidere suspectos. Quod intelligendum de lapsu in fide culpabili, ac pertinaci, lapsus namque, qui rarus, & inculpabilis fit, licèt & ipse corrigendus ex aliis Patribus, Cypriano *epist.17.* dicente: *Idcircò copiosum esse corpus Sacerdotum concordiæ mutuo glutino, atque unitatis vinculo copulato, ut si quis ex collegio nostro gregem Christi lacerare tentaverit, subveniant cæteri, & quasi pascere utiles, & misericordes oves dominicas in gregem colligant*; attendi quoad reliqua minimè debet, aliàs ferè omnes negligendi forent, ex quo nullus ferè habeatur, qui in aliquo etiam ad fidem spectante deceptus quadantenùs non fuerit, Deo id permittente, & ad eorumdem Patrum humilitatis exercitium, & ad fidelium omnium vigilantiam excitandam in aliis Patribus perquirendis, ut quod apud plures repererint, unius, aut alterius dictis præponant, & quoties dissentientes observaverint, ad Petri Navim pro veritate indefectibilitèr discernenda recurrant, scientes *quòd salva fidei compage doctissimi, & optimi regulæ catholicæ Defensores interdum dissentiunt*, ut loquitur Augustinus *lib.1.contr.Julianum c.2.* Hæcque delibasse sit satis, ne ab instituto nostro nimiùm elongemur, cum præsertim ratio omniũ fortissima in Patrum æstimationis discretione, ex Apostolicæ ejusdē Sedis authoritate sit eruenda, eos, vel Gregi Dominico proponentis tamquàm Ecclesiæ Doctores; vel testantis erroris expertia esse eorumdem opera, in hac, vel illa saltem particulari materia; vel ipsorum scriptis utentis in Ecclesiasticis officiis; vel alio quovis modo, qui magis, vel minùs commendativus sit, & proportionalitèr nobis tamquàm norma ad obsequium eis præstandum inserviat.

ARTICULUS XVIII.

An Propositio opposita alteri deductæ ex duabus præmissis, quarum prior sit de fide, posterior naturali lumine nota, aut è contra, sit hæretica?

1 Obvia est præsens quæstio, æquè ac subsequens *art.19.* discutienda, penès Scholasticos, qui tamen in utriusque resolutione ad invicem discrepant. Et quantùm ad hanc, pro affirmativa absque ulla restrictione stat Canus *lib.6. de Eccles. Rom. auth. in solut. decimi argum.* variis illam confirmans exemplis, quorum primum est illud duarum voluntatum in Christo, quas tamen clarè in sacris literis, & immediatè expressas innuimus *cap.3. art.5. num.19.* Canum se correxisse *lib.12. de loc. usu in schol. disp. cap.6. præcept.8.* emendando, quod priùs docuerat, monet Suarez *disput.3. de object. formali fid. sect.11. num.7.* non tamen adeò aperta correctio ejusmodi apparet saltèm in totum. Objiciens namque, quòd ex assertione, quam *ibi* propugnat, amplecti videlicet debere, ut *catholicam veritatem*, conclusionem firmam, quam Scholastici uno ore statuerint, atque ut certum Theologiæ decretum fidelibus amplectendum constantèr, & perpetuò proposuerint, sequi videatur,

tur, fidem, & theologiam ad eamdem pertinere virtutem, quandoquidem errores utrique facultati contrarii ad idem pertineant vitium, sunt enim utrique *hæreses* „ in hanc formam respondet „ Diximus fidem, „ licèt non immediatè, sed versari tamen „ circa eas conclusiones, quæ per evidentem, & necessariam consequentiam ex „ articulis fidei colliguntur. Quare necesse „ est, ut infidelitas mediatè quoque circa „ conclusiones theologiæ contrarias versetur. Cum autem ex hujusmodi adversis erroribus non ægrotatio modò fidei, „ sed etiam corruptio sequatur, fit, ut eorum & fidei sit indirecta quidem, & consequens, sed vera, & naturalis repugnantia. Quamobrem Ecclesia, tametsi intelligit ejusmodi conclusiones non è fide „ solùm, sed à principiis quoque naturæ „ pendere; quia tamen non putat hominem rationalem, ea, quæ rationi perspicua sunt, & manifesta negare, eum, qui „ illas inficiatus sit, hæreticum judicat. „ Sumit enim, maximaque ex causa sumit, „ illum non in naturæ ratione, quæ erat „ evidens, sed in fide claudicare. At verò, „ si quis, vel consequentiam rerum aliàs „ perspicuam ignoraret, vel principium „ etiam naturale, quod cum articulo fidei „ ad colligendam theologiæ conclusionem sumitur, certè non esset hæreticus. „ Ut, si homo indoctus, verbi causa, existimaret hanc enunciationem esse falsam, „ *omnis homo est risivus*, undè quamvis „ crederet Christum esse hominem, non „ ideò arbitraretur, eum posse ridere; hic „ profectò non esset propriè infidelis, sed „ stultus, qui non per se supernaturali lumini, sed naturali repugnaret. Verùm „ quoniam ejusmodi stultitia, quamvis per „ accidens, & indirectè, fidei tamen ex „ consequenti corrumpit, depravatque „ judicium, jure apud Ecclesiam non in „ stultitia habetur, sed in crimine „

2. Cardinalis de Laurea *disput.9. de fid. actual. art.14.* duas in hac materia statuit conclusiones, in quarum prima sustinet assensum præstitum in conclusionem non immediatè, sed mediatè, & per multos discursus deductam à principio revelato mediante adjutorio scientiæ naturalis, non esse fidei, nec scientificum, sed theologicum. In secunda, quòd, dum conclusio immediatè, & necessariò eruitur ex natura subjecti, aut prædicati alicujus præmissæ de fide, licèt id fiat per naturalem discursum, conclusionem illam esse fidei objectum, & assensum ejus, fidei; subdit tamen, assertum hoc, esse sibi probabile, & probabilitatem præsertim eruit, tùm ex variis exemplis, de quibus *num. 6.* tum quòd aliàs „ conclusiones deductæ per necessariam consequentiam à Theologis, & PP. revolventibus, „ & scrutantibus Scripturas in Conciliis „ nusquàm evasissent fidei objectum, neque eis etiam definitis deberetur assen sus „ fidei, sed tantùm theologicus, quod est „ hæreticum. „ Minorem hanc probat, ex quo *anathema* dicitur ei, qui non credit internè, & non profitetur externè, quod in materiis dogmaticis Concilium decernit; Majorem verò, quia non semel Theologi à PP. Conciliorum consulti non invenientes locum expressum in Scriptura per necessariam consequentiam deducunt affirmativam aliquam, aut negativam, illamque referunt Patribus prædictis, qui eam sic deductam de fide definiunt. Quo posito, „ Illa „ conclusio non revelatur tunc de novo, „ & tamen est objectum fidei, eique assensus fidei præstatur. Igitur revelatio virtualis, nempè in revelatione formali illius loci Scripturæ, ex quo necessariò „ deducitur, sufficit ut sit objectum fidei, „ eique assensus fidei præstetur „ Quam tamen ratiocinationem non omninò efficacem esse, facilè deduci potest ex indicatis *cap.3. art.5. num.20. 21. 22.* nec non ex dicendis *num. seqq.*

3. De Lugo itidem Cardinalis præmittens dupliciter posse præmissam naturalem cum præmissa revelata deservire ad assensum conclusionis illius, v.g. *Christus est risibilis*, quatenùs nempè per discursum eliciatur assensus conclusionis innixus duplici præmissæ, & quatenùs præmissa naturalis se habeat solùm tamquàm proponens, & explicans per discursum theologicum, quòd contineatur virtualitèr in propositione revelata, ut apparente continentia unius objecti in alio; concludit, neutro ex dictis modis confici conclusionem fidei, „ Quantumcumque enim explicetur revelatio, & objectum revelatum, numquàm invenitur „ dictum à Deo objectum conclusionis, „ immò nec aliquid, quòd solum possit „ movere ad illud credendum. Non ergo „ movetur intellectus à solo testimonio „ Dei, sed simul ab illo principio naturali, „ quod nisi verum crederetur, non crederetur objectum conclusionis: ergo motivum fidei non sufficit ad credendum „ objectum conclusionis, & per consequens non creditur de fide, quia conclusio

„ fio fequitur debiliorem partem motivi, „ cum non poffit magis credi conclufio, „ quàm motivum, & in noftro cafu moti- „ vum faltem quoad unam partem non „ credatur ex fide„ Sic purpuratus Societatis Theologus, & folidè non tamen omninò meo videri cohærentèr ad ea, quæ docet *num.*274. *& feqq.* in corroborationem ratiocinationis *num. præc.* ex Cardinali Laurea relatæ, quam antea ipfemet Lugus ex Suario jam docuerat. Etfi enim veriffimum fit Deum dupliciter poffe affiftere Ecclefiæ fuæ in definitionibus dogmaticis, primò dicendo, *Ego affiftam Ecclefiæ, & omnia, quæ ipfa proponet in talibus materiis vera erunt*; fecundò per hoc, quòd non fit permiffurus Ecclefiam decipi proponendo aliquod falfum; veraque illatio indè eruta, quòd cum Ecclefia definit aliquod virtualitèr folùm revelatum, uti fi definiret *Chriftum effe rifibilem*, definitio pendeat ex duplici revelata, altera nempè: *Non poteft effe falfum id, quod proponit, & definit Ecclefia, affiftente illi Spiritu Sancto, ne erret*; altera: *Spiritus Sanctus affiftit Ecclefiæ definienti Chriftum effe rifibilem*; hoc totum tamen non fufficit, ut deducatur, conclufionem prædictam effe fidei objectum, fed dumtaxat *non poffe effe falfum, quòd Chriftus fit rifibilis*, quod verificari poffe, etiamfi non fit fidei objectum, concludunt, quæ congeffimus *hoc cap. art.*13. ad probandum Ecclefiæ infallibilitatem in *definitionibus* promendis, quantumvis res definitæ fint certitudine infra fidem tenendæ.

4. Semper namque admitti debet, quòd Ecclefia definiendo *Chriftum effe rifibilem*, id non definiat, tamquàm affectum aliqua divina, ac immediata revelatione, quod neceffarium ad fidei objectum diximus *cap.* 2. *art.* 1. *nu. præfertim* 9. nec non *nu. præc.* traditum vidimus ab ipfomet de Lugo. Ac idcircò conciliatio fententiarum, vi cujus cum Suario ait fore hæreticum, pofita definitione Ecclefiæ, propofitionem definitam negare, & Ecclefiam non definire de fide propofitionem, quæ jam antea non fuerit à Deo revelata, vel in particulari, vel in generali, fcilicet in affiftentia Spiritus Sancti, ipfi promiffa ne erret; in æquivocatione fita eft, per quam tranfitus fit ex revelatione infallibilitatis definitionis, ad revelationem rei definitæ. A qua Eminentiffimus Author fe eximere, ni fallor, non valet, per hoc, quòd ipfe *difp.*20. *fect.*3. *à num.*109. non *hæreticum*, fed *erroneum*, vel *errori proximum* judicet, negare infallibilitatem Ecclefiæ in propofitionibus afficiendis aliqua infra hærefim nota, & quidem duplici ex capite. Primò nempè, quia indè fequitur, propofitionem illam univerfalem: *Non poteft effe falfum, id, quod proponit, & definit Ecclefia affiftente illi Spiritu Sancto, ne erret*; non effe fic acceptam, veram certitudine fidei, nifi limitetur ad id, quod Ecclefia definit tamquàm à Deo revelatum, quia fi definit ita, ut oppofitum cenfura infra hærefim fit cenfendum profcriptum, jam qui infallibilitatem definitionis illius negat, non hæretici denominatione formalitèr afficiendus, fed *erroneitatis*, aut *proximitatis erroris*. Secundò, quia paritate rationis, ficuti *erroneus*, aut *errori proximus* poteft haberi, qui negat Ecclefiæ hujufmodi definitionem, abfque eo quòd eadem cenfura dignus fit, qui negat rem definitam, fi videlicet definita hæc fuerit fub alia inferioris gradus cenfura; ita & poterit ille, & non ifte, haberi formalitèr hæreticus juxtà principia, quæ propugnamus, immò & juxta ipfiusCard. doctrinā *difp.* 20. *cit. n.*113. ubi laudat Bannez Malderum, Coninchium advertentes „ gravius errare, „ qui dicitEcclefiam errare poffe, vel errare „ in iis cenfuris, quàm qui folùm affereret „ effe veras propofitiones illas ab Ecclefia „ judicatas *temerarias*, *offenfivas* &c. Quod „ quidem verum eft, fi Ecclefia non judicavit propofitionem illam ad minùs *erroneam*; nam fi folùm judicavit effe *temerariam* v.g. ille, qui poftea illam affirmat, „ erit folùm *temerarius*; qui autem dicit „ Ecclefiam in ea cenfura erraffe, incurret „ *hærefim* in aliquorum fententia, & in „ fententia aliorum incurret, vel *errorem*, „ vel aliquid *errori proximum*„ Qua infpecta, ad cafum noftrum dicimus, quòd fi Ecclefia definiret *Chriftum effe rifibilem* præcisè ex revelatione mediata, virtuali, & in caufa, qua de fide eft *effe hominem*, qui negaret *Chriftum effe rifibilem*, habendus foret *erroneus*; qui tamen negaret Ecclefiæ infallibilitatem in dicta definitione condenda, formaliffimè *hæreticus*; quia hic negaret fidei objectum immediatè revelatum, quale putamus effe infallibilitatem Ecclefiæ, ne dum in rebus, tamquam de fide habendis, definitis, fed & in ipfifmet definitionibus rerum infra fidem tenendis; ille verò negat objectum immediatè non revelatum, fed dumtaxat cum revelato connexum, & ex revelato illatum, ac ut tale ab Ecclefia propofitum.

5. Hinc ad quæftionis refolutionem, quæ magis arrideat, devenientes, dicendum putamus propofitionem oppofitam alteri deducta ex præmiffis, quarum una fit fidei, & alia

& alia solo naturæ lumine nota, non esse formalitèr hæreticam, si præmissa non revelata verè influat in propositionem illatam per aliquod prædicatum, aut formalitatem, quæ nec sit revelata, nec soli explicationi præmissæ revelatæ inserviat. Si verò ad hujus explicationem sit solùm intenta, & ad manifestandam revelationem propositionis deductæ directa; tunc dicimus propositionem oppositam deductæ esse in se formalitèr, & rigorosè hæreticam, non tamen si *reduplicativè*, quatenùs *deducta* consideretur. Asserti autem, quo Authores in hac materia sibi invicem adversantes conciliatos quadantenus autumamus, prior pars evincitur in primis, ex ratione, quam sibi objicit Canus relatus *num.* 1. cujus responsio non infringit ejus vim, sed corroborat, dùm ait, fidem *mediatè* dumtaxat versari circà eas conclusiones, quæ per evidentem, & necessariam consequentiam ex articulis fidei colliguntur; cum quo non cohæret, quod subdit, ex hujusmodi videlicet erroribus sequi non *ægrotationem* modò fidei, sed ejus *corruptionem*; & incohærentiam facilè colligere quilibet poterit, perpendens, quæ à nobis sunt dicta *c.* 2. *art.* 1. & *c.* 3. *art.* 5. de propositione opposita alteri contentæ in sacris literis in terminis *illativè æquipollentibus* agentes, *n.* 6. indicantes prædictum *art.* 5. affinitatem habere cum *præsenti*, ad quem lectorem remisimus quoad modum cognoscendi illativam æquivalentiam mox discutiendam, contenti interim hæc innuisse pro prioris asserti partis munimine, pro qua paritèr concludens est argumentum Cardinalis de Lugo exscripti *num.* 3.

6. Posterior autem pars duo itidem involvit membra oppositis conclusionibus resoluta, & primum quidem *affirmativè*, si præmissa naturalis solùm explicativa sit, non quidem continentiæ ipsius virtualis, quam propositio deducta habet cum præmissa revelata; sic namque robur habet indicata Lugi ratiocinatio: sed ipsius divinæ revelationis, quæ immediatè, ne dùm afficiat alteram præmissam, sed & ipsam propositionem deductam, uti evenit in exemplis, quæ post relatum *num.* 1. subdit *ibidem* Canus, quæque *num.* 2. insinuavimus hìc innuenda ex Cardinali Brancato, esto non omnia æquè ad intentum putemus conducentia, sed illa dumtaxat, in quibus rigorosa comprænhenditur revelationis explicatio, uti cum ex propositione *Deus creavit cælū, & terram*, inferatur, quòd *omnia elementa sint à Deo creata*, vel quòd *Deus creavit saxa*, quæ propositio, cum non sit, nisi particularis sub universali contenta, eam de fide tenendam, ostensum est *cap.* 2. *art.* 8. *à num.* 10. & *art.* 14. *nu.* 53, & deducitur quoque ex traditis *cap.* 3. *art.* 4. *per totum*, & *art.* 12. *à n.* 14. Hujusque generis sunt pleraque argumenta exta ntia in ipsa fac. Scriptura, ac Patribus, quorum nonnulla videri possunt apud Dominicum Gravinam integram hanc asserti nostri partem propugnantem *lib.* 1. *cath, præscript. advers. hæres. præscript.* 6. *contr. un. art.* 2. potestque assignari universalis regula, quòd quoties præmissa naturalis inserviat, ut eluceat formalis æquipollentia terminorum inter alteram præmissam revelatam, & propositionem deductam, toties non impedit, quin deducta sit objectum revelatum, & assensus in eam præstandus sit fidei.

7. Dummodò tamen assensus non ita sit à prædicta naturali præmissa dependens, ut in ipsam, quà talem, essentialitèr resolvatur; sic namque, cum non unicè, & totalitèr innitatur primæ Veritati revelanti, sed primæ Veritati, ut lumine naturali cognitæ, & deductæ, non est dicendus assensus fidei, sed assensus theologicus, & quidem conformitèr ad Subtilium Principis doctrinam *in* 3. *dist.* 24. *quæst. unic.* §. Ad propositum *vers.* (de primo dico) & *in fine quæst. vers.* (Ad aliud concedo) asserentis *per habitum fidei, immediatè assentiri in omnibus & singulis veritatibus revelatis, quæ traduntur in sacra Scriptura, & non uni propter aliam per syllogisticum discursum*, quibus verbis, ne oppositum, ac repugnans habeatur quod idem habet *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 3. §. Hic dico, *vers.* (Tertiò sic) *Nihil est tenendum tamquàm de substantia fidei, nisi quod potest haberi expressè è Scriptura, vel expressè declaratum ab Ecclesia; vel evidenter, sequitur ex aliquo planè contento in Scriptura, vel planè determinato ab Ecclesia*, concludendum, hanc assertionis partem quoad utrumque membrum esse ex tanti Doctoris principiis erutam, ac ut talem eam tuetur percelebris ejus discipulus Pater Franciscus del Castillo *in* 3. *Sent. tom.* 2. ubi *disp.* 2. *quæst.* 3. *par.* 1. relatis posterioribus particulis, citatoque itidem eodem Scoto *in* 3. *dist.* 35. *per totam* pro primo asserti membro arguit *num.* 16. „ Quia semel cognita „ ex vi veritatis præmissarum, potest divers„ so actu credi propter Veracitatem reve„ lantis præmissas, „ & *num.* 18. „ quia, si pro„ pter aliquam rationem revelatio virtua„ lis non sufficeret ad constituendum obje„ ctum fidei, maximè, quia fides non est „ discursiva, sed in hoc casu non est discursiva,

,, siva, quia non creditur conclusio pro. ,, pter præmissas, sed semel cognita jam ,, conclusione deducta ex præmissis, ac si ,, esset nova revelatio, potest illi assentiri: ,, ergo revelatio virtualis nobis explicita ,, per discursum sufficit ad objectum fidei. ,, Et confirmatur à simili, quia per accidens est fidei divinæ, quòd revelatio explicita, ratione cujus præbeamus assensum alicui articulo, fiat à Deo per verba, ,, vel per scripta, vel per Ecclesiam, vel ,, per Angelum, vel per Hominem &c. ergo similitèr quòd fiat per discursum; nam ,, quodcumque horum mediorum, cum ,, non sit per se requisitum, non diversificat ,, in specie fidem; ergo revelatio, quæ in ,, præmissis erat virtualis, & implicita, ,, facta per discursum formalis, & explicita, ,, potest constituere objectum fidei.,,

8. Pro posteriori verò, ex aliis Scoti particulis ratiocinatur *disp.8. de propriet. assens. fid. inf. quæst.1. à num.11.* probans fidei assensum esse non posse discursivum, inter alia apud eum legenda,, quia virtus discur-,, siva est virtus mobilis, seu motiva sui, ,, quia per eam movetur intellectus ex co-,, gnitione præmissarum ad cognitionem ,, conclusionis, tamen virtus creditiva est ,, virtus quiescitiva, qua quis quiescit in ,, aliquo objecto assentiens illi, seu quie-,, scens in illo, ergo assensus fidei non fit ,, per discursum,, cui proinde non nisi per quamdam impropriam analogicam proportionem competere fidei denominationem innuimus *cap.2. art.1. num.5. & 16.* in rigore verò negavimus ex dicendis *art. seq.* propositionem oppositam alteri illatæ ex præmissis revelatis, & à fortiori, si ex præmissis, quarum altera sit naturalis, formalitèr hæreticam dici posse sub reduplicatione illationis consideratæ. In quem finem, non inutilis itidem erit applicatio paritatis *artic. 16. num. 16.* expensæ de notis credibilitatis; dum, sicuti hæc, non obstante quòd prærequiratur ad fidem, adeò ut sine ipsis ex Angelico fides haberi nequaquam valeret, nullatenùs ad fidei assensum concurrunt, neque tamquàm motivum, neque tamquam conditio [illegible], sed unicè assensus elicitur propter Primam Veritatem Dei revelantem, ita *hic*, quamvis præmissæ, quà tales, etiamsi ambæ sint de fide tenendæ, ,, connexionem habeant inter se, talitèr, ut ,, possit ex ipsis inferri, quòd mysteria, quæ ,, revelantur, sint vera, & quòd sint credibilia, & quòd sint credenda, tamen non ,, habent illam in ordine ad actum credendi; nam formaliter non credimus mysteria, quia sunt credenda (licèt non deberemus illa credere, si non essent credenda) sed credimus illa formaliter propter ,, divinam authoritatem revelantem, & insuper non credimus illa, quia intellectus ,, habet virtutem illativam spectantem ad ,, tertiam operationem, sed quia habet virtutem judicativam, & consequenter creditivam spectantem ad secundam operationem. Undè in plurium sententia Angelus non habet intellectum discursivum ,, (seu, quod idem est, non habet virtutem illativam) & nihilominùs credit, ,, quia habet virtutem judicativam. Cum ,, ergo actus credendi non habeat pro objecto majorem, & minorem propositionem syllogismi prout connexas inter se, ,, sed solùm habeat pro objecto mysterium ,, revelatum à Deo, & divinam authoritatem, hinc est, quòd assensus fidei infusæ ,, non nititur, neque niti potest discursui ,, ut solidè prosequitur Castillus *num.17.* æquè excludens discursum objectivum, videlicet objecta ipsa inter se dependentia, & connexa, ex quibus confici potest discursus, & syllogismus formalis; & discursum virtualem, cujus nomine intelligit potentiam intellectivam, quæ est subjectum illius, in quantùm per ordinem ad prædicta objecta per contrariæ opinionis Fautores potest cum habitu fidei fabricare discursum, & syllogismum formalem, cujus conclusio fit *credere*. Cohærenter ad quam doctrinam *num.20.* negat actum credendi esse virtualiter multiplicem, quòd non respiciat plura per modum plurium, & subordinatorum, adeòut unum dependeat ab alio, sicuti dependet in esse objecti, objectum conclusionis ab objectis præmissarum, sed respicit dumtaxat illa per modum unius, eo planè modo, quo potentia visiva videt colorem, lucem, parietem, non respiciens illa per modum plurium, sed per modum unius objecti completi, & adæquati terminantis unicum actum ipsius, & *num. 22.* instantiæ formatæ, quia per fidem possumus credere propositionem deductam per discursum, occurrit cum distinctione, concedendo id verum esse de discursu non *formaliter* sumpto, sed *præsuppositivè* accepto,, quia tunc ,, fides non assentitur tali propositioni per ,, discursum, sed propositioni explicitæ revelatæ per discursum, assentimur per ,, aliud subsequens judicium, & consequenter per virtutem quiescitivam in. ,, tellectus, & non per virtutem mobilem,,

AR-

ARTICULUS XIX,

An Propositio opposita alteri deducta ex duabus præmissis, quæ sint fide divina, ac supernaturalitèr credendæ, sit hæretica?

1. PArùm in resolutione hujus quæstionis immorandum nobis est, qui nullam ferè discrepantiam agnoscimus à posteriori parte asserti *art. præc.* propugnata, ut proptereà dicendum putemus propositionem oppositam alteri deductæ ex præmissis revelatis esse quidèm *hæreticam* specificativè sumptam, minimè verò si consideretur sub reduplicatione illa, qua propositio deducta, & illata consideretur *ut talis*. Et ratio est eadem, ob quam propositio deducta, sic inspecta, non est de fide, utpotè cui assensum præbemus, non præcisè propter divinam Veritatem dicentem, sed etiam propter connexionem conclusionis cum præmissis lumine naturali cognitam, quam mixtionem excludit fides. Idque sive Tò *propter* designet partialitatem motivi, sivè conditionem, ut indicavit Castillus *disp.8. tit.q.1. nu.16.* & advertit quoque Cardinalis de Lugo *disp.1. de fide sect.13. §.2. num. 296.* asserens se in exclusione partialis motivi naturalis, ut præberi queat assensus fidei, in latiori significatione fuisse locutum, ut comprehendit omnia, quæ ex parte objecti utcumque movent ad assensum. Et ratio ulterior est, quia, ut fidei assensus aliquis dici non valeat, satis est, quòd aliquatenùs deficiat à certitudine fidei, qui defectus habetur, sivè motivum ipsum formale, ob quod assentimur, sit partim fidei, partim non fidei, sivè motivum formale fidei dependens supponatur à conditione, quæ sit infra fidem, dummodò reduplicatio dependentiæ ab hujusmodi conditione ad assensum concurrat, ut dici debeat nos credere, quia prima Veritas revelans ob connexionem illam, quæ per discursum exprimitur ad assentiendum inducit, etiamsi connexio potiùs applicatio sit dicenda, quàm motivum, seu medium *quo*, non *quod*, nisi in ordine ad præsens intentum instituere quis cupiat quæstionem de solis vocibus, in quibus non insumendum est tempus.

2. Quæ doctrina cohæret cum insinuatis *cap.2. art.1. num.16.* involuitque responsionem, quam hic tradendam omisimus *cap. eodem art.8. num.18.* in eo sitam, quòd etsi non minùs propositio illa, *Christus est risibilis*, inferatur ex præmissis; *omnis homo est risibilis*, & *Christus est homo*, ac alia, *Deus vult Judam salvum facere*, ex præmissis; *Deus vult omnes homines salvos fieri*, & *Judas est homo*, hoc tamen intercedit discrimen, quòd posterior ex uno dumtaxat capite deficere potest à fidei ratione, quatenùs scilicet consideratur, ut illata ex enunciatis præmissis, quatenùs verò consideratur ut particularis contenta sub universali revelata; *Deus vult omnes homines salvos fieri*, rationem fidei retinet, ut *ibidem* probavimus, & patet ex *art. præc.* præsertim *num. ult.* ubi ex Castillo indicavimus totum præfatum ratiocinium. *Deus vult omnes homines salvos fieri, Judas est homo, ergo Deus vult Judam salvum fieri*, posse se habere, ut quid *præsuppositivum*, cujus vi non assentimur propositioni illatæ assensu fidei, sed theologico, quo tamen præhabito, per aliud subsequens judicium eidem propositioni, ut præcisæ à discursu, & connexione syllogistica, fidei præbemus assensum. Prior verò ex duplici capite à fidei ratione se elongat, ex præcedenti nempè, & etiam ex quo; propositio illata nullatenùs afficitur *immediatè* à revelatione divina, sed *mediatè* dumtaxàt, non enim Tò *Christus est risibilis*, se habet, ut particularis sub universali aliqua revelata, sed ut particularis connexa, cum alia particulari revelata, *Christus est homo* connexione non revelata *immediatè*, sed naturali ratiocinio eruta ex humanitate Christi; quæ sola *immediatè* est revelata. Sicque etiam patet, cur *cap.3. art.5. num.6.* præcisivè locuti fimus, agentes de propositionibus *illativè*, aut *formalitèr* æquipollentibus relatè ad dicenda *præc. & præsenti artic.*

3. Hinc verò valida confici potest objectio ex eo formata, quòd hoc modo ratiocinando, videatur quilibet fidei actus impetitus, utpotè quia nullus haberi queat sine discursu, qui saltem procedat à revelatione ad rem revelatam. Cui, non eodem tenore respondent Scholastici, aliqui enim cum Cardinali de Lugo *de virt. fid. div. disput.1. sect.13. §.2. num.295.* discrimen agnoscunt inter conclusionem illatam ex revelatis, & mysterium revelatum illatum ex Veracitate, & Testimonio Dei, ob quod hæc, non illa ad fidei assensum spectet, quamvis utrobique intellectus ex bonitate illationis moveatur, quia videlicet bonitas illationis mysterii revelati ex Veracitate, & Testimonio Dei ad formale fidei motivum essentialitèr

pertinet, cum enim per fidem assensum præbeamus Deo, propter Dei Authoritatem, & Testimonium, debet intellectus noster moveri ab illatione mysterii ex Authoritate, & Testimonio Dei. Hoc autem non verificatur de bonitate illationis objecti conclusionis ex mysteriis revelatis, quæ essentialitèr, & intrinsecè ad motivum formale fidei non pertinet, quin potiùs est motivum peregrinum fidei, & extraneum, quòd non ordinetur ad credendum præcisè Deo, sed ad credenda ea, quæ inferuntur ex creditis Deo; quapropter alterato, ex parte saltem, motivo proprio fidei, cessat ratio, ob quam fides extendenda veniat ad assensum objecti conclusionis, sicut ad assensum rerum fidei.

4. Alii tamen, & quidem congruentiùs ad tradita *art. præc.* doctrinam nuper expensam adaptantes, nedùm negant prædictum discursum à Veracitate, & Testimonio Dei ad mysteria revelata esse ad fidei actum per se necessarium, sed etiam assensum præstitum conclusioni virtute dicti discursus habendum autumant, non fidei, sed theologicum. Ita P. Ferrè *in tract. de fid. quæst.* 2. §.6. asserens esse sententiam omnium Thomistarum, & ex Neotericis citans Vasquez, Suarez, Granadum, Ægidium, Turrianum, Tannerum, GasparemHurtadum, & Ouviedum, quibus è schola Subtilium addendi Castillus *art. præc. cit.* nempè *disp.* 8. *quæst.* 1. *num.* 11. & apud ipsum Smisinghius *tom.* 1. *quæst.* 1. *proem. num.* 16. & Pytigianus in 3. *dist.* 24. *art.* 1. §. (Sed oppositam sententiam) Rationem autem responsionis à Suario desumptam efformat Ferrè ex eo, quòd ad assentiendum huic propositioni v.g. *Incarnatio existit* per discursum, necesse est assentiri per fidem theologicam huic minori, sed *Deus revelavit Incarnationem*; hæc namque minor per scientiam haberi non potest, nec per fidem humanam sufficit eam habere, ad inferendam conclusionem theologicam; debet itaque haberi per fidem divinam, & non vi alterius discursus, ne aliàs admittendus esset processus in infinitum, undè admittendus est fidei actus sine prævio discursu genitus. Quo posito, cum non possit idem simplex fidei habitus duplicem habere modum tendendi, & operandi, adeò diversum, ut sufficientèr ex eo inferri valeat multiplicitas principiorum, seu habituum, Castillus recurrit, ut vidimus *art. præc.* ad mobilitatem potentiæ, à qua oritur discursus, transitum ex uno in aliud involvens, cum, contra, assensus fidei oriri debeat à potentia, ut quiescitiva, ac judicativa.

5. Non omisso quoque ex laudato Suarez *disp.* 6. *de act. fid. sect.* 4. *num.* 6. quòd si assensus fidei per se penderet à discursu, non esset certior naturali lumine, utpote qui penderet ex connexione extremorum cum medio, quæ non gaudet, nisi certitudine naturali, à naturali lumine præstita. Absque eo, quòd dici valeat connexionem divinæ revelationis cum veritate rei revelatæ haberi per certitudinem fidei. Vel enim sermo est de connexione, ut agnita per syllogisticam cognitionem, quæ per se pendet à naturali principio, & consistit in illatione unionis extremorum inter se, quæ ducitur ex unione illorum in medio, & de hac arbitrariè asseritur, quòd sit certa certitudine fidei, quantumvis termini, in quibus fit argumentatio, ad fidem pertineant, quia necessitas talis illationis neque est immediatè revelata, neque creditur propter Primam Veritatem Dei revelantem. Vel sermo est de immediata, ac necessaria connexione inter objectum formale fidei, & veritatem rei revelatæ? quam non negandum cognosci per fidem, non tamen beneficio discursus, sed per necessariam, ac simplicem adhæsionem hominis fidei objecto sibi proposito sub tali ratione formali.

6. Essent & alia objecta solvenda, à quibus abstinemus, quòd non adeò difficilis sint solutionis, si semel præ oculis habeatur, tùm quod innuimus *cap.* 3. *art.* 5. *num.* 8, & indicavit etiam Canus relatus *art. præc. num.* 1. diversum nempè quid esse quempiam præsumi hæreticum, & haberi debere formalitèr ut hæreticum, nec ex præsumptione inferri legitimè rigorosam prædictam denominationem, de qua *hoc, & præc. art.* est habitus sermo: Tùm quòd insinuatum est ex Castillo *art. præc. num.* 8. de discursu præsuppositivè prævio ad fidem, & de eo, qui in actu ipso fidei comprehendatur, ex confusione namque unius cum altero persæpè oritur, ut actum fidei pertinere autumetur, quod non est, nisi præviè dispositivum ad ipsum eliciendum; Tùm denique differentia in stabilitis conclusionibus comprehensa, quæ versatur in eo, quòd præmissæ sumantur tamquàm causa, ex quibus eruatur conclusio, quòdque habeantur, ut sunt explicativum ipsius conclusionis; inde autem sequitur, quòd eadem propositio, si consideretur, ut præcisè illata, sit dicenda conclusio theologica, & non fidei, si, ut explicata, sit rigorosè fidei

obje-

objectum, & per fidei assensum credenda. Hisque, similibusque adhibitis distinctionibus non multùm roboris contineri apparebit in plerisque argumentis, quæ primo aspectu ingentem præseferunt efficaciam.

7. Omittenda nihilominùs non videtur instantia, quæ fieri potest ex paritate discursus virtualis ad formalem, quorum primus indispensabilitèr est requisitus ad fidei actum, aliàs minimè verificari posset assensus præstitus v. g. Incarnationis mysterio propter Primam Veritatem Dei revelantem, cum discursus virtualis ex sui natura non dicat multiplicitatem actuum, sed in eodem actu plura objecta, quorum unum respectu alterius sit causa, uti evenit, cum Incarnationem credimus divinæ revelationis virtute. Ex virtualis autem discursus necessitate, obvius est transitus ad formalis compossibilitatem cum fidei actu, ex quo per hunc nil aliud fiat, quàm ex implicito statu ad explicitum reducere propositionem creditam, & præmissas, quæ in unico priùs actu latebant. Quòd si negetur virtualis discursus, insurgit de Lugo *disp.7.de virt. fid. div. sect.1. num.7.*, se nescire quomodò „ intelligi possit, si intelligatur, quid significetur per discursum virtualem, & simul concedatur id, quod negari non „ potest, nec ab ullo negatur, fidem non „ credere Incarnationem. v. g. sistendo in „ ipsa, nec propter ipsam, sed propter divinam authoritatem. Quid enim est discursus virtualis circa Incarnationem, „ nisi moveri ab authoritate Divina ad „ illam credendam? aut quomodo potest „ Divina Authoritas movere ad credendam „ Incarnationem, nisi quatenùs apparet „ talis connexio inter unam, & aliam, ut „ non possit Deus esse summè Verax revelans Incarnationem, quin Incarnatio „ vera sit, nec possit altera negari ab altera „ concedente? hoc autem est virtualitèr „ discurrere, scilicet moveri ex uno vero „ concesso per unum actum, ad assentiendum alteri propter connexionem, quæ „ inter utrumque apparet. Sicut velle „ unum propter aliud, est moveri à bonitate unius objecti volita per eumdem, vel „ per alium actum, ad volendum aliud „ connexum cum illo, seu propter utilitatem ad illud.

8. Fortiorem argumenti vim reddit præclarus Author tradendo discrimen, quod intercedit inter cognosci unum *ex alio*, & cognosci unum *in alio*. Cùm namque unum *in alio* cognoscitur nullus habetur nec quidem virtualis discursus, unde Beati cum cognoscunt creaturas in Divina Essentia, illas cognoscunt *in alio*, nempè in Divina Essentia, quin ullo modo discurrant, quia non procedunt formalitèr, aut virtualitèr ex una in aliam cognitionem, ex uno in alium assensum. Qui tamen transitus extat, quando cognoscimus unum *ex alio*, quia affirmamus principia, & ex veritate principiorum movemur ad affirmandum etiam directè objectum conclusionis, cujus veritas in se non apparet, & ideò debet affirmari propter aliam veritatem, quæ in se appareat. In casu autem præsentis quæstionis, Incarnatio non cognoscitur *in alio*, seu per medium *in quo*, sed *ex alio*, & per medium *ex quo*, „ Nam intellectus per fidem „ non credit solùm Deum Veracem revelantem Incarnationem, ita ut Incarnatio „ solùm cognoscatur, & credatur indirectè, & in obliquo, tamquàm terminus „ revelationis Veracis; sed creditur in recto, & directè veritas Incarnationis, quæ, „ cum non appareat in se, non potest intellectus ei veritati assentiri in se directè, „ nisi innitatur alteri veritati, quam directè etiam credat; atque ideò necesse est, „ quòd interveniat discursus aliquis saltèm virtualis, qui habet easdem omninò „ difficultates, si quæ sunt, quas Authores contrariæ sententiæ invenire conantur in discursu formali „

9. Solutio nihilominùs deducenda est ex præjactis monitis „ juxta quæ non admittimus, quòd ut quis credat Incarnationem, debeat priùs credere, Primam Dei Veritatem revelantem id dicere, quicquid enim sentiat Lugus, potest vera, & rigorosa fides componi cum evidentia, quæ à Theologis dicitur in *Attestante*. Immò eam actu haberi respectu catholicæ Religionis præ aliis Sectis credendæ, defendunt gravissimi Authores, quos inter Sapientissimus Societatis Præpositus generalis Thyrsus Gonzalez omninò legendus in egregia, quam edidit, *Manuductione ad conversionem Mahumetanorum*, in qua *prima parte cap.2.* id probat, & ab oppositionibus vindicat. Semel autèm admissa hac opinione, & hypothesi „ evidentèr, (ait Ferrè *num.91.*) constare potest, tunc credere, non esse discurrere, nam in bono discursu, si præmissæ evidentes sint, necesse est conclusionem esse evidentem. Cum ergo cognitio, qua Deus cognoscitur esse summè Verax in dictis, & qua videretur esse „ Deum, qui loquebatur, esset eadem,

 non

„ non posset tunc adesse discursus „ ut autem vim habeat hoc argumentum, ad intentum sufficit, quòd Prima Veritas non necesse sit, quòd credatur, *ut quod*, ita ut ex ea credita moveatur intellectus ad fidem præbendam rei revelatæ, & negationem fundamus in doctrina ejusdem Cardinalis *disp.1. num. 82.* ubi quòd Authoritas Dei revelantis non sit motivum ad credendum mysterium, ut cognita per fidem, seu ut credita, sed ut cognita aliundè independentèr à Testimonio, & revelatione Dei.

10. Quod quoque solidè firmat laudatus Thyrsus Gonzalez *p.1. cap.4. num.87. & seqq.* in hanc formam arguens „ Potest dari „ assensus fidei divinæ innitens Authoritati, „ & Veracitati divinæ, quæ supponi debeat aliundè cognita independentèr à Testimonio Dei dicentis: ergo non est de conceptu fidei, niti authoritate divina, ut cognita per fidem, sed potest niti illa, „ ut cognita per rationem naturalem. Probatur antecedens; nam sicut Deus potest testari se esse summè sapientem, „ æternum, immutabilem &c. ita potest testari se esse summè Veracem, atque adeò nunquàm posse aliquem fallere; ergo possumus credere Deo dicenti se esse Veracem, motivum autem hujus assensus est Dei Veracitas; at non ut credita, ergo ut aliundè sufficientèr cognita, „ ergo Veracitas ut cognita independentèr „ à Dei Testimonio, seu ut cognita per lumen rationis, potest esse ratio credendi mysteria. Probatur minor, quia stultum est credere aliquem esse Veracem, præcisè, quia ipse hoc dicit, idest nisi aliundè nobis constet, illum esse virum probum, „ & dignum fide: ergo respectu assensus, „ quo credimus Deum esse Veracem, non movet Veracitas ut credita, Deo testificanti, se esse Veracem, sed movet ut cognita independentèr à Testimonio Dei dicentis; postquàm enim per discursum naturalem sæpè illustratum lumine gratiæ cognoscimus Deum existere, & esse summè bonum, & probum, Deus de se ipso testatur se esse summè Veracem, „ possumus, ac debemus per assensum fidei „ multò certiorem credere id ipsum, tunc „ verò motivum ad credendum, Deum esse Veracem, est Veracitas ipsa, non ut credita Deo dicenti, sed ut cognita per lumen rationis.

11. Quod confirmatur, & explicatur: Nàm quamvis stultum sit firmitèr credere, aliquem virum nobis ignotum esse „ Veracem præcisè, quia hoc de se ipso dicit, quin aliundè habeamus argumentum prudens, quo id ipsum nobis persuadeamus; tamen quando vir aliquis, cujus prudentia, & probitas est mihi aliundè nota, testatur se ita esse amantem veritatis, ut propter nullam mundi rem, unquàm ausus fuerit mentiri, prudentèr possum illum esse Veracem credere propter ipsius testimonium, præsertim si sit meus Superior, cui omnem reverentiam debeo, & quidem possum credere illi fide, atque judicio firmiori, quàm ex aliis circumstantiis colligere possem: nam honor, & reverentia, quam ei debeo, & Superioritatem, & probitatem exigunt, ut ipsi testanti se esse Veracem, credam firmitèr hoc ipsius dictum: cum ergo lumine naturæ nobis constet Deum esse summè Veracem, atque Sapientem, si nobis sufficientèr constet ipsum dixisse se esse summè Veracem, debemus id credere assensu firmiori quovis alio, quem ob rationes naturales possumus elicere.

12. Hactenùs Thyrsus, qui *num. 91.* mentem D. Thomæ *2.2. q.1. art.5. ad 3.* esse contendit, quod Veracitas Dei saltem in his, qui habent de illa evidentiam, non attinet ad fidem tamquàm res credita, sed tamquàm principium, & præambulum credendi *Deum esse*, *Deum esse unum*, & alia hujusmodi, *quæ demonstrativè probari possunt, inter credenda numerantur, non quia de illis simplicitèr sit fides apud eos, sed quia præexiguntur ad ea, quæ sunt fidei*. Insubsistentem propterea asserit *num.106.* illationem, qua Lugus ex eo, quòd actus fidei attingat intrinsecè Veracitatem Divinam, ut rationem formalem assentiendi, deducit, quòd illam affirmet, cum solùm inferri possit, quòd vel illam affirmet, vel quòd titulo affirmandi mysterium de se occultum, & impotens exercere munus motivi, supponat essentialitèr alium actum proponentem illam authoritatem, à qua moveatur. Ideoque *num.* 107. concludit „ per assensum fidei, „ quo credimus existentiam Incarnationis, non debere credi, *ut quod* Veracitatem divinam, seu non debere affirmari; „ sed posse supponi aliundè affirmatam, & nihilominùs ab illo intrinsecè moveri ad assensum Incarnationis; assensus autem Veracitatis, qui essentialitèr supponitur ante assensum mysterii, non debet esse actus elicitus à fide, utpote cui essentiale est credere Deo dicenti, & moveri ab „ ejus testimonio, sed debet esse elicitus ab alio

„ alio lumine. Undè ficut assensus conclu-
„ sionis scientificæ, & assensus principio-
„ rum pertinent ad diversos habitus, ita
„ assensus mysteriorum ob Veracitatem
„ divinam, & assensus Veracitatis perti-
„ nent ad diversa lumina.

13. Sistendo itaque in terminis Cardinalis, discursum virtualem dupliciter accipi posse dicimus; *Primò* quatenùs aliquid talis sit naturæ, ut ex eo confici queat discursus formalis, & in hoc sensu trasmittere non repugnamus, quòd cum assensum præbemus rei revelatæ propter primam Veritatem revelantem, intersit virtualis discursus, ex quo confici possit syllogismus formalis, v.g. *quicquid Prima Veritas revelat, est verum, Prima Veritas revelat Incarnationem, ergo Incarnatio est vera*. Sic autem non valet illatio à discursu virtuali ad formalem, quia discursus virtualis, & si in re sit, non tamen à credente consideratur ut talis, qui assensum præbet unico actu rei revelatæ propter divinam Veracitatem, non ad modum plurium, sed tamquàm unicum objectum, eo modo, quo ex Castillo *art. præc. num.* 8. tetigimus de potentia visiva, quæ discursiva non est, (& in hoc vim habet paritas, quæ sub alia formalitate non militat ob reflexionem ex eodem Thyrso inferendam *num. ult.*) & tamen attingit coloratum, & lucem, ac coloratum propter lucem. *Secundò* potest sumi discursus virtualis, ut in eo verè *implicitè* veniant, quæ habentur *explicitè* in discursu formali, adeout sicut in hoc explicitè concurrit ad conclusionis alicujus assensum, puta: *Incarnatio existit*, nedum Prima Veritas revelans, sed & connexio inter Primam Veritatem revelantem, & existentiam Incarnationis lumine naturali, & per evidentem deductionem illatam, ita & in virtuali *implicitè* veniat & Prima Veritas revelans, & connexio, ut evidentèr deducibilis, sicque negamus in quolibet actu fidei virtualem discursum intercedere, quia Prima Veritas revelans non se habet, ut *medium quod* creditum influat in assensum rei revelatæ, sed ad modum lucis, qua per unicum simplicissimum actum cognoscuntur & revelatio, & res revelata, & hæc propter illam credatur.

14. Verum proindè est, medium, aliud se habere *ex quo*, aliud *in quo*, sed *Tò ex quo* adhùc subdistingui debet, cum possit se habere *ex quo* tamquàm ex causa proximè influente per vim illativam in assensum conclusionis, & talis naturæ negandum est Primam censendam Veritatem; & possit se habere *ex quo*, tamquàm ex aliquo præsupposito, non proxime concurrente per vim illativam ad conclusionis assensum, sed immediatè per se ipsam absque ullo illationis adminiculo, sicque admittimus dici posse *medium ex quo*. Hinc autem cū dicitur Authoritatem Dei, ut revelantis, non movere, nisi ut cognitam, *Tò ut* non reduplicat rationem formalem movendi, sed aliquod præsuppositivè requisitum, ut moveat, & sine quo movere non posset, ut ex Angelico innuimus de notis credibilitatis *art.* 16. *nu.* 16. Ad cujus majorem firmitatem, solutionemque replicæ, quæ fieri posset ex illo principio, *propter quod unumquodque tale, & illud magis*, quo nos *cap.* 3. *art.* 13. usi sumus pro concludenda infallibilitate definitionis Ecclesiæ ex infallibilitate rei virtute illius definitæ, ac si pariter ex eo sequi debeat in præsenti, quòd si assentimur *Incarnationi*, quia Deus summè Verax revelavit, à fortiori debeamus assentiri per fidei actum ipsi Deo summè Veraci revelanti, & proinde quòd ille ab hoc necessariò pendeat assensus, tamquam à causa; placet imponere coronidem quæstioni ingeniosa reflexione ejusdem P. Thyrsi §. 4. *cap.* 4. *à num.* 110. negantis axioma præfatum semper habere locum in fide, licèt verificetur in scientiis, & voluntate.

„ 15. Nam fides assumit tamquam
„ principium, à quo moveatur Divinum
„ Testimonium, quin assumat, ut princi-
„ pium motivum illud, quo inducti sumus
„ ad credendum, Deum revelasse myste-
„ rium: at scientia nihil assumit, ut prin-
„ cipium, nisi vel sit per se notum ex ter-
„ minis, idest notum sine probatione, vel
„ legitimè deductum ex per se notis, quate-
„ nùs ex his deductum; ita nimirum, ut non
„ moveatur ad conclusionem scientificam,
„ nisi quatenùs probatam ex per se notis;
„ est enim regula, & lex inviolata scientia-
„ rum, ut incipiant ex per se notis, & ac-
„ ceptis, deinde autem procedant ex aliis
„ deducendo, & probando, neque in pro-
„ gressu liceat quidquam assumere, nisi ut
„ probatum, & probatione ipsa movente,
„ & ideò nihil est virtutis in medio, quod
„ non fuerit in principio, & indè sit deri-
„ vatum: undè cessante primo, cessat to-
„ tum, ruitque totus progressus: & quia
„ virtus quò remotior, eò influit remis-
„ siùs, conclusiones, quò à principiis re-
„ motiores, eò sunt minùs certæ, ut multi
„ philosophantur; vel saltem, ut omnes fa-
„ tentur, nequit plùs certitudinis esse in
pro-

progressu, vel conclusione, quàm fit, „ vel fuerit in principiis, seu præmissis; „ atque adeò si aliquid claudicat in medio, „ claudicat in fine; & propterea conclusio „ sequitur debiliorem partem. Fides au„ tem longè aliter procedit, quia principia „ sua assumit, non probat, neque habet „ præmissas, ex quibus incedat, sed præ„ ambula, quæ præsupponat, in quibus „ fides se non ingerit, sed illis constitutis, „ incipit eliciendo assensum certiorem, & „ firmiorem, quàm sit ille, qui versatur „ circa præambula: siquidem hæc cognita „ cognitione inferiori detegunt Authori„ tatem Divinam, quæ meretur assensum „ firmiorem, quàm meruerint ipsa præam„ bula. Aliter ergo procedit scientia, „ quam fides: Sicut enim scientia non „ probans, non est scientia, ita fides pro„ bans, non est fides: nam fides assentitur „ mysterio, non quia rationibus probetur „ esse verum, sed quia Deus dicit esse ve„ rum, propter cujus Authoritatem assen„ titur firmiùs, quàm assentiatur scientia „ propter suas probationes.

16. Cum ergo cognitio Veracitatis „ divinæ sit præambulum ad assensum fi„ dei, hic non supponit illam cognitio„ nem, tamquàm fundamentum, cui in„ nitatur, vel tamquàm regula, cui com„ mensuretur, sed tamquàm conditionem „ præviam repræsentantem motivum, cui „ fides inniti debet: habitus enim fidei si„ mul cum habitu piæ affectionis (quæ est „ specialis virtus moralis distincta ab aliis, „ ut probat P. Suarez *disp.7.sect.2.*) inclinat „ intellectum ad assentiendum mysteriis, „ quæ proponuntur, ut evidentèr credibi„ lia, tamquàm dicta à Deo, per assensum „ firmum super omnem assensum: videns „ enim homo evidens esse, quòd possit, ac „ debeat aliquod mysterium credi tam„ quam dictum à Deo, per habitum piæ „ affectionis, vel per inspirationem super„ naturalem supplentem ejus vices, elicit „ imperium, quo determinat intellectum, „ ut propter Authoritatem divinam, sibi „ aliundè sufficientèr cognitam, assentiatur „ Deo testificanti mysterium. Unde certi„ tudo actus fidei commensuratur cum ha„ bitu fidei, & cum habitu piæ affectionis, „ & cum Authoritate Divina, ut revelan„ te, non autem cum rationibus naturali„ bus, quibus inducti sumus ad judican„ dum, Deum esse summè Veracem, & „ revelasse illud mysterium; e contra verò „ certitudo conclusionis scientificæ debet „ commensurari cum motivis, quibus „ intellectus inductus est ad assentiendum „ præmissis, quia scientia procedit inferen„ do unum ex alio, & tota ejus certitudo „ coæquatur evidentiæ objectorum, & „ evidentiæ illationis unius ex alio, quia „ scientia facit scire, & intelligere, idest, „ quasi intùs legere, ut explicat D. Tho„ mas, & ideò est oculata, & comparatur „ visui, quia, sicut visus, fertur in objecta „ sua, quatenùs apparent, & patent per „ motiva, & principia evidentia; at fides „ non est discursiva, sed cæca, quia verita„ tem non eruit ex natura ipsius veritatis „ credenda, ejusque causis, & effectis, sed „ ex Testimonio, & Authoritate Dei, & „ ideò non visui, sed auditui comparatur à „ Paulo: quia non videmus nisi clara, au„ dimus autem non solùm obscura, sed ob„ scurissima, & prorsùs inintelligibilia, & „ ideò fides dicitur *argumentum non apparen„ tium*. Quam Doctrinam accipio ex D. „ Thoma 2.2. *quæst.5. art.2.* ubi ait: *Dicen„ dum, quòd intellectus credentis assentit rei cre„ ditæ, non quia ipsam videt, vel secundùm se, „ vel per resolutionem ad prima principia per se „ visa, sed quia convincitur per Authoritatem „ divinam assentire his, quæ non videt, & pro„ pter imperium voluntatis moventis intelle„ ctum, & obedientis Deo.* „ Plura desiderans, adeat ipsum Thyrsum, verè dignum, ut præ oculis habeatur.

17. Video posse hic fieri instantiam, quam indicat Suarez *disp.10. de Summ. Pontif. sect.5. num.3.* ex ratione, vi cujus *cap.3. art.8. nn.18. & seqq.* diximus objectum fidei divinæ esse, quòd SS. D. N. Clemens XI. sit verus Christi Vicarius, legitimusque Petri Successor, quia aliàs nutaret fides circa res ab eo *ex Cathedra* definitas. Vel enim nullius est momenti modus hic arguendi, vel nuper expensa doctrina habenda est parùm solida, dum ex ea asseri posset sufficientem ad fidei divinæ assensum præbendum definitis à Papa esse solam moralem certitudinem, quòd definiens sit supremus Præsidens Apostolici Throni, ex qua præviè supposita tamquàm præambulo, dein per actum novum rigorosæ fidei assentiamur ab eo definitis propter Primam Dei Veracitatem revelantem. Instantiæ tamen occurrit idem Suarez sufficientem moralem certitudinem esse, quotiès considerantur res propositæ in ratione credibilium, & prout aliàs definitæ, ac certæ à proximo Proponente traduntur; secùs verò de eo, quem nos sequi debemus, ut infallibilem fidei regulam, ejus materias ulti-

ultimò definientem. Quod comprobat paritate Sacræ Scripturæ, quam fide catholica oportet credere, ut indè eadem fide credantur contenta in ipsa, quorum fides non subsisteret, si de illa, sola haberetur certitudo moralis: sicut autem Sacra Scriptura est regula fidei, ita & Romanus Pontifex. Et rationem ulteriorem ait esse, quia quæ in Scriptura continentur, vel à Pontifice ex *Cathedra* resolvuntur, ut vera sint, non pendent ex eo dumtaxat, quòd credibile sit etiam evidentèr hanc esse Sacram Scripturam, hunc esse Summum Pontificem, sed ex hoc, quod verè, & infallibilitèr ita sit, & proindè opus est, ut tanta certitudine credatur verè ita esse, quanta creduntur ea, quæ in Scriptura extant, quæque Apostolica Sedes *ex Cathedra* definit.

18. Applicando autem responsionem cohærentiori formula, ad tradita *numeris præcedentibus*, supponendum indubitantèr est, quòd fidei divinæ actus elici haud quaquàm possit, nisi concurrat summè Veracis testimonium, mysterium aliquod manifestans, nec majorem infallibilitatem in actu elicito esse, quàm sit in ipsomet Testimonio summè Veraci in dicendo, & quoad hoc, vim habet principium: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Si enim actus noster infallibilis est, quia innixus summè Veracis Testimonio, à fortiori, & Testimonium ipsum infallibile esse debet, incapax videlicèt ut decipiatur, aut decipiat. Hujusmodi infallibilitatem nihilominùs non necessariam diximus in cognitione, quam habere debemus de existentia ipsius divini Testimonii, immò nec de ipsa Dei Veracitate, sed sufficiens ad id esse, quòd præviam habeamus cognitionem, quæ morali gaudeat certitudine, immò & quandoque juxta explicationem dandam *artic*. 21. satis esse valet sola probabilior notitia, non enim credimus mysteriis propter cognitionem, quam habemus de divino Testimonio, sed propter divinum Testimonium, in quo proindè, & non in cognitione, necesse est, ut involvatur infallibilitas, ob quam & infallibilis reddatur actus fidei eliciendus. Quod est adeò verum, ut inhærendo Subtilium Magistri principiis Thyrsus Gonzalez sufficientem ad intentum statuat actum humanæ fidei, de cujus veridicitate nullum adsit in contrarium suspicionis motivum, sicuc plerumque contingere in dies conspicimus in pueris, & rudibus, qui mysteriis revelatis fidei assensum præbent ex Parentum, aut Parochorum authoritate testificantium, Deum prædicta mysteria revelasse, ut insinuatum manet *cap*. 3. *art*. 15. *num*. 11. 12., *& art*. 16. *num*. 14.

19. Et quamvis cum morali certitudine, qua securi efficiuntur, decipiendos neutiquàm ab illis fore, conjunxerimus signa, quibus revelatio prędictorum mysteriorum reddatur evidentèr credibilis, hæc tamen nec tollant, quin ad actus divinæ fidei eliciendos moti pueri, & rudes non sint ex fide humana Parentibus, & Parochis præstita, cum ipsi antiquitatis monumenta non adeant, neque evolvant historias, neque cunctorum hominum conferant sermones, sed ex eorumdem Parentum, & Parochorum instructione tenent revera præcessisse illa prodigia, quibus mysteria eis explicata redduntur evidentèr credibilia. Nec eorum notitia in praxi est essentialis, ut explicitè communicetur, quoties præsertim, qui instruuntur, ad eorum intelligentiam capaces non habeantur, undè *ca*.4. *contr. epist. fundamenti* Augustinus: *In Catholica Ecclesia ad sincerissimam Sapientiam pauci spirituales perveniunt in hac vita, cæteram quippè turbam, non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit*; & (*epist*. 102. *ad Evodium*) *si propter eos solos Christus mortuus est, qui certa intelligentia possunt ista discernere, penè frustra in Ecclesia laboramus*; *Si autem, quod veritas habet, infirmi populi credentium ad medicum currunt sanandi per Christum, & hunc crucifixum, & ubi abundavit peccatum superabundet gratia, miris fit modis per altitudinem divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, ut multi in Cruce Christi gloriantes, etiamsi, ista, quæ subtilissimè differuntur, ignorent, ad eamdem perveniant æternam veritatem, charitatem* &c. „ ergo (illatio est Thyrsi Gonzalez *p*. 1. *c*. 6. „ *num*. 180.) ut Rustici, & simplices credunt „ fide divina mysteria revelata, satis est, „ quòd videant Parochum, & Sapientes „ affirmare Deum revelasse hæc mysteria, „ quin habeant fundamentum ad dubitan- „ dum, illos falsum dicere: hoc enim po- „ sito prudentèr credunt fide humana „ Deum revelasse hæc mysteria: hac autem „ fide instructi, jam propter Authoritatem „ Dei revelantis credunt veritatem myste- „ riorum.

20. Hoc verò totum suo modo evenire dicimus in actu fidei divinæ eliciendo circa Romanum Pontificem, quo hic numero homo creditur verus Christi Vicarius, non obstante, quòd tum de ipsius canonica electione, tùm de Ecclesiæ acceptatione non habeamus, nisi præviam fidem humanam, quæ

quæ tamquam præambula se habeat, ut indè divino lumine illustrati per voluntatis imperium prorumpere possimus in supernaturalem actum fidei de ipsius authoritate, potestate, & infallibilitate in definiendis dogmatibus à Dominico grege credendis. Quæ tamen adhùc fide divina credi non possent, nisi paritèr fidei divinæ objectum in se esset Rom. Pont. legitima electio. Cujus discriminis ratio in eo est sita, quòd implicet actus divinæ fidei de mysteriis revelatis, quin constet divina eorumdem revelatio, sivè per scientiam, sivè per moralem certitudinem, sivè ex prudenti hominum testimonio, sivè denique ex testimonio ipso divino. Cum autem Romanus Pontifex definit ex. gr. *Christum duas habere voluntates divinam, & humanam*, revelatio ipsa hujus determinati mysterii, (si semel de novo explicitè supponitur cognita) nobis non constat, nisi ex ejusdem Rom. Pontif. declaratione; sed non quæ expositiva sit revelationis aliundè notæ, & Ecclesiæ explicitè antea manifestatæ, uti evenit in Parentibus, & Parochis pueros, rudesque instruentibus, sed revelationis, quam ipsemet definitivè ex *Cathedra* adesse determinet, tamquam viva regula omnium credendorum.

21. Quod autem sit viva regula, non nisi per fidem constat, ob divinas videlicet promissiones Petro, & in Petro ejus legitimis Successoribus factas, & quidem verè talibus, & non dumtaxat pro talibus habitis. Undè, ut certi simus Clementem XI. esse revera vivam credendorum regulam, ac in eo residere Authoritatem, & potestatem ultimò definiendi fidei dogmata, debet nobis infallibiliter constare, quòd verè sit Christi Vicarius, & Petri legitimus Successor. Quæ infallibilitas haberi cum nequeat ex sola Cardinalium electione, fundari non potest, nisi in Ecclesiæ totius consensu, ac acceptatione, quæ *columna*, & *firmamentum* est *veritatis*, uti ex Suario tetigimus *c.3. art.5.n.15.* & consequentèr non nisi in divinam assistentiam ipsi promissam refundi, ne in fidei materia unquàm decipiatur, & præsertim in dignoscenda, & obsequentèr recipienda suprema, ac viva dogmatum omnium regula, circa quod, ejus infallibilitatem nedum passivam, sed & de judiciali aliquid involventem innuimus *cap.3. art.16. num.* 10. Hinc autem patet disparitas inter Primam Veritatem Dei revelantem, & Romanum Pontificem, cur nempè possimus fidei actum elicere circa Incarnationem, e. g. à Deo revelatam, quin præviè præsupponatur per fidem cognitum Primam Veritatem nec fallere, nec falli posse, quia de hoc satis est, quòd præhabeatur certa notitia aliundè, quam per ipsam fidem comparata. Non sic de Romano Pontifice, cujus tàm infallibilitatis in definitionibus fidei, quàm legitimitatis in Christi Vicariatu, ac Petri successione cognitio pendet ex divinis promissionibus, virtute quarum ad eum pertinet confirmare totum gregem dominicum in fide, & ad Ecclesiam ipsam, ut legitimè electum recognoscere, Spiritu Sancto non minus, illum, quàm hanc dirigente, ne fiant ulli errori obnoxii.

22. Ad tollendam adhùc æquivocationem, quæ posset insurgere, monendum expressius ducimus, nos hic non prætendere, quòd quoties assentimur definitis per Romanum Pontificem, necesse sit, quòd vel per eumdem actum, vel per alium credamus ipsum esse verum Christi Vicarium, & Petri Successorem. Hanc namque cognitionem præviè habitam supponimus, & quoad rudes, etiam per solum fidei humanæ actum, quo à Parocho instruantur Romanum Pontificem prærogativa infallibilitatis præditum esse, absque ulteriori indagine, & notitia. Quo casu, attenta fallibilitate Parochi instruentis, de actibus fidei ab istis eliciendis locum habet, quod diximus *c.3. art.16. n.* 14. solùm ergo prætendimus, quòd nisi fidei objectum in se revera esset, hunc numero Romanum Pontificem esse verum Christi Vicarium, legitimumque Petri Successorem, cessaret radix, & fons infallibilitatis, vi cujus credenda per ipsum definita sunt fide divina; quia non in aliam, quàm in divinam Spiritus Sancti assistentiam Ecclesiæ promissam, ne in ipso acceptando decipiatur, refundi potest, certa de ejusdem legitima electione notitia. Cœterùm si constare simpliciter posset aliundè, quàm ex præfata divina erga Ecclesiam acceptantem assistentia, legitima Romani Pontificis electio, eo modo, quo constare diximus Deum esse Primam Veritatem in dicendo, quæ circa objecta nobis manifestata nec fallere, nec falli possit, scrupulum ampliùs non haberemus concedendi, quòd sicuti fidei assensum præbemus revelatis à Prima Veritate, quin hæc sit fidei divinæ objectum, sed aliundè sit cognita; ita & possemus fide divina credere à Rom. Pont. ex *Cathedra* definita, quin objectum fidei sit eorumdem legitimitas in Vicariatu Christi, & Apostolorum Principis canonica successione.

AR.

ARTICULUS XX.

An Propositio asserens fidei divinæ objectum esse, vel hæreticam aliquam propositionem opinabilem, sit hæretica?

1. Recolendo, quæ tetigimus *c.1. art.1. nu.15.* Theologiam videlicet Dogmaticam suas modales propositiones comprehendere ob modos theologicos, quibus eædem affici possunt, & ex quibus resultat qualificatio composita, seu reflexa, uti, cum dicimus aliquam propositionem esse *de fide, fidei proximam,* aut è contra *hæreticam, erroneam, temerariam* &c. clarum est modos hujusmodi addi quandoque posse propositionibus ipsis per Ecclesiam definitis, quandoque verò propositionibus, quæ adhùc apud Scholasticos sunt controversæ, aliis unam tuentibus partem, aliis alteram. Si de propositionibus jam definitis sermo habeatur, & modi illi sunt ipsius definitionis explicativum, tunc modalis erit veritatis æternæ, utpotè testimonio Primæ Veritatis revelantis innixa, cujus generis censendæ sequentes: *Verbum Incarnatum fuisse, est de fide; Hæreticum est Christum non habuisse duas voluntates, divinam scilicet, & humanam,* & aliæ non dissimiles. Sicuti, si non explicativi sunt definitionis, sed potiùs definitioni, aut rei definitæ repugnantes, modales propositiones erunt æternæ falsitatis, ac *hæreticæ,* uti, si diceretur: *Hæreticum est, quòd Verbum sit Incarnatum; De fide est, quòd Christus non habeat duas voluntates.* Quod & potest contingere, etiam si modi afficiant definitionem, aut rem definitam, non tamen juxta qualitatem, quæ verè competat, sed aut augendo, aut etiam illã diminuendo: si quis namque diceret: *Scandalosum est asserere, quòd Verbum non sit incarnatum,* esto simpliciter verum proferret, si tamen Tò *Scandalosum* accipiatur in sensu exclusivo acrioris notæ, quàm dictum illud meretur, propositio modalis est æquè, quamvis in diverso gradu æternæ falsitatis, ac ista: *De fide est Verbum non esse incarnatum,* hoc tamen discrimine, quòd posterior revelationem positivè affirmat de mysterii revelati contradictorio, prior dumtaxat negat immediatam revelationem de mysterio revelato, dum oppositi enunciatio, ab *hæresi* immunis habetur, & capax dumtaxat notæ *temeritatis.*

2. Si verò loquutio procedat de propositionibus controversis, quarum utraque pars suos in Ecclesia graves habet Patronos, adhùc controversia potest esse de modo ipso, quo propositio sit afficienda, quotiès videlicet quæstio erit circa ipsam propositionis qualitatem, an nempè sit *fidei objectum? aut theologicè certa?* vel è contra, an sit *hæresis,* aut *erroneitatis* nota profliganda? Quo casu, potest dubium moveri respectu opinantium aliquod objectum esse *fide* tenendum, an re vera oppositum sustinentes sint *hæreseos* stigmate configendi? de quo *artic. sequent.* Et potest controversia esse, non de *modo,* sed de propositione ipsa, quæ *modo* afficitur, uti, si quis diceret: *De fide est Verbum fore incarnandum, si Adam non peccasset,* aut: *Hæreticum est Verbum fore incarnandum, si Adam non peccasset,* utraque modalis esset certissimè falsa; quia propositio dictis modis affecta, nec *fidei* objectum est, nec *hæresis,* sed opinabilis, non minùs, ac ejus opposita: *Verbum non fore incarnandum, si Adam non peccasset;* quæ propugnatur communissimè à Thomistis, cùm affirmativam præcedentem defendant constantissimè omnes Scotistæ, productis ab utriusque Scholæ Doctoribus pro sua respectivè opinione sacrarum literarum, Conciliorum, & Patrum authoritatibus, theologicisque rationibus, ob quas utraque opinio in Ecclesia verè probabilis habetur, ac cuilibet licitum est alterutram, quæ sibi magis arriserit, pro libito seligere.

3. Posito autèm quòd controversia sit de propositione enunciata, & non de modo, qui, ut falsus ab omnibus rejicitur, quæstio proposita locum habet, an videlicet enuncians v. g. *De fide esse Verbum fore incarnandum, si Adam non peccasset,* aut è contra: *Hæresim esse Verbum fore incarnandum, si Adam non peccasset,* formet propositionem hæreticam? Quod namque censura id dignum sit, dubitari non potest, dicente ex Augustino Angelico Præceptore (*opusc.1. in prologo*) *Multùm nocent talia, quæ ad pietatis doctrinam non spectant, asserere, vel negare, quasi pertinentia ad sacram doctrinam.* Instituitur autem quæstio de his potissimùm modis, quorum alter *fidei* objectum exprimit, alter *hæresis* notam, quia si semel, uti revera nos dicendum putamus, hæreticæ habendæ non sunt modales prædictæ, controvertibiles involventes enunciationes, patet nec hæreticas fore censendas alias quaslibet modales inferioris notæ, & gradus, quàm sint præcedentes. Sicuti, etiamsi hæretica non est modalis enuncians *fidei objectum,* aut *hæresim* esse propositionem controvertibilem, &

quoad utramque partem verè probabilem, paritèr sequitur, nec hæreticam esse posse modalem, *fidei objectum*, aut *hæresim* enunciantem esse propositionem, quæ sit vel *proxima fidei*, vel contra, *erronea*, aut alia inferiori nota digna. Quamvis namque dictum hujusmodi propositionum non sit opinabile, sed revera vel verum certitudine proxima fidei, vel falsum falsitate, non quidem *hæresim* attingente, sed ad eam magis, aut minùs accedente, convenit nihilominus cum dicto propositionum controvertibilium, in hoc, quòd nulla certissimè adsit revelatio, ob quam una pars *fidei* dici queat, altera *hæretica*; & ideo uterque modus semper erit indubitantèr falsus, & esto falsitas non tanta sit, quanta, quoties applicatur propositioni controvertibili, non ideo tamen ad eam falsitatis malignitatem pervenit, ut hæreticam reddere possit propositionem modalem illo affectam.

4. Duos proindè dumtaxat casus in hac materia invenire potuit Suarez *disp.* 19. *de infid. apost. &c. sect.* 6. *num.* 6. in quibus locus adsit opinioni Alphonsi de Castro *li.*1. *de justa hær. pun. cap.*8. *dub. ult.* & Cordubæ *qu.*17. §.7. *dub.*2. sententium posse aliquem ob dictam causam *hæretici* nota dignum affici: *primò* nempè cum quis tanta firmitate aliquam opinionem quamvis probabilem, immò & fortassis veram sustinet, ut paratus sit pro ea mori, vel aliquid simile tolerare, adeout animum deliberatum habeat non credendi contrarium, etiamsi Ecclesia id definiret. Qua data hypothesi *hæresis* nequaquàm sita esset in assensu opinativo, sed in pertinacia hæretica, & in judicio, quod includeret contra infallibilitatem Ecclesiæ, uti pariter advertit P. Ferrè *tract.*2. *de oppos. fid. qu.*14. §.5. *n.*24. & 25. ubi in objectorum solutione notat pertinaciter sic adhærentem alicui opinioni, ne dum esse habitualiter dispositum ad non credendum aliquod, etiam si ab Ecclesia definiatur de fide, quod fortè non esset sufficiens, ut quis verè hæreticus habeatur, ita cum ipso sustinentibus Caetano *in summ. verb. Hæresis*, Navarro *in sum. hisp. cap.*11. *num.*17. & *latina num.*22. Vasquio 1.2. *q.* 76. *art.*3. *disp.*126. *cap.*3. *num.*8. sed actu judicare assensum non præbiturum parti oppositæ, estò Ecclesia oppositum definiret, quia hoc esset actu judicare Ecclesiam in suis definitionibus errare posse. *Secundò*, si Ecclesia, de aliqua re definiisset non esse certam, & nihilominùs aliquis sentiret, & cum pertinacia affirmaret esse certam, tunc namque defectus non esset, nisi in materia hæretica; quia ut ait Augustinus (*in Enchir. cap.*17. & 19.) *habere incerta pro certis error est*, qui, si est in materia definita, est hæreticus. Optimè autem præfatus Author definitionem Ecclesiæ veluti *negativam* proposuit, qua videlicet decernatur aliquid *non esse certum*, & quidem definitione *ex Cathedra*, & ultimata, quia, si solùm Ecclesia declararet, posse quempiam ex duabus contradictoriis partibus propugnare, quam voluerit, quòd de nulla earumdem constet certa, & expressa revelatio, non ideò qui alteram ex dictis contradictoriis partibus tamquàm *de fide* defenderet, esset dicendus *hæreticus*; cum nec se formalitèr opponeret primæ Veritati revelanti, nec Ecclesiæ infallibilitati, quousque hæc non profert ultimam *ex Cathedra* resolutionem, sed solùm veluti permittit utramque contradictionis partem impunè sustineri, quòd adhuc de neutra appareat certa, & indubia revelatio.

5. Quod quoque extendendum videtur ad definitiones Ecclesiæ sub censurarum gradibus infra *hæresim*, ut *hæreticus* formalitèr non sit habendus, qui etiam præsupposita definitione Ecclesiæ, qua aliqua propositio declaratur *erronea*, illam contenderet esse *hæreticam*, nisi id proferat cum exclusione *erroneitatis*, quæ sola opponeretur infallibilitati Ecclesiæ; non tamen assertio, quòd sit *hæretica*, cum possint ad invicem compati respectu ejusdem propositionis nota *hæresis*, & *erroneitatis* relatè ad diversos Scripturæ textus, ut *cap.*5. fusiùs probabitur; & idcircò qui diceret *hæreticam* propositionem, quam Ecclesia definivit *erroneam*, non ideò negat *erroneitatem*, & consequentèr non immediatè se opponit infallibilitati Ecclesiæ, ut si diceret non esse *erroneam*; ac propterea eximendus ab *hæreseos* nota; licèt, unà cum illis, qui propositiones controvertibiles, aut fidei objectum asserunt, aut rejiciunt tamquàm hæreticas, inter eos sit connumerandus, de quibus Canus *lib.*12. *de loc. usu in schol. disput. cap.* 11. „ Quomodò „ omnibus in rebus asseverandi temeritas, „ pronunciandique audacia turpis est qui- „ dem, sed in his, quæ ad Ecclesiæ doctri- „ nam attinent, est periculosa, vel maxi- „ mè. Habet enim contemptionem super- „ bam Ecclesiasticæ regulæ, quam con- „ temptionem, nisi fidei Judices coerceant, „ & comprimant, dici non potest, quan- „ tùm discriminis omnis Ecclesiæ doctri- „ na sit habitura. Quæ igitur non incon- „ sulta oratione modò, sed, ut verbis utar

gra-

„ gravioribus, confidenti audacia, insolentia proterva, exultatione impudenti, jactatione superba, non contra fidem dico, „ sed contra Ecclesiasticæ modestiæ regulam asseruntur, ea Theologi in præsenti „ *temeraria* censent, atque inter errorum „ gradus constituunt, & locant, qui quoniam hæresum appendices sunt, à fidei „ Judicibus sunt animadvertendi, „.

6. Impudentem hujusmodi *temeritatem*, *præsumptionem*, & *superbiam* rectè colligit Antonius Saura *in suo Platonis voto de just. exam. doctr. &c. cap.* 12. ex verbis (*Deut.* 4.2.) *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*, & (*Apoc. ult.* 18.) *Si quis appofuerit ad verba hæc, apponet Deus super eum plagas scriptas in libro hoc*, conficiens argumentum à simili in hanc formam: „ Diminuere, aut mutilare veritates divinas scripto, aut traditione habitas „ est magnus *error*, & enormis, cum verè „ sit *hæreticus*, aut *erroneus*, aut *temerarius*, „ qui propositionem aliquam, cujus opposita certissimè est *hæresis*, *error*, aut *temeritas*, negat ad fidem, aut Religionem „ pertinere, ergo addere propositiones, „ quæ nullatenùs ad fidem pertinent, ac si „ de fide sint, atque eas collocare in eo „ gradu, ut oppositæ sint *hæreses*, *errores*, „ aut *temeritates*, cum tamen indifferentes „ sint, & non connexæ cum principiis fidei, „ contingere nequit sine gravi nocumento „ catholicæ Religionis, & doctrinæ Christianæ, pro qua etiam dictum est, *Non addetis, neque minuetis*; gravanda non est „ fides supponendo falsò veluti propositiones dogmaticas, quæ longissimè absunt „ à mysteriis fidei; maximum est periculum, sivè dicas non esse articulum fidei „ eum, qui revera de fide est, sivè dicas „ eam doctrinam de fide esse, quæ revera „ de fide non est „ ea tamen ex dictis differentia, quòd negans esse articulum fidei, qui de fide est, contradicit formalissimè revelationi divinæ, & ideò est habendus *hæreticus*, quæ contradictio non est in eo, qui articulum fidei asserit, quod tale non est, nisi divina adsit revelatio, quod tale re vera non sit.

7. Nec dictæ *temeritatis*, ac *præsumptionis* desunt exempla, ex quibus colligere liceat catholicæ Ecclesiæ vigilantiam in ejus extirpationem, intentam. Præfatus Saura affert Concilium Constantiense *sess.* 19. *pag.* 895. *juxta edit. Colon. anno* 1618. in qua cum Hieronymus de Praga condemnasset per censuram theologicam, propositionem quamdam probabilem ex tractatu de Universalibus, quam ipsemet veluti fidei inimicam infamaverat, fuit à Patribus Concilii coactus abjurare illam censuram veluti catholicæ religioni summoperè noxiam, his verbis „ Item Ego Hieronymus „ de Praga, quia in nonnullis actibus scholasticis ad persuadendam opinionem de „ universalibus realibus, & quod una communis generis essentia specificasset plura „ ejusdem speciei supposita, & quodlibet „ eorum, ut Ambrosius, Hieronymus, „ Augustinus, & sic de singulis, & ad hoc „ inducendum velut exemplo sensibili descripsi quandam triangularem figuram, „ quam scutum fidei nominavi, ideò ad „ excludendum intellectum *erroneum*, & „ *scandalosum*, quem fortassis aliqui ex „ hoc accipere potuerunt, dico, assero, & „ declaro, quòd dictam figuram non feci, „ nec eam nominavi *scutum fidei*, ea intentione, quòd vellem dictam opinionem „ de Universalibus extollere super opinionem contrariam, sic, quasi esset *scutum fidei*, quòd sine ejus positione non posset „ fides, aut catholica veritas protegi, & „ defendi, cum nec dictæ positioni velim „ pertinacitèr adhærere: sed hoc ideò dixi, „ quia in dictæ figuræ triangularis descriptione ponebam exemplum, quod Divina „ essentia est tria differentia supposita, & „ quodlibet eorum, scilicet Pater, & Filius, „ & Spiritus Sanctus, qui quidem Trinitatis articulus, est præcipuum scutum fidei, „ & veritatis catholicæ fundamentum, „ propterea cognoscens veram catholicam Ecclesiam, & Apostolicam fidem „ anathematizo omnem *hæresim*, præcipuè eam, de qua hactenùs infamatus „ fui. „ Præsertim verò id observare est in Pontificiis diplomatibus adversùs Michaelem Bajum, cujus pleræque propositiones sunt talis furfuris, uti notarunt Vasquez *tom.* 2. *in* 1. 2. *disp.* 190. *cap.* 18. Luisius Turrianus *in select. disp.* 31. *dub.* 59. & in *opusc. de grat. tract. ult.* Suarez *proleg.* 6. *de grat. cap.* 2. & ex ipsis, *cit. cap.* 12. Saura. Non tamen de omnibus Baji propositionibus modalibus idem formandum judicium, ut æquè solus modus censeatur prohibitus, sed exacta adhibenda est cautio in discernendo, quandonam solus modus proscribatur, & quando tàm modus, quàm dicti rejectio, quam per censuram stabilire prætendit contrarium ejus firmando? quod colligendum potissimùm est ex consideratione doctrinæ per ipsas intentæ, & si hæc non ap-

paret damnabilis, quia revera sua potitur solida probabilitate, & à gravibus Doctoribus propugnatur, damnatio ad solum propositionis modum est referenda, si verò doctrina ipsa à puritate catholici sensus est devia, potest & modus,& dictum intentum damnari, & pro tali reputari.

8. Exemplum pro damnatione solius modi formari præsertim solet ex (23. *propositione*): *Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli, (ad Rom.2.14.)* Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, *intelligunt de Gentibus, fidei gratiam non habentibus*. Siquidem cum Apostoli verba utriusque explicationis sint capacia, Doctoresque graves adsint, qui intelligant loqui Paulum de Gentibus infidelibus, & idololatris, alii verò, qui de Gentibus ad fidem conversis, & ex gratia fidei legem observantibus, ut videre est apud Vasquez *cit. disp.*190. *cap.*15. *per totum*, & Suarez *lib.*1. *de necessit. grat. ad oper. natural. cap.*8. *à nu.*13. propositio Baji damnata minimè haberi debet, quòd per eam rejiciatur prior expositio,& consequenter præponatur posterior, sed quòd rejiciatur sub acri illa censura, qua *Pelagianismo* inspergitur, per priores particulas modum propositionis constituentes: *Cum Pelagio sentiunt*. Pro damnatione tàm modi, quàm dicti, quod stabiliri contenditur, Suarez *p.*1. *de grat. proleg.*6. *cap.*2. *nu.*14. proponit *propositionem* 18. qua asseritur,*sentire cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum*. „ Quæ quidem (inquit) propositio non „ solum damnabilis fuit propter exagera„ tionem insolentissimam,sed etiam prop„ ter doctrinam, quamvis simpliciter pro„ ferretur.

9. Rectè pariter præfatus Author *lib.*1. *de necess. grat. cap.*8. *num.* 25. monet, quod in *propositionis* 23. damnatione, (idem dicas de reliquis quibuslibet, quarum solus modus proscribitur) Romani Pontifices, etsi approbare non intenderint expositionem illam *de Gentibus fidei gratiam non habentibus*, eam tamen ab omni suspicione erroris Pelagii, & Sectatorum ejus, liberam reddiderunt. „ Quapropter non parum etiam ex„ cessit quidam eruditus D. Thomæ Expo„ sitor (Vasquius videlicet *eadem disp.*190. „ *c.*15. *n.*148.) qui post illam Pontificum „ defensionem ausus est dicere hanc expo„ sitionem nullum ex antiquis Patribus ha„ bere præter Cassianum *collat.*13. *cap.* 12. „ Nam per hoc significatur expositionem „ hanc ortam esse ex Pelagii errore, quod „ sanè, si verum esset, non parvam invi„ diam, & suspicionem illi conciliaret „ Quam reprehensionem acriori calamo promeret in Gasparem Jueninum, qui defendens expositionem *de Gentibus ad fidem conversis*, adeò ei addictum se ostendit, ut de damnatione propositionis scribere non erubuerit „ Privatis tamen Theologis non „ licet censuram inurere opposítum sen„ tientibus, unde à Pio Papa V. meritò „ proscripta fuit propositio &c. ac si,censura non fuerit revera proscripta ratione sui, ut sana indè reddi valeat contradictoria *cum Pelagio non sentiunt* &c.sed ratione dumtaxat authoritatis privatæ, Baji videlicet, per quam lata fuerat. Qui modus explicandi Pontificias damnationes in similes propositiones est dicto Authori persamiliaris, ut proindè asserere non dubitem esse cautè legendum, ne ex eo quis eruat modum eludendi, evanidasque reddendi Sedis Apostolicæ sanctiones.

10. Sit itaque pro plena *Articuli* resolutione firmum, *hæresis* notam nusquàm tribuendam, nisi quoties immediata extet oppositio cum Prima Veritate revelante,ad tradita *cap.*2. *art.*1. & proinde in modalibus, dumtaxat, quoties *modus* propositiones illas afficit, quæ vel certò fidei objecta sunt, utpotè vel in sacris literis contentæ, vel divinæ Traditioni innixæ, vel ex *Cathedra* tamquàm talia definitæ; aut, si non fidei objecta in se ipsis, sunt tamen fidei objecta in suis definitionibus, ratione quarum, si *modus* his repugnat, induere quoque potest *hæresis* denominationem ob oppositionem cum infallibilitate Ecclesiæ in definitionibus hisce condendis, ex deductis *cap.*3. *art.*13. Cæterùm cum *modus* non involvit hujusmodi oppositionem, nusquàm reddet propositionem modalem *hæreseos* nota dignam, idque ne dum si afficiat propositiones verè apud Doctores, *probabiles*, de quibus præcipuè est sermo in præsenti, verùm etsi afficiat propositiones ab Ecclesia definitas sub aliquo censuræ gradu infra hæresim, dummodò non sit exclusivus ipsius gradus censuræ jam *ex Cathedra* ultimò definiti,quantumvis inductivus esse valeat alterius gradus censuræ etiam gravioris. In quibus casibus ad alios censuræ gradus est recurrendum pro modalibus propositionibus qualificandis, qui in *articuli hujus* corpore sunt aliquatenùs insinuati, ac tùm ex indicatis *c.*3. *art.*13. *num.*9. 10. tùm ex dicendis in operis totius decursu luculentiùs deducentur. Non omisso

so interim, quòd hujus generis propositionum, in materia controvertibili, Authores nunquàm liberi esse poterunt à transgressione formalis obedientiæ præcepti relati *cap. 3. art. 14. num. 6.*

ARTICULUS XXI.

An Propositio alteri opposita, quæ fidei objectum probabiliùs *censetur, sit hæretica?*

1. HÆc est difficultas indicata *art. præc. num. 2.* & de qua remissivè ad *præsentem articulum* nonnihil insinuavimus *cap. 3. art. 14. num. 7.* Sita autem in eo est, quòd ex una parte, cum quis sustinet aliquam propositionem esse fide divina formalissimè credendam, aliis eam insufficientem, ut dici possit fidei objectum, tenentibus; si in sensu composito proprii judicii habentis illam, ut revelatam, adhuc pertinacitèr negaret, videretur *hæresis* reus; valet enim illatio: *Propositio aliqua est fidei objectum ergo ipsius contradictoria est hæretica*, quod tamen ex alia parte creditu arduum, & difficile redditur, ex quo cum *probabilioritate* revelationis compossibilis est *probabilitas* non revelationis, quæ tamen omninò pugnat cum actu fidei divinæ. Undè sequitur, quòd neque ille idem, qui sustinet *probabiliùs* adesse revelationem de aliquo objecto, possit de eo formare actum fidei divinæ ob defectum certitudinis existentiæ revelationis, quæ ad fidem divinam est essentialis, ac necessaria. Neque ob aliud motivum videtur ab Innocentio XI. damnata propositio illa (21.) *Assensus fidei supernaturalis, ac utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non locutus sit Deus*; licèt namque sermo sit in ea de *notitia solùm probabili*, eadem tamen ratio est & de *notitia probabiliori*, cum qua æquè verificatur, quòd quis crederet *cum formidine ne non locutus sit Deus*, quod idem est, ac cum *probabilitate* non revelationis, cum qua connectitur formido non existentiæ ipsius. Hinc verò augetur difficultas ex *propositione quarta* inter damnatas ab eodem Pontifice: *Ab Infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili*. Neque enim alio titulo iste talis inexcusabilis censendus, nisi quia in hypothesi obstrictus est opinionem minùs *probabilem* deserere ob magis *probabilem* in contrarium. Hoc tamen falsum esset, eo ipso, quòd opinio *probabilior* in contrarium inepta foret, ut obligetur infidelis ad aliam Religionem amplectendam antiqua relicta, ut patet consideranti.

2. Cardinalis de Lugo *de Virt. fid. div. disp. 1. sect. 13. §. 4. num. 323.* aliud esse, ait, objectum aliquod secundum se, & in abstracto, esse de fide, utpote à Deo revelatum; aliud, esse nobis de fide, seu posse, ac debere à nobis fide divina credi. Primum duntaxat, asserunt, qui dicunt tale objectum esse de fide, seu à Deo revelatum, non posterius; & ratio discriminis est, quia, cum omne divinitùs revelatum pertineat ad objectum materiale fidei, eo ipso, quòd objectum ullum *probabilitèr* sit revelatum, *probabilitèr* etiam debet inter fidei objecta connumerari. Ut tamen possit aliquid hìc, & nunc à nobis per fidem credi, necesse est, quòd non possimus prudentèr formidare, prout possumus, quoties supponitur *probabile* non esse à Deo revelatum. Undè sicuti quoties „ aliqui *probabilitèr* affirmant „ obligationem v. g. restituendi in aliquo „ casu, & alii *probabilitèr* negant; illi qui „ affirmant, intelliguntur solùm per se lo„ quendo, & quantum est ex parte objecti, „ non tamen volunt, quòd etiam supposi„ ta *probabilitate* sententiæ contrariæ, sit „ obligatio restituendi, hoc enim esset „ manifestè falsum, & jam eorum senten„ tia non esset *probabilis*; sed fatentur, „ quòd, licèt per se loquendo esset talis „ obligatio, per accidens tamen propter „ *probabilitatem* contrariæ sententiæ, ces„ sat hìc, & nunc obligatio restituendi. „ Similitèr ergo intelliguntur, quando „ *probabilitèr* affirmant aliquid esse de fide, „ ut non velint, quòd saltem per accidens „ propter *probabilitatem* contrariam, non „ debeat impediri assensus fidei circa tale „ objectum, cum non possit prudentèr „ cohiberi tunc omnis formido circa ta„ lem revelationem.

3. Displicet hæc doctrina novissimè Patri Cardenas *in suo opere posthumo sub tit. Crisis Theologica dissert. 14. super. prop. 21. ex damn. ut sup. cap. 5. num. 61. & seqq.* asserenti non posse Doctores asserere aliquod objectum esse de fide, nisi circa illud valeant elicere actum supernaturalis fidei absque formidine; quia, eo ipso, quòd censent esse de fide, censent per consequens à principiis intrinsecis esse certum, & oppositum non esse *probabile*, nisi ad summum ab extrinseco, quod non officit, quin elicere queant fidei actum absque formidine, ex quo illud, quod est absolutè *improbabile* à principiis intrin-

intrinsecis non potest per solam authoritatem extrinsecam fieri verè *probabile*, ac tale ut officiat certitudini intrinsecæ, ex qua oriri optimè valet actus certissimus etiam fidei, dummodò tamen certitudo intrinseca, ne dùm versetur circa veritatem objecti, sed etiam circa revelationem ejusdem. Undè falsum esse, ait, quod, sicut *probabile* est, objectum aliquod esse revelatum à Deo, ita *probabile* etiam sit pertinere ad fidem, ad quam dumtaxat spectat, quod certò est revelatum, non quod est tantùm *probabilitèr* tale. Ex quo ulteriùs infert adeò à vero distans esse, quòd infidelis habens *probabiliorem* cognitionem de Mysteriis fidei, & de revelatione divina, teneatur statim credere, & assentiri dictis Mysteriis, ut potiùs, qui id asserunt, sentiant, non posse evadere damnationem *propositionis vigesimæ primæ*, nisi recurrant ad illustrationem divinam, per quam cognitio *probabilis*, aut *probabilior* vertatur in moralitèr evidentem.

4. Quod subjungit militare, etiamsi infidelis sit in articulo mortis, qui proindè tenetur precari Deum pro necessaria illustratione, qua perveniat ad certitudinem veritatis, quam Deus illi concedet, cum facit quantùm potest pro eo articulo, aliàs ipsi imputabitur ad culpam infidelitas. Ac idcircò *propositionem quartam* damnatam asserit, non virtute *probabilioritatis* præcisè, quam habet infidelis de vera Religione, sed quòd negligat adhibere diligentiam, quam potest, ut deveniat ad moralem evidentiam, & certitudinem veræ Religionis, quam tenetur inquirere, & quidem etiamsi habeat majorem *probabilitatem* apparentem suæ Sectæ erroneæ, & minorem de vera Religione, ut fusiùs idem Author *diss*.5. *per plura capita super propos*.4. & post ipsum Didacus de la Fuente Hurtado *in sua Theol. reform. dissert*.4. *cap. præsertim* 3. ubi postquam ab infidelitatis peccato liberat, qui veram Religionem solùm ut *probabiliorem* cognitam amplexus non fuerit, & ob mortem, vel amentiam ei supervenientem ad majorem diligentiam adhibendam sit impotens redditus, idque ob impossibilitatem credendi fide salutari, & theologica, quæ prærequirit absolutam evidentiam credibilitatis, quæ omnem in contrarium auferat formidinem, subjungit, hypothesim, qua quis velit supponere sufficiens ad fidem supernaturalem judicium *probabilius* veræ Religionis esse impossibile, & de genere illorum, ex quibus utrumque sequitur contradictorium „ Supponere namque fidem esse sufficiatér propositam est supponere eam „ solam repræsentari tamquàm prudentèr „ credibilem, adjicere verò eamdem pro„ positionem non tollere *probabilitatem* „ partis oppositæ, est dicere non solam fi„ dem esse prudentèr credibilem illi ipsi, „ de cujus obligatione dubitatur, sed etiam „ sectam contrariam. Quare declaratis ter„ minis supponitur solam fidem esse, & „ non esse credibilem huic ipsi, & noti„ tiam, quam de ea habet, esse simul, & „ non esse sufficientem ad credendum pru„ dentèr sine formidine. Atque ex una par„ te hypothesis, sequeretur dari in eo casu „ obligationem credendi, ex altera vero „ non dari, & ex utraque simul sumpta, „ utrumque simul sequeretur, nimirùm da„ ri, & non dari.

5. Diversam ab his init viam P. Raymundus Lumbier Carmelita *in suis observationibus theologicis moralibus circa propositiones ab Innocentio XI. & ab Alexandro VII. haud pridem damnatas observ*. 6. postquam enim rejicit fundamenta, quibus Gonetus suadere contendit sententiam, pro qua à Cardenas *num*.17. citantur quoque Bannez 2. 2. *q*.10. *art*.1. *dub*.3. *conclus*.3., & 4. Ledesma *in summ. tom*.2. *tract*.1. *cap*.5. *concl*.5. & 6., Layman *lib*.2. *tract*.1. *cap*.1. *num*.2. Escobar *tom*.1. *Theol. mor. lib*.2. *num*.58. Villalobos *in summ*.2. *par. tract*.1. *diff*.8. *num*.4. affirmantes, infidelem semel concepta *probabilioritate* veræ Religionis teneri illam amplecti, ac credere fide theologica; duplicem *probabilioritatem* videtur distinguere, alteram videlicèt, quæ sit matura, seria, & firma, ut de ea prudentèr dubitari nequeat, quòd à suo gradu imminuatur, ac deficiat, alteram haud tali, tantaque firmitate, ac soliditate munitâ; Indè colligens infidelem, quousque non formet judicium primi generis *probabilioritatis* Catholicæ Religionis non fore obligandum illam sequi, obligandum verò postquam illud formaverit, quia per illud habetur jam sufficienter evidentia *credibilioritatis*, quæ eadem est, ac evidentia *probabilioritatis*. Ad conciliandam autem damnationem *propositionum* 4. & 21. & ad præfatæ doctrinæ munimen, statuit conclusionem; „ quòd si infidelis co„ gnita majori *probabilitate*, & majori *cre*„ *dibilitate* & securitate pro hic, & nunc „ possit expellere omninò formidinem, „ ministrante Deo comprincipia superna „ ad actum fidei exercitè supernæ, talem „ eliciet; Si verò formidinem expellere „ non sufficit, elicere tenetur assensum fidei

cxi-

„ existimativè divinū:, pro his enim nullam excusationem habebit maturè præcognita majori *probabilitate*„ Ac proinde habita *probabilioritate* pro vera Religione, tenetur ex una parte infidelis propriam deserere sectam, & conari elicere actum fidei super veræ Religionis mysteriis, & idcircò inexcusabilis, si remaneat in propria secta prætextu minoris *probabilitatis* ipsius, & ex altera tenetur pro viribus expellere formidinem, quæ ex dicta minori *probabilitate* suæ sectæ potest oriri, per piam voluntatis affectionem, cum constet ex *prop.* 19. *ex damn. ab eod. Innoc. XI.* voluntatem posse efficere, *ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*.

6. In hac sententiarum varietate, ex unaquaque aliquid excerpere non videtur inutile, ut, quæ sit nostra opinio, (ad cujus firmitatem plurimùm conducent, quæ dicta sunt *art.* 19. servata proportione, quin hic replicentur) valeamus ostendere. Ac in primis solidum habemus Cardinalis de Lugo discursum *num.* 2. relatum, pro quo facit altera ejusdem Cardinalis doctrina, quam tradit *disp.* 20. *de virt. fil. div. sect.* 2. *à nu.* 60. quòd, cum hæresis dicat divisionem, & hæreticus indè appelletur sectarius, seu secans, & dividens Ecclesiæ unitatem, ut quis in facie Ecclesiæ dicatur absolutè *hæreticus*, ac propositio per eum propugnata, *hæresis*, minimè sufficit, quòd revelatio de opposito sit proferenti sufficientèr proposita, sed requiritur, ut pro tali communissimè ab omnibus, vel ferè ab omnibus indubitantèr teneatur, & per hoc præferens propositionem oppositam alteri habitæ, ut revelatæ, dicatur à communi Ecclesiæ sensu discedere, & ideò in rigore *hæreticus*, pœnisque hæreticorum subjectus, à quibus eximendus esset, quoties possit probare, quòd propositio à se prolata à plerisque Doctoribus non censeatur *hæresis*, & forsitan, nec pertinens ad fidem, etiamsi alii pro hæresi illam teneant. Idque adhuc, si favore propositionis, ne *hæresis* sit, sola affertur extrinseca *probabilitas* ex Doctorum authoritate, quam Ecclesia saltem toleret, cohærentèr ad tradita *cap.* 3. *art.* 14. *num.* 5.

7. In hoc autem sensu patet loqui non posse Catholicos Doctores, quoties asserunt aliquod esse fide tenendum, & contrarium *hæresim*, scientes, quod à plerisque aliis, id esse de fide, & contrarium *hæreticum*, omninò negetur; immò si sic loquerentur, rei fortassis efficerentur inobedientiæ, & transgressionis præcepti Apostolicæ Sedis, de quo *cit. cap.* 3. *art.* 14. *num.* 6. quia nota *hæresis* inurerent, quod ea inurendum adhuc non determinavit Ecclesia, permittens potiùs, ut pro libito sustineatur *hæresim* illud non esse. Loquuntur itaque de objecto, ut est in se, seu veriùs, prout ipsi existimant in se esse, conficientes indè propositionem, non omninò absolutam, sed modalem, qua significetur *probabilitèr* hoc, vel illud objectum, esse à Deo revelatum, & contrarium esse divinæ revelationi repugnans. Et quidem in hac materia longè fortiùs militat hæc doctrina, quàm in aliis, in quibus non est adeò certum, quod habet de Lugo, Doctores videlicet, qui sustinent e. g. aliquem obstrictum esse ad restitutionem, simul velle, quòd per accidens propter probabilitatem oppositæ sententiæ liber à prædicto onere sit habendus. Id namque verum tantùm est in principiis Probabilistarum, juxta quæ licitum, rectumque in praxi est sequi minùs *probabile* etiam in concursu *probabilioris*, & tutioris. At non sic Probabilioristæ discurrunt, sed firmitèr tuentur omninò illum teneri ad restitutionem, non obstante *probabilitate* sententiæ oppositæ, nisi hæc penès ipsum operantem sit re vera *probabilior* altera. In materia autem fidei omnes conveniunt, quòd, ut objectum aliquod sit simplicitèr de fide, & contrarium hæresis, excludere penitùs debeat quamlibet *probabilitatem* in oppositum, adeòut ipsemet, qui sustinet *probabiliùs* esse de fide, si tamen re vera pro *probabiliùs* habet opinionem contrariam, non potest in sensu composito judicii de hac *probabilitate*, vigore *probabilioritatis* propriæ opinionis, elicere actum, qui sit fidei divinæ circa illud objectum.

8. Hinc, ut locum habeat doctrina Cardenas relata *num.* 3. qui *probabiliùs* sufti net aliquod objectum esse de fide, tunc solùm poterit indè formare actum fidei, cum partem oppositam omni vera *probabilitate* destitutam autumet, conformitèr ad ea, quæ ex Eminentissimo Sfondrato, & Leytam indicavimus *cap.* 3. *art.* 14. *num.* 5. & 6. Id tamen non semper contingit, nisi dicere velimus in eodem intellectu omninò incompossibilia esse duo judicia, alterum, quo sustineatur hoc objectum *probabiliùs* ita se habere, alterum, quo dicatur *probabilitèr* alitèr se habere, quod prolixius examen exposceret; satis ad præsens sit admittere, actum fidei elici posse dumtaxàt ab eo, qui ita firmus est in judicio, quòd aliquod obje-

objectum sit revelatum, ut non censeat *probabile* vera saltem *probabilitate* oppositum; & in sensu composito hujus judicii, si oppositum pertinacitèr sustineret, redderetur reus *hæresis*, sumpta *hæresi* pro propositione opposita alteri revelatæ, ut eam definivimus *cap.2. art.1.* Attento præsertim quòd, ut quis *hæresis* reus sit apud Deum, non est necesse quòd sustineat oppositum revelatis in se talibus, sed sufficit, quòd hæc concipiantur tamquàm talia, ut innuimus *c.2. art. 5. num.9.* estò in facie Ecclesiæ id insufficiens dixerimus *num.2.* ex Lugo, qui cohærentèr *loc. cit. num.60.* sic sentientem, ait, contra fidem quidem peccare, non tamen strictè *hæresim* committere, nec esse *hæreticum*, nec tamquàm talem punibilem. Quod adhùc limitandum censeo, nisi constet ipsum pertinacitèr defendere oppositum ei, quod certè credit revelatum, quia in isto casu, ut omninò *hæreticum* etiam in facie Ecclesiæ habendum crederem, non quia sensus communis Ecclesiæ sit, objectum illud esse revelatum, & contrarium *hæreticum*, sed quòd certus, communisque Ecclesiæ sensus sit, universalitèr fide divina tenendum esse, quod certò revelatum putatur, habendumque *hæreticum*, qui ei contradicit; quia, etsi materialitèr non contradicat revelationi divinæ, quæ sit, vel quæ communitèr creditur talis, formalitèr nihilominùs sese opponit primæ Veritati revelanti, contrarium propugnans ei, quod certò tenet Primam Veritatem revelasse.

9. Infidelis itaque, qui Religionem Catholicam judicat longè *probabiliorem* propria secta, adeòut hanc non censeat ab intrinseco verè *probabilem*, (de eo loquor, qui quantùm in se est, fecerit, propriæque obligationi plenè satisfecerit ad veram Religionem inveniendam), tenetur propriam sectam deserere, divinaque ope implorata actum fidei divinæ elicere, & Catholicam Religionem amplecti. Si verò non ita *probabiliorem* censeat, ut propriam teneat vera *probabilitate* destitutam, sed retineat formidinem, quæ sibi prudens appareat de ejus veritate; cum distinctione procederem. Vel enim iste talis reperitur in statu, quo, majori diligentia adhibita, ferventiùsque implorata divini luminis illustratione, superare dictam formidinem valeat, & sic cum Cardenas dicerem, quòd iste talis permanens in sua secta, excusari non posset, non quia vigore *probabilioritatis* suæ Religionis adhùc obstringeretur illam amplecti, sed quòd negligeret adhibere diligentiam, quam potest, ut deveniat ad moralem veræ Religionis certitudinem. Vel in tali statu non est, utpotè in articulo mortis constitutus, & tunc adhærerem Lumbiero ipsum obliganti ad conatum elicitionis fidei divinæ modo indicato *num.5.*

10. Neque hoc repugnans existimabitur doctrinæ expensæ *num.7.* si attendatur discriminis ratio, quæ est inter objecta particularia, de quibus inter catholicos Doctores disputatur, an sint divinitùs revelata, nec ne? Ecclesia permittente, ut alterutra pars pro libito propugnetur, & catholicam ipsam Religionem, quæ, ut vera, cæteris sit præferenda. In illis enim objectis, cum nulla sit lex, aut præceptum, quo obligamur ad unam partem amplectendam potiùs, quàm alteram, nullum extat motivum, ob quod, cum *probabilius* censemus objectum esse revelatum, conari obstringamur deserere formidinem in contrarium, quæ exurgit ex *probabilitate*, quam pro non revelatione vim habere ducimus, & proinde ea perseverante non possumus elicere actum fidei revelationi *probabiliori* innixi, quia ad fidem requiritur certitudo, aliàs admittenda foret contradictio, quam probat Hurtadus relatus *num.4.* At in ordine ad Religionem, clarum, & evidens est universale præceptum veram Religionem amplectendi duobus certissimis, & evidentibus principiis innixum, quòd nempè una sit vera Religio, quòdque ea sit invenibilis. Cum ergo quis jam certò teneat catholicam Religionem ex una parte esse longè qualibet alia *probabiliorem*, & ex altera impotens omninò supponatur majorem diligentiam adhibendi, ut magis, magisque certioretur; ut iste satisfacere valeat præcepto, quod ex necessitate medii obligat ad unam seligendam præ altera Religionem, debet proculdubio Catholicam amplecti, cum ad hoc obstet judicium, (licèt erroneè) putatum *probabile* de falsitate ejusdem, consequens est, ut toto conatu virtute imperii voluntatis illam *probabilitatem* habeat pro apparenti, & falsa, sicque cum Dei auxilio, actum fidei eliciat pro vera Religione, cujus *probabilioritas* jam transit in evidentiam credibilitatis, & certitudinem saltèm moralem, quæ ad fidei actum sufficiat, quæque evacuet illud, *fortè non erit*, cum fide divina repugnans, dicente: *lib.8. de Trin. cap.5.* Augustino: *Salva fide licet dicere: fortè talem habebat faciem, fortè non talem: fortè autem de Virgine natus est Christus, nemo salva fide Christiana dixerit.*

In-

11. Instantiam prævideo, qua quis urgere poterit, hypothesim esse impossibilem, suavitate divinæ Providentiæ exigente, ut facienti quantum in se est cum auxilio divino, Deus futilitatem apparentis *probabilitatis* ostendat, & evidentiam credibilitatis veræ Religionis aperiat, ut indè discurrendum videatur hic, uti discurrere solent Theologi de eo, qui enutritus in sylvis nil unquàm de vera Religione audierit, Deû videlicet non permissurum ex hac vita migrare, antequam super ea fuerit sufficientèr Instructus, si per ipsum non steterit. Verùm ex dictis occurri potest, sivè quòd, quamvis admittendam & nos censeamus impossibilitatem hypothesis, si de impossibilitate morali sit sermo, non tamen obstringi credimus, ad habendam eam metaphysicè impossibilem, adeò ut ex ea non possint non sequi duo contradictoria mox insinuata. Sivè quòd semel cognito notabili *probabilitatis* excessu in Catholica Religione præ aliis quibuslibet, non est cur, qui penitùs impotens supponitur ad majoris certitudinis indaginem, non debeat ab illo moveri ad dictæ Religionis electionem faciendam, agnoscens urgere præceptum non decedendi, nisi in ea, quam invincibilitèr putat veram Religionem, & per consequens voluntatis adhibito imperio, gratiæque auxilio postulato, formare judicium reflexum, quo *probabilitatem* alterius cujuslibet sectæ, habeat pro apparenti, & non vera, sicque auferre obstaculum, ob quod in fidei actum circa veram Religionem prorumpere non poterat. Ad eum fermè modum, quo, cum aliquis infidelis doctus ad veram Religionem conversus, etiamsi aliquod ex nostris mysteriis in particulari sibi adhùc appareat *probabiliter* non verum, attentis rationibus quantumvis non veris, sed dumtaxat apparentibus in contrarium, quarum solutiones ab intrinseco erutas prorsus ignoret; adhùc eo ipso, quòd convictus sit de veritate nostræ Religionis veluti in genere, potest, ac debet & de illo particulari mysterio etiam actum fidei elicere, formando judicium reflexum, quòd quælibet illa probabilitas in contrarium futilis sit, ac erronea, & merè apparens.

12. Sivè quòd, non recedendo ab exemplo rustici in sylvis enutrito, Doctores, qui prudentissimè ad divinam Providentiam spectare asserunt cum Theologorum principibus Aquinate, & Scoto, quoties ille supponatur naturalem legem plenè servasse, non tamen si reus fuerit lethalis culpæ, ob quam indignus effectus sit, illuminatione prædicta; quo casu, si absque necessaria illustratione decedat, damnandum eum fore concludunt, non quidèm ob infidelitatis peccatum, quæ in eo extitit merè negativa, quam peccaminosam non esse satis eruitur ex damnatione *propositionis* 68. Michaelis Baji: *Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*; & ex Augustini *lib. 3. de lib. arb. cap. 19.* effato; *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras*: sed ob aliud voluntariè, & liberè commissum. In simili igitur hypothesi, si reperiatur quis cum clara cognitione veritatis nostræ Religionis, & Deus in pœnam aliorum peccatorum non velit ea ulteriora supernaturalis illustrationis auxilia impertiri, arduum profectò videtur, quòd, vel adhùc sit liberandus ab infidelitatis culpa, si veram non amplectatur Religionem, vel infidelitatis reus habendus præcisè ratione solius præcedentis culpæ, ob quam indignus est effectus auxiliis ulterioribus pro dignoscenda veritate Catholicæ Religionis, si semel nulla in eo habeatur cognitio, quòd ex ea culpa reddi possit ipsi imputabilis carentia auxiliorum. Absque eo quòd inde queat colligi admitti similitèr posse affinem hypothesim, qua quis infidelis propriam sectam judicet *probabiliorem* Religione Catholica; latissima namque, ac patens est discriminis ratio evidentissimis nostræ Religionis notis innixa, quæ chimæricum omninò, ac repugnans reddunt, quòd ea perpendenti, saltem illa non appareat longè *probabilior* qualibet alia, ut propterea judicium contrarium, quo quis putet veram aliam sectam, estò dari possit in eo, qui in ea natus, & educatus necessariam, ac sufficientem non habuit cognitionem de Religione Catholica, quem proindè vocant Theologi infidelem negativum, non tamen in eo, qui notas dictæ sectæ comparat cum evidentibus signis Religionis Catholicæ.

13. Transmissa nihilominùs utcumque hypothesi, vel apparens illa *probabilioritas* sectæ, quæcumque ea sit, supponitur invincibilis, vel culpabilis? si culpabilis, sumus extra controversiam: si invincibilis; vel loquitur de eo, qui reus non est culpæ lethalis, per quam reddatur indignus divina illustratione, & discurrendum eodem modo, quo de enutrito in sylvis *num. præc.* innuimus: vel de eo, qui aliàs est ex culpa sua redditus indignus dicta illustratione divina, & hunc dicerem ne dùm posse, sed

& debere conari ad eliciendos actus fidei divinæ favore propriæ sectæ, ex conscientia erronea, qua illam judicat certam, vel omninò notabilitèr *probabiliorem* qualibet alia; eo planè modo, quo de rudibus discurri solet, quoties à propriis Parochis edocentur super falso aliquo Mysterio, uti de quarta Trinitatis Persona. Eliciendos autem dixi actus fidei divinæ absque particula illa per Lumbierum apposita *existimativè divinos*, quòd conformitèr ad Subtilium principia, quadantenùs indicata *cap.2. art.7. à num.5.* hujus generis actus, estò *putativè* tantùm dici debeant *supernaturales*, quia revera sunt naturales, non tamen sunt *putativè divini*, quia ad hanc denominationem verè suscipiendam, sufficit, quòd eorumdem formale motivum sit Prima Veritas revelans, quæ & si talis in se non sit, ut tamèn talis moveat illos elicientes; sed hæc, scholastica quæstio est, & eatenùs in ea minimè immorandum, sicut nec in argumentis per Authores præfatos congestis; quibus, ni fallor, eadem solutio hactenùs tradita est applicanda, firmitèr semper negando, quòd in hypothesi notabilis excessus *probabilioritatis* Catholicæ Religionis, conjunctæ cum impotentia ad ulteriorem discussionem in eo, qui quantùm in se est fecisse plenè supponitur, perseveret formido de opposito, quam evacuandam dicimus stante præcepto obligante ad electionem unius Religionis per voluntatis imperium, quod augeat vires rationibus *probabilioribus*, easque efficiat saltèm moralitèr certas, & *probabiles* in contrarium merè reddat apparentes, idque cohærentèr ad damnationem *propositionis vigesimæ primæ* de qua *nu.1....* & etiam *c.2.art.7.nu.18.& seq.*

CAPUT QUARTUM.

De Subjecto propositionis hæreticæ.

LOcuti hactenùs sumus de *hæresi*, seu *propositione hæretica* in se ipsa considerata, & uti dici solet *objectivè*, non verò sub respectus consideratione, quem dicit ad Proferentem, & *subjectivè*, vi cujus Proferens *formalitèr* denominetur *hæreticus*. Quamvis namque de hoc respectu actum non semel sit; id tamen non fuit directùm ultimatè, nisi, vel ad propositionem ipsam *objectivè* acceptam, vel ad effectus, quos *hæresis* parit in Proferente, qui denominationis *hæretici* capax aliàs supponatur, vel ad propositionis sensum, ut videretur, quonam pacto possit propositio damnari in *sensu ab Authore intento*? Ad præsens verò discutienda proponitur *hæresis*, seu *propositio hæretica*, quatenùs denominare valeat Proferentem *formalitèr* hæreticum, ad *materialis* denominationis discrimen, de qua paritèr actum est *c.2. art.5.* ubi, quòd semper à *propositione hæretica* inferri valeat denominatio *hæretici* respectu Proferentis, *materialitèr*, dummodò hujusmodi denominatio ei non repugnet. Plures autem inspectiones, cum fieri valeant in Proferente, ut distinctiùs dignoscantur conditiones necessariò requisitæ ad formalem denominationem *hæretici* ipsi in rigore tribuendam, plures subnectentur *articuli*, quorū tamen multiplicitas, quia ad majorem claritatē dirigitur, non ad eadem inutilitèr repetenda, prolixitatem nequaquàm gignet, quę in materia eumdem scopum respiciente, vitanda est, cum non nisi ad implendas paginas experti queat.

ARTICULUS I.

An, ut quis denominetur formalitèr hæreticus, *debeat esse aliquo baptismate initiatus?*

1. TRiplex cum Theologis est hic distinguendus baptismus, *Aquæ*, nimirùm, *Sanguinis*, & *Flaminis* juxta *conclusionem* Angelici (*3.p.q.66.art.11.*) *cum homo possit non modò per baptismi aquam sanctificari, sed per Christi Sanguinem, conformando se Christi passioni pro Christo patiendo, & per virtutem Spiritus Sancti interiùs operantem, tria sunt in Scripturis baptismata; baptismus Aquæ, Sanguinis, & Fla-*

Flaminis, quorum primus dumtaxat est Sacramentum, rigorosam importans *rationem figni*, quæ constitutiva quidditativè est Sacramenti; *Alia verò duo conveniunt cum baptismo Aquæ, non quidèm quantùm ad rationem signi, sed quantùm ad effectum baptismatis, & ideò non sunt Sacramenta*, ut ibidem prosequitur Aquinas *in respons. ad 2.* Hinc autem exurgit proposita difficultas; an, ut quis *formalitèr hæreticus* denominetur, sit necessarium, quòd præviè aliquo ex tribus prædictis baptismatibus fuerit initiatus?

2. Affirmativè juxta indicata *c.1. art.1. num.20.* ducimus resolvendam, cum Theologorum communi, eodem Angelico duce *2.2. qu.11. art.1.* sequentem *conclusionem* firmante: *Hæresis est infidelitatis species ad eos pertinens, qui fidem Christi professi sunt, & ejus dogmata corrumpunt*, quæ conformis est dicto Tertulliani (*lib.1. contr. Marcionem cap.1.*) *Hæreticus est, qui deserto, quod priùs erat, postea sibi elegit, quod retrò non erat*. Intelligenda tamen est resolutio de *hæretici* formali denominatione, prout *hæresis* dicit in suo quidditativo conceptu recessum à fide Christi. Nam etiam ante Christi adventum dari poterant *hæretici*, quorum hæreses non erant circa fidem Christi, ut ex D. Isidoro objicit S. Thomas *art.2.*, ad intentum respondens: *Ad primum ergo dicendum, quòd sicut hæreses Judæorum, & Pharisæorum erant circa opiniones aliquas ad Judaismum, vel ad Pharisism pertinentes, ita etiam Christianorum hæreses sunt circa ea, quæ pertinent ad fidem Christi*, conformitèr ad protestationem, quam facit (*initio corpor. art.*) *Respondeo dicendum, quòd de hæresi nunc loquimur, secundùm quòd importat corruptionem fidei Christianæ*. Patet autem verificari non posse, quòd habeatur fidei Christianæ corruptio in eo, in quo fides Christiana præviè non supponitur, & consequentèr in eo, qui aliquo ex tribus baptismatibus initiatus non est, & signantèr ad minùs baptismo *flaminis*, qui licèt non sit *Sacramentum fidei*, est tamen *fides Sacramenti*, per quam quis efficitur membrum Christi, ut docuit Innocentius III. Ferrariensi Episcopo scribens, & habetur (*cap.* Veniens *de Presbyt. non dum baptizato*) *Porrò, cum quis non solùm per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti efficiatur proculdubiò membrum Christi; & qui Christum habet per fidem, & si baptismum non habeat, habet utique fundamentum; præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Jesus*, Ideòque Augustinus *de Civit. Dei cap.5.* relatus à Turrecremata (*p.2.lib.4.Sum.de Eccl. cap.13.*) *Diabolus novit hæreticos, qui sub nomine Christiano doctrinæ resistunt Christianæ*.

3. Hinc autem sequitur non sufficere, ut quis dicatur *hæreticus*, quòd propositionem pertinacitèr sustineat, quæ alteri sit opposita à Prima Veritate Ecclesiæ Catholicæ revelatæ, & quidèm etiamsi sufficientem notitiam habeat revelationis prædictæ, quia cum nusquàm fidem Christi susceperit, nec Christo unquàm dederit nomen, non potest de eo verificari elegisse *quod retrò non erat*. Adhùc tamen gravior erit ejus malitia, quàm alterius, qui eamdem propositionem defenderet absque sufficienti notitia revelationis propositionis oppositæ. Quamvis enim uterque diceretur *materialitèr* tantùm *hæreticus*, *ob propositionem hæreticam*, quam propugnarent, neuter verò *formalitèr*, quia neuter ullo decoratus *baptismate*, prior nihilominùs fidem debitam negaret Primæ Veritati, quam sciret hoc, vel illud dogma revelasse, posterior hujus gravitatis excessum vel non pertingeret, vel ad minùs, non ea pertinaci deliberatione, quæ esset supponenda in priori, qui quamvis à fide non deficeret, quam liberè amplexus esset, deficeret tamen ab ea, quam nosceret profitendam, de quo proindè proportionalitèr verificaretur quòd *epist.2. c.2. 21.* Apostolorum Princeps: *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post cognitionem retrorsùm converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato*.

4. Quod adhùc ita minimè accipiendum, ut ad *formalem* denominationem *hæretici* necesse sit, quòd in priori supponendus quis sit profiteri fidem de illo particulari mysterio, aut dogmate, quod pertinacitèr negat. Sed satis est, quòd semel per aliquod ex baptismatibus Christo dederit nomen, & dein alicui mysterio cum pertinacia discredat. Sicuti, neque ut verificetur aliquem *hæreticum formalitèr* denominari, opus est, quod à tota fide, quam professus est, recedat. Quin potiùs oppositum evenit, etsi namque non desint, qui totam Christianam fidem relinquentes *hæreticos* habeant cum Cajetano *2.2. q.11. art.1.* quem tamen in hoc inconstantiæ vitio notat Canus *de loc. usu. in schol. disput. lib.12.cap.9.* dum in (*Summa, verb.* Apostata) contrarium sentire videatur inquiens „ Apostasia pejor est hæresi, ut potè excedens ipsam, totalitèr tollendo fidem „ communissimè nihilominùs alii eos negant in rigore dicendos *Hæreticos*, sed *Apostatas*, quales eos appellare consuevit Ecclesiæ praxis, ut advertit Cardinalis Brancatus *par.2. tom.3. disp.14. de Hær. & Apo-*

& Apostas. art. 2. num. 33. afferens exemplum Imperatoris Juliani, qui perpetuò fuit dictus *Apostata*, quòd Christianam fidem penitùs abjuraverit, & *Idololatra* evaserit, ut de eo dici possit cor depravatum habuisse, ut sequeretur Deos alienos, sicut legimus de Salomone *lib. 3. Regum* 11. 4. de quo illud (*Ecclesi.* 19. 2.) *Vinum, & mulieres apostatare fecerunt Sapientes*; cum tamen reliqui quilibet Imperatores nusquàm *Apostatæ* sint dicti, sed *Hæretici*, aut nomine proprio hæresis particularis, quam tuebantur, *Ariani* videlicet, *Iconoclastæ*, *Monothelitæ* &c. & ratio ulterior esse potest, quia, sicut qui nusquàm fidem suscepit, *Hæretici* non suscipit denominationem, sed *Infidelis*, nempè *Judæi*, *Mahumetici* &c. ita & qui fidem totaliter abjicit, ad statum consimilem se redigit, & earumdem denominationum reus constituitur. Quamvis non adeò discrimen hujusmodi essentiale habendum sit, ut *Apostatantes* à fide *Heretici* nullatenùs dici valeat ratione recessus à professione per baptismum jam facta; ac idcircò quoad pœnas, quibus subjiciendi veniunt, *hæreticis* æquiparantur *lib. 5. Sexti decr. tit. de hæret. c. Contra Christianos, qui ad ritum transierint, vel redierint Judæorum*, ... *erit tanquàm contra hæreticos, si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos, seu Judæos convicti*, ... *procedendum*.

5. Ex quibus colligere licet parùm solidè Bernardum de Lucemburgo in suo *Hæreticorum catalogo* recensuisse Averroem, & Avicennam, qui nusquàm Christo per ullum ex baptismatibus nomen dedere. Sicuti quoque deceptus est *hæreticos* vocando Marranos, & Mosparabes, de quibus non plenè fuit instructus. Marrani namque etsi in Hispania invisi fuerint, utpotè qui à Judæis progeniti, non tamen *hæretici*, nisi ad Judaismum censerentur reversi, in qua hypothesi ex nupèr dictis, veriùs *Apostatæ* forent dicendi. Mosparabes verò nullum errorem contra fidem tenent catholicam, neque alicui *hæresi* favent, neque ab obedientia Ecclesiæ Romanæ sunt separati, sed solis cæremoniis, quas in divini officii dispositione, & missæ celebratione tenent, à communi Latinorum ritu differentes, non tamen ab illa unquàm reprobatis, Quin, ea approbante, tota illas servabat Hispania tempore Sancti Isidori Archiepiscopi Hispalensis, & Sancti Idelphonsi Archiepiscopi Toletani, qui ante aliqua sæcula illis Ecclesiis præfuerunt, easque ad morem gothicum refert Alphonsus de Castro in *suo tractatu de just. hæreticorum punit. cap. 7.* subdens, quòd dicta celebrandi consuetudo è tempore illo usque ad celebrationem Concilii Tridentini in quibusdam Parochiis Toleti servabatur, & in eadem Cathedrali extat hodiè insignis quædam, & valdè opulenta Cappella, in qua juxta Mosparabum ritus, & cæremonias Missa quotidiè celebratur, & statutis septem diei horis reliquum totum diurnú simul, ac nocturnum Deo offertur laudis sacrificium. Quo autem tempore, & qua causa desierit hic ritus servari in aliis Hispaniæ partibus, Alphonsus X. Castellæ, & Legionis Rex doctissimus scripsit in *sua generali historia Hispaniæ, quarta parte cap. 3.* ut ex integro refert Alphonsus de Castro *loco citato*, à quo fortè ingratum non erit Lectoribus, integram hic exscribere historiam.

„ 6. Tota Hispania (inquit) olim Missæ „ Sacrificium faciebat juxta morem Gothicum à Beato Isidoro, & à Beato Leandro institutum, longè à consuetudine, „ & ritu Ecclesiæ Romanæ diversum. Hoc „ itaque more, & ritu ubique Hispaniarum servato, Alphonsus Hispaniæ Rex VI. qui Toletum à Saracenis recepit, Constantiam Gallorum Regis filiam duxit uxorem, quæ cum vidisset sacrum Missæ officium longè alio more, & ritu in Hispania, quàm in Francia celebrari, „ quæ mores, & ritus Ecclesiæ Romanæ „ in illo officio servabat, exoravit maritum „ Regem, ut morem illum, & Missæ cæremonias ex universa prorsùs Hispania „ tolleret, & loco illius Gallum substitueret, qui Romanæ Ecclesiæ erat conformis: de qua re, nihil voluit Rex definire, nisi priùs, ut par erat, consuleret Gregorium VII., qui, re, ut decebat, benè examinata, Legatis respondit: Antiquum „ Hispaniæ morem, qui bonus, & sanctus „ erat, & à sanctis Patribus institutus, non „ esse deferendum, quin immò potiùs per „ omnia servandum. Regina verò iterùm „ Regem pro abrogando illo officio instantissimè precatur, cujus votis Rex satisfacere cupiens, Conventum generalem, tam ex Ecclesiasticis, quàm ex Sæcularibus congregatum celebrat. Huic „ Congregationi Rex Reginæ votum prodit, petitque, ut illi satisfacere vellent, „ cui Reginæ petitioni, cum omnes contradicerent; tandem ex illorum omnium, „ & Regis concordi sententia, decretum „ est, ut res hæc armorum conflictu definiretur datis duobus, qui duello pugnarent, alter pro officio Gothico, aut Mosparabitico à toto Regno eligendus, alter

pro

„ pro officio Gallico, aut Romano à Regina, & Rege signandus.

„ 7. Ventum est ad pugnam, & qui pro officio Mosarabo decertabat victor evasit. Sed, nec his visis Regina quiescere voluit, sed, ut sunt importunæ, & pertinaces fœminæ, quousque satis votis suis fiat, Regem iterùm acriùs, & vehementiùs sollicitat, qui, ut Reginæ placeret, totum iterum Regni conventum hortatur, ut Gothicum officium deserere, & Gallicum, seu Romanum recipere vellent. Illis autèm omninò contradicentibus ex communi omnium consensu decretum est, ut magno aliquo, atque vasto igne accenso, duo libri in illum projicerentur, quorum unus Missæ officium contineret juxta ritum Gallicum, alter juxta antiquum Hispaniæ morem, & illa die, qua hæc facienda erant, indictum est à Bernardo Archiepiscopo Toletano generale jejunium, (res enim hæc Toleti agebatur) ut per jejunii meritum Deus exoratus, revelare vellet per miraculi ostensionem, quid esset agendum. Projiciuntur duo illi libri in medio ignis, & liber, qui Gallicum, seu Romanum tenebat officium, cæpit ex igne stridorem quemdam facere, & statim saltu quodam ab igne resiliit; liber autem, qui officium Gothicum, seu Mosarabum continebat, perseveravit absque ulla læsione in medio ignis, quousque ille fuit prorsùs extinctus; Sed nec tanto miraculo viso Regina cedere voluit: ob quam causam Rex deinceps noluit Regnum, ut ante fecerat, hortari, sed præcipere, & variis minis cogere, ut officio antiquo relicto Gallicum, sive Romanum reciperent; quod non sine lachrymis fecere coacti, quamvis in aliquibus Toletanis Templis mos ille, & ritus antiquus remansit, qui inibi usque ad hodiernum diem servatus est, & inde ortum est vulgare proverbium apud Hispanos; *Eò tendunt leges, quò volunt Reges*.

ARTICULUS II.

An Propositio hæretica denominet formaliter hæreticum *Assertorem* Catechumenum?

1. Difficultas hæc potiùs explicativa præcedentis dici potest, quàm nova; cum enim in ea dixerimus aliquo saltem baptismo ex tribus recensitis initiatum esse debere, ut quis capax effici queat *formalis*, & propriæ denominationis *hæretici*, quoties alicui dissentit articulo cum *pertinacia*, sequitur *Catechumenum* discredentem, denominatione hujusmodi affici posse; si tamen de *Catechumeno* id intelligatur, qui talis in rigore habendus sit, non de eo, qui impropriè hoc nomine inscribitur. Cum enim dupliciter quis *Catechumenus* dici valeat, *primò* videlicèt, quotiès quis nullo pacto credit Religionem Christianam, sed dumtaxat se instrui postulat, ac de ea edoceri; *secundò*, quoties quis de fide Christianæ Religionis jam plenè instructus, assensum præbet mysteriis ab ea propositis, aut proponendis, quamvis non adhuc sit regenerationis lavacro renatus, & baptismali charactere, qui solo baptismo fluminis producitur, insignitus. De hoc igitur *Catechumenorum* genere procedit conclusio, non de altero, quia de his militat ratio, ob quam, sicuti vera in ipsis fides est, ita & vera potest haberi fidei corruptio, quæ ab *hæresi* provenit, & Subjectum, in quo illa corrumpitur, *hæreticum* denominat.

2. Adeò autèm indubium est veram fidem adesse in hujusmodi *Catechumenis*, verumque baptismi fluminis desiderium constituens baptismum flaminis, ut indè olim ortus fuerit error quibusdam in locis baptismum fluminis conferendi *Catechumenis* vita functis absque illius susceptione, ritum in tali collatione servando, quem refert *hom.40.in Ep.1. ad Corinth.* Chrysostomus: *Postquam Catechumenus quispiam apud eos excesserit, sub lecto mortui abscondito aliquo, qui vivit, accedunt ad mortuum, & alloquuntur, & rogant, velitne accipere baptismum? Deinde illo nihil respondente, qui est absconsus internè pro illo dicit se velle baptizari: & sic eum baptizant pro eo, qui excessit, ac si in scena luderent.* Error autem, ad cujus impugnationem Theophilactus *in 1. ad Cor. 15.* applicat illa Pauli verba: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* quæ tamen ad hunc errorem non esse directa censet esse probabilius Suarez *tom.2. in 3. p. disp.50, sect.1.* & *tom. 3. disp.24. sect.2. paulò post initium*; consistebat, tùm in eo quòd vivum baptizabant pro mortuo, ac si ille posset esse Subjectum baptismi, hic verò effectuum tanti Sacramenti; tùm in eo, quòd autumarent capacem eorumdem effectuũ, qui jam ante tribunal Christi reddidit rationem operationum suarum, ut expendit S. Fulgentius (*de bapt. Æthiop. cap.9.*) *Mortuos propterea non baptizamus, quia omne peccatum, sive originale, sive actuale, quod simul est animæ,*

Animæ, carnique commune, nihil eorum dimittitur, si à carne sua, anima separetur. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, sivè bonum, sivè malum. Anima itaque sine carne nulla ratione salvatur, quæ peccavit in corpore, nec credit eam esse in corpore; ac per hoc malum recipit, quod gessit in corpore, non bonum, quod in corpore constituta non gessit. Caro quoque sine anima non potest baptizari, quia, nec remissionem peccatorum accipere, nam res, quæ non vivit, sicut nec peccare, ita pœnitentiam peccati habere non potest.

3. Non tamen error erat in eo, quòd crederent *Catechumenos*, qui decedebant absque fluminis baptismo, cum solo ipsius voto, salvos fieri potuisse; & propterea ritè, validè, ac licitè eos baptizassent, si ante mortem id egissent, etiamsi, vel propter amentiam, vel ob infirmitatem, capaces non essent voluntatis actualis expetendi baptismum, ut perbellè expendit Angelicus *3. p. quæst. 68. art. 12. in corp.* ubi postquam (§. Sed contra) refert Augustinum *lib. 4. conf. cap. 4.* testantem *de Amico suo, qui cum desperaretur, baptizatus est nesciens; & tamen baptismus in eo efficaciam habuit*; distinguit Amentes, in eos, qui à nativitate sunt tales *nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus usus rationis apparet, & de talibus, quantùm ad baptismi susceptionem, videtur esse idem judicium & de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiæ*; & in eos, *qui ex sana mente, quam habuerunt priùs, in amentia inciderunt. Et tales sunt judicandi secundùm voluntatem, quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent. Et ideò, si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, debet eis exhiberi in furia, & amentia constitutis, etiamsi tunc actu contradicunt*; Sicque esse in Ecclesia semper servatum habetur *cap.* Majores *de baptismo* §. Verùm; *Dormientes autem, & amentes, si priùs quàm in amentiam inciderent, aut dormirent, in contradictione persisterant, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, si fuerint sic immersi, characterem, nec recipiunt Sacramenti; Secùs autem si priùs Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Undè tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem non invenit obsistentem.* Eodem autem modo, quo *Catechumenus* capax baptismi fluminis fieri potest, ita & capax salutis, etiamsi absque fluminis baptismo decedat *inculpabilitèr*, quia illud idem propositum, virtute cujus ei confertur baptismus, conferri potest & salus, dummodò nulli lethali culpæ supponatur obnoxius. Sicque patet solum baptismum flaminis sufficientem esse, ut quis Christo per fidem incorporetur, à quo, si dein separetur per discredentiam articulorum, quos Christus præcipit credere, *hæretici nota*, & denominatione dignus efficitur, ita sentientibus communissimè Theologis, Suarez *disp. 19. de fide sect. 5. n. 3. & in defens. fid. advers. Reg. Angl. lib. 4. cap. 24.* Sanctarellus *de hæresi cap. 1. dub. 2. n. 3.* Fagundez *lib. 1. in 1. Decal. præc. cap. 10. n. 27.* Alberghinus *in manual. Qualif. Sanctæ Inquis. cap. 9. num. 5. & seq.* Del Bene *de off. S. Inquis. & hær. par. 1. dub. 2. petit. 1. num. 2.* ubi plerosque alios citat, videlicet Alphonsum à Castro, Bannez, Turrianum, Reginaldum, Becanum, Azorium, Farinacium *locis* apud eum *videndis*.

4. Qui tamen (*nu. 5.*) satis probabilem vocat opinionem oppositam negantem *Catechumenum* denominari, ac esse posse *formalitèr hæreticum*, & quidem ne dum quoad forum Ecclesiæ, de quo *artic. sequ.* sed neque quoad forum Dei, de quo *in hoc & præc. art.* loquuti sumus, juxta distinctionem tradendam *seq. art. num.* 1. quam propugnari asserit à Mariano Socino, Joanne Andrea, Zabarella, Ancharano, Butrio, Aragonio, Ugolino, Sanchez, Valentia, Sayro, Turrecremata innixis Angelici authoritati indicantis *hæreticum* esse illum, qui à fide *in veritate*, per quam, intelligendam censent fidem in baptismo susceptam, recedit. „ Ad quod (subdit „ laudatus Author) respondere quis posset, „ quòd per fidem *in veritate* susceptam non „ intelligat S. Thomas fidem susceptam in „ baptismo, sed susceptam *in veritate*, idest „ non in *umbra*, & *figura*, cum afferat „ S. Thomas *ibi* discrimen inter Hæreticum, „ & Judæum, quod Hæreticus recedat à fi„ de suscepta in manifestatione, & exhi„ bitione *veritatis*, Judæus autem „ recedat à fide suscepta in *umbra*, & *figu*„ *ra*.

5. Absque eo quòd obstare in contrarium valeant pleræque Patrum authoritates, quibus ad æternam salutem Baptismus in re exprimitur necessarius, indè inferendo, quòd, cum Catechumenus sit incapax beatitudinis, non habeat omnia requisita, ob quæ verè Christianus sit reputandus: undè nec articulum aliquem discredendo evadere potest *formalitèr hæreticus*. Siquidem Patres sunt benignè interpretandi, nec ullus ipsorum præsumendus, quòd dogmati christianæ Religionis semper agnito tamquàm tali, ullatenùs contradixerit. Sicque pluresque

hujusmodi textus explicat Suarez *tom. 3. in 3. par. D. Thomæ quæst.69. art.7. disput.27. sect.2.* ubi, quòd, si aliqua ejus generis testimonia adduci queant, quæ commodum non admittant sensum, ea asserit *corrigenda*. Per se autem loquendo non negamus ad beatitudinem necessarium fluminis baptismum, adeò, ut eo per negligentiam, ac oscitantiam omisso, deperdatur, & jus ad vitam æternam, & ob hanc rationem *tract.13. in Joann.* scripsit Augustinus, *quantumcumque Catechumenus proficiat, adhùc sarcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur, nisi cum pervenerit ad baptismum*; sub nomine *sarcinæ* intelligendo onus suscipiendi in re baptismum, quòd dici potest ex peccatis ortum, utpotè impositum ad deletionem peccati, quæ, si habita fuerit antea, non id contigit, nisi ex voto satisfaciendi oneri prædicto, & propterea agens de Cornelio Centurione *lib.4. in Numeros qu.33.n.9.* ipsum justificatum supponit ante receptum baptismum, & consequenter beatitudinis capacem; subdens, non per hoc contemnere potuisse baptismum: *Cornelius audiens, & credens, quod prædicaverat Petrus, ita mundatus est, ut ante visibilem baptismum, cum suis, qui aderant, acciperet donum Spiritus Sancti. Verumtamen, nec visibile Sacramentum contemni potuit, ut ablutus lavaret quodammodò vestimenta sua*; quò cohæret doctrinæ, quam habet (*lib.4. de bapt. c.21.*) *si contritus post Spiritum Sanctum acceptum baptizari noluisset, contempti Sacramenti reus fieret, & ideo regni cœlorum indignus*, ut de eodem Cornelio repetit: (*lib.1. qu. ad Simplicianum q.2.*) *in quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad capessendum regnum cœlorum, sicut in Catechumenis, ut in Cornelio, anteq; ėni Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ*.

6. Cæterùm ad intentum satis esset, quòd posset quis per fidei professionem ex baptismi voto Christo uniri, etiamsi dein ad vitam æternam capessendam necessaria esset simpliciter susceptio Sacramenti baptismi, ea quippè ratione, qua Christi fit membrum per fidem, & charitatem, discredendo scinditur à Christo, & *hæresis* efficitur reus. Id tamen falsum esse, ex indicatis constat, & fusiùs videri potest apud laudatum Suariū, qui meritò reprehendit Pamelium, quòd prorsùs erroneè scripserit, super *epist.54. Cypriani*, improbabilem esse eorum sententiam, qui solam contritionem sufficere plerùmque existimant ad remissionem peccati absque baptismo re ipsa suscepto.

7. Ex quibus, facilis est solutio applicanda paritati, quæ contra assertum fieri posset, ex eo, qui votum Religiosi status suscipiendi emittens, & in vim voti Religiosus effectus, si dein retrocedat, non ideò fit apostata, & certè, nec coram Deo, quia non retrocedit à Religione per votum in Prælati manibus emissum; ac si ex hoc inferri valeat, nec coram Deo *hæreticum* dici debere, qui à fide recedit, quam interiùs susceperat, si in facie Ecclesiæ in baptismo professus illam non fuerat. Siquidem Religiosus nemo simpliciter est, qui obedientiam non promittit ne dum Deo invisibili, sed & Prælato visibili, in cujus manibus professio emittitur; & proinde dicta promissione Prælato visibili præcisa, nulla extat ratio ob quam etiam coram Deo dici queat in rigore apostata. At in fide, soli Deo præbetur assensus, & non homini, & per consequens, sicuti potest absque baptismo vera fides suscipi, Deoque revelanti assensus præberi, ita & independenter à susceptione physica baptismatis, potest discredens coram Deo *hæreticus* fieri.

ARTICULUS III.

An Catechumenus proferens propositionem hæreticam sit ab Ecclesia punibilis?

1. *Incorporari Christo*, ait *in 4. dist.4. quæst.2. quæstiunc.1. in corp.* Angelicus *contingit dupliciter, videlicet, merito, & numero: merito potest aliquis de Ecclesia effici, quod est Christo incorporari, etiam antè baptismum susceptum, sed non ante baptismi propositum post tempus gratiæ revelatæ; sed numero non potest aliquis effici de Ecclesia, nisi per baptismum, undè aliquis non admittitur ad perceptionem Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum Ecclesiæ*. Non quælibet idcircò incorporatio Christo sufficit, ut quis simpliciter dicatur incorporatus Ecclesię, adeò ut sit Ecclesiæ membrum, æquè ac reliqua membra, participans omnium Ecclesiæ bonorum. Quod comprobat nobilis illa paritas Augustini ex hominum generatione desumpta; sicuti namque homo, non eo ipso, quòd est conceptus, ac adhùc in utero matris existens, dicitur simpliciter pars humanæ, ut ita dicam, reipublicæ, nisi in lucem prodeat, sed censetur esse veluti in potentia proxima ad illam, tanquàm universitatis membrum, constituendam, ita & Catechumeni, *non dum adhùc vocari queunt* (*lib.2. de Symb. cap.1.*) *per baptismum renati, sed per Crucis signum in utero S. Matris Ecclesiæ concepti*; meritum proindè ha-

habentes, ut Ecclesiæ adscribantur, ac ut ad ipsam pertineant in ordine ad consecutionem beatitudinis, quam, extra ipsam non posse haberi definitum est in Lateran. Concil. (*cap.1.*) *Una est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus potest salvari*: non tamen numerum actualitèr constituunt ex eodem (*lib.4. cap.1.*) *Non ergo ad numerum filiorum reliquorum pertinebunt, quousque eos in lucem emittat per regenerationis Sacramentum*. Qua ratione *Actorum* 2. ingressus in Ecclesiam solis baptizatis sacræ regenerationis lavacro competens indicatur, non fidem dumtaxat ex auditu recipientibus: *Qui ergò receperunt verbum, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia*. Ex hoc verò principio, patet

2. Negativè difficultatem propositam resolvi debere; quam conclusionem *certam* vocat Suarez *disp.19.de infidel.apost.seu hæret. sect.5. de subjecto hæres. num.5.* oppositam asserens *non esse probabilem*, cui, ait, unicum Alphonsum à Castro adhærere, cæteris negativæ faventibus, licèt Dei Bene *part.1. de off. S.Inquis. & hær.dubit.2. petit.1. nu.6.* quosdam alios innominatos Castro adjungat, eos rejiciens cum Simancha *de cathol. instit. tit 31. num.6.* Sanchez *lib.2.in Decal.c.7.n.34.* Bannez *2.2.q.11.art.1.* Reginaldo *lib.17. q.3. n.51.* Azorio *lib.1. Instit. moral. lib. 8. cap.9. q.3.* Turriano *de fide disp.55.* & aliis passim, quos præcessere Sancti Patres, qui *Catechumenos* semper à Fidelibus distinxerunt, ut ipsos videre est *locis*, quæ promit Dominicus à SS. Trinitate *lib.3. bibl. theol. cap.5.* & signantèr Tertullianum *lib. de præscript. c.41.* Nazianzenum *orat. in sanctum lavacrum*. Chrysostomum *hom.24. in Joannem*. Cyrillum Alexandrinum *lib. 12. in Joan. cap. 50.* Pacianum *lib. de pœnit. in princip.* Augustinum sæpissimè, & præsertim *lib. de catechizand. rudib. cap.13.* & *tract.4.* & *44. in Jo.*, & *lib.8. confess. cap.8.* Qui autem distincti sunt à fidelibus, ut horum nomine simplicitèr, & in rigore non veniant, non sunt pœnis fidelium propriis addicendi.

3. Et quidem fortiori ratione à pœnis eximi debent, qui de Ecclesia adhuc non sunt quoad participationem Sacramentorum, præcipuorumque ejusdem mysteriorum, ac donorum: cum minimè deceat Evangelicam legem, quæ lex gratiæ dicitur, in pœnalibus magis extendi, quàm in favorabilibus, ac privilegiis; ac proindè non est cur ejus jurisdictio exerceri valeat in eos, quos prohibet ne divino intersint Sacrificio, undè orta est distinctio Missæ fidelium, & *Catechumenorum*, quibus sola illa pars erat communis, quæ oblationem præcedebat, ante quam dimittebantur, æquè ac Gentiles, ut habet Isidorus *lib.6. Ætymolog. cap.19.*, & Augustinus addit *tract.96. in Joan.* & *in Ps.109.* nec difficiliora fidei Mysteria solita fuisse ipsis olim promulgari, aut explicari, de quo legendus Emanuel à Schelestrate in suo erudito opere *de Disciplina Arcani*. Quin obstet, quòd pro *Catechumenis* in missa possit orari, quòdque ipsis vita functis Sacrificium prodesse queat. Oratio namque non supponit necessariò fideles in foro Ecclesiæ, in quorum utilitatem dirigitur, cum etiam dirigi possit in utilitatem Gentilium, qui nec in foro Dei fidelium nomine venire possunt; & sicuti pro his deprecamur, ut veritatis lucem agnoscant, ita & oramus pro *Catechumenis*, ut Ecclesiæ efficiantur membra, tantùm abest, quòd membra in rigore supponantur. *Cum enim*, ait Chrysostomus, (*hom. 2. in 2. epist. ad Corinth.*) *Diaconus dicit pro Catechumenis instantèr, oremus, nihil aliud, quàm universum populum hortatur, ut pro illis oret, licèt tunc alieni sint Catechumeni, non dùm enim pertinent ad Corpus Christi, nondùm mysteriorum participes facti sunt, sed adhùc à spirituali grege divisi sunt*. Et iterùm. *Adhùc stant extra atria regalia procul à sacris cancellis, & ideò tremendas illas precationes, quæ fieri solent, impartimur illis, ideò Diaconus hortatur te, ut ores pro illis, ut tua fiant membra, non ampliùs sint hospites, & advenæ*.

4. Quantùm autem ad Sacrificii fructus, non una videtur fuisse antiquorum Patrum, & Doctorum mens, an eorumdem sint *Catechumeni* revera capaces? Id namque negat Chrysostomus *hom.3. in epist. ad Philip.* ubi differens de utilitatibus Sacrificii, quas vita functi percipiunt, subjungit: *Atque id quidem de iis, qui in fide discesserunt. Catechumeni verò neque hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti*. Nec fortè dissentit Augustinus *lib.1. de Anima, & ejus orig. c.11.* in illa universali regula, quam tradit: *Salva fide catholica, & Ecclesiastica regula, nulla ratione conceditur, ut pro non baptizatis cujuslibet ætatis hominibus offeratur Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi, tamquàm per hujusmodi pietatem suorum ad regnum cœlorum, quò perveniant, adjuventur*. Affirmat verò D. Ambrosius, *de obit. Valentiniani*, de eo, ac de Gratiano Imperatoribus habens: *Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt. Nulla dies vos silentio præteribit, Nulla inhonoratos vos mea transibit oratio. Nulla nox non donatos aliqua* pre-

precum mearum commixtione transcurret. Omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit innoxios nominare? Quis vetabit commendationis prosecutione complecti? Si oblitus fuero te, Sancta Hierusalem, hoc est Sancta Anima, & pacifica germanitas, obliviscatur me dextera mea.

5. De Veritate nihilominùs hujus posterioris sententiæ, non est ampliùs ambigendi locus, postquam eam eligendam duxit Romanus Pontifex Innocentius III. *in epist. ad Episc. Cremonen.*, quæ refertur *cap.* Apostolicam, *de Presb. non dum baptizato*, cujus favore concludit: *Sopitis igitur quæstionibus Doctorum, Patrum sententias teneas, & in Ecclesia tua juges preces, hostiasque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato.* Quo posito, adhuc quæstio est, an fructus Sacrificii *Catechumenis* in purgatorio detentis prosit per modum solius impetrationis, ut, inter alios, sentit Suarez *to. 3. in 3. p. qu. 83. art. 1. disp. 78. sect. 2.* de qua militaret ratio *num. 3.* expensa; vel etiam ex opere operato, ut cum Turrecremata *c. Nullus 13. q. 2.* autumat probabilius Dominicus à SS. Trin. *lib. 3. bibl. theol. sect. 3. cap. 5.* ad quod pariter sufficit *Catechumenos* pertinere ad Ecclesiam merito, licèt non pertineant numero, qua ratione probabilius pariter est, privandos non esse Ecclesiastica sepultura, si hæc saltem non fiat cum illa solemni pompa, & psalmodia, quæ adhibetur pro baptizatis fidelibus. Cum verò, merito quempiam ad Ecclesiam pertinere, non satis sit, ut Sacrificii, & Sacramentorum participatione fiat dignus, neque per consequens obnoxius credi debet pœnis illis, quibus subjiciuntur, qui etiam numero sunt Ecclesiæ membra, quique omnium Sacramentorum, omniumque effectuum, qui per Sacramenta percipiuntur, si per eos non steterit, sunt absque ulla restrictione capaces. Hancque conspicimus esse Ecclesiæ praxim, quæ nec *Catechumenos* a fide deviantes castigat, nec cogit, ut Baptismum recipiant, undè fit, quòd Inquisitores quandocumque volunt in aliquem procedere propter hæresis crimen, id non faciunt, nisi priùs constiterit illum esse ablutum unda baptismatis.

6. Nec satis habent, quòd baptismum petierint, ut enim notat Cardinalis de Lugo *disp 20. de virt. fid. div. sect. 4. num. 141.* ejusmodi voluntas, & petitio baptismi, nullum jus Ecclesiæ dat, non subsecuto ipso baptismo, ad quem nec cogere eos potest, in vim solius petitionis de eo habitæ. Et ante ipsum animadverterat Farinacius *de hær. quæst. 178. §. 6. num. 128.* dum asserens judæos, & infideles, contra fidem sentientes, „ non esse „ *hæreticos* propriè, nec *hæreticorum* pœna „ posse puniri; nec Inquisitores posse pro- „ cedere contra eos, „ idque quia, ad hoc, ut quis *hæreticus* dicatur, requiritur, ut sit baptizatus, ampliandam subdit „ proposi- „ tam regulam in *Catechumeno*, qui con- „ stanti animo baptismū suscipere statuit, „ qui si postea in *hæresim* lapsus fuerit, *hære-* „ *ticus* propriè reputandus non est, nec ut „ *hæreticus* puniendus in foro exteriori, „ licèt secùs in foro conscientiæ ex allega- „ tis per Symanc. *Catholicar. Instit. tit. 31. rubr.* „ *de Hæret. num. 6.* & *num. 134.* Et limitans hanc regulam in judæis, & aliis infidelibus, qui si spontè facti sunt Christiani, & postea à fide devient, ut *hæretici* puniuntur; paulò post, limitationem sublimitat, „ non proce- „ dere in *Catechumeno*, qui cum fidem, & „ Religionem Christianam animo susce- „ perit, sed nondum fuit baptizatus, is „ enim, si postea contra fidem scienter cre- „ diderit, licèt coram Deo *hæreticus* repu- „ tetur, non tamen talis reputandus est ab „ Ecclesia Dei, cujus jurisdictioni, & pote- „ stati, cum baptismum non susceperit, „ nondum subditus est. Ita Azorius Jesuita „ *in sum. par. 1. lib. 8. cap. 9. rubrica de hær. cri-* „ *mine in 3. quæst.* ubi testatur de veriori sen- „ tentia, quidquid secùs dixerit Alphonsus „ de Castro *lib. 1. de justa hæret. punit. cap. 8.*

7. Cujus praxis, si adhùc potissimum fundamentum velimus perquirere, ex dictis *cap. 2. art. 11. à num. 8. & à num. 15.* est desumendum; ex Ecclesiæ videlicet visibilitate, ob quam Sacramenta per signa sensibilia Redemptor instituit, quorum janua est baptismus fluminis Christi charactere insigniens quotquot illum suscipiunt, per quem deindè manent Ecclesiæ jurisdictioni subjecti. Quod de *Catechumenis* non verificatur, dum in eis nullum sensibile signum unquam supponi possit, ob quod charactere christiano censeri valeant ullatenùs initiati; & ideò, etsi in ordine ad effectum Sacramenti, baptizati dicantur, non tamen in ordine ad veram, & realem incorporationem Ecclesiæ tamquàm ipsius partes numerum constituentes; ac proindè Augustinus *lib. de Civit. Dei*, ut refertur *cap.* Apostolicam Sedem *de Presb. non dum baptizato*, vel *lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 22.* ut refertur *c.* Baptismi vicem, & *c.* Non dubito *de consecr. dist. 4.* baptizatos *invisibilitèr* asserit *Catechumenos*, innuens non adhùc ad visibilem Ecclesiam pertinere; *Baptismus invisibilitèr ministratur, quem non contemptus Re-*

ligionis, *sed terminus necessitatis excludit*; proptereà *Catechumenis* applicanda Apostoli sententia exprimens eos, qui foris sunt ab Ecclesia, & quidem juxta Trid. definitionem (*sess.14.c.2.*) *Cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus*. Quid enim mihi, *inquit Apostolus*, de his, qui foris sunt judicare? 2. *ad Cor.4.16.*

8. Ex quo colligendum venit discrimen, quod intercedit inter novum, & vetus Testamentum. Quòd, sub hoc, poterat quis esse simpliciter Ecclesiæ membrum sine circumcisione, quæ erat umbra, & figura baptismi; in illo verò, id verificari nequit sine baptismo in re suscepto. Quia ante Christi adventum non unum erat signum sensibile omnibus commune, per quod Ecclesiæ adscriberentur. Israelitis enim viris ex stirpe Abrahæ descendentibus necessaria erat circumcisio, quæ ab Apostolo *ad Rom.* 4.11. dicta est *signaculum justitiæ fidei*; aliis verò, qui ex tali stirpe non descendebant, satis erat quodlibet aliud symbolum, seu signum, ut Sacrificium, aut cæremonia externa, vel aliqua sensibilis fidei professio &c. quod quoque in fæminis Israelitis locum habebat. Post Christi autem adventum est institutus baptismus, ut Sacramentum necessarium necessitate medii pro cunctis nationibus, nulla excepta, & pro utroque sexu, & idcircò nulli patere potest aditus in visibilem Christi Ecclesiam, nisi eo fuerit regeneratus. Baptismus, inquit Angelicus (3.*p.q.70.art.2. ad 3.*) *in se continet perfectionem salutis, ad quam Deus omnes homines vocat secundùm illud*: (1.*ad Tim.2.4.*) Qui vult omnes homines salvos fieri: *& ideò baptismus omnibus populis proponitur. Circumcisio autem non continebat perfectionem salutis, sed figurabat ipsam, ut fiendam per Christum, qui erat ex judæorum populo nasciturus, & ideò illi soli populo data est circumcisio*; & (*in resp. ad 4.*) *Circumcisio instituta est, ut signum fidei Abrahæ, qui credidit se Patrem futurum Christi sibi repromissi, Et ideò convenientèr solis masculis competebat. Peccatum etiam originale, contra quod specialitèr circumcisio ordinabatur, à patre trahitur, non à matre. Sed baptismus continet virtutem Christi, qui est universalis causa salutis omnium, & remissionis omnium peccatorum.*



ARTICULUS IV.

An qui baptismo initiatus inter Infideles perpetuò vixerit, hæretici denominationis in utroque foro sit formalitèr *capax?*

1. Cum ex Tertulliano de ratione *hæresis* esse dixerimus, ut illam Proferentem denominare valeat *hæreticum formalitèr*, quòd ab eo proferatur, *qui deserto quod priùs erat, postea sibi eligit, quod retrò non erat*, meritò inquirendum proponitur, an denominatio ejusmodi competere valeat ei, qui suscepto baptismo, est perpetuò inter infideles enutritus? & resolutio expetitur quoad utrumque forum, idest tùm quoad denominationem ei tribuendam relatè ad Deum duntaxat, & quoad ei tribuendam in ordine ad Ecclesiam, à qua proindè *punibilis* haberi valeat. Cui petitioni, ut respondeamus, inspici in primis debet, an præfatus à gentilibus, vel judæis enutritus, neget integram Christi fidem, vel aliquam partem ejus? Si enim integram negat, patet *hæreticum* dici non posse in toto rigore, nisi quoad pœnas, quibus est subjiciendus, ex indicatis *art.1. num.4.* & innuendis *num.4.* non omissa observatione Cardinalis de Lugo *disp.18. de virt.fid. div.sect.4. num.103.*, quòd nempè in textu canonico *ibidem* relato, qui totam rejicit fidem „ non dicitur simplicitèr *hæreticus*, sed puniendus, ut *hæreticus*, cum absolutè sit *paganus*, aut *judæus*, & si in eo supponatur notitia suscepti baptismatis, *apostata*. Si verò, non totam fidem christianam negat, sed partem ejus, clarum fit eum in Christum credere, & idcircò non omninò more infidelium educati censendi qui in Christum nullatenùs credunt. Quamvis & in hoc potest altercatio haberi de solis vocibus, ob varias explicationes, quibus describere placeat *apostatas*, aut *hæreticos*, cum non desint, qui illud discrimen agnoscant horum ab illis, quod est inter *inferius*, & *superius*, adeout omnis *hæreticus* dici valeat *apostata*, non verò omnis *apostata* denominari possit *hæreticus*. Quos tamen aliqua cum impropríetate loqui Doctor laudatus *num.* 99. deducit, ex eo, quòd in rigore haberi queat *hæresis* sine formali malitia *apostasiæ*; quoties nempè ignorans baptizatum fuisse, totalis est in se fidei desertor, quin sit *apostata* „ cum enim omninò ignoret, se aliquan-

„ quando fidem catholicam suscepisse, aut „ eam in baptismo fuisse professum, non „ contrahet magis malitiam formalem de-„ sertionis fidei, quàm, si baptizatus non fuisset „ cum tamen fieri possit *hæreticus* ob culpabilem alicujus articuli discredentiam. Quo præmisso:

2. Dicendum ducimus hominem baptizatum,ut supra,enutritum inter infideles, capacem esse posse *formalis* denominationis *hæretici* in utroque foro, estò plerumque ab ea sit excusandus, si saltem de positiva denominatione sit sermo. Quam exceptionem ponimus distinguentes cum Theologis communitèr *hæreticos* in *negativè* tales, & *positivè*; sicuti de infidelibus diximus *c.3. art.21. num.12.*; & cohærenter ad *ibi* indicata *hæretici negativè* dicuntur, qui etsi Christi nomine glorientur, adhùc tamen alicujus à Christo propositum articulum discredunt, quòd *inculpabilitèr* nesciant illum verè Divinæ Sapientiæ testimonio innixum. *Positivè* verò, qui, sufficienti ad id propositione non obstante, adhùc articulo sufficientèr proposito assentiri renuunt, nolentes *intelligere*, *ut benè agant*, ut loquitur Psalmista *Psal.35.4.* Patet autem juxta hanc distinctionem *hæreticos negativè* nedum dari posse inter enutritos ab infidelibus, sed & inter educatos ab hæreticis, immò & ab ipsis fidelibus. Ea namque ratione, qua quis verè *hæreticus* est censendus, qui sacro initiatus baptismate, discredit aliquem articulum, quem falsò judicat revelatum, ut pluriès in *præcedentibus* insinuavimus, ita è contra ab *hæresi* eximendus, qui discredit articulum, quem falsò, sed *inculpabilitèr* judicat non revelatum. *Hæreticus* proindè iste talis dicetur non *positivè*, immò nec *privativè*, (quod ferè idem in hac materia sonat, dum nil aliud importat, quàm, quòd proferentem privet fide, quæ in eo supponitur) sed *negativè*, quatenùs non credit id, quod credendum revera esset, sed adhùc ei non propositum sufficientèr, ut credatur; & ideò neque *formalis* autumandus *hæreticus*, sed *materialis* solummodò. Deceptus propterea est Alberghinus *in Manual. qualif. cap.5. num.2.* asserens infidelitatem „ *negativam* in eo dumtaxat reperiri, qui fidem non recipit „ qui autem baptizatus est „ infidelitatem *negativam* habere non potest, sed *positivam*, quia non potest amitti fides nisi per actum fidei contrarium „

3. Quod verò possit enutritus inter infideles *positivè*, & *formalitèr* effici *hæreticus*, evidens ex eo redditur, quòd nullum prorsus fundamentum habeatur, vi cujus ad formalem *hæretici* denominationem, de quocumque sermo sit foro, requiri debeat, quòd quis inter fideles suos dies egerit. Cum quantumvis inter infideles vixerit, abundè verificari possit ipsum deserere quod priùs erat, sibi eligens quòd retrò non erat. Cumque nedum coram Deo fidem professus sit, sed & coram hominibus baptismum suscipiens, per quem verum visibilis Ecclesiæ membrum est effectus, sequitur non minùs *hæreticum formalitèr* esse dicendum in uno, quàm in altero foro, & consequentèr pœnis per Ecclesiam in *hæreticos* latis obnoxium. Ideòque rejiciendam penitùs censemus Hurtadi *disp.82. de fide sect.2. §.8. & 14.* sententiam, qua opinatur, quòd, ut aliquis sit *formalitèr hæreticus*, necesse sit, quòd aliquando veram fidem habuerit, adeo ut *hæresim* ea Christi professio præcesserit, per quam homo sit moralitèr certus de omni doctrina fidei, & paratus actu, vel habitu ad eam ex Ecclesiæ authoritate sequendam, indè inferens, ex hypothesi, quòd aliquis erret, quin supernaturalem fidem habuerit, eum minimè *formalitèr* habendum *hæreticum*.

4. Siquidem hæc doctrina, in qua Hurtadus inconstantiæ redarguitur à Cardinali de Lugo *disp.20. de virt.fid. div. sect.4. §.2. num.149.* est, ut idem purpuratus Doctor advertit, contra communem fidelium sensum, & Ecclesiæ praxim, quæ *hæreticos* absolutè, & simplicitèr reputat eos omnes, qui baptismo suscepto, & Christi nomen in eo profitentes, aliquos dein contra fidem errores tuentur, quantumvis nusquàm Catholici fuerint. Alias omnes filii hæreticorum sacro fontis lavacro ab infantia regenerati, nusquàm *hæretici formalitèr* erunt dicendi, catholicam quantumvis deindè impugnent Religionem sufficientèr eis propositam, ut ad eam profitendam obligati sint, atque obstricti; eò quia nusquàm de ea, ac de omnibus, singulisque mysteriis, quæ credenda proponit, fidem ne dùm explicitam, sed nec implicitè habuerint, quòd tamen ab omnibus unanimitèr reprobatur, attenta præsertim constitutione Bonifacii VIII. *Sexto Decret.* inserta *sub tit. de hæret.* firmantis procedendum tamquam *contra hæreticos* in redeuntes ad ritum judæorum, dummodò constet in infantia baptizatos eos fuisse, (*cap.* contra Christianos,) quod vide supra *art.1. num.4.*

5. Vim in contrarium non habente re-

Nn 2 cursu,

cursu, qui fieri posset ad habitum infusum, qui dictis pueris inditus in ipsa baptismatis susceptione supponitur, virtute cujus *hæretici* dein meritò redduntur, catholicam Religionem culpabilitèr non suscipiendo, & ob eorum pervicaciam susceptum habitum deperdendo. Sivè quia, sic dicendo, nullus à nostra, communique opinione erit recessus, & discrepantia, cum enim prædictus habitus infusus semper supponendus esset, quoties validus confertur baptismus in non ponentibus obicem, quales sunt pueri, immò & probabilissimè etiam adulti, qui cum fictione, seu cum peccato baptizantur, dummodò necessariam habeant dispositionem ad fidem, quamvis deficiant quoad dispositionem, quæ ad charitatem requiritur, conformitèr ad *conclusionem*, quam 1.2. *q.62. art.4.* statuit Angelicus, quòd *ordine generationis, fides spem, & spes charitatem antecedit*, indè *2.2. q.6. art.2. ad 3.* supponens posse habitum fidei infundi absque habitu charitatis, dum ait, *quòd ille, qui accipit à Deo fidem absque charitate, non simplicitèr sanatur ab infidelitate, quia non removetur culpa præcedentis infidelitatis, sed sanatur secundùm quid, ut scilicet cesset à tali peccato*, evidentèr sequitur nihil ampliùs requiri, ut quis *hæreticus* formalitèr valeat denominari, nisi quòd aliquem articulum culpabilitèr discredat post susceptum baptismum, ad quem dicta habitus infusio consequitur, absque eo quòd usquam actum fidei infusæ elicuerit erga ullum ex articulis catholicæ Religionis. Sivè etiam quia ex dicendis *art. seq.* ad formalem *hæretici* denominationem in foro Dei sufficit, quòd in discredente præcesserit baptismus invalidus, per quem clarum est non infundi habitum fidei.

ARTICULUS V.

An Propositio hæretica denominet formalitèr hæreticum *invalidè, & nullitèr baptizatum*?

1. BAptismi nullitas potest provenire, vel ex defectu in materia, ac forma, vel ex intentionis carentia sivè ex parte Suscipientis, sivè ex parte Ministri. Quicquid contra hoc ultimum scripserit Gaspar Iveninus *part.8. instit. theolog. dissertat. de Sacramentis in gen. conclus.4.* qua valere, ait „ Sa„ cramentum datum à ministro, qui se ge„ rens exteriùs tamquàm Ecclesiæ mini„ strum, seriò peragit ritum à Christo præ„ scriptum, quamvis non tantùm non ve„ lit interiùs Sacramentum conficere, sed „ etiam quamvis positivè nolit, hoc est, „ quamvis expressè dicat interiùs: nolo „ Sacramentum conficere „ futilitèr, ni quid ampliùs proferā, indè explicans *propositionem 28.* ex damnatis ab Alexandro VIII. *valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intùs verò in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere, quòd facit Ecclesia*, contendens proscriptionis fundamentum minimè fuisse expressam contrarietatem volitionis internæ, sed quòd de ministro sit sermo, qui ritum externum observat, *sivè seriò, sive mimicè*, ac si observantiæ omnis ritus externi denominationem mereatur, qui *mimicè, & illusoriè* illum peragit, & in *mimicè* se gerente animus esse queat *seriò agendi, & verè absolvendi*, ut loquitur Tridentinum *sess.14. de Sacr. Pænit. cap. 6.* post quod nullus, ut reor, Catholicorum fuit, qui cum Luthero *mimicam, & jocosam* Sacramentorum administrationem validam habuerit, & ideò ad eam unicè excludendam dirigi non potuit Romani Pontificis sanctio. Quæcumque autem fuerit mens prædicti Authoris in opere jam ab Em. Archiepiscopo Parisiensi suspenso sub *die 12. Junii* 1706. & fortassis ab Apostolica Sede interdicendo, quæstionem

2. Resolvendam ducimus *affirmativè* relatè ad forum Dei quoties nullitas ex defectu materiæ, vel formæ ortum trahit, vel ex carentia debitæ intentionis in Ministro; *negativè* verò quoad forum Ecclesiæ, (esto *per accidens* putari queat talis ex dicendis) undecumque sumatur fictio, quæ, si ex culpa, aut defectu intentionis in Suscipiente provenit, non nisi simulatè fidem amplectentis, ac baptizari se facientis, sustinemus nec in foro Dei Simulatorem hujusmodi *hæreticum formalitèr* dici in rigore ullatenùs posse. Prima assumpti pars evidens redditur ex firmatis *art.1. & 2.* Si namque *hæreticus formalissimè* in foro Dei habendus Catechumenus, indubium redditur ad hujusmodi denominationem necessariam non esse validitatem baptismi, qua præcisa non ideò qui baptismo initiari petierat, conditionem *Catechumeni* amisit, à quo statu per discredentiam discedens, reus constituitur *hæresis*. Sicque passim hujusmodi invalidè baptizatos, ac à fide deviantes *hæreticos* censent Sancti Patres, è quibus Del Bene *de off. S. Inq. & hær. p.1. dub.2. petit.1. Coroll.1. num.15.* citat specialitèr Augustinum *lib. de hæres. in princip. & hær.44.* nec non & *lib. de unic. bapt.*

contra

contra Donatistas cap.3. ubi tamen S. Doctor ex professo agit de baptismate ritè ab hæreticis collato nequaquam reiterando ea validissima ratione, quòd justum sit, *ut etiam in sacrilego non violem, quod verum invenio Sacramentum, nec sic emendem sacrilegum, ut in eo perpetrem sacrilegium*; licèt tantum dein comprobando argumentum supponere videatur id, pro quo ab Authore præfato adducitur, expendens namque paritatem judæi, *qui cum ad nos venerit, ut Christianus fiat, non in eo destruimus bona Dei, sed mala ipsius. Nam quod errat non credendo, quòd Christus jam venerit, natusque, & passus sit, & resurrexerit, hoc emendamus, eaque infidelitate destructa, fidem, qua hæc creduntur, astruimus. Item quod errat umbris veterum Sacramentorum inhærendo, dissuademus, jamque venisse tempus, quo hæc auferenda, atque mutanda Prophetæ prædixerant, demonstramus. Quòd verò unum Deum colendum credit, qui fecit cælum, & terram, quod omnia Idola, & sacrilegia Gentium detestatur, quòd futurum expectat judicium, quòd vitam sperat æternam, quòd de carnis resurrectione non dubitat, laudamus, approbamus, agnoscimus, sicut credebat credenda, sicut tenebat tenenda, firmamus*; indeque inferens: *Ita etiam cum ad nos venerit schismaticus, vel hæreticus, ut catholicus fiat, schisma ejus, & hæresim dissuadendo, & destruendo rescindimus, Sacramenta verò christiana si eadem in illo invenimus, & quidquid aliud veri tenet, absit, ut violemus, absit, ut si semel danda novimus, iteremus*, non obscurè indicat per conditionalem illam *si eadem in illo invenimus*, schismaticos quoque, & *hæreticos* fore dicendos, quantumvis Sacramenta eadem in eis non reperirentur. Concilium Nicænum primum *hæreticos* tenuit Pauli Samosateni Asseclas, & tamen (*can.19.*) *De Paulianistis ad Ecclesiam confugientibus definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis*, quòd eorum baptismus per expressam SS. Trinitatis invocationem administratus non fuerit. Idem pariter observat Emanuel Gonzalez in *lib.3. Decretal. super cap.* si quis puerum *de baptismo num.3.* de Eunomianis, *canoni septimo*, quo Concilii Constantinopolitani primi Patres statuerunt: *Eunomianos, qui in una demersione baptizantur, ad Ecclesiam venientes admittimus, sed postea baptizamus*, respondens stabilitum id fuisse non ratione unicæ mersionis, quæ semper in Ecclesia habita est sufficiens ad baptismi validitatem, licèt olim trina adhiberetur ad fidem sanctæ, & individuæ Trinitatis, Unitatis, & distinctionis in catholicæ Ecclesiæ primordiis firmiùs stabiliendam, „ sed quia utebantur falsa baptismi forma, „ ut videre est apud Epiphanium *lib.3. hæresi 56.* quare prædicta Concilii verba non „ comprehendunt Catholicos, qui verè de „ Trinitate sentientes, & rectè baptismi „ forma utentes unica mersione baptizati „ sunt.

3. Nec minùs patet veritas secundæ partis asserti ex Tridentini sanctione relata *art. 3. num. 7.* non enim vigore illius firmatur, Ecclesiæ judicium non exerceri in eum, qui non priùs in ipsam visus sit ingredi, quod evenit medio baptismate fictè suscepto, sed *qui non priùs in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus*, quod verificari nequit nisi per baptismum validum, quo non posito, *foris* censendus quilibet est, & ad Ecclesiæ jurisdictionem non pertinens. Et certè potiori jure asserendum hoc est de *nullitèr* baptizato, *fictèque* etiam fidei professionem, ac susceptionem simulante, quàm de eo, qui baptizatus licèt simplicitèr non sit, fidem tamen revera fuerat complexus, baptismumque petierat. Iste etenim aliquod verum, & sensibile signum præstitit erga catholicam fidem, esto insufficiens, ut per illud constitueretur de Ecclesiæ foro, ut ex Cardinali de Lugo tetigimus *art.3. num.6.* At in casu, & in baptismate concurrit *nullitas*, & in petitione *fictio*, & eatenus nullum extat verum signum sensibile, ob quod jurisdictioni Ecclesiæ formaliter, & per se subjiciatur. Ita Suarez *disp.19. de infid. apost. &c. sect.5. num.9.* Cardinalis citatus *disp.20. de virt. fid. div. sect.4. §.1. num.145.* Sanchez *lib.2. in decal. cap.7. num.35.* & alii communitèr.

4. Non excludimus propterea posse hujusmodi fictè baptizatum subjici jurisdictioni Ecclesiæ, & ab Ecclesia consequentèr puniri, non quidem *per se*, sed *per accidens*, sivè nempè ex præsumptione baptismatis, ut ad casum Mauri, qui, ut refert Castropalaus *tom.1. tract.4. disp.8. punct.16. §.6. n.3.* adversùs fidem nostram deliquit, & reconciliatus dein fuit, etiamsi allegasset se baptizatum neutiquam fuisse, & revera in libro Parochi, ejus baptismus non reperiretur descriptus, respondet de Lugo *num.141.* cum standum non sit dicto ejus, qui sicuti mendacitèr simulavit christianam professionem, ita & mendacitèr ad pœnas hæreticis debitas effugiendas potest negare se fuisse baptizatum, si præsertim adsint conjecturæ, quæ susceptionem baptismatis verisimiliorem reddant, & probabiliorem. Sivè, non ob *hæresis* crimen, sed ob delictum sacrosanctæ catholicæ Religioni illatum, juxta aliam

aliam ejusdem responsionem, ut enim expendit del Bene *de Off. S. Inq. & hær. p. 1. dubit. 154. petit. 11. num.* 5. Christus Dominus concedens Ecclesiæ suæ quicquid necessarium erat, ne Sacramenta contaminarentur, concessit consequenter plenam puniendi potestatem, quotquot illa *fictè* susceperint, & maximè si resipiscere nolint, veramque fidem seriò amplecti, sicque fecisse testatur de Lugo *num.* 146. quemdam ei notum, „ judæum Romanum ita se gerentem, qui „ etiam cum Christianis ad Sacram Hostiã „ accedebat, ut pro Christiano à Sociis ha- „ beretur, qui tamen antequam omninò „ detegeretur, Christianus, ni fallor, fa- „ ctus fuit, ut jam licitè prosequeretur in „ iis, quæ antea illicitè, & sacrilegè facie- „ bat.

5. Neque id mirum videri debet iis, quibus constat Ecclesiam etiam exercere suam jurisdictionem in judæos, & in infideles, tum præcipiendo, aut prohibendo ea, quæ ad Romanæ fidei conservationem respectivè conducunt, vel ei nocent; in quem finem interdictum ipsis legimus festivis diebus publicè laborare, in processionibus, & aliis ecclesiasticis functionibus intervenire, libros continentes blasphemias in Christũ, B. Virginem, Angelos, Sanctos, SS. Crucem, Sacramenta, sacras Imagines &c. ex Concilio Toletano duodecimo *cap.* 9. in diebus lamentationis, & Dominicæ Passionis, nempè à die Cænæ usque ad Pascha à suis locis, aut domibus exire, ac vagare, *c.* In nonnullis Provinciis *de Judæis* ex Concilio Lateran. quarto *c.* 8. diebus quadragesimæ, & jejuniorum, ac feriis sextis, & sabbatis carnes, aliosque cibos ab Ecclesia vetitos publicè deferre, divendere, aut manducare ex Concilio Narbonensi tempore Gregorii IX. *tit. de Judæis*, &c. tum eorumdem puniendo delicta, quæ in eorumdem secta communia habent, dignaque punitione, cum nostra Religione; uti si Deum Unum, Æternum, Omnipotentem negent, si Dæmones invocent, colant, consulant, vel Sacrificia offerant; hisce affinia ex variis Romanorum Pontificum Constitutionibus, quas inter, illæ Gregorii IX. incipiens: *Admodum dolenter audivimus*, Gregorii XIII. incipiens *Antiqua Judæorum improbitas* relatæ à Penna inter literas Apostolicas *in fine Directorii*, legique de eis potest meus doctissimus Concivis ex Clericis Regularibus Diana *par.* 4. *tract.* 7. *de pænis delict. resol.* 2.

6. Manet ultima asserti pars comprobanda, qua nec in foro Dei *hæreticum formaliter*, & in rigore habendum asserimus, eum, qui absque debita intentione baptismum suscepit, fidemque christianam simulavit amplecti, intùs eam perpetuò, & constantèr rejiciens. Ea tamen concludentèr sequi videtur ex pluriès indicata Tertulliani definitione *hæresis*, quę, cum involvat discessum à fide suscepta, locũ habere non potest, nec quoad forum Dei in eo, qui nusquàm fidem amplecti voluit, & catenùs, etsi coram hominibus *hæreticus* putativè habebitur, non tamen coram Deo, quem nulla res latet, juxta illud (1. *Reg.* 16, 6.) *homines vident ea, quæ parent, sed Deus intuetur cor.* Undè D. Gregorius *c.* Humanæ aures 22. *qu.* 4. relatus; *Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant. Divina verò Judicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* In cujus, & totius asserti corroborationem faciunt, quę docent communitèr Theologi in materiâ juramenti, deobligantes eos, qui jurant aliquod faciendum absque intentione jurandi, quia sine intentione jurandi nullum est juramentum, nullaque obligatio in conscientia, laudato Gregorio 26. *moral. capit.* 27. dicente; *Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde.* De qua relegendus Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *de juram, promiss. & ejus oblig. cap.* 8. ubi *num.* 6. discrimen assignat inter eum, qui *simulatè* jurat absque intentione jurandi, & eum, qui cum intentione jurandi, non verò sese obligandi; quòd hic obligetur Deo, ille non obligetur homini; quia licèt in voluntate hominis sit jurare, vel non jurare, non tamen in voluntate hominis, ex juramento cum intentione jurandi præstito, non obligari; obligatio namque juramenti non est directè intenta, quia per juramentum nil homo Deo offert, sed potiùs obligat quodammodò ipsum Deum, ut suæ promissionis sit testis, & quasi fidejussor, & inde non jam ex voluntate sua, sed ex naturali lege obligatur homo ad verum faciendum testimonium Dei, uti videmus in humanis; si quis enim vocat alium, ut sit fidejussor suæ promissionis, eo ipso obligatur fidejussori, nec per voluntatem contrariam potest talis obligatio impediri.

7. Ille verò nec Deo obligatur, quia nulla obligatio ubi nullus præcessit juramenti consensus, quantumvis dolosus, ac fraudolentus hujusmodi supponatur defectus, dolus namque etsi possit parere obligationem ex titulo justitiæ c. g. non tamen ex titulo religionis, & ex vi juramenti juxta distinctionem Angelici *in* 3. *dist.* 39. *quæst.* 1. *art.* 3.

art. 3. quæstiunc. 3. ajentis: *Distinguendum est ergo in eo, qui jurat. Aut enim simplicitèr, aut dolosè jurat. Si jurat dolosè, ex duabus partibus potest culpa sequi, scilicet ex fractione juramenti, & ex dolo. Quamvìs ergo ex ipsa ratione juramenti, inquantùm juramentum, non obligetur ad servandum ipsum, nisi secundùm suam intentionem, tamen ex necessitate juramenti, inquantùm fuit dolosum, obligatur ad observandum talitèr, quòd ex dolo alius non lædatur; & hoc est, quando secundùm intentionem recipientis implet juramentum. Si autem simplicitèr juret absque dolo, tunc in foro conscientiæ non obligatur, nisi secundùm suam intentionem, sed in foro contentioso, ubi intentio ignoratur, obligatur secundùm quòd verba communitèr accipi solent.* Quem proindè non immerito *piæ* indigentem *interpretatione* advertit Suarez *ibid. num. 2.* in eo, quod habet (*2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 4.*) *Dicendum, quòd, quando non est eadem jurantis intentio, & ejus, cui jurat, si hoc provenit ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundùm sanum intellectum ejus, cui juramentum præstatur.* Sicuti & explicandus est Isidorus *lib. 2. de summ. bono c. 31.* cujus authoritate Sanctus Doctor utitur: *Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit;* ut locum habeat „ quoad effectum com„ mittendi culpam, non quoad effectum „ inducendi obligationem. „ Quando enim quis dolosè jurat cum fraude, & injustitia, gravitèr contra Deum peccat, quia Deus accipit illa verba secundùm debitam significationem, & intentionem ejus, cui juratur, & ideò gravitèr offenditur, quòd quis suo nomine utatur ad decipiendum alium: non tamen ideò inducitur indè obligatio adimplendi juramentum quoad id, quod re vera juratum non est. Et hoc explicuit Isidorus adjungens: *duplicitèr autem reus fit* (utique sic jurans) *quia & Dei nomen in vanum assumit* (ob quod motivum damnata fuit propositio 25. ab Innocentio XI. *cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit gravis, sive levis,*) *& proximum dolo capit.*

8. Hæcque pariter fuit Subtilium Principis mens *in 3. dist. 3. q. unic. art. 3.* §. Quantùm ad perjurium: *Dolosum* juramentum *est, quando jurans aliquid esse factum, in ipso actu jurandi intendit oppositum, & non intendit se obligare ad illud, quod juratur, & talis in ipso actu jurandi peccat mortalitèr, quia adducit Deum tamquàm testem sui propositi de aliquo implendo, cum tamen intendat oppositum. Tamen post illud juramentum non remanet obligatus, quia in obligationibus privatis nullus obligatur, non intendens se obligare,* ex quo videlicet non intendat revera jurare, *sed in ipso actu jurandi intendit oppositum,* cum, si jurare intendit, satis non esset ad deobligationem inducendam intentio non se obligandi, ut notatum est *num. 6.* Ad rem igitur nostram, cum quis *nullitèr*, & *simulatè* baptizatur absque intentione suscipiendi baptismum, & absque eo, quòd fidem christianam ullatenùs sit amplexus interiori effectu, & consensu, quamvis in foro exteriori, ubi *intentio ignoratur*, ex indicatis *num. 4. & 5.* haberi, & puniri possit, vel ut præsumptivè *hæreticus*, vel ut reus injuriæ in Ecclesiam, & Sacramentum illatæ, in foro tamen Dei, licèt sacrilegæ falsitatis sit reus eò perniciosioris mendacio, quod committit ex Aquinate (*2. 2. q. 94. art. 2. in corp.*) *Si quis per verba asserat contrarium ejus, quod per veram fidem tenet in corde,* quò ad fidem essentialius est, ut *corde* credatur *ad justitiam*, quàm quòd *ore confessio* fiat *ad salutem*; non tamen est *formalitèr hæreticus*, quia nunquam ad fidei conservationem, quam non adhùc in veritate suscepit, obstrictus. Ex quo, nec sequitur, ait *ibidem* in materia juramenti Scotus, *quòd talis ex peccato suo reportet commodum, quia, si non jurasset*, aut baptizatus non fuisset, *dolosè, esset obligatus; quia nullum commodum est reportare peccatum mortale, quod non reportaret, si non jurasset,* aut non baptizatus fuisset *dolosè, licèt teneretur implere juramentum*, sicut & fidei professionem in baptismate habitam, *quæ tamen tentio non est ita damnosa, sicut peccatum mortale, quod incurritur in jurando,* aùt suscipiendo baptismum *dolosè*.

ARTICULUS VI.

An revelationis notitia sit necessaria, ut propositio hæretica valeat Proferentem denominare formalitèr hæreticum?

1. SOlutio propositæ difficultatis clarissima redditur expendenti, quæ tradita sunt *cap. 3. art. 19. & 21.* & *cap. 4. art. 4. nu. 2.* circa distinctionem infidelitatis, *hæresi*, servata proportione, proculdubiò applicandam, in *negativam, & positivam*, quæ, cum culpabilis esse debeat, ut *formalem hæretici* denominationem Proferenti communicet, patet ipsam admitti non posse cum notitiæ revelationis defectu. Undè patet non de illis *hæreticis negativis* id esse intelligendum, qui in solo Ecclesiæ foro dicuntur *negativi*,

quòd

quòd nolint fateri hæreses, de quibus accusati, & convicti fuerint, cum tamen revera *positivè hæretici* habeantur ex concludentibus habitis probationibus, & indiciis, talesque fortiùs existere valeant in foro Dei. Qui proindè nedùm inexcusabiles sunt à culpa, sed & propter eam traduntur Curiæ sæculari ultimo afficiendi supplicio, ut notat Cardinalis de Lugo *disput.23. de virt. fid. div. sect.3. §.2. num. 94., & seqq.*, ubi etiam quòd sic damnati, nec in articulo mortis absolvi queant ob defectum contritionis, quæ in eis nusquàm adesse potest ob violationem præcepti confessionis fidei, quod in facta hypothesi urget, & sui natura non solùm obligat nos abstinere ab actibus positivis, qui contrariæ doctrinæ professionem significare possent, verùm etiam & ab actibus *negativis*, qui possunt id ipsum exprimere. Ac idcircò, cum silentium illud, concurrentibus circumstantiis indicatis, & confessionis omissione adeò vehementem evincant pertinaciam, & in *hæresi* obdurationem, ut ea de causa morte digni reputentur, fides ipsa videtur obstringere ad tàm perniciosum, & scandalosum silentium deferendum, quo non amoto in *hæresi* perseverantes existimantur, & eam retinentes in corde.

2. Cum itaque primi generis *hæretici*, *negativi* dicantur, quia, non nisi *hæresis materialis* ipsis competere valeat, quòd absque notitia revelationis oppositam revelatæ propositionem sustineant, evidens fit, revelationis notitiam necessariò præcedere debere, ut quis *formalitèr* denominetur *hæreticus*. Undè & ad *hæreticos negativos* est pariter extendenda proportionalitèr doctrina tradita de *infidelibus* itidem *negativis*, eos videlicet, quoties reliqua præcepta, quibus obstringuntur, exactè servaverint, ob materiales circa fidei mysteria errores, in quibus ignorantèr detinentur, & absque propria culpa, damnandos neutiquam fore, sed aut salvandos, si errores non fuerint quoad dogmata ex necessitate medii credenda, aut ante mortem illuminandos cælitùs, & instruendos, ne cum erroribus prædictis decedant, ut passim discurrunt omnium Scholarum Theologi, quos nuperrimè quoad infideles nequiter visus est Gaspar Jueninus *instit. theol. par.6. diss. 1. art.2. in resp. ad 2.* eos inquiens „ non damnandos esse, quòd fidem non habuerint, „ sed propter peccatum originale, & plura actualia, quorum tùm per omissionem, tùm per commissionem in legem „ naturalem voluntariè rei facti sunt. Sancti Thomæ est illa responsio *2.2. quæst.10. art.1.*

3. Visus est, dixi, quòd revera in copulativa prædicta complectente peccatum originale, & actualia non persistat, sed oppositum expressè habeat, dum probans gratiam sufficientem ad habendam fidem non dari infidelibus, qui nihil unquàm audire potuerunt de Evangelio, ex quo, si eis dicta gratia concederetur, rei essent, quia non crederent, quod tamen esse falsum evincit damnatio propositionis Bajanæ, relatæ *art. 21. n.12. cap.3.* quam quoque rejecerat Angelicus *loc. cit.* verbis illis: *Si autem infidelitas accipiatur secundùm negationem, puram, sicut in illis, qui nihil unquàm audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est*; Theologis sentientibus infideles ejusmodi esse absque dubio illuminandos à Deo, si rectè quantùm in ipsis est, vixerint, adeoque in ipsis adesse gratiam, non quidem *proximè*, sed *remotè* sufficientem, in quantùm nimirùm temperare possunt à peccatis, in quorum pœnam illis subtrahitur divinorum mysteriorum revelatio, occurrit doctrinam hanc *nullius roboris* appellans „ Nam 1. falsum est, negativam „ ignorantiam mysteriorum fidei ita esse „ pœnam peccatorum actualium, ut, si non „ extarent, adesset mysteriorum revelatio; „ consecuta est nimirum, (ait S. Thomas) „ ex peccato primi parentis: undè licet infideles ad rationis normam (quod tamen „ sine gratia fidei fieri non posse, suo loco „ probavimus) mores suos exigerent, iis „ moribus Deus nequaquàm moveretur „ ad largiendam ipsis fidei gratiam, alioquin enim gratia secundùm merita daretur: 2. Si temperantia à peccatis esset „ medium ad habendam gratiam sufficientem ad fidem, & ea temperantia esset in „ potestate infidelium, ut supponit responsio, infideles haberent quoque in sua „ potestate gratiam sufficientem ad credendum: qui enim habet in sua potestate „ medium remotum, quod ad proximum „ conducit, censetur & habere proximum; „ ac proindè ignorantia mysteriorum non „ esset invincibilis in infidelibus, qui nihil „ unquam audire potuerunt de Evangelio.

4. Non itaque infideles damnabuntur *copulativè* semper *propter peccatum originale, & plura actualia* dum *actualibus* non suppositis, adhùc flammis æternis addicendi erunt, utpotè qui nullo supponuntur initiati baptismate,

tismate, sed vel ob solum originale, vel ob peccatum *infidelitatis*, quod admitti in eis deberet, etiamsi nil unquàm de Evangelio audierint; quo admisso jam Ivеninus coactus esset in Baji propositionem incidere, quam rejicere protestatur. Nimia proindè audacia, nullum, ait, robur adesse in asserto, quod solidissimum cuncti Theologi existimant, majorique impudentia pro se ad id firmandum adducit Angelicum, qui præ omnibus non semel, aut iterùm, sed sæpissimè illud repetit tamquàm quid *certissimè tenendum*, ut expresse habet, *qu.14. de verit. art.11. ad* 1.& legi etiam potest *lect.3.in epist. ad Rom.10.*, *& 3. contra Gentes cap.* 159. *& in 3. dist.25. q.2.* ubi universale illud proponit principium, *quòd in his, quæ sunt necessaria ad salutem, nunquàm Deus homini quærenti salutem suam deest, vel defuit, nisi ex culpa sua remaneat*; non proindè ex sola culpa originis, in cujus quidem pœnam refundi potest *infidelitas negativa*, non tamen quæ sit perpetuò ita duratura, ut cum ea adultus aliquis decedere valeat, absque eo quòd actuali ulli peccato sese reddiderit obnoxium. Quod & fortiùs sustinendum de *hæreticis* negativis, in quibus aliàs nulla damnationis causa adesset, quàm solus ipse fidei defectus, dum originale supponatur deletum in baptismate. Quod absit, ut à Viro catholico profeatur, qui eos *materialitèr hæreticos* tenere mordicùs debet, non *formalitèr*, quòd *formalis* denominatio chimærica omninò sit, si in denominando nullam revelationis notitiam præsupponat. Unde Christus Dominus. *Jo.9.41.* Pharisæos incredulitatis redarguit, quia cum sufficienti ipsius cognitione, in eum minimè crediderunt: *Si cæci essetis, non haberetis peccatum*, idest, ut explicat Theophilactus: *Vos quidem de corporali cæcitate interrogatis, ego autem de animi cæcitate dico, quòd si essetis cæci, hoc est, imperiti Scripturarum, non haberetis tale peccatum, quia per ignorantiam peccastis*.

5. Non prætermisso, quòd ex opposita opinione, si tamen opinio dici queat, verissima redderetur propositio altera, quam proscripsit Alexander VIII. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum, adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti*. Quinam enim Christi influxus in *Paganis*, in ordine ad æternam beatitudinem, qui quamvis rectè viventes, adhùc nullam de fide habere supponuntur notitiam? quinam etiam influxus in *Hæreticis*, qui satis fit ad finis prædicti consecutionem, si baptismatis unda abluti, & ab actualibus peccatis liberi, adhùc ignorantia mysteriorum necessitate medii credendorum laborant, & in ea ex hac vita commigrant? Non attentis responsionibus omni prorsùs probabilitate destitutis, nec idcircò alio ratiocinio, quàm sola earumdem relatione impugnandis, quas nititur adhibere idem Author prorsùs somnians: Primò, quòd propositio damnata sit ratione *Judæorum*, & *Hæreticorum*,„ quamvis *Paga-*„ *norum* respectu, vera sit „ Secundò, quòd proscriptio percutiat sensum indefinitum, quòad *Paganos* videlicet „ sive aliquid de „ Evangelio audierint, sive non audie-„ rint, sive Deus aliquid credulitatis ini-„ tium largitus sit, sive non fuerit largitus. Tertiò, quòd prohibitio non posteriorem propositionis partem respiciat, in qua de gratia sufficienti agitur, sed priorem, in qua de solo Jesu Christi influxu fit sermo, „ Cum enim homo per peccatum omni „ Dei beneficio indignus factus sit, nihil „ vetat, quin multa ex iis, quæ ad salutem „ non pertinent, ex Christi meritis acci-„ piat.

6. Nec minùs patet alterius propositionis absurditas, quam habet idem Author *par.6. instit. theol. disp.1. art.3.* ubi objiciens, quòd,„ Deus infideles, quibus nun-„ quam daturus est fidem, movet ad quæ-„ dam bona opera; nec ea, quæ ad fidem „ ordinantur, sunt prima gratia, quæ infi-„ deli conceditur: „ cohærenter ad explicationes nuper relatas respondere non veretur: „ Deus *Infideles*, quibus nusquàm da-„ turus est fidem, aliquando movet, ut „ sibi finem honestum proponant in exter-„ nis actionibus, quas operantur, & in eo „ sensu illa opera sunt Dei dona; sed eos „ non movet, ut ea opera referant ad debi-„ tum ultimum finem „ Cum tamen Angelicus *lect.3. in ep. ad Rom.* 10. & *in ep. ad Hæbr.*10. rationem assignans, cur Deus *Infidelibus* facientibus quantùm in ipsis est, provideat ex infinita sua misericordia *mittendo eis Prædicatorem, sicut Petrum Cornelio* (*Act.* 1.) *& Paulum Macedonibus* (*Act.*16.) ex eo unicè illam deducit, quòd *hoc ipsum, quòd aliqui faciunt, quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum in bonum*, (*Threnorum* 5.21.) Converte Nos Domine ad te, & convertemur.

7. Asserto etiam favet damnatio alterius propositionis ab eodem Pontifice facta, qua dicebatur: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ ope-*

rantem ex ipsis, non excusat à peccato formali. Si enim peccatum formale esse non potest, ubi est præcepti naturalis invincibilis ignorantia, à fortiori non erit hæresis formalis, quoties nulla supponi poterit revelationis notitia; præceptum enim, quò magis naturalem hominis captum excedit, eò, ut obliget, debet esse manifestatum, dum non nisi per manifestationem ipsius, notitia necessaria adesse queat, vi cujus ad observantiam valeat obstringere; & quidem sive illud versetur circa materiam supernaturalem, sivè circa materiam naturalem, ut enim expendit *disp.17. de infid. non Apost. &c. sect.2.num.3.* Suarez „ revelatio fidei de quacumque materia sit, etiam naturali, non „ fit, nisi modo supernaturali, ac proinde „ per prædicationem, & propositionem rei „ credendæ sub authoritate divina, sed ad „ istos infideles non pervenit hæc revelatio, „ nec sufficiens propositio ejus, ergo „ &c. & iterum „ Præceptum supernaturale „ fidei non cognoscitur, nisi per revelationem supernaturalem sufficienter propositam, quia illud ipsum præceptum est „ quoddam supernaturale objectum. Altera consequentia evidens est, quia non potest peccari contra obligationem supernaturalem, quamdiù supernaturale præceptum, & à quo illa obligatio nascitur, „ ignoratur. Unde confirmatur primò, „ quia hi *infideles* dum errant circa istam „ materiam, non recedunt à testimonio „ Primæ Veritatis, ergo non peccant propria culpa *infidelitatis*. Consequentia clara est, quia sicut assensus fidei, etiam ut „ cadit in talem materiam, fundari debet in „ testimonio Primæ Veritatis, ita *Infidelitas* „ circa eamdem materiam non committitur, nisi per dissensum à Prima Veritate; „ Antecedens probatur, quia illis non est „ propositum testimonium Primæ Veritatis circa talem materiam, ergo non possunt voluntariè dissentire tali testimonio. „ Confirmatur denique, quia, vel isti peccant per *Infidelitatem* omissivam, (ut sic „ dicam) scilicet carendo assensu fidei circa talem materiam, vel quasi commissivam positivè errando in tali materia? „ neutrum dici potest, ergo in nullam incidunt *Infidelitatis* culpam. Probatur minor quoad priorem partem, quia „ assensus fidei circa talem materiam est „ illis impossibilis, ergo carentia ejus non „ potest esse omissio culpabilis. Quoad alteram verò partem, probatur, quia ille „ error, quatenùs est contra fidem, in illis „ hominibus nascitur ex ignorantia privativa inculpabili, ut ex probatione prioris „ partis constat, ergo etiam ipse error est inculpabilis respectu supernaturalis fidei „ Hactenus Societatis Doctor ad intentum præsens, dummodò quæ de *Infidelibus* disserit, ad *Hæreticos* applicentur, ut ipsemet *num. seqq.* innuere non negligit.

8. Aperiretur hic locus discutiendi omnia illa argumenta, quibus Bajani ex Augustini præsertim authoritatibus contendere student, posse quempiam fieri reum formalitèr peccati cum totali, & invincibili *ignorantia* alicujus præcepti; à quibus tamen abstinendum videtur, tum quòd non præcisè ad materiam nostram sunt per se directa, utpotè quæ de *ignorantia* juris naturalis specialitèr loquuntur; tum quòd ex dicendis *art. seq.* illa eadem notitia, quæ ad constituendum aliquem peccati reum sufficit in aliis præceptis, non satis est, ut quis *hæreticus* denominetur *formalitèr*, quamvis à fide sit culpabilitèr aberrans. Ne autem jejunos omninò relinquamus Lectores, quoad explicationes, responsionesque adaptandas hujusmodi textibus, indicare non negligimus, Augustinum loqui de peccatis non *formalitèr* talibus, sed *materialitèr* dumtaxat, eo planè modo, quo Theophilactus *num.4.* relatus, Pharisæos, dixit, peccatum non habituros, *quia per ignorantiam peccassis*, quod simul importat adfuisse peccatum *materialitèr*, utpotè per *ignorantiam* patratum, non verò *formalitèr*, quia in hypothesi D. Joannis *à cæcis* commissum supponeretur. Atque ad hanc explicationem ipsemet nos inducit Augustinus,

9. Qui in *enchirid. c.81.* non in alium finem distinguit *peccatores* à *prævaricatoribus*, nisi, quòd per illos, irretitos *materialibus* peccatis intelligat, per hos verò *formalibus*, inquiens: *scientes, videntesque peccamus, jam non solùm peccatores, quòd eramus etiam, cum per ignorantiam peccabamus, verùm etiam legis prævaricatores, cum id non facimus, quod faciendum jam esse novimus*. Et *lib. Retractat. cap.15.* exprimens quomodo cum ignorantia peccamus, ait, quòd, sicuti nullum peccatum involuntarium, si peccatum est, voluntarium esse debet, & eatenùs, si peccatum ignorantis, *materiale* peccatum est, voluntarium, & *materialitèr* erit: *Qui nesciens peccavit, non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis & ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit: ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quia voluit, ergo fecit, & si non quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse*

quod

quod fecit, ità nec tale peccatum *sine voluntate esse potuit*, *sed voluntate facti*, *non voluntate peccati*, idest facti in se peccaminosi, & merè *materialis*, non verò peccati imputabilis, ac *formalis*, Non enim (*ex lib.3. de lib. arb. cap.21.*) *quod naturaliter nescit*, *& naturalitèr non potest*, *hoc animæ deputatur in reatum*, *sed quod scire non studuit*, *& quod dignam facilitati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit*, *loqui enim non nosse*, *atque non posse*, *infanti naturale est*: *quæ ignorantia*, *difficultasque sermonis*, *non modò inculpabilis*, *sed etiam humanis affectibus blanda*, *& grata est*.

10. Neque aliter discurrere potest Augustinus, cujus est illud, quò brevius, cò solidius argumentum: *Quis peccat in eo*, *quod caveri nullo modo potest*? *peccatur autem*, *caveri igitur potest* (*lib. de nat. & grat. c.67.*) ut indè eruere liceat quantæ impudentiæ plena fuerit propositio 54. ex Bajanis: *Definitiva hæc sententia*: Deum homini nihil impossibile præcepisse, *falsò tribuitur Augustino*, *cum Pelagii sit*. Cum veriùs dici debeat non tribuendam Augustino, sed Deo ipsi Augustinum docenti: (*Deut.30.11.*) *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, hodie, non supra te est, neque procul positum; sed juxta te est sermo valdè in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum* (*Prov. 4.12.*) *Viam Sapientiæ monstrabo tibi*, *ducam te per semitas æquitatis*, *currens non habebis offendiculum* (*Math.11.30.*) *Jugum meum suave est*, *& onus meum leve*. (*Lucæ.17.21.*) *Regnum Dei intra vos est*. (*Ad Cor.10.13.*) *Fidelis Deus*, *qui non patitur vos tentari supra id, quod potestis*. (*Jo.5.*) *Mandata illius gravia non sunt*, & ad præsentem materiam aptiùs, ac immediatiùs (*Jo.15.22.*) *si non venissem*, *& locutus eis non fuissem*, *peccatum non haberent*; quod (subdit Angelicus 2.2. *q.10. art.1. in corp.*) *exponens Augustinus* (*tom.9. tract.89. in Joan. inter principium, & medium*) *dicit*, *quòd loquitur de illo peccato*, *quo non crediderunt in Christum*.

ARTICULUS VII.

An voluntarium indirectum, *seu* ignorantia vincibilis *sufficiens sit*, *ne quis* formalitèr *denominetur* hæreticus.

1. Cum de ratione *hæresis formalis* sit, ut *voluntariè* committatur, & proindè, sicuti nullum *voluntarium* quin præcognitum, voluntas namque *nominat rationalem appetitum*, *& ideò non potest esse in his*, *quæ ratione carent*, ex Angelico 1.2.*q.6.art.2. ad* 1. ita & nulla formalis hæresis absque prævia revelationis notitia, ex firmatis *art. præc.* ob quæ discutiendum nunc proponitur, an quodlibet voluntarium ad id satis reputandum veniat, sivè *directum* illud sit, sivè *indirectum*? ponitur autem *seu ignorantia vincibilis*, quòd, eo modo, quo *involuntarium* absolutè, & simplicitèr est, quod absolutè, & simplicitèr *ignoratur* absque ulla *ignorantis* culpa; sic imminuta *ignorantiæ* ratione, imminuitur, & consequenter ratio *involuntarii*, ut quamvis *voluntarium directum* dici non valeat, dicatur nihilominùs *indirectum*, quo videlicet voluntas, etsi *directè* non tendat in objectum, utpotè quod sit absolutè sibi per cognitionem, ac scientiam repræsentatum, tendit nihilominùs *indirectè*, ex quo *virtualitèr* censeatur illud velle, propter negligentiam, vi cujus debita caret ejusdem cognitione, ob verissimum illud Theologorum principium, quòd *ignorantia, quæ est aliquo modo volita, sivè directè, sivè indirectè, non causat involuntarium*, ex quo sequi, ait Angelicus, dici voluntarium *indirectè propter negligentiam ex eo, quòd aliquis non vult illud scire, quod scire tenetur* (1.2.*q.19.art.6. in corp.*) Cujus difficultatis cardo insinuatus *art. præc. num.8.* situs est in eo, ut videatur, an de *hæresi formali* discurrendum sit, sicuti de reliquis peccaminosis materiis, quòd nempà æquè sufficiat, ut quis *formalitèr* denominetur *hæreticus*, actus *voluntariùs indirectè*, quo oppositum revelatis tuetur, ac ut quis denominetur *formalitèr* peccans, seu transgressor alicujus alterius præcepti à fide? Augeturque in hoc difficultas, quòd certum videatur per hujusmodi actum non posse quempiam excusari etiam in materia fidei, quin peccans habeatur, ob universalem *conclusionem*, quam ponit *q.19. cit. art.6.* Aquinas: *Voluntas concordans rationi erranti circa ea, quæ quis scire tenetur, semper est mala*; si autem peccans dici debeat contra fidei præceptum, cur & non *formalitèr hæreticus*? Ad cujus solutionem:

2. Præmittenda est multiplex *ignorantiæ* acceptio, quæ præsertim dividi solet in *Concomitantem*, *Consequentem*, *& Antecedentem*, de quibus sic ratiocinatur laudatus Angelicus (1.2.*q.6. art.8. in corp.*) *Concomitantèr quidem quando ignorantia est de eo, quod agitur, tamen etiam si sciretur, nihilominùs ageretur. Tunc enim ignorantia non inducit ad volendum, ut hoc fiat, sed accidit simul esse aliquid factum, & ignoratum: sicut in exemplo posito, scilicet cum aliquis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit eum, putans occidere cervum, & talis igno-*

ignorantia non facit involuntarium, ut Philosophus dicit, quia non causat aliquid, quod sit repugnans voluntati, sed facit non voluntarium, quia non potest esse actu volitum, quod ignoratum est. Consequenter autem se habet ignorantia ad voluntatem, in quantùm ipsa ignorantia est voluntaria; & hoc contingit dupliciter secundùm duos modos voluntarii supra positos. Uno modo quia actus voluntatis fertur in ignorantiam: sicut cum aliquis ignorare vult, vel ut excusationem peccati habeat, vel ut non retrahatur à peccando secundùm illud (Job.21.) scientiam viarum tuarum nolumus, *& hæc dicitur ignorantia affectata. Alio modo dicitur ignorantia voluntaria ejus, quod quis potest scire, & debet. Sic enim non agere, & non velle, voluntarium dicitur, ut supra dictum est. Hoc igitur modo dicitur ignorantia, sivè cum aliquis actu non considerat, quod considerare potest, & debet, quæ est ignorantia malæ electionis, vel ex passione, vel ex habitu proveniens: sivè cum aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere. Et secundùm hunc modum, ignorantia universalium juris, quæ quis scire tenetur, voluntaria dicitur, quasi per negligentiam proveniens. Cum autem ipsa ignorantia sit voluntaria aliquo istorum modorum, non potest causare simplicitèr involuntarium; causat tamen secundùm quid involuntarium, inquantùm præcedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non esset scientia præsente. Antecedentèr autem se habet ad voluntatem ignorantia, quando non est voluntaria, & tamen est causa volendi, quod aliàs non vellet. Sicut, cum aliquis homo ignorat aliquam circumstantiam actus, quam non tenebatur scire, & ex hoc aliquid agit, quod non faceret, si sciret, puta cum aliquis diligentia adhibita nesciens aliquem transire per viam, projicit sagittam, qua interficit transeuntem, & talis ignorantia causat involuntarium simplicitèr.*

3. Ab hac *ignorantiarum* explicatione recedere videtur Suarez *disp.19.de inf.apost.&c. sect.3. num.15.* dum advertens ,, ex vulgari ,, doctrina D. Thomæ, & omnium, duplicem esse *ignorantiam, concomitantem*, & *antecedentem*, ut omittam *consequentem*, quæ ad ,, rem præsentem non refert &c. *num.18.* ad *antecedentem* spectare ait ,, si quis directè ,, nolit facere diligentiam ad sciendum ,, quid doceat Ecclesia, ne cogatur muta- ,, re sententiam, vel solum propter difficul- ,, tatem, & laborem inquirendi veritatem ,, cum tamen Angelicus totum hoc *consequenti* tribuat, subdens *antecedentèr* se habere *ad voluntatem ignorantia, quando non est voluntaria, & tamen est causa volendi quod aliàs non vellet*. Quicquid autem sit de vocibus, dummodò sensum per ipsas intentum retineamus, verissimum est, quod ipsemet *n.16.* tangit, *ignorantiam* videlicet *concomitantem* non excusare *ab hæresi*, ob rationem Angelici, quia tunc illa *ignorantia* talis est, ut secum admittat ,, immò requirat voluntatem ,, non mutandi sententiam, etiamsi constet ,, Ecclesiam aliud docere: nam ab hac vo- ,, luntate habet illa *ignorantia*, quod sit *con-* ,, *comitans*, & consequentèr non est causa ,, errandi, nec excludit contumaciam, ,, quod adeò verum est, ut habeat locum, ,, etiamsi illa *ignorantia* sit involuntaria, ,, quia etiamsi talis sit, non est causa erran- ,, di, nec excludit modum assentiendi per- ,, tinacitèr contra Ecclesiæ authoritatem. ,, Undè à fortiori hoc verum est, in quali- ,, bet *ignorantia* culpabili; quin potiùs, licèt ,, contingat opinionem esse veram, si cum ,, eo affectu teneatur persistendi in illa, ,, etiamsi Ecclesia contrarium definiat, inci- ,, detur in *hæresim* propter talem affectum ,, uti cum eodem tetigimus *art.21.num.9.*

4. His jam præjactis, in varias classes sunt divisi circa propositam quæstionem Theologi. Sotus namque in *4.dist. 2.2. q.2. art.3. post quintam conclusionem*, Ludovicus Lopez *in instruct. p.2. cap.20. titul. de excomm. reserv. in Bull. Cœn. casu primo*, Palacius *in 3. dist.15. disp.17. concl.4. 5.* sustinent nullam *ignorantiam* gravitèr culpabilem ab *hæresi formali* excusare, & hujus opinionis fuit etiam Lorca *tom. de fid. disp.41. num.15.* relicta sententia contraria, quam amplexus fuerat in *1.2. sect.4. disp.33. memb.2. ad 3.* immò & in eodem *tom.de fid.disp.33.num.5.* quem locum, (ait de Lugo *disp.20. de virt. fid. div. sect.6. num.172.*) morte fortassè præventus corrigere non potuit, ne sibi in eodem volumine, brevissimo intervallo contradiceret. Sayrus *in thesauro tom.1. lib.3. cap.4. num.15.* opinionem præfatam restringit, quoties ignorantia est minùs crassa, quæ facili negotio expelli queat, & proindè æquivalens videatur scientiæ; cui se non multùm repugnare profitetur Valentia *in.3.tom. dist.1. q.11. punct.4.* Canus *lib.12.de loc.theol.cap.9.* Navarra *lib.2. de restit. cap.4. q.2. dub.8. num.208. in 1. edit.* adhùc magis eandem sententiam limitant ad *ignorantiam affectatam*, in quod inclinant paritèr Corduba *lib.1.q.17.§.17.* & Torrensis de Trinitate *q.32.art.4.in 2.par. Commentarii.* Thomas Sanchez *lib.2.in decal.cap.7.n.23.* cum distinctione procedit quòad *ignorantiam affectatam*. Si enim affectetur, ex falsa opinione contra Ecclesiam, quasi parvi momenti, ac ponderis sit Ecclesiæ propositio, vel ad finem liberiùs errandi in fide, sustinet ab *hæ-*

resi

resi ob eam neminem excusari, sed solùm si affectetur ex negligentia, & tædio addiscendi, vel ex qualibet alia causa.

5. Nos verò probabiliùs censemus quamlibet *ignorantiam* etiam *crassam*, & *affectatam* ab *hæresi formali* immunem quempiam reddere posse, & à pœnis *hæreticorum* eximere, uti quoque docuere Suarez *citata disp.*19.*sect.*3. de Lugo *disp.*16. *de pæn. sect.*4. *§.*6. & *cit.disp.*20.*sect.*6.*de virt.fid.div.* ubi pro se refert Bannez, Azorium, Aragonium, Coninchium, Castropalaum, & Hurtadum, quibus adhærent Alberghinus *in manual. qualif. cap.*10. *num.*8. & Del Bene *de offic. S. Inquis. & hær. part.*1. *dub.*3.*petit.*1. & 2.*ferè per totas*. Pro eadem opinione Suarez adducit Angelicum 1.*p.q.*32.*art.*4. & 2.2.*q.*11.*art.*2.*ad* 3. Non tamen adeo expressè eam ibi tradit S. Doctor, dum primo loco, præmittens duplicitèr aliquod pertinere ad fidem; *Vno modo directè, sicut ea, quæ nobis sunt principalitèr divinitùs tradita, ut Deum esse Trinum*; mox subjungit: *Et circa hæc opinari falsum, hoc ipso inducit hæresim, maximè, si pertinacia adjungatur, indirectè verò ad fidem pertinent ea, ex quibus consequitur aliquid contrarium fidei, sicut, si quis diceret Samuelem non fuisse filium Helcanæ, ex hoc enim sequitur Scripturam Divinam esse falsam. Circa hujusmodi ergo absque periculo hæresis aliquis falsum potest opinari, antequàm consideretur, vel determinatum sit, quòd ex hoc sequitur aliquod contrarium fidei, & maximè, si non pertinacitèr adhæreat. Sed postquàm manifestum est, & præcipuè,si sit per Ecclesiam determinatum, quòd ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errare, non esset absque hæresi*. Posteriori verò docet dumtaxat, *quòd, sicùt Augustinus dicit*, (*Epist.*162.*in princ.* & habetur *in decret.*24.*q.*3. *c.* Dixit Apostolus) [si qui sententiam suam quamvis falsam, atque perversam nulla pertinaci animositate defendant, quærunt autem tota sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi] *quia scilicet non habent electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ*.

6. Ex quibus Augustini verbis potiùs inferri quodammodò videtur eos solos ab *hæresi* excusandos, qui *quærunt tota sollicitudine veritatem*, non qui invenire negligunt, & multò minùs eos, qui ex industria fugiunt, ne inveniant, ut contingit in illis, qui *affectatæ ignorantiæ* vitio sunt irretiti. Quod tamen dico, non quòd contendam, Augustinum revera hoc docere, sed quòd ex ejus authoritate nequeat inferri, *hæreticos* non dicendos, qui pertinaci animo aliquid veritati catholicæ contrarium defendunt, *ignorantes* contrarietatem prædictam, quòd illam inquirere negligant; licèt nec oppositam illationem censeam admittẽdam, quam quodammodò sequi innui respectivè dumtaxat, & quasi ex hypothesi, quòd altera ex dictis illationibus admittenda esset, ut legitima. Neutra tamen talis est habenda, quia Augustini locutio nullam particulam exclusivam involvit, & propterea, etsi ab *hæresi* excusandos proferat, qui sollicitè veritatem quærunt, non ideò cæteros declarat *hæreticos*, sed quantùm ad relatam authoritatem spectat, præcisivè se gerit, nec videlicet excusans, nec reos declarans. Aliàs si argumentum concluderet, inferendum vi illius esset *hæreticos* ab Augustino existimari, nedùm eos, qui absolutè negligunt veritatem inquirere, sed etiam eos, qui illam quærunt, sed non *tota sollicitudine*, indè revelatis oppositum tuentes, quòd nullus Theologorum admittet. Quæ responsio ex opposito,eidem adaptanda est Augustino, *lib.cont. Manich.* scribenti (*c.* qui in Ecclesia 24.*q.*3.) *Qui in Ecclesia morbidum aliquid, pravumque quid sapiunt, si correcti, ut sanum, rectumque sapiant, resistant contumacitèr, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt*: hoc namque ita verificatur, ut ex eo deduci non valeat, *hæreticos* dici non posse,qui adhùc *correcti*, & admoniti non sint, ut *sanum, rectumque sapiant*, cum juxta communiorem Theologorum sensum, ad rigorosam, *formalemque hæretici* denominationem, minimè requiratur, quòd præcesserit admonitio, & correctio, *ut art.seq.* distinctiùs apparebit. Alterum igitur ex contradictoriis in utroque textu tradit respectivè Augustinus, alterum verò nec affirmat, nec negat, sed quoad illud, præcisivè se gerit.

7. Ratio autem validissima, & fortè unica assertum evincens, in eo consistit, quòd *hæreticus formalitèr* habendus non sit, qui ita aliquod dogma negat, ut admittere sit paratus, si sciat illud esse à Deo revelatum. Hujusmodi autem animi promptitudinem habere potest, etiamsi *ignorantia* revelationis Divinæ *crassa* supponatur *supina*, & *affectata*, dummodò non sit *concomitans*, ex quo semper verum sit, dogma illud negari dumtaxat, quòd *ignoretur* esse à Deo revelatum, & consequentèr, quòd negans, non contradicat Primæ Veritati revelanti; esto ne obstrictus sit assensum præbere mysterio, quod negat, negligat de ipsius revelatione, effici certus; unde potiùs ex negligentia erui potest,

potest, ideò ea affectum velle revelationem negligere, quia non vult revelationi dissentire. Hocque est motivum, vi cujus *hæresim* dari posse asserunt Theologi cum *ignorantia*, non tamen ex *ignorantia*. Quod ratiocinium confirmat Del Bene *loc. cit. petit.1. num.8.* „ quia, si quis crederet aliquid verum, sed „ esset ita paratus persistere,„ (ut indicatum est *num.3.*) „ in sua opinione, ut quamvis „ Ecclesia aliter doceret, in dicta sua opi- „ nione tamen persisteret, esset propriè *hæ-* „ *reticus*, propter illam suam pertinaciam: „ ergo à contrario, si quis ob *ignorantiam* „ *affectatam* crederet aliquod falsum, sed „ similitèr esset ita paratus persistere in sua „ opinione„ (lapsus calami hic est, cum dici debeat: sed non est ita paratus persistere in sua opinione) „ ut quamvis sciverit, „ quod Ecclesia alitèr doceat, adhùc ta- „ men persisteret, non esset *hæreticus*, quia „ non esset *pertinax*, quinimmò esset cum „ affectu se subjiciendi authoritati Ecclesiæ.

8. Parvi proindè roboris est quòad hoc punctum differentia, quam tradit Canus inter *ignorantiam crassam*, & *affectatam*, quia „ hæc non tollit, quin peccatum sit ejus- „ modi, cujusmodi esset, si à sciente, & vi- „ dente committeretur. Nempè *affectatus* „ *error* ex electione est, nec paratus est ille „ corrigi, qui de industria commonitio- „ nem Ecclesiæ, doctrinamque declinat; „ at qui ex *ignorantia* non *affectata* errat, hic „ quodammodò invitus est), & repu- „ gnans, & non libens, & voluntarius. „ Quocirca nec errorem elegit, nec gra- „ varè feret, cum ab Ecclesia corrigetur, „ errorem suum ipse corrigere. „ Patet siquidem assumptum esse falsum, ex quo componi ad invicem queant, quempiam *affectata ignorantia* nescire aliquod mysterium esse revelatum, & simul habere animum paratum illud credendi, quoties ad notitiam necessariam revelationis pervenerit. Dubiumque dumtaxat esse potest, quoties ignorantia *affectatur*, vel ad finem liberiùs errandi, vel ex falsa opinione contra Ecclesiam, quia exigui momenti putatur, quòd Ecclesia aliquid proponat. Et quòad secundum, minimè negamus *hæreticum formalitèr* futurum, qui diligentias debitas omittit explorandi Ecclesiæ mentem, ex falsa opinione, quòd Ecclesia in rebus fidei sit fallibilis, dum in eo ne dum daretur error circa hunc, vel illum articulum quem negat, verùm & circa infallibilitatis privilegium Ecclesiæ à Christo datum, cui contradicit.

9. Quòad primum verò, vel iste talis ejus supponitur animi, ut, etiamsi constaret de mente Ecclesiæ, adhùc nollet à sua opinione dimoveri, & proindè ignorare *affectat* ipsius sensum, ut vitet remorsum, majoremque illam difficultatem, quam habita ea notitia experiretur, ut sic faciliùs, & liberiùs erret; & in hoc casu, etiam admittimus, *hæreticum formalitèr* fore ex insinuatis *num.7.* ob pravam animi dispositionem detrectantis penitùs sese Ecclesiæ proponenti submittere, sicut non minùs dici deberet de eo, qui ignorantiam *affectaret*, ut levior indè exurgeret culpa, quam adesse cognoscit. Vel supponitur in ea animi dispositione,ut se non auderet opponere,si re vera ipsi de Ecclesiæ sensu apertè constaret, & ideò ignorare vult, ut sine obstaculo, propriæ valeat opinioni adhærere, & de hujusmodi *ignorantia affectata* laborante procedit assertum; dum per eam esto non liberetur à peccato gravissimo, eximitur nihilominùs à *pertinacia*, & *hæresi*, quòd animum promptum retineat assensum præbendi semel habita notitia veri Ecclesiæ sensus infallibilitèr testantis Divinam de objecto credendo adesse revelationem.

10. Quod (ait de Lugo *num.192.*) confirmari potest „ quia potest contingere, „ quòd articulus, quem ignoras *ignorantia* „ *affectata*, an sit ab Ecclesia propositus? non „ sit revera propositus, nec verus; & tamen „ tu ex affectu ad objectum contrarium, „ cui adhæres, nolis scire, an sit ab Ecclesia „ propositus? ut liberiùs possis ei assentiri, „ & ne authoritate Ecclesiæ cogaris ad re- „ cedendum à tua opinione. Tunc certè „ non apparet, quomodò, aut cur sis *hære-* „ *ticus*, cum nihil prorsùs contra Ecclesiam „ sentias, & suppono te non esse in ea dis- „ positione, ut velis ab Ecclesia dissentire. „ Si autem tunc non es *hæreticus*, nec etiam „ esses, licèt articulus negatus fuisset verè „ ab Ecclesia propositus: Nam voluntas „ tua æqualitèr se habet in utroque casu, & „ *pertinacia* non potest esse sine nova culpa, „ ex parte voluntatis, quæ non sit in eo, „ qui non est *pertinax*. In neutro ergo casu „ dici debes *hæreticus*, quamdiù ex parte vo- „ luntatis manet propositum acquiescendi „ Ecclesiæ, si de ejus sensu sufficientèr con- „ stiterit „ Quod si in *ignorante* supponere velimus, nec habiturum animum positivum acquiescendi,nec dissentiendi, in hypothesi, quòd ei constaret de Ecclesiæ sensu, quodque adhùc ne incidat in prædictas angustias illum *ignorare* studeat, & *affectet*; tunc

tunc (subdit) recurrendum ad præcedentem ignorantis statum, in quo, si sufficiens in ipso erat authoritatis Ecclesiæ cognitio, censendus habitualitèr manens in eadem voluntate, in qua priùs erat, quamdiù illam non revocet. Uti revera non revocat voluntatem præbendi Ecclesiæ assensum, si hæc in illo præsupponitur, per hoc, quod *affectet* modo explicato *ignorare*, quid ipsa credendum proponat, quod in suo conceptu non importat ullam voluntatis contrarietatem, sed solùm ejusdem fugam, ne ab Ecclesia proponatur aliquid, in quo periculum prævidet, quòd illi sit dissensurus. Ad eum planè modum, quo non censetur quis revocans fidem amico præstitam faciendi, quod ei placuerit, qui dein ex industria ab eo se elongare studet, ne sibi aliquod injungat molestum.

11. Ex his verò deducenda est primò ratio discriminis, quæ intercedit inter *hæresim*, & alia peccata. Ad quam tradendam duplicem ineunt Theologi viam. Laudatus enim Cardinalis mordicùs propugnat *locis citatis*, & præsertim *disp.16. de pœnit.*, quòd eodem discurrendum sit modo de omnibus, sustinendo, quòd æquè in materia fidei, ac in reliquis, ejusdem speciei moralis sit peccatum contra fidem commissum ex prævia *ignorantia* culpabili, ac commissum ex plena scientia, licèt hoc in rigore sit *hæresis* non illud, quòd *hæresis* in suo conceptu involvat peccatum plenum, perfectum, & consummatum, quale non dicitur, quod ex *ignorantia* pendet; & idcirco differentia inter unum, & aliud, est secundùm magis, & minùs, & eatenùs speciem non mutans. Sicuti nulla diversitas specifica moralis est in eo, qui peccat exponendo se proximo *hæresis* periculo, & in eo, qui in *formalem hæresim* incidit, cum uterque malitiæ *hæresis* reus habeatur, esto hic, non ille habitum infusæ fidei amittat, & in toto rigore *hæreticus* reputetur; quia, ad denominationem *formalem hæretici*, ultra specificam malitiam, aliæ requiruntur conditiones, quæ, etsi illam non immutent, adhùc possunt necessariò requiri ad tale peccatum in individuo. Suarez verò *num.24.* quamvis tamquàm probabilem hanc admittat doctrinam, & argumento in contrarium *num.1.* indicato satisfacientem, probabiliùs nihilominùs putat admittendam specificam differentiam inter peccatum *ignorantiæ* in materia fidei, & peccatum *formalis hæresis*, quia *hæresis* peccatum opponitur directè Divinæ revelationi, aut Ecclesiæ authoritati mysteria ut revelata proponentis, non autem peccatum *ignorantiæ*, quod per se adversatur soli obligationi sciendi, ideòque illud, non hoc habitus fidei est destructivum. Quæ ratio non militat in cæteris peccatorum materiis, quoties *ignorantia* solùm variat modum voluntarii, „ quia hoc non pertinet ad for„ malitatem, & speciem peccati, sed ad „ modum, qui se tenet ex parte operantis; „ nihilominùs quando *ignorantia* occultat „ objectum, à quo peccatum accipit suam „ propriam rationem, tunc potest mutare „ speciem peccati, & ita est in præsenti: „ Nam *ignorantia* definitionis, seu proposi„ tionis Ecclesiæ occultat proprium obje„ ctum *hæresis*, & facit, ut error non sit au„ thoritati Ecclesiæ contrarius *formalitèr*, & „ in voluntate operantis, & ideò impedit „ speciem *hæresis*, & in specie *ignorantiæ* pec„ catum relinquit„eligat Lector ex his responsionibus, quæ sibi magis arriserit.

12. Dummodò firmum habeat,fidei habitum non deperdi nisi per *hæresim* consummatam, & perfectam; & proindè componibilem esse cum peccato quantumvis gravi contra fidem, quod non sit omnibus circumstantiis circumseptum necessariò requisitis, ut *hæresis* in rigore dici valeat, vel *infidelitas*, quam particulam subdo, ne locus detur singulari Hurtadi sententiæ, quam refert de Lugo *disp.13. de virt. fid. div. sect.5. num.104. & seq.* sustinentis ex sola *hæresi* oriri posse, ut quis habitu fidei spolietur, ad exclusionem cujuslibet peccati *infidelitatis* etiam *formalis*,quod *hæresis* rigorosè non sit. Cum tamen Tridentinum relatum *c.2.art.3. n.31.&32.*sicuti excludit cætera peccata etiã contra fidem patrata à sufficientia exclusionis, destructionisque habitus fidei, dum non dicit hunc deperdi peccatis contra fidem, sed *sola infidelitate*, quæ quidem sit consummata, & perfecta, interior, esto non exterior, ut ab omnibus supponitur Theologis, ita è contra omnes *infidelitatis* species includit, generico *infidelitatis* vocabulo, non solam *hæresim*. Aliàs major esset admittenda repugnantia inter habitum fidei, & *hæresim*, quam inter fidei habitum, & *paganismum*, ad quem quis post baptismum susceptum se converteret, non obstante, quòd *paganismus* non differat ab *hæresi* in homine baptizato, nisi quod ille totalem involvat à fide recessum, hæc partialem, & proindè per illum, non per hanc quis denominatur *Apostata* ex dictis *art.1.num.4.* Componibilis nihilominùs est fidei *habitus* cum reliquis peccatis contra fidem, quæ formalitèr nec *hæresis* sunt,

sunt, nec *infidelitas*, ex quo adhùc in sic peccantibus possit perseverare animi promptitudo credendi firmissimè quicquid Deus revelat, vel Ecclesia credendum proponit. Quòd ex traditis *num.* 7. simul esse valeant duo actus, quorum alter dicat: *Credo quicquid Deus revelat, & Ecclesia credendum proponit*; alter verò, *Nolo scire quod Deus revelaverit, quidque Ecclesia tamquam revelatum proponat credendum*, quorum prior abundè sufficit, ne fidei habitus deperdatur, esto non satis habeatur, quin reus quis reddatur gravis contra fidei præceptum peccati, quo etiam irretitur, qui externè, & ex metu fidem negat, non obstante, quòd habitum infusum minimè amittat, si intùs, & in corde illam retineat. Non sic verò discurri potest de reliquis peccatis in ordine ad habitum charitatis, cum enim quodlibet peccatum mortale involvat in suo conceptu constitutionem ultimi finis in creaturis, nullus cum eo dari potest actus, quo quis velit Deum, ut ultimum finem, undè fit, quòd non per solum odium Dei, sed & per quodlibet peccatum lethale habitus charitatis deperdatur, quicquid in contrarium somniaverit Bajus per *propositionem* 70. ex damnatis contra ipsum: *Homo existens in peccato mortali, sivè in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis*.

13. Inferendum *secundò*, non omnes, qui vulgò censentur, ac vocantur *hæretici*, tales esse in toto rigore. Præter enim *hæreticos negativos*, de quibus *art.6.n.*1.& 2. nec hæresis malitia, nec gravi contra fidem peccato infectos; sunt aliqui, qui excusabiles sunt *formalitèr* ab *hæresi*; licèt insit ipsis gravis contra fidem culpa ex *vincibili* orta *ignorantia*, quæ eò gravior erit, quò *ignorantia vincibilior*, & propterea summa, si *ignorantia* supponetur *affectata*. A quibus tamen excipiendi sunt illi, qui non obstante *ignorantia* prædicta adhùc *hæretici* in rigore habentur ob pravam animi dispositionem, ratione cujus parati sunt resistere Ecclesiæ authoritati, & mysteriis sufficientèr propositis discredere, ut innuimus *num.*7. Aliqui tandem sunt, qui, etsi *ignorare* exteriùs *affectent* adesse revelationem de hoc, vel illo mysterio, vel in Ecclesia authoritatem extare hoc, vel illud credendum infallibilitèr proponere, interiùs nihilominùs sufficientem habent notitiam revelationis, & authoritatis Ecclesiæ, esto per fucatos prætextus studeant se ab ea avertere, & elongare, carnis illecebris, vitæque licentia, similibusque pravis affectibus irretiti, & hi in pleno rigore, & *formalitèr* (nam præsumptivè tales esse possunt etiam & alii) habendi sunt *hæretici*: Ut proindè animadvertendum veniat, diversum quid esse, aliquem laborare *ignorantia affectata*, & aliquem *affectare ignorantiam*. In illo enim adesse revera supponitur *ignorantia*, esto *affectata* ea dicatur, quòd superata non sit ab eo, qui superare, & vincere eam potuit. In hoc non est revera *ignorantia*, sed *affectatur*, quod sit, voluntatis prævalente imperio, quo, quis vult *ignorare*, quæ non *ignorat*, & pro non revelato tenere, quod sufficientèr noscit esse à Deo revelatum.

14. Undè patet non esse admittendum in sua latitudine, quod habet Canus *lib.*12. *de loc. usu in scho. disp. cap.*9. propè finem explicans illud de *hæret. cap.* Excommunicamus *omnem hæresim extollentem se adversùs catholicam fidem*, his verbis, „ Non errorem, ait, extollentem se adversùs Episcopum, non adversùm Inquisitores, non adversùs „ Theologos, aut Parisienses, aut Salmanticenses, aut Complutenses, aut Colonienses, sed adversùs Catholicam fidem. „ Hic enim illud (1. *Tim.*6.) *Non acquiescit sanis sermonibus D. N. J. C. & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ*. Non dixit, sanis sermonibus Episcopi sui, non eorum, qui „ de fide inquirunt, non Theologorum „ etiam multorum, sed D. Nostri &c. „ Quòd si, vel in Divinis libris, vel in Ecclesiæ doctrina non acquiescit, *hæreticus* est, „ quamvis non sit, nec ab amicis, nec à „ Theologis, nec à fidei Judicibus admonitus. Contra verò, si horum omnium „ repudiatis & monitis, & præceptis, sermones tamen Dei, & Ecclesiæ non industria repudiat, sed *ignorantia*, *hæreticus* „ non est, „ Esto namque verum id utcumque esse queat, quoties instructionis, & admonitionis modus ab Episcopis, Theologisque adhibitus talis sit, ut ex eo sufficientèr erui nequeat objectum illud esse à Deo revelatum, & ab Ecclesia ut tale propositum, quia sic nolens objecto assentiri, repugnaret dumtaxat humanæ, ac fallibili authoritati.

15. Non tamen èconta si efficax habeatur ad gignendam notitiam revelationis dicti objecti, & propositionis Ecclesiæ, quæ ad fidei assensum præbendum obliget, & obstringat, quia in hac hypothesi „ sine dubio „ erit *pertinax*, & *hæreticus*, qui restiterit, „ etiamsi dicat se non credere talem propositionē, quia non credit esse definitam ab „ Ecclesia; quia in hoc ipso *pertinax* est, cum illud

„ illud sufficienter proponatur, aliàs nullus „ esset *hæreticus pertinax*, quia omnes ne„ gant veritates contrarias suis erroribus „ esse definitas à vera Ecclesia, vel à Conci„ lio, aut à Pontifice infallibilem authori„ tatem habente, sicut ergo respectu Dei „ ad *pertinaciam* non est necessarium, ut „ aliquis credat aliquid esse dictum à Deo, „ & nihilominùs esse falsum, sed satis est, „ ut credat esse falsum, quod sibi sufficien„ tèr proponitur, ut dictum à Deo. Ita di„ cendum est respectu Ecclesiæ, quæ in hoc „ negotio habet vicem Dei, & se ipsam suf„ ficientèr proponit, & ut veram Eccle„ siam, & ut hoc, vel illud definientem: „ quia ergo admonitio, & instructio, quæ „ ab Episcopis, vel Inquisitoribus ordina„ riè fit, sufficiens est, tùm quia, magno „ consilio, & doctrina fit, tùm etiam quia „ ordinariè est de rebus jam definitis, & in „ Ecclesia catholica communiter receptis, „ ideò prima sententia „ (qua videlicèt hominem instructum ab Episcopo, vel Inquisitoribus in errore suo adhùc persistentem firmabatur *hæreticum* dicendum) „ rectè ex„ plicata etiam in foro animæ locum ha„ bet „ Ratiocinium est Suarez *eadem. disp.19.sect.3.num.21.* quod inserere placuit, quia ex eo, ratio elucet, cur in hujus *articuli* decursu promiscuè locuti simus de objectis à Deo revelatis ac de propositis, ut talibus ab Ecclesia.

ARTICULUS VIII.

In quo essentialitèr consistat pertinacia, *quæ requiritur, ut quis dici queat* formalitèr hæreticus?

1. Non posse aliquem *hæreticum formalitèr* denominari, quin in propositione, quam adversùs divinitus revelata, & ab Ecclesia catholica, ut credenda fide divina proposita, sit *pertinax*, non semel, aut iterum in *præcedentibus* supposuimus, & præsertim *cap.1.art.5.num.20.* ubi assertum *præsenti articulo* stabiliendum insinuavimus in eo consistens, quòd *pertinacia* duo essentialitèr, involvat, alterum videlicet *præsuppositivè*, idest, actum intellectus, seu notitiam divinæ revelationis, aut authoritatis Ecclesiæ in proponendis objectis fide divina credendis; alterum *formalitèr*, actum nempè voluntatis resistendi Primæ Veritati revelanti, Ecclesiæque proponenti hoc, vel illud objectum, ut à Deo revelatum sese nullatenùs subjiciendi. Hique duo actus perpetuò significantur, quoties in sacris Canonibus *hæretici ex pertinacia*, vel ex *præsumptione* designantur dignoscendi, ut videre est *cap. Damnamus de sum. Trin.* ubi explicato Abbatis Joachim errore appellantis *hæreticum* Magistrum sententiarum pro eo, quòd in suis dixit sententiis, *quoniam quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non est generans, neque genita, neque procedens &c.* eoque validissimè rejecto, concluditur: *Si quis igitur sententiam, vel doctrinam præfati Joachim in hac parte defendere, vel approbare præsumpserit, tamquàm hæreticus ab omnibus vitetur*, & nihilominùs ipsemet Joachim ab *hæresi* excusatur, quòd *scripta sua* Rom. Pontifici *assignari mandaverit Apostolicæ sedis judicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam, quam propria manu subscripsit; in qua firmitèr confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ disponente Domino cunctorum fidelium Mater est, & Magistra*. Nec diversa phrasi id ipsum exprimitur (*cap. unic. de summ.Trin. in 6.*) *temerario ausu præsumpserit*; (*Clementin. unic. de summa Trin.* §. Porrò) *quisquis defendere, seu tenere pertinacitèr præsumpserit*. (*Clement. unic. de usuris §.fin.*) *pertinacitèr affirmare* (in extrav. *Joan. XXII.* Cum inter, *de verb. signific.*) *in posterùm pertinacitèr affirmare*, & in cæteris Apostolicis, aut Conciliaribus sanctionibus passim.

2. Utraque autem asserti pars ex hactenùs traditis luculentèr eruitur; priorque ex professo probata manet *hoc cap. art.præced.per totum*, Patrumque locutionibus corroboratur, quibus, ut notat Suarez *disp.19. de infid. apost. seu hæret. sect. 13.nu.12.* declaratur *pertinacia* per modum electionis, vi cujus aliquis eligit proprium judicium potiùs, quàm Ecclesiæ, quæ ex sui conceptu extremorum cognitionem supponit, aliàs alterum alteri præferendi locus non esset. Posterior evincitur ex sacris Canonibus *num. præc.* indicatis, cùm constet, *præsumptionem* solius intellectus actibus nequaquam competere, sed voluntatis, cujus etiam est proprium Ecclesiæ judicio, subjicere, per quod quis ab *hæresi* eximitur, quamvis revelatis contrarium propugnet, ut de Abbate Joachim nupèr advertimus. Ideòque Angelicus *1.p.q.32.art.4.* firmat, *quòd circa Notiones divinas aliqui absque periculo hæresis contrariè sunt opinati, non intendentes sustinere aliquid contrarium fidei. Sed si quis falsum opinaretur circa Notiones considerans, quòd ex hoc sequatur aliquid contrarium fidei, in hæresim laberetur*. Idque itidem evincit paritas fidei, argumento

à contrario sensu deducto, sicut enim fides ex parte voluntatis requirit piam affectionem captivandi intellectum in obsequium Dei, qui secundum legem ordinariam per Ecclesiam nobis loquitur, ita *pertinacia* contraria fidei ex parte voluntatis in affectu contrario posita est, nimirùm in voluntate non subjiciendi intellectum in obsequium Dei per Ecclesiam loquentis, cujus authoritas sufficienter supponatur proposita, ut ipsi firmissimè credere obstringamur.

3. Quas ultimas particulas ponderandas volumus, utpotè quæ rationem continent, cur *pertinacia* regularitèr exprimi soleat potiùs per habitudinem ad Ecclesiam, quàm ad Deum ipsum, vel Scripturam, aut Traditionem &c.,,quia respectu Dei (ut re-
,, ctè monet Suarez *num.* 11.) nemo est, qui
,, habeat, vel habere possit talem volunta-
,, tem, cum sit non solùm certum, sed
,, etiam evidens, Deum non posse mentiri,
,, præcipuè quia non videmus Deum, ne-
,, que ipse immediatè loquitur nobis, sed
,, per alios, vel per aliqua signa creata, &
,, ideò nullus *hæreticus* habet voluntatem
,, non credendi Deo, sed non credendi ta-
,, lem doctrinam esse dictam à Deo, & ideò
,, *formalitèr pertinacia* non attenditur respe-
,, ctu Dei secundùm se spectati, sed ut lo-
,, quentis per alios, vel per aliqua signa
,, creata. Et verò inter media, seu sensibilia
,, signa, per quæ nobis loquitur Deus, sola
,, Ecclesia est viva, universalis, & publica,
,, & infallibilis regula catholicam doctri-
,, nam nobis proponens, & ideò secundùm
,, ordinarium credendi modum illa est
,, quòad nos proxima regula fidei; & pro-
,, pria voluntas credendi Ecclesiæ, necessa-
,, ria est ad catholicam fidem; & ob eam-
,, dem rationem è contrario voluntas non
,, se subjiciendi Ecclesiæ authoritati neces-
,, saria est, & sufficit ad *pertinaciam* fidei
,, contrariam. Unde sub hac regula com-
,, prehenditur etiam Scriptura, quæ per
,, Ecclesiam proponitur, & authenticè ex-
,, ponitur, & idem est de Traditione, &
,, Conciliis, & ideò etiam sufficit ad *perti-*
,, *naciam* voluntas non credendi quicquid in
,, Scriptura continetur, secundùm verum
,, sensum ejus; tamen quia hoc pendet ex
,, propositione Ecclesiæ, ideo hæc voluntas
,, includit aliam voluntatem resistendi Ec-
,, clesiæ, ut *pertinax* sit; nam, si aliquis no-
,, lit credere aliquid in Scriptura conten-
,, tum, quia non putat illum esse verum
,, Scripturæ sensum, non erit *pertinax* con-
,, tra fidem, donec Ecclesia illum sensum
,, approbet, & ille nihilominùs resistat: è
,, contrario vero *hæretici* licèt dicant se cre-
,, dere Scripturis, quia non secundùm Ec-
,, clesiæ sensum, sed secundùm proprium
,, judicium illi contrarium, illas intelli-
,, gunt, *pertinaces* verè sunt, & proprio ju-
,, dicio damnati. Sic ergo in voluntate non
,, se subdendi authoritati Ecclesiæ, hæc *per-*
,, *tinacia* maximè consistit.,,

4. Licèt autem *pertinacia* duos prædictos actus importet, præcipuèque actum voluntatis, *hæresis* nihilominùs per nullum eorum perficitur, ac consummatur, sed per tertium alterum ex illis pendentem, quo intellectus præhabita revelationis, aut authoritatis Ecclesiæ, propositionisque hujus, vel illius mysterii fide divina credendi sufficienti notitia, *pertinacitèr* ipsi resistit, vel dissentiendo mysterio sic proposito, vel assentiendo ejus opposito, qui actus ad intellectum, non ad voluntatem pertinent. Unde Augustinus *lib. de utilit. credendi cap.* 1. relatus 24. *q.* 3. *c.* Hæreticus *est, qui alicujus temporalis, & maximè gloriæ, principatusque sui gratia, falsas, ac novas opiniones, vel gignit, vel sequitur*, ad quod quoque conducunt quæ diximus *cap.* 2. *art.* 1. & præsertim *n.* 12. ubi indicata est paritas fidei, cui *hæresis* opponitur illam corrumpens, ac idcircò, sicut fides, licèt principium desumat à voluntate, consummatur nihilominùs in intellectu per assensum, seu judicium veritatis, ita & *hæresis*, esto inchoetur in voluntate, consummatur in intellectu per aliquem actum, fidei assensui oppositum, qui alius esse nequit, quàm judicium aliquod falsum, videlicet, dissensus ab objecto per fidem credito, vel assensum præstitum objecto contrario per fidem rejecto. Quæ ratio desumitur ex Angelico 2. 2. *q.* 10. *art.* 2. ubi *conclusione* stabilita: *Cum dissentire, quod est actus infidelitatis, sit actus intellectus moti à voluntate, necessariò ipsum infidelitatis peccatum subjectivè quidem in intellectu est, in voluntate verò, ut in proximo motivo*; illam probat, præmisso principio, per ipsum firmato 1. *p. q.* 74. *art.* 1. 2. & 5. quòd videlicet, peccatum dicitur esse in illa potentia, quæ est initium actus peccati; *Actus autem peccati potest habere duplex principium; unum quidem primum, & universale, quod imperat omnes actus peccatorum, & hoc principium est voluntas; quia omne peccatum est voluntarium. Aliud autem principium actus peccati est proprium, & proximum, quod elicit peccati actum. Sicut concupiscibilis est principium gulæ, & luxuriæ, & secundùm hoc, gula, & luxuria dicuntur esse in concupiscibili. Dissentire*

autem, qui est proprius actus infidelitatis, est actus intellectus, sed moti à voluntate, sicut & assentire; & ideò infidelitas, sicut, & fides, est quidem in intellectu, sicut in proximo subjecto, in voluntate autem, sicut in proximo motivo, & hoc modo dicitur omne peccatum esse in voluntate.

5. Hinc non omninò adhæreo Cardinali De Lugo *disp.18.de virt.fid.div.sect.1. à n.8.* & *disp.20. sect.1. à num.11.* contra Suarez *disp.16. sect.3. num.7.* & *disp.19. sect.4. num.2.* & Coninchium *disp.18. dub.3.* affirmanti cum Valentia *disp.1.q.10.punct.1.vers.* Tertiò *quæritur*, & Hurtado *disp.68.sect.2.* dari posse peccatum *infidelitatis*, ac *hæresis*, quod perfectè consummari valeat in sola voluntate, etsi subjungat, locum hujusmodi sententiam habere posse *metaphysicè* loquendo, cum tamen *moralitèr* opposita habenda sit vera, quam veriùs, simplicitèr, & absque restrictione ulla *certam*, & *communem Theologorum* dixerat Suarez *eodem num.2. disp.19. sect.4.* Primus namque casus, quem proponit ad id probandum erutus ex negatione divini concursus, ne intellectus dissentiat, etiam posito voluntatis imperio, ut dissentiat, non probat consummatam *infidelitatem*, aut *hæresim* tunc exerceri per solam voluntatem imperantem dissensum; sed solùm haberi tunc integram, consummatamque dissensus *infidelitatis*, vel *hæresis* causam, ut ex eodem Angelico *ibid.in resp.ad.2.* videtur deduci, monente quòd *contemptus voluntatis causat dissensum intellectus, in quo perficitur ratio infidelitatis. Unde causa infidelitatis est in voluntate, sed ipsa infidelitas est in intellectu*, & quidem cohærentèr ad *responsionem*, quam tradiderat *1.p.q.64.art.2. ad 3.* objecto, quo probabatur, Dæmones non esse in malo obstinatos, non perdurante in eis motivo commissæ superbiæ, *scilicet ejus excellentia. Quo non obstante adhùc manet in Diabolo peccatum, quo primò peccavit, quantùm ad appetitum, licèt non quantùm ad hoc, quòd credat se posse obtinere. Sicut si aliquis credat se posse facere homicidium, & velit facere, & postea adimatur ei potestas, nihilominùs voluntas homicidii in eo manere potest, ut velit fecisse, vel velit facere, si posset.* Eodemque modo occurrendum aliis casibus, quos tamquàm aliquando possibiles De Lugo subnectit, prædicta in promptu adhibita distinctione, quòd quoties intellectus impeditus est, ne in *infidelitatis*, aut *hæresis* actum prorumpat, perfecta, & consummata haberi queat *infidelitas*, aut *hæresis* veluti *causalis*, non verò *infidelitas*, aut *hæresis*, rigorosa, & *formalis*. Legatur quoque S. Doctor 2.2. *q.4. art.2.* ubi agens *Utrum fides sit in intellectu, sicut in subjecto* affirmativam opinionem complectitur, solidis muniens fundamentis, quæ debitè applicata præsens evincunt intentum. Contra quod minoris roboris sunt, quæ promunt Valentia, & Hurtadus, facilè ex insinuatis dirimenda, si præsertim ita seligantur aliquæ reflexiones, quas pro eorumdem solutione innuunt Suarez, & ipsemet De Lugo, ut ab hactenùs indicatis minimè discrepent.

6. Haud tamen omittendum, loquutum me hactenùs promiscuè de *infidelitatis*, ac *hæresis* peccato, non quòd de utroque procedat assertio Cardinalis, qui expressè protestatur illam solummodo intelligendam de aliquo alio peccato *infidelitatis* ab *hæresi*, quam immediatè ante dixerat ad peccatorum genus spectare „ quæ non possunt in „ voluntate consummari, ut furtum, ho„ micidium &c., ejusmodi etiam videtur „ esse *hæresis*, nam est dissensus à fide catho„ lica, atque ideò requiritur etiam ex par„ te intellectus dissensus, vel assensus con„ trarius catholicæ fidei „ sed quòd disparitatem non plenè percipiam, cum, sicut de ratione *hæresis*, est dissensus, aut assensus prædictus, ita & de ratione *infidelitatis* in genere, est assensus in aliquam sectam sacrosanctæ nostræ Religioni contrariam, & proptereà non video, cur *hæresi* applicari non valeat, quod ipse, ait, de *infidelitate*, & præsertim quoad primum casum, quem exponit, videlicet: „ si posita voluntate *infideli* „ dissentiendi rebus fidei positivè, Deus ne„ garet concursum intellectui ad elicien„ dum dissensum, tunc enim haberet se, „ sicut voluntas movendi manum ad ho„ micidium, cui manus non obediret, eò „ quòd ligata, vel impedita esset ab extrin„ seco: sic intellectus negato Dei concursu „ ad dissensum non obediret voluntati, & „ per consequens maneret tota malitia in „ sola voluntate, quin transiret ad intelle„ ctum, in quo non poneretur actus impe„ ratus incredulitatis. „

7. Nec majoris efficaciæ esse valet protestatio, qua asserit se loqui de *infidelitatis* consummatione quoad peccatum, indè *num.18. disp.18.* inferens, quòd in hypothesi *infidelitatis* consummatæ in voluntate adhuc deperderetur fidei habitus; quòd deperditio hæc sit pœna, quæ infligitur à solo Deo, & proindè sequitur forum divinum „ in quo voluntas pro facto reputatur, nec „ malitiam, aut punibilitatem auget actus „ externus carens nova libertate, qualis est

„ actus intellectus, vel ejus carentia, sed to„ ta punibilitas attenditur secundùm gra„ dum malitiæ, quæ est in voluntate. Nec „ ex hoc, quod auferatur habitus fidei, qui „ erat in intellectu, sequitur peccatum il„ lud consummari in intellectu, in quo po„ nitur carentia illius habitus. Nunc enim „ non agimus de consummatione *infidelita„ tis* quoad pœnam, sed de consummatio„ ne quoad peccatum. Consummatur ita„ que pœna illius *infidelitatis* in intellectu, „ si ab eo auferatur habitus infusus in pœ„ nam illius peccati; cæterum peccatum „ ipsum non consummatur intrinsecè in „ intellectu, in quo tunc, nec ponitur ma„ litia formalis, (quæ semper est in sola vo„ luntate) nec etiam aliquod materiale, „ seu subjectum malitiæ, quod denomine„ tur peccatum *infidelitatis*, sed solùm po„ nitur pœna peccati, quæ non est pars in„ trinseca ipsius peccati „. Hæc namque doctrina, quæ fortè aliquantùm discrepat ab alterâ ejusdem *num. sequen.* adducenda, supponit aliam, à qua pendet, circa malitiam actuum externorum, an videlicet alia sit ab ea, quæ in solis internis residet? quam affirmativè resolvit Subtilium Princeps, totaque ipsius Schola, cujus admissis principiis, corruit totus Cardinalis discursus, ex quo etiam quoad forum Dei positis internis actibus non ponitur consummatum peccatum, idque adhuc si externi impediantur ab extrinseco, sive per negationem divini concursus, sive per quodlibet aliud impedimentum, quod auferre non sit in potestate voluntatis. Quòd si dein discurrere velimus in opposita sententia, non ampliùs indigemus recursu ad casus metaphysicos, ut asseramus habitus fidei deperditionem sequi ad peccatum *infidelitatis* in sola voluntate consummatum; id namque tueri possumus, quòd semper contingat, quia videlicet transitus, qui ex eo sequitur ad actum intellectus, omninò per accidens se habeat ad dictum finem, quinimò sicut in priori ad assensum, vel dissensum, habetur integra malitia, consummatumque *infidelitatis* peccatum quoad forum Dei, ita & in priori haberi deberet habitus fidei deperditio, quæ dictum forum solummodò sequitur.

8. Hoc autem, sicut & distinctio *infidelitatis* ab *hæresi*, *num. prac.* rejecta, ad rem præsentem non multùm, ni fallor, Tridentino cohæret, quod *sess.6. de justif. cap.*15. sola *infidelitate* amitti fidem supponit, sub nomine *infidelitatis* æquè *hæresim*, aut quamlibet *infidelitatis* speciem indicans, eamque plenam, & perfectam, qualis non intelligitur communiter ea, quæ ad intellectum non transit. Quin replicet id intelligi „ juxta „ subjectam materiam; cum enim agatur „ de pœna infligenda in foro Dei, culpa „ etiam intelligitur juxta Dei forum, in „ quo ad infligendam pœnam non atten„ ditur, an peccatum sit consummatum, „ nec ne, per actum externum, vel quasi „ externum, qui non auget malitiam, nec „ punibilitatem in ordine ad Deum. Sic „ enim idem Concilium *in eodem loco* dixit „ gratiam Dei amitti aliis peccatis præter „ *infidelitatem*, qualia sunt fornicatio, adul„ terium, mollities, furtum, ebrietas &c. „ ubi certè non restrinxit assertionem Con„ cilium ad hæc peccata solùm consum„ mata per actum externum, sed iis nomi„ nibus intellexit etiam eadem peccata non „ prodeuntia in actum externum, si tan„ tùm sit voluntas moraliter mala, quam„ vis per accidens non potuerit extra vo„ luntatem consummari. „ Prætermissa enim suppositi, in quo fundatur, discursus insubsistentia *num. præc.* indicata, & à Scotistis validissimis impugnationibus eorum Magistro Duce in 2. *sent. dist.*42. *quæst.*4. §. *Quantum ad secundum*, & ex professo *Quodlib.* 18. *art.*3. demonstrata, quæ apud eos legi poterunt, & præsertim apud Mastrium in 2 *sent. disp.*5. *quæst.*5. *de actibus humanis num.*261.

9. Paritas ex aliis peccatis deducta nullo modo attendenda videtur, attenta formulæ diversitate, qua loquitur Tridentinum, dum, *infidelitatem* absolutè pronunciat, cujus nomine consummata intelligitur, quoties nulla adest particula illam extendens etiam ad non consummatam; non sic autem cætera peccata, quæ exprimit, uti species contentas sub genere peccati mortalis, cohærentèr ad particulas præcedentes, *sed etiam quocumque alio peccato mortali*, & alias subsequentes, *cæterosque omnes*, *qui lethalia committunt peccata*, & eatenùs non de ipsis esse potest sermo præcisè, ut consummatis, sed solùm, ut peccatum mortale constituentibus. Aliàs inferendum certè esset, quòd sicuti, ut ammittatur gratia, sufficit, quòd fornicatio, adulterium, mollities committantur etiam ex ignorantia graviter culpabili, idem dici deberet quoad *infidelitatem*, quòd nempè causet privationem habitus fidei, etiamsi proveniat ex *ignorantia* consimili, quod ex insinuatis *art. præc. num.* 10. cum eodem De Lugo eruitur esse falsum, & expressiùs ab eo rejicitur *disp.*17. *sect.*5. *num.*80., ubi

ubi parùm conformitèr ad explicationem præcedentem, Tridentinum loqui innuit de *infidelitate* simplicitèr tali, & non de solo *infidelitatis* peccato, utcumque accepto, „ cæterùm, ficut ille non dicitur simplicitèr *hæreticus*, quia licèt culpabilitèr discedat ab „ Ecclesia, non tamen cum *pertinacia*, „ immò paratus est credere cum Ecclesia, „ quando Ecclesiæ sensus ei sufficientèr „ proponetur, quamvis in hoc peccet, „ quòd sensum Ecclesiæ non exquirit; sic „ etiam non dicitur simplicitèr *infidelis*, „ nec illud peccatum dicitur simplicitèr *infidelitatis*, quia paratus est acceptare veram fidem, quoties sufficientèr proponetur, licèt in hoc ipso peccet, quòd non „ examinet modo debito motiva ad inveniendam veram fidem; quare, sicut non „ incurrit pœnas *hæreticorum* Ecclesiasticas, „ sic non incurrit hanc pœnam internam, „ & jacturam habitus fidei, qui in eo statu „ paratus est ad credenda omnia objecta revelata sibi sufficientèr proposita, licèt non „ sit paratus ad ea inquirenda, & habet voluntatem credendi quicquid ab Ecclesia, „ vel alitèr sibi ex parte Dei sufficientèr „ propositum fuerit, quæ est voluntas piæ „ affectionis „, eademque fieri posset illatio, (ut alias silentio obducam) de se exponente periculo proximo *infidelitatis*, aut *hæresis*, qui proculdubiò in vim prædicti argumenti spoliari deberet habitu fidei, sicuti spoliatur habitu charitatis, qui se exponit periculo fornicationis, adulterii &c. Cum tamen oppositum propugnetur à Theologis communitèr, & ab eodem de Lugo *disp.* 17. *cit. sect.* 5. *num.* 82. ratione freto nuper expensa, & ad rem debitè applicata.

10. Nonnulla solvenda manent dubia, quæ ad prædictorum elucidationem tendunt, & cum eis habent connexionem. Primumque fit, an *pertinacia* ad *hæresim* requisita, importet in suo conceptu aliqualem temporis moram in defensione propositionis revelatis oppositæ, ut quis denominari *formalitèr* queat *hæreticus*? & licèt ex insinuatis *art. præc. num.* 7. appareat danda resolutio negativa, ut tamen firmiùs stabiliatur, opponenda adversùs eam occurrit Angelici *conclusio*, quam firmat (2.2. *q.* 138. *art.* 2.) *Pertinacia opponitur perseverantiæ* probans, quia, *sicut Isidorus dicit* (*in lib.* 10. *Etym.* P.) *pertinax dicitur aliquis, qui est impudentèr tenax. Et hic idem dicitur pervicax, eò quòd in proposito suo ad victoriam perseveret. Antiqui enim dicebant vitiam, quam nos victoriam: & hos Philosophus vocat* (*in Eth.* 7.) chirognomones, *idest fortis sententiæ, vel* idiognomones, *idest, propriæ sententiæ, quia scilicet perseverant in propria sententia, plùs quàm oportet. Mollis autem minùs, quàm oportet; perseverans autem secundùm quòd oportet. Vndè patet, quòd perseverantia laudatur, sicut in medio existens, pertinax autem vituperatur secundùm excessum medii, mollis autem secundùm defectum.*

11. Per Aquinatem itaque *pertinax* non est, nisi *qui in proposito suo ad victoriam perseverat*, undè subdit (*in resp. ad* 2.) quòd *pertinax excedit quidem in hoc, quòd inordinate persistit in aliquo contra multas difficultates; habet tamen aliquam delectationem in fine, sicut & fortis, & etiam perseverans. Quia tamen illa delectatio est vitiosa ex eo, quòd nimis appetit eam, & contrariam tristitiam fugit, assimilatur incontinenti, vel molli.* Non est nihilominùs à negativa sententia recedendum, quam rectè *communem*, & *verissimam* scripsit De Lugo *disp.* 20. *de virt. fid. div. sect.* 5. *num.* 157. quicquid adversùs eam protulerit Menochius *volum.* 2. *consil.* 149. *num.* 49. dicens, „ ut quis „ dicatur *hæreticus pertinax* debet constare, „ quòd fuit monitus, & instructus de veritate, & quòd ea instructione spreta, persistat in eadem opinione „ & Alciatus *in lib.* 2. *Cod. de Summ. Trin. num.* 3. definiens *pertinaciam* quod sit, „ quæ hominem *hæreticum* „ facit; quapropter, si quispiam in Trinitate non rectè sentiat, nisi admonitus persistat, *hæreticus* non est „ quos tamen explicari posse monet Cardinalis *n.* 156. quòd minimè loquantur de foro Dei, qui corda scrutatur, sed Juristarum more de foro externo, in quo quandoque saltèm excusari valet, qui à fide devians, adhùc monitus, & correctus non fuit, quòd forsitan paratus sit corrigi. *Quandoque* autem, dixi, nam etiam in foro Ecclesiæ, si error erit circa mysteria fidei, quæ quis scire omninò tenetur, absque ulla temporis diuturnitate *hæreticus* haberi, & præsumi potest, undè meritò advertit Emmanuel Gonzalez *lib.* 5. *de Decretal. cap.* dubius in fide *de Hæret. num.* 7. quòd, quia circa *pertinaciam* inducendam, vel non, nil in jure habeatur expressum „ ideò arbitrio Judicis relinquitur, qui ex conjecturis depræhendet, an *pertinacia* intervenerit, idest „ firmus in errore consensus? veluti, quia „ error est manifestè damnatus, & contra „ veritatem notissimam, seu Traditionem „ Ecclesiæ; vel quia errans doctus est, & sagax, aut quia diù, & clàm perseverarit in „ errore, vel si legitima admonitio intercessit. Sicuti è contra *pertinacia* non præsumitur, quando error est contra verita-

tem

„ tem minùs notam, nec apertè damna-
„ tam, vel errans est indoctus, in reliquis
„ de fide optimè sentiens, vel quia per mi-
„ nùs tempus persistit in errore.

12. Angelicus proindè interpretandus est de perseverantia in errore *affectiva*, non *effectiva*; quatenùs, qui errat in fide, ita errat, ut paratus non sit corrigi, qui enim hoc modo errat, jam in errore perseverans dici potest in corde suo. Sicque se gerere, qui nulla, nec quidem *affectata ignorantia* irretitus errat, ostendunt, tradita *art. præc.* Quòd enim paratus quis sit corrigi, provenire dumtaxat potest ex alicujus supervenientis motivi stimulo, quod aliquo modo latebat, ob *ignorantiam*, quæ de eo erat, quantumvis *affectatam*, quod evenire nequit, cum quis agnoscens se obstrictum, ut credat aliquod mysterium esse à Deo revelatum, utpotè ab Ecclesia, cujus authoritas sufficientèr sit ipsi nota, ut fide divina credendum propositum, adhuc assensum præbere respuit Ecclesiæ authoritatem contemnens: Quod adhuc vim accipit à paritate fidei, qua usi sumus *hoc art. num.2.* ad rem illam applicando cum Cano *lib.12.de loc.usu in schol. disp. cap.9.* ubi *egregium* vocat Cajetani argumentum; „ Fides assensu intelle-
„ ctus perficitur ex consensione voluntatis
„ in eo, qui rem, quam credit, cognoscit
„ esse catholicam veritatem; ergo & *infide-*
„ *litas* dissensu intellectus perficitur ex con-
„ sensione voluntatis in eo, qui rem, cui
„ assentit, cognoscit esse contra Ecclesiæ
„ communem fidem. Contrariorum enim
„ contrarias oportet esse notiones.....
„ Nam quemadmodùm, ut paulò ante di-
„ ctum est, fides ea electione perficitur, ubi
„ is, qui vult veritati assentiri, intelligit
„ illam esse catholicam veritatem; sic &
„ *hæresis* contraria omninò electione con-
„ summabitur ejus, qui adversante catho-
„ lica fide propriam sententiam videns vo-
„ lensque complectitur. Ecquis enim eo
„ *pertinacior* esse potest, quem de suscepta
„ causa, propositaque sententia, nulla Ec-
„ clesiæ vis, nulla Catholicorum depellit
„ authoritas? præclarè itaque Hieronymus
„ interpretatur *hæreticum* idcircò subver-
„ sum esse, & proprio judicio condemna-
„ tum, quia suo arbitrio ab Ecclesiæ insti-
„ tutione discessit, quæ discessio, propriæ
„ conscientiæ videtur esse damnatio„ Legi pariter potest Cardinalis Turrecremata *p.2. lib.4. Summ. de Eccl. cap.16.* ubi ex Ochamo **in** *Dialogo*, viginti enumerat modos, quibus *pertinacia* dignosci valet, non tamen omnes tales sunt, qui supponant Subjectum, quod afficiunt *formalitèr hæreticum*, nisi revera constet, scientèr ab eo defendi errorem contra fidem, ut illos perpendens facilè dignoscet.

13. Secundum dubium fieri potest super dissensu à revelatis, vel consensu in dogmata revelatis opposita, qui supponitur necessarius, ut quis *formalitèr* denominetur *hæreticus*, an videlicet sufficientèr ille habeatur in eo, qui de dogmatibus fide divina credendis dubitat? Cui negativè respondent Canus *lib.12. de loc. c.9.* Sanchez *lib.2. Summ. cap.7. num.2.* aliique, quos refert, & rejicit Diana *part.2. tract.2. miscel. resol.* 53. Affirmativè verò communissimè cæteri, è quibus plerosque citant, ac sequuntur Thomas Del Bene *tom.1. de Off. S.Inquis. & hær. par.1. dubit.6. num.3.* & Emmanuel Gonzalez *to.5. Decretal. in c.* Dubius in fide infidelis est, *tit. de Hæret.n.3.* postquàm *n.1.* notarat præfata verba, quæ *dicto capit.* tribuuntur Stephano Papæ, reperiri *in Can.45.* Synodi Nicenæ, & *in Can.4.* collectionis Hadriani Papæ, & *in Epist.1.* Sixti primi, & apud Julium I. *Epist.1. cap.* 11. Subdens dictam sententiam fuisse primùm Evaristi Papæ *Epist.2.* ut transcribitur à Carnotensi *part.7.decret.cap.7.* Gratiani *in cap.17.2. q.7.* mox Sixti *in Epist.1.* dein Pii Papæ, ut refert Gratianus *in cap.3. 3. qu.4.* postea Calixti *epist. 2.* relata *in capit. 18. 2. quæst.7.* deinceps Fabiani in Synodo Romana relata *in cap.7. 3. qu.4.* Stephani *in epist.2.* tandem Marcelli *ep.2.* relata *in cap. finali 96. dist.*

14 Affirmativa hæc sententia, quam Augustino Duce relato *art.21.c.3.n.10.* amplectimur, *receptissima* dicitur à Suarez *disp.19. de infid. apost. &c. sect.4. num.10.* desumptam eam asserens ex D.Thoma 1. *par.q.32. art.4.* & 2.2. *q.11. art.1. & 2.* neutro tamen loco aperta de hoc est mens S. Doctoris, dum loquitur non de *dubitatione*, sed de *opinione*, circa quam infra *num.19.* aliquid innuemus. Veriùs proindè citari potest 3. *p. q.27. art.4. ad 2.* & *q.30. art.4. ad 2.* ubi expressè supponit *dubitationem* ad *infidelitatem*, & *incredulitatem* esse sufficientem, dum, sicuti *primo loco* referens aliquos per *gladium*, de quo (*Lucæ 2.*) *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*; intelligentes *dubitationem*, subdit, *quæ tamen non est intelligenda dubitatio infidelitatis, sed admirationis, & discussionis*; ita & *secundo* explicans Augustinum sustinentem, quòd B. Virgo verbis illis, *Quomodò fiet istud*? Angelo Incarnationem Dominicam annuntianti prolatis, *dubitaverit*, paritèr subjungit; *Sed talis dubitatio magis est admirationis, quàm incredulitatis*,

Et

Et ideò probationem Angelus inducit, non ad auferendam infidelitatem, sed magis ad removendam ejus admirationem.

15. Eidem opinioni favent, ex laudato Gonzalez Concilium Constantinopolitanum relatum à Gratiano *in cap.4.qu.5.* Chalcedonense *Can.* 21. apud eumdem *in cap.49. 2.qu.7.* Carthaginense IV. *can.* 11. Toletanum VI. *can.* 51. transcripto à Gratiano *in cap.9. 3. q. 9.* etsi perperàm citetur ex Toletano VII. necnon & Capitularia Caroli *li.5. cap.183. & lib.7. cap.147.* Præsertim verò eam tradit Clemens V. in Concilio generali Viennensi, & habetur *Clement. 5. de Summ. Trin. & fide catholica* §. Porrò *doctrinam omnem, seu positionem temerè asserentem; aut vertentem in dubium, quòd substantia Animæ rationalis, seu intellectivæ verè, ac per se humani corporis non sit forma, veluti erroneam, ac veritati catholicæ inimicam fidei prædicto sacro approbante Concilio reprobamus;* quibus verbis æquè fidei catholicę repugnans exprimitur *temerè asserere*, quòd Anima rationalis non sit forma humani corporis, ac id *in dubium vertere*; & proindè, cum *dubitare* de veritate prædicta, ejusdem erroris supponatur, ac illam negare, non mirum, si in definitione, quæ immediatè subnectitur, non replicetur explicitè *dubitatio*, sed solùm, *quòd quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinacitèr præsumpserit, quòd Anima rationalis, seu intellectiva non sit forma corporis humani per se, & essentialitèr, tamquàm hæreticus sit censendus.* Ad tollendam verò omnem difficultatem, quæ ex non explicita repetitione posset oriri, utrumque expressit Concilium generale Lateranense V. sub Leone X. *sess.8.* clarissima illa sanctione contra Animæ mortalitatem, & immultiplicitatem juxta numerum individuorum humanorum: *Sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes asserentes Animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes. Cum illa non solùm verè, & per se, & essentialitèr humani corporis forma existat, sicut in Canone Clementis Papæ V. in generali Viennensi Concilio edito continetur, verùm & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine, singularitèr multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda sit.*

16. Nec deest validissima id corroborans ratio ex fidei prærogativa eruta, quæ debet esse *firmissima*, & qualibet alia certitudine, etiam, quæ sit scientiæ propria, certior, ut expendimus *cap.2. art.7.* idcircò excludens quamlibet vel levem *hæsitationem*, aut *dubietatem*, ut sic verificetur Christi Domini *Math.24.35.* effatum; *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*; undè D. Jacobus Apostolus (*in epist.canon.cap.16.*) *In fide nihil hæsitans*, & in Symbolo Athanasiano; *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fidelitèr, firmitèrque crediderit, salvus esse non poterit.* Ob quod motivum Gentium Doctor, *ad Hæbr.6.17.* explicans, cur Deus promissionem Abrahæ factam, juramento firmaverit, animadvertere non omisit id contigisse, non quòd absque eo, *firmissima* non extitisset promissio, *sed abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.* Meritò itaque qui *dubitat* nolens captivare intellectum in fidei obsequium judicandus *hæreticus*, quòd contra fidem catholicam erret, pro incertis habens, quæ sunt certissima, dicente D. Bernardo (*lib.5 de consi l.ad Eug.cap.2.*) *Fides ambiguum non habet, etsi habet, fides non est*, cui consonat Hugo de Sancto Victore (*lib.5.de Sacr. part.10. cap.2.*) *Ubi dubitatio est, fides non est.*

17. Nomine verò *dubitationis*, solam voluntariam, ac deliberatam comprehendimus, & quidem ad exclusionem nedùm motuum, qui dicuntur primò primi, & in scrupulosis abundant, quibus apparet se continuò *hæsitare* de fidei mysteriis, quæ tamen revera *constantissimè* credunt; sed & *suspensionis* actuum fidei, qui forent eliciendi etiam præcepto urgente. Etsi enim contra fidem quis læthalitèr peccet per *suspensionem* hujusmodi, non proindè est *hæreticus*, quoties nihil, quod sit fidei adversum, & repugnans tueatur, non enim ad convertentiam dicuntur, nolle quempiam elicere actum fidei in præcepti adimplementum, & *hæsitare* de fidei mysteriis, circa quæ actus fidei esset eliciendus, cum simul queat verificari, quòd hæc *firmissima* habeantur, quòdque nihilominùs nolit quis ipsis hic, & nunc assentiri per meram actus *suspensionem*, vel ex voluntatis pervicacia, vel ex quolibet alio motivo. Nisi dicas motivum ad *suspensionem* aliud non esse, quàm, quòd motiva fidei reputentur non adhùc sufficientia ad elicitionem assensus. Quo tamen casu *suspensio dubitationem* supponeret, per quam *suspendens hæreticus formalitèr* esset, & ex ea oriretur, non verò *formalem hæretici* denominationem se sola causaret. Quin necesse sit, ut *dubitatio* hujusmodi fiat per positivum actum, quo quis positivè judicet res fidei

fidei esse incertas, & posse alitèr se habere, cum satis ad intentum extet, quòd *suspensio* prædicta promanet ex motivis contrariis, quibus deterrita imprudentèr voluntas illam imperet; quia sic, & ipsa virtualitèr saltem motiva illa approbat, & facit, quòd approbet & intellectus, qui propter illa *suspendit* assensum, quod moralitèr idem est, ac affirmare, motiva illa tanti ponderis esse, ut reddant rem *dubiam*, quæ interpretativa, ac virtualis affirmatio in priori semper intelligitur ad *suspensionem formalem* actus, quod causa illa fit, hic effectus.

18. Ex quo colligenda est responsio ad præcipuum contrariæ opinionis fundamentum in eo consistens, quòd de ratione *hæresis* sit, presuppositivè saltem ex traditis *c.2.art.1. n.12.*, *electio pertinax* doctrinæ contrariæ revelatis, undè cum *dubitans*, si præsertim in sola *suspensione* actus persistit, in nullam positivam electionem prorumpat, non videtur *hæresis* denominatione afficiendus, attento etiam, quòd *dubius* in fide sit veluti medius inter *catholicum*, & *hæreticum*, & ideò non est, cur haberi debeat, ut *hæreticus*. Sufficienter namque verificatur per solam *suspensionem*, *electio*, quoties *suspensio* talis sit, ut in se ipsa imbibat, & involvat virtualem, & interpretativam approbationem *incertitudinis* rei revelatæ, & per consequens exclusionem firmitatis, & certitudinis, quæ est propria fidei. Ad eum planè modum, quo in reliquis materiis moralibus discurri solet, omissionem liberam, esse fugam positivam, seu nolitionem interpretativam, & virtualem, qua voluntas propter motiva in contrarium proposita, relinquit objectum sibi repræsentatum. Ac propterea militat in præsenti ratio, quam *art.præc. à num.7.* contra Canum impugnavimus, ut insubsistentem in casu *ignorantiæ affectatæ* circa mysteria credenda, cum qua innuimus consistere simul posse animum sese subjiciendi Ecclesiæ judicio, quoties *ignoranti* constiterit revera ab ea proponi dogmata, ut fide divina tenenda: qui tamen penitùs chimæricus est, & repugnans in eo, qui fidei actum *suspendit* ex imperio voluntatis approbantis virtualitèr saltem motiva contraria fidei, & intellectum ipsum inducentis ad virtualem consimilem approbationem, non obstante, quòd adsit revelationis divinæ, aut propositionis Ecclesiæ sufficiens notitia, ut patet consideranti. Non est eatenùs medius, *dubitans pertinax*, inter *fidelem*, & *hæreticum*, sed absolutè est, ac simplicitèr *hæreticus*, esto sic constitutus non per actum positivi dissensus à revelatis, vel consensus oppositis objectis præstiti, sed per *interpretativum*, & *virtualem*, qui in re præsenti *positivo* æquivalet, quòad destructionem seu exclusionem habitus fidei, & quòad communicandam operanti denominationem *formalis hæretici*, sicuti per *omissionem*, qui itidem actus *interpretativus*, & *virtualis* dicitur, alicui præcepto contrariam, redditur omittens, *formalis* ejusdem præcepti *transgressor*.

19. An verò totus præfatus discursus servata proportione sit applicabilis actibus *opinativis*? esse potest tertium dubium perbreviter resolvendum affirmativè, quoties, quis, aut opinetur aliquod falsum, quod sit, vel directè, vel indirectè contra res fidei, sumptis Tò *directè*, & *indirectè*, in sensu, quo accipit, 1.2. *q.32. art.4. in corp.* Angelicus, cujus præcipua verba habes *art. præc. num.5.* post quæ prosequitur S. Doctor: *& propter hoc multa nunc reputantur hæretica, quæ priùs non reputabantur propter hoc, quòd nunc est magis manifestum quid ex eis sequatur. Sic igitur dicendum est, quòd circa notiones &c.* quæ inserta extant *hoc art. n.2.* Aut ipsismet mysteriis fidei assensum præbeat *opinativum*, quatenùs hic importat actualem de opposito *formidinem* juxta ea, quæ diximus *art.21.n.1. cap.3.* conformitèr ad propositionem 21. ex damnatis ab Innocentio XI. *ibidem* extensam, & ad distinctionem, quam indicat 2.2. *q.1. art.4. in corp.* Aquinas: *Assentit autem intellectus alicui dupliciter, uno modo, quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est per se ipsum cognitum, sicut patet in principiis primis, quorum est intellectus: vel est per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficientèr moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam. Et, si quidem hæc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio. Si autem sit cum certitudine, absque tali formidine, erit fides*. Intelligendus autem est Sanctus Doctor de formidine *deliberata* designata per particulas *per quamdam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam*, ad exclusionem indeliberatæ, quæ ex scrupulosis, levibusque orta motivis haberi potest, ut paulò ante tetigimus, etiam in Fidelibus, mysteriis revelatis *constantissimè* assentientibus, & ex *toto corde* juxta phrasim Philippi Eunuchum ad baptismum inducentis, *Actor.8.37.*

20. Si tamen sermo habeatur de actibus *opinativis*, qui actualem non involvant *formidinem*, dubii resolutio pendet ex Scholastica

ftica illa quæftione, utrùm *formido* actualis, vel aptitudinalis fit de effentia, & quidditate opinionis? qui enim defendunt folam aptitudinalem ad conftitutionem *opinionis* fpectare, docent nedùm actum *opinativum* de fidei rebus *hæreticum* non effe, fed & ipfum tuentur componi poffe cum actu fidei, dummodò uterque eodem modo in objectum revelatum tendant; ficque difcurrunt Sanchez *lib.2.in Decal.n.12.* De Lugo *difp.20. de virt.fid.div.fect.1.n.20.*&*difp.17.fect.5.n.96.* Suarez *difp.19.fect.4.n.16.* Granadus *2.2.contr. 1.tr.15.difp.3.n.6.* quos citat, & fequitur Didacus Hurtadus *in fua theol. reform. dift.10. de certitud. fidei cap.3. & 4.* oppofitum autem propugnant, qui actualem *formidinem* effentialem afferunt, & *opinionis* conftitutivam, affirmantes proindè *hæreticum* quemlibet, qui affenfu *opinativo* attingit myfteria revelata, & pro hac ab Hurtado citantur Caftro, Aragon, Lorca, Azorius, Coninchius, Palaus. Videturque proculdubiò fententia hæc magis recepta, dum in eam propendit utraque Schola Thomiftarum, & Scotiftarum, paucis exceptis, quos inter è Scotiftis Francifcus DelCaftillo *tom.2.fuper 3.fent.lib. difp.4.de obfcur.objecti fid.part.4.* idem paritèr docens de actibus fidei humanæ, qui compati queant cum actibus fidei divinæ infufæ, quòd eorumdem *fallibilitas* effentialis non fit actualis, fed potentialis dumtaxat, & quòad utriufque generis actus contendit talem fuiffe Mariano-Subtilis Doctoris mentem.

21. Quæ eligi debeat ex fententiis indicatis? noftri inftituti non eft difcutere, & examinare, ad quod fatis eft eas tetigiffe; advertere non omittentes, quòd prioris fententiæ Patroni non difcrepant ab aliis in eo præcisè, quòd actum *opinativum* illi *hæreticum* habeant, ifti *hæreticum* negent; fed difcrepantia tota eft in aliquo antecedenti, circa qualitatem *formidinis*, quæ fit neceffaria ad actum opinativum; cæterùm utrique conveniunt in hoc, quòd actus *opinativus* verè, & actualitèr *formidolofus* de rebus fidei, *hæreticus* fit habendus, quod per fe ad dubii propofiti pertinet refolutionem. Pro qua paritèr notamus, non omninò currere paritatem inter actus *opinativos*, & actus *fidei humanæ*. Quamvis namque, non minùs illi, quàm ifti fint fui natura *fallibiles*, & quidem etiam *fallibilitate actuali*; Hoc nihilominùs adeft difcrimen, quòd authoritas humana quantumvis natura fua *fallibilis*, quia tamen extrinfeca eft objecto vi ipfius credito, poteft impediri, ne huic communicet, quòd alitèr fortè fe habeat, concurrente ad ipfius veritatem fortiori, & infallibili motivo, quo non obftante adhùc illa maneat in fua linea authoritatis humanæ. Neque enim per hoc, quòd fciamus aliquem in hoc, aut illo cafu non *fallere*, exuetur ille à ratione teftificantis creati, ad quam fufficit, quòd ex intrinfecis fuis non excludat deceptionem, cui, ei foli credens, maneret obnoxius. Neque enim eò ipfo, quòd mihi etiam evidentèr conftet, Parochum docentem Trinitatis myfterium nullatenùs *decipi*, aut me *decipere*; Parochi teftimonium elevatur ad rationem teftimonii divini, quod potiùs objectum eft per Parochum ipfum propofitum; ficuti nec tranfit in motivum fcientificum, cum Trinitati, quam docet, omninò extrinfecum fit, non caufans de ea fcientiam, fed fidem. Manet proindè in linea teftimonii humani, quod natura fua poffit *fallere*, aut *falli*, etfi per accidens certò, immò & evidentèr conftet, quòd actu non *fallatur*, nec *fallat*. Non fic contingit in motivo *opinabili*, quod, cum fit intrinfecum objecto, cui vi ipfius eft affentiendum, non poteft à *fallibilitate* ullo modo depurari, quin à quidditate *opinabilitatis* removeatur. Supponamus namque, quòd detur argumentum *probabilitèr* concludens Incarnationis Dominicæ poffibilitatem, per hoc dein, quod certitudine fidei fupernaturalis conftet illam effe poffibilem, non eò ipfo certi reddimur, motivum illud actu fallibile non effe, cum optimè componantur adinvicem, Incarnationem effe certiffimè poffibilem, & Incarnationem nullam involvere connexionem cum motivo prædicto. Cujus ulterior ratio eft, quòd Deus revelans Incarnationis poffibilitatem, non præcisè per eamdem revelationem manifeftat connexionem, quæ erat inter motivum *opinabile*, & myfterium revelatum, fic namque non ampliùs *opinabile* motivum dici poffet, quod divino teftimonio effet corroboratum. At cum revelat, Parochum verum dicere, folùm facit, quòd ipfius teftimonium fit actu verum, illud ex una parte relinquens ex intrinfecis *fallibile*, & proindè intra fphæram motivi inducentis ad fidem humanam; & ex altera non exuens à qualitate veracitatis humanæ, per quam dignus habebatur, ut ei præberetur affenfus.

22. In confirmationem denique *hujus*, *& præcedentis refolutionis* tendunt tradita *cap.3. art.14. à num.8. ad 13.* expendendo repugnantiam, quæ eft in eo, quòd femel definita, ut fide divina credenda, iterùm fubji-

ciantur examini, per quod in dubium revocentur; *Majores nostri*, ajebat id ipsum comprobans Gelasius Papa (*in ep. ad Episcopos Dardaniæ*, & habetur *C.* Majores 24. *q.*1.) *divina inspiratione cernentes, necessariò præcaverunt, ut quod unamquamque hæresim coacta semel Synodus pro fidei communione, & veritate catholica, atque apostolica promulgasset, non finerent novis post hæc retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur, quæ medicinalitèr fuerant statuta, pulsandi; sed Auctore cujuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato, sufficere judicaverunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obnoxius*. Et propterea cum conquereretur Achacius, quòd ab eodem Gelasio esset excommunicatus absque convocatione Synodi, Pontifex acriori ad hominem reprehensione redarguere volens *C.* Achacius *il primo ead.* se executorem dixit veteris constituti, non novi promulgatorem: *Achacius non est factus inventor novi erroris, sed veteris incitator, atque ideò non erat necessarium, ut adversùs eum nova sententia prodiret, sed antiqua tantummodò renovaretur. Factus sum itaque executor veteris Constituti, non promulgator novi, Quicumque enim in hæresim semel damnatam labitur, ejus damnatione se ipsum involvit*. Ex quibus verbis ad *præsentis capitis*, & *articuli* coronidem liceat obitèr eruere discrimen, quod est inter *Hæreticum*, *Hæresiarcham*, & *Dogmatistam*. Etsi namque in eo conveniant, quòd revelatis contradicant, & proindè sub generica *Hæreticorum* denominatione comprehendantur ad Augustini mentem relati *num.*4. differunt nihilominùs, quòd non omnis contradictio, quæ *Hæreticum* aliquem constituit, sufficiat, ut quis *Hæresiarcha*, aut *Dogmatista* valeat denominari. *Hæresiarcha* enim vocabulo intelligitur communitèr *novi alicujus erroris inventor*, *Dogmatista* verò, qui alios errorem doceat, quasi ex officio, vel consuetudine discipulos instruens. Quamvis etiam in sacris Canonibus *Dogmatistæ* quandoque *Hæresiarchæ* appellentur, quòd prædicando, & evulgando errores aliorum, suos veluti faciant, ac si *inventores* existerent, *ex* 24.*q.*3. *C.* Qui *aliorum defendit errorem, multò ampliùs damnabilior est illis, qui errant, quia non solùm errat, sed etiam aliis offendicula erroris præparat, & confirmat. Undè quia Magister erroris est, non tantùm hæreticus, sed etiam Hæresiarcha dicendus est*. Et de his legi poterunt Del Bene *de Off. S. Inquis. & hær. part.*1. *dubit.*163. *petit.*6. De Lugo *disp.*24. *de vert. fid. div. sect.*2. *num.*64. Suarez *disp.*23. *de pœnis corpor. hæret. sect.*2. *à num.*9. & alii, quos ipsi referunt, quibus addendus Alberghinus *in manual. qualif. S. Inquis. cap.*4. ubi quòd *Hæresiarcha* idem sonet, ac *Hæreticorum Princeps* ab *Hæresi*, & *Archi*, quod denotat *Principem*, seu *Principium*.



CA-

CAPUT QUINTUM.

De Specificativo propositionis erroneæ.

ABSOLUTA *hæreticæ* propositionis notitia, postulat methodi ratio, ut ad aliarum Censurarum descendamus examen, quas inter, principem sibi vindicat locum propositio *erronea*, quòd *hæreticæ* sit cæteris propinquior, cum, etsi fidem ipsam immediatè non impetat, impetit nihilominùs mediatè, non quidèm extinguendo illam, sed talitèr infirmando, ut ferè extincta dici quodammodò valeat, dum hujus Author *hæreticus* præsumi rationabilitèr possit, ut *cap.3.art.5.num.8.* manet insinuatum. Agendum autem est de ea, æquè ac de reliquis censurarum generibus *objectivè* inspectis, cum quoad conditiones ex parte Subjecti eas proferentis, ut nota earumdem ipsi communicetur, & afficiat, satis videantur, quæ hactenùs expendimus pro *hæretici* denominatione alicui tribuenda, si servata proportione applicentur, illis exceptis, quæ specialem dicunt connexionem cum *hæresi* qua formalitèr tali. Quoniam verò non una est Theologorum mens circa propositionis *erroneæ* constitutivum, & quidditatem, ideò brevitèr explicanda sunt Doctorum placita, & dein seligenda opinio, quæ magis arrideat, utpotè veritati conformior.

ARTICULUS I.

An erronea *dicenda sit propositio, quæ, etsi* hæretica *in se ipsa, vel à Proferente sine* pertinacia *asseratur, vel contraria sit revelatis minùs principalibus, videlicet non propter se, sed in ordine ad alia; vel aliqua careat conditione, ut* hæretica *dici queat?*

1. PRopinquitas, quam nuper diximus intercedere inter propositionem *erroneam*, & *hæreticam*, occasionem præbuit nonnullis Theologis *erroneam* existimandi universalitèr illam propositionem, quæ una, aut altera conditione careat, ut *hæretica* denominetur; vel, si omnes illas habet, aliqua saltem deficit, vel ex parte Subjecti, aut Proferentis, qui pro *hæretico* sit habendus, etiamsi non in alio defectus hujusmodi sistat, quàm in sola *pertinaciæ* carentia ad *hæretici* appellationem penitùs necessariæ ex deductis *cap.4. art.7.* Nec desunt, qui *erroneitatem* desumant ex parte materiæ, ob ipsius levitatem, quatenùs non versatur circa mysteria principalia, quæ fidelibus proponuntur credenda, sed circa minùs principalia, quæ ad principalia quodammodò referuntur, & ad illa ordinantur. Has tamen opiniones unico, ob connexionem, quam ad invicem dicunt, rejiciendas ducimus asserto, firmantes per nullam earum naturam, ac quidditatem propositionis *erroneæ* sufficientèr exprimi, & explicari.

2. Quamvis namque in sacris Canonibus *hæreses* vocentur *errores*, ut (in *cap.* Ex communicavimus *il secundo §. fin. de hæret.*) *Credentes autem eorum erroribus, hæreticos similitèr judicamus*, & *cap.* Accusatus *eod. in 6. §.* cum *verò, qui in una hæresis specie, vel secta commisit, aut in uno fidei articulo, seu Ecclesiæ Sacramento errarit* &c. & §. Ille *quoque* ..... *cùm illum ex approbata à se priùs erroris consequentia non sit dubium id fecisse*, non benè indè inferri potest propositionem *erroneam* intra *hæresis* semitas contineri. Neque enim in præsenti *erroris* nomine intelligenda, vel *falsitas* quælibet, ut idem sonare videatur propositio *erronea*, & propositio *falsa* in tota sua latitudine sumpta, quo sensu Augustinus *in Enchir. ad Laurentium cap.21.* & *contra Academ. cap.4.* *errare* nil aliud esse protulit, quàm vera pro falsis, aut falsa pro veris probare, cujus verba dedimus *cap.2. art.1. num.10.* idemque habet Angelicus *q.7. de malo art.7. in corp.* & *quæst.8. art.1. ad 7.*, vel etiam, & magis propriè *falsitas* in re gravi, ac communitèr recepta, sivè philosophica illa sit, sivè theologica, ex quo nec apud Philosophos *error* censetur, qui asserto alicui, quod pro certo, aut ferè certo omnes sustinent, non opponitur, nec apud Theologos, nullo inter hos, & illos discrimine interveniente, nisi ratione materiæ, in qua *error* est situs, ad philosophiam, vel theologiam spectantis.

3. Sed propositionis *erroneæ* nomine accipi hic debet propositio *erroneitatis* affecta nota, quæ sit censuræ species ab *hæresi*, & aliis quibuslibet distincta, super his, & infrà illam constituta. Novum namque nequaquàm est, ut nomen aliquod genericum cunctis speciebus sub illo contentis competens, specialiùs dein tribuatur particulari alicui speciei.,, Sic (Canus loquitur *lib.12. de loc.usu in schol. disp. cap.11.*) ,, Aristoteles ,, in prædicamentis, dispositionem sejunxit ,, ab habitu, cum tamen dispositio, aliàs ,, habitus ipsius genus sit. Virtus quippè, ,, quàm habitum esse, nemo est qui nesciat, ,, dispositio est perfecti ad optimum. Ac ,, ne plura exempla, quæ sunt propè innu- ,, mera referamus, illud est passim vulgi ,, etiam ore contritum, quo *animalis* vo- ,, cem, cum omnium animantium com- ,, munis sit, interdùm pro his solis acci- ,, piunt, in quibus nihil aliud, quàm vis ani- ,, mantis apparet. A qua consuetudine ne ,, Paulus quidèm abhorruit, cum anima- ,, lem hominem dixit quasi brutum, ex- ,, pertemque rationis.,,

4. Patet autem non hunc esse sensum sacrorum Canonum *num.2.* recensitorum, aliorumque consimilium, in quibus *hæreses* ipsæ indigitantur generica *errorum* contra fidem nomenclatura. Quam ad speciem censuræ determinatam ad intentum præsens perstrinxere Concilia, & Romani Pontifices, & præsertim è Conciliis, Constantiense *sess.8.* damnans 45. *articulos* Joannis Wicleff, quòd prævio debito examine fuerit *repertum, aliquos, & plures ex ipsis fuisse, & esse notoriè hæreticos, & à SS. Patribus reprobatos, alios non catholicos, sed erroneos alios &c.* quæ damnationis forma servata quoque conspicitur *sess.15.* contra 31. *articulos* Joannis Hus, è Romanis verò Pontificibus Pius V. in celebri *Bulla* incip. *Ex omnibus afflictionibus* contra 79. *sententias* Michaelis Baii, *quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas .... hæreticas, erroneas* &c. *præsentium authoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus*, & Alexander VIII. in suo Decreto edito *die 7. Decembris* 1690. quo *unam supra triginta propositiones* statuit, & decrevit tamquam *temerarias, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, & hæreticas respectivè esse damnandas & prohibendas*, sicut eas damnavit, & prohibuit.

5. Clarum idcircò fit non posse propositionem *erroneam* quidditativè constitui per solum alicujus conditionis defectum, vi cujus *hæretica* dici nequeat; sic namque, nullam intercedere discrimen, ut alias censurarum species missas faciam, inter propositiones *hæresim sapientes*, aut *hæresi proximas*, & *erroneas*, quarum quælibet defectum alicujus conditionis involuit, ne *hæretica* denominetur. Quæ ratio majoris roboris erit, & firmitatis, si defectus prædictus contendatur desumi ex parte Subjecti, seu Proferentis propositionem censura dignam; ut enim indicavimus *initio hujus Capitis*, inquirenda hic assumitur natura, & quidditas propositionis *erroneæ objectivè* consideratæ, & propterea non attendendæ Proferentis qualitates, quælibet illæ sint; cum, etiamsi Proferens omninò inculpabilitèr ullam hujusmodi propositionem pronunciet, adhùc propositio *erronea* erit, & quidèm æquè, ac si proferretur *malitiosè*, & cum *pertinacia*; quæ aliàs, sicuti requiritur, ut aliquis sustinens propositionem *hæreticam* dicatur *formalitèr hæreticus*, ita & suo modo, ut aliquis propugnans propositionem *erroneam*, dicatur *erroneus*. Ac idcircò ex parte Subjecti, impertinens est *pertinaciæ* defectus ad distinctionem denominationis *hæretici*, & *erronei*, servata namque proportione, valet tàm ad excusandum aliquem à denominatione *hæretici*, quàm à rigorosa denominatione *erronei*; ex parte verò ipsius propositionis, hæc manet *hæretica* in toto rigore, etiamsi inculpabilitèr proferatur, quia æquè semper opposita Primæ Veritati revelanti, in quo essentiam propositionis *hæreticæ* consistere vidimus *cap.2. art.1. num.* præsertim 11., & eatenùs non potest in aliam speciem propositionis *erroneæ* transire.

6. Quæ cum Prima Veritate revelante oppositio concludit itidem per accidens penitùs se habere, ut propositio verè, & propriè *hæretica* sit, & censeatur, quòd non versetur circa dogmata fidei catholicæ principalia, vel minùs principalia, quæque sint revelata ratione sui, ac *directè*, vel in ordine ad alia, & *indirectè* juxta Angelici phrasim, ac mentem *cap.4. art.7. num.5.* expressam, doctrinamque ex Augustino ponderatam *eodem cap.2. art.1. num.19. cap.3. art.2. num.17.* & *art.3. per totum*, & præsertim *num.4.6. & 7.* validissimum argumentum continentem, quo concluditur Deum non minùs infallibilem esse in minimis, & in magnis, nec minùs fide dignum fuisse cum revelavit Sacrosanctæ Trinitatis, ac Incarnationis mysteria, ac cùm Canonis Scriptoribus dictavit Tobiæ canem caudam movisse, adeòut si quòad hoc aliqua fallibilis suspicio haberi posset, eadem haberetur, & quòad illa mysteria,

steria, cæteraque omnia, quæ Omnipotens Ecclesiæ suæ manifestare est summa benignitate, ac clementia dignatus. Sicuti autem propositio fidei est in toto rigore, quòd canis Tobiæ caudam moverit, & quidèm æquè, ac quòd Trinitas Personarum sit admittenda, quòdque Verbum Divinum humanam assumpserit carnem, ita & *hæresis*, ac propositio rigorosissimè *hæretica* æquè erit, quòd canis Tobiæ caudam non moverit, ac quòd Trinitas Personarum non detur, quòdque Verbum homo factus non fuerit, quia semper æqualis formalitèr injuria habebitur in Primam Veritatem revelantem, si *fallibilitas* in ea supponatur quòad leviora, ac quòad maxima, sivè propter se, sivè propter alia, ea revelaverit. Ad Augustini authoritatem *cit. cap. 3. art. 3. num. 7.* insertam, cui concinit Angelicus 2. 2. *q. 11. art. 2. in corp.* ubi repetita explicatione *directi*, & *indirecti* in fidei materia, circa utrumque docet haberi *hæresim*, æque ac de utroque habetur & fides; *Ad quam* (fidem videlicet) *aliquid pertinet dupliciter, uno modo directè, & principalitèr, alio modo indirectè, & secundariò, sicut ea ex quibus sequitur corruptio alicujus articuli, & circa utraque potest esse hæresis, eo modo, quo & fides.* Quæ aliaque affinia, solidiora, & efficaciora reddentur, si diligentèr perpendantur tradita *cap. 2. art. 5.* ad probandum denominationem propositionis *hæreticæ* non imbibere respectum ad Proferentem, & *art. 8.* ubi quòd nota *hæresis* sit species athoma, non habens sub se plures gradus speciе diversos, abundè firmavimus relatè ad *hunc articulum*, monentes *num. 6.* quòd propositiones *indirectè* oppositæ fidei sint *erroneæ* habendæ, non autem *hæreticæ*, sumpto tamen Tò *indirectè* in alio sensu ab indicato paulo ante ex S. Thoma, pro oppositione videlicet, quam aliqua propositio dicit, *virtualitèr* solummodò, revelatis; nec non & quæ retigimus *cap. 4. art. 6.* ubi ob ignorantiam excusari posse vidimus Proferentes propositiones fidei immediatè repugnantes, ab *hæreticorum* denominatione *formali*, non tamen ipsas propositiones, quæ *hæreses* semper sunt, in toto rigore, si *objectivè* considerentur.

ARTICULUS II.

An propositio erronea *rectè dicatur illa, quæ opponitur articulo explicato ex* implicitè *revelatis?*

1. Propositionem oppositam *implicitè* revelatis *hæreticam* dici debere abundè probatum extat *c. 3. art. 7.* undè fortiùs sequi videtur non *erroneam*, sed *hæreticam* censendam propositionem oppositam *implicitè* revelatis, postquàm ex *implicito* statu ad *explicitum* reducuntur, si verè *explicatio* talis sit, quæ revelationem antea latentem, modo, qui sit fidei proportionatus, patefaciat, ac manifestet. Ad majorem nihilominùs dilucidationem eorum, quæ *ibidem* tradidimus, negativè hic ducimus resolvendam propositam quæstionem. Pro cujus resolutionis intelligentia, ac, ut omnis præcludatur æquivocationis occasio, Angelici doctrinam juvat præmittere, qua *qu. 14. de verit. art. 11. in corp.* quid sit *implicitè*, vel *explicitè* credere tradit dicendo, *quòd implicitum propriè dicitur esse illud, in quo quasi in uno multa continentur; explicitum autem, in quo unumquodque ipsorum in se consideratur; & transferuntur hæc nomina à corporalibus ad spiritualia. Undè quando aliqua multa, virtute continentur in aliquo uno, dicuntur esse in illo implicitè, sicut conclusiones in principiis: Explicitè autem in aliquo continetur, quod in eo actu existit. Undè ille qui cognoscit aliqua principia universalia, habet implicitam cognitionem de omnibus conclusionibus particularibus: qui autem conclusiones actu considerat, dicitur ea explicitè cognoscere: undè & explicitè dicimur aliqua credere, quando eis actu cogitatis adhæremus; implicitè verò, quando adhæremus quibusdam, in quibus sicut in principiis universalibus ista continentur, sicut qui credit fidem Ecclesiæ esse veram, in hoc quasi implicitè credit singula, quæ sub fide Ecclesiæ continentur.*

2. Hæc autem explicatio *impliciti*, ac *expliciti* non omninò in eo procedit sensu, quo, *cit. cap. 3. art. 7.* locuti sumus, & ad præsens conclusionem negativam firmamus. Patet namque quòd si in rigore *fides implicita* versari potest circa ea, quæ in revelatis continentur tamquàm conclusiones in principiis; *hæresi* pariter locus erit quòad propositiones oppositas prædictis conclusionibus, quod tamen repugnaret stabilitis *eodem cap. 3. art. 5.* excludendo ab *hæreticis* propositiones oppositas aliis in Sacra Scriptura in terminis *illativè* æquivalentibus, quas con-

constat *implicitè* contentas esse in aliis revelatis, è quibus ad eas valet illatio, ut patet in vulgari exemplo *ibidem* posito de Christi risibilitate, ad quam ab humanitate fit argumentum; *Christus est homo, ergo est risibilis*, cujus antecedens est fidei objectum, non tamen illatum, estò hoc in illo sit comprehensum tamquàm conclusio in suo principio. Tantùmque abest, ut juxta hanc inspectionem negativam resolutionem sustinere intendamus, quòd potiùs affirmativam pro pugnandam autumemus, ut probabiliorem, ex deductis *dicto art.* 5. & deducendis, cum propriam circa constitutivum propositionis erroneæ aperiemus sententiam.

3. Angelicam proindè doctrinam in ordine ad negativam, quam tuemur resolutionem, accipiendam sumimus, quoties sermo fit de contentis in aliis revelatis, tamquàm conclusionibus in principiis, ex quibus deducatur revelationem afficere non minùs principia, quam ipsas conclusiones. Sicque vim habet exemplum de eo, *qui credit fidem Ecclesiæ esse veram*, eò ipso enim *implicitè credit singula, quæ sub fide Ecclesiæ continentur*. Idem namque cum sit credere *fidem Ecclesiæ esse veram*, ac credere esse vera omnia, quæ Ecclesia credit divinitùs revelata, sequitur quòd qui credit *fidem Ecclesiæ esse veram*, credat & esse vera omnia, & singula, quæ Ecclesia habet pro veris fide divina tenendis. Undè è contra non minùs *in hæresim* incideret, qui negaret *fidem Ecclesiæ esse veram*, ac qui negaret aliquod ab Ecclesia habitum, ut verum fide divina tenendum; hoc solo discrimine, quòd in primo illo casu præsupposita sufficienti authoritatis Ecclesiæ notitia, denominaretur *formalissimè hæreticus*, in secundo verò quousque ignoraret, quòd illud particulare objectum proponitur ab Ecclesia, ut fide divina credendum, non nisi *materiali hæretici* denominatione esset afficiendus. In utroque verò propositio esset *formalissimè hæretica*, quia Primæ Veritati revelanti repugnans, & catenùs non *erronea*, nisi *erroneam* dicere illam velimus sub reduplicatione illationis cohærenter ad tradita *cap.* 3. *art.* 19.

4. Si autem *erronea* non est, dum adhuc ejus opposita perseverat in implicito fidei statu, à fortiori nec erit, cum hæc ad explicitum statum eruitur. Ex hoc namque, nil aliud argui potest, nisi quòd, sicuti propositio *implicitè* revelata, quæ *in se* erat objectum fidei, ad *explicitum* deinde statum reducta, evadet objectum fidei etiam *quoad nos*, ita & propositio, quæ *in se* erat *hæretica*, utpotè, quę revera opponebatur *implicitè revelatis*, fiat & *hæretica quoad nos*, semel patefacta, & manifesta oppositione prædicta, ac repugnantia, quam dicit cum *revelatis*, ut latiùs expendimus *eodem cap.* 3. *art.* 7. ex quo, per transitum prædictum, non natura, aut significatum propositionis immutetur, sed modus eam cognoscendi se tenens ex parte nostri, qui priùs de illa non habebamus sufficientem cognitionem quidditatis illius, quam deinceps virtute explicationis acquirimus. Undè Aquinas *qu.* 14. *cit. de ver. art.* 11. *ad* 2. modum exhibens, quo vitari possint errores circa ea, quæ sunt credenda de fide, respondet dicendum, *quòd ille, qui non credit explicitè omnes articulos, potest omnes errores vitare, quia ex habitu fidei retardatur ne consentiat contrariis articulorum, quos solùm implicitè novit, ut scilicet cum sibi proponuntur quasi insolita, suspecta habeat, & assensum differat, quousque instruatur per eum, cujus est in dubiis fide determinare*, ita indicans, quòd si *consentiret contrariis articulorum, quos solùm implicitè novit*, jam incideret in *errores* contra fidem, & per consequens in *hæreses*, non quidem *formaliter*, quia non cum prævia sufficienti notitia, neque cum pertinacia, sed *materialiter*, per consensum videlicet tendentem in contraria articulis revelatis, *quoad se*, quamvis respectu *sui* non adhuc habeantur, ut talia. Et licèt S. Doctor loquatur non tàm relatè ad *implicitè* revelata, quàm ad *implicitè* alicui nota, quæ tamen ab aliis agnoscuntur Primæ Veritati revelanti innixa; Ratio tamen est eadem, quia eadem in utroque genere *impliciti* habetur vera, & formalis oppositio, ac repugnantia cum revelatis à Deo, per quam præcisè constituitur *hæresis*, non verò propositio *erronea*, nisi hanc cum illa confundere velimus, uti confudisse eas præter alios Eymericum in *directorio Inquisit. par.* 2. *q.* 3. & Turrecrematam *lib.* 4. *sum. de Eccl. p.* 2. *cap.* 11. notat Joannes Antonius Saura in *suo voto Platonis prælud.* 5. meritòque rejicit, cum Theologorum communi.

5. Explicatio autem ab *implicito* statu eruens propositionem *fidei*, aut *hæreticam*, licèt esse possit vel *authentica*, facta videlicet ab Apostolica Sede, quæ est suprema veritatis Magistra, aut ab OEcumenicis Conciliis à Rom. Pontificibus approbatis; vel per SS. Patres, aut Theologos &c. ista tamen varietas non immutat statum propositionis *in se ipsa*, se solummodò respectu nostri, qui per *authenticam* explicationem reddimur fide divina certi, quòd hæc, vel illa propositio sit fidei,

dei, & opposita *hæretica*, non sic verò per alias, de quibus discurrendum diversimodè juxta qualitatem eorum, à quibus instruimur, ad rationum, regularumque tenorem, quas fusè discussimus c.3. præsertim *art.16. 17. &c.* permanente semper propositione *quoad se* in eo statu, in quo erat ante explicationem, à quo nequaquam transit ad *erroneitatem* per hoc, quòd explicantes ipsam non sint infallibiles infallibilitate fidei. Ex quo dumtaxat sequitur, quòd, si Rudes, & Simplices ab Instructoribus decipiantur, ut credant de fide, quòd de fide non est, sed *hæreticum*, non sint *formalitèr hæretici*, non autem quòd non sint *materialitèr* tales, dicente in hunc finem 2.2.q.2.art.6. ad 3. Angelico, *quod Minores non habent fidem implicitam in fide Majorum, nisi quatenùs Majores adhærent doctrinæ divinæ: undè & Apostolus dicit* (1. ad Cor.4. 16.) Imitatores mei estote, sicut, & Ego Christi, *Vnde humana cognitio non fit regula fidei, sed veritas divina, à qua, si aliqui Majorum deficiunt, non præjudicat fidei simplicium, qui eos rectam fidem habere credunt, nisi principalitèr eorum erroribus in particulari adhæreant contra universalis Ecclesiæ fidem, quæ non potest deficere, Domino dicente* (*Lucæ* 22.32.) Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.

6. Verùm instari potest ex Constantiensi Concilio *sess.* 8. propositiones *erroneas* non omninò distingui ab *hæreticis*, sed solummodò à *notoriè hæreticis*, habet namque: *aliquos, & plures ex ipsis fuisse, & esse notoriè hæreticos, alios non Catholicos, sed erroneos, alios &c.* Per hoc autem, quòd aliqua propositio distinguatur à *notoriè hæretica*, necesse non est, quòd simplicitèr distinguatur ab *hæretica*, cum benè possit verificari esse propositionem *hæreticam*, & non esse *notoriè hæreticam*. Ac propterea potest sustineri, quòd propositio *erronea* sit illa, quæ non opponitur *explicitè*, & clarè revelatis, sed *implicitè* talibus, & dein per Doctores explicatis, & ab *implicito* erutis statu. Quin dici valeat, quòd Tò *notoriè* ad omnes subsequentes censuras sit referendum, quòd satis pateat per particulas *aliquos, & plures*, quibus designantur *hæreticæ*, & Tò *alios*, quo exprimuntur aliæ censuræ, adeò disjunctim sermonem fieri, ut Tò *notoriè* non nisi *hæreticis* valeat applicari. Attamen nullius roboris esse hujusmodi instantiam, ex eo deducitur, quòd in aliis Pontificiis diplomatibus contra propositiones consimiles editis non reperiatur Tò *notoriè*, non obstante quòd de *hæreticis*, ac *erroneis* fit mentio, tamquàm de distinctis censurarum speciebus, uti conspicimus in *Bulla* contra Bajum, & *decreto* Alexandri VIII. indicatis *art. præc. num.4.*

7. Additum eatenùs *hæreticis* Tò *notoriè* censet Lorca *disp.39. num.4.* apud Cardinalem De Lugo *disp.20. de virt. fid. div. sect.3. num.* 64. quia *hæresis* non potest esse, nisi sit *notoria*, & manifesta, & proindè eamdem particulam, non additam *erroneis*, quia *error* esse potest *notoriè*, & non *notoriè*. Meritò tamen rejicitur à laudato Cardinali, ex quo, si de ratione intrinseca omnis *hæresis* esset *notorietas*, frustranea redderetur additio dictæ particulæ, sine qua, jam per *hæreses* intelligerentur *notoriè* tales, quod non videtur dicendum, attento præsertim, quòd in communiori usu loquendi aliquid plus significare volumus dicendo, hanc, aut illam propositionem esse *notoriè* falsam, quàm si dicamus simplicitèr esse falsam. Ex duplici eatenùs motivo censet de Lugo additam particulam *notoriè*, videlicet ad significandum primò, quòd *hæreses* Witcleph nulla poterant tergiversatione excusari. Secundò, quòd de illis nullum esset apud Doctores dubium, an essent *hæreticæ*, nec ne? sicut in plerisque aliis propositionibus contingere plerumque solet, quòd ab aliquibus existimantur *hæreticæ*, ab aliis verò *hæreticas* eas esse negetur, sicque pariter discurrit Ferrè *tract.2. de oppositis fidei q.16.§.2.*

8. Addi, & contra Lorcam potest tenor, quo Pius V. damnavit propositiones Bajanas, præmittens: *quamquàm nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*, quæ non minùs referendæ videntur ad aliquam ex propositionibus, quas damnare intendit tamquàm *hæreticas*, quàm ad cæteras proscribendas, ut *erroneas suspectas* &c. quod non leve est signum, nullam adesse repugnantiam in hoc, quòd propositio aliqua *hæretica* sit *in rigore & proprio verborum sensu*, ac quòd *aliquo pacto sustineri possit*, & idcircò non sit *notoriè hæretica*; ut de Bajanis indicatis observavit laudatus Ferrè *num.9.* quem concludit: „ Propositiones ergo damnatæ contra Witcleph sic ex terminis suis *hæresim* significabant, quòd eas proferentes celare, vel occultare non poterant se *hæreses* proferre, & ideò Concilium dùm eas damnat dicit esse *notoriè, & manifestè hæreses*; quod forsan non accidit in propositionibus Baji, quæ dictæ sunt *hæreses*, non quia *clarè* & *distinctè hæresim* proferrent, sed quia deprehensus est Bajus se eas in sensu *hæretico* protulisse„ & *num.10.* „ quæ Baji propositiones, ut *hæreticæ* damnatæ sunt, non quia ex vi terminorum *hæresim* dicerent

rent

„ rent *manifestam*, sed quia, præmissa dili-
„ gentia debita inventum estBajum voluis-
„ se per eam *hæresim* dicere. „

9. Non omittens *num.*11.animadvertere quòd posterior insinuata explicatio adaptari non debeat „ propositioni, quæ absolutè „ damnatur, ut *hæretica*; nam postquàm „ Concilia determinant aliquam propositionem absolutè esse *hæreticam*,non potest „ haberi opinio probabilis de eo,quòd non „ sit *hæretica*,sicuti neque quando determinat aliquid esse absolutè de fide, potest „ dari opinio probabilis de eo, quòd non „ sit de fide; sed tantùm adaptari potest illi „ propositioni, quæ dicitur *hæretica* oppositivè & distinctivè ad eam, quæ dicitur „ *notoriè*, & *manifestè hæretica*. Undè hanc „ doctrinam non do pro omni propositio„ ne, quæ solùm dicitur *hæretica*, sine illo „ addito *notoriè*,vel *manifestè*,sed do tantùm „ pro aliqua, nempè pro illa, quæ solùm „ *probabilitèr hæretica* est,de qua dico, quòd „ possit dici *hæretica*, non autem posse dici „ *manifestè*, seu *notoriè hæreticam*. Undè „ quamvis Bulla Pii,& Gregorii de propositionibus aliquibusBaji solùm protulerit „ esse *hæreticas*, estò non addiderit illam „ particulam *notoriè* seù *manifestè*, non tamen crediderim, posse haberi opinio„ nem probabilem de eo, quòd tales pro„ positiones *hæreticæ* non sint,quia dum de„ terminant Pontifices absolutè esse *hæreticas* tollunt facultatem opinandi oppositum „ Immò & declarant nec ante damnationem fuisse verè probabiles, sed ad summum potuisse existimari probabiles, probabilitate videlicet apparenti respectu intellectus non adhuc certi veneni in ipsis latentis. Cum enim ex *num.*1. relatè ad *c.*3. *act.*7.ac ex insinuatis *eod.cap.art.*5.*num.*21.relatè itidem ad *cap.* 2. *art.* 1. Pontificia, aut Conciliaris definitiva declaratio nil aliud importet, quàm quòd *hæretica* à fidelibus tenenda sit aliqua propositio, quæ licèt talis *in se* priùs esset, non tamen adhuc agnoscebatur, ut talis; sequitur, quòd quæcumque probabilitas ipsi favens, vera probabilitas non erat, sed apparens, cum vera probabilitas consistere nequeat contra divinitùs revelata, quantumvis revelatio supponatur occulta, de ea, non minùs, ac de clara & patenti locum habente Angelici 1.*p.q.*1.*art.* 8. *cap.* ratione: *Cum enim fides infallibili Veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium,manifestum est probationes, quæ contra fidem inducuntur,non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.* Quod clariùs expressit Concilium Lateranense V. sub Leone X. *sess.*8. damnans opinionem eorum, qui *temerè* asserebant *secundùm saltem Philosophiam* Animam hominis dici posse *mortalem*, ac *unicam* in cunctis hominibus, ex quo *verum, vero minimè contradicat*.

10. Nisi dicere velimus probabilitatem, quæcumque sit, involvere semper respectum ad intellectum nostrum, nec designare objectum, quòd attentis his, aut illis motivis prudentèr censeri queat,ita illud in se esse. Quo sensu, qui magis videtur proprius, verificari posset, quòd antequàm declaretur *hæretica* aliqua propositio,fuerit verè probabilis, ut *cap.*7. acturi an propositio probabilis sit theologicè censurabilis? latiùs ostendemus, præsentem interim *articulum* concludentes, inanem omninò esse recursum ad oppositionem revelatis *implicitè*,&à Theologis ab *implicito* statu erutis, ut propositio *erronea* dicenda veniat, cum ex dictis *hæretica* prorsùs sit *quoad se*, si revera dictam oppositionem involvat, estò *quoàd nos* talis dici nequeat, donec de eadem oppositione sufficientem habeamus notitiam. Undè Bannez relatus à Saura *in voto Platonis prælud.*5.postquàm dixerat gradum *erroneæ* propositionis adeò esse *hæresi* proximum, ut interdùm etiam *hæresis* dici possit, rectè dein assertum hoc est moderatus, „ sed „ nihilominùs revera, sicut ipsa conclusio „ est alia species veritatis distincta à verita„ te fidei: ita oppositum conclusionis est „ alia species erroris, quàm oppositum fi„ dei, sicut ipsa Theologia distinguitur „ specie à fide. „

ARTICULUS III.

An propositio erronea rectè constituatur per oppositionem revelatis demonstrabilibus? aut Veritatibus in Ecclesia communitèr receptis, quamvis expressè non revelatis, nec definitis, ut fide divina tenendis? aut Veritatibus probabilitèr solùm existimatis de fide?

1. Inter fidei mysteria, aliqua reperiri, quæ simul esse possunt objectum scientiæ; alia, quæ nullatenùs demonstrari valent, vertere nequit in dubium, qui solùm SS. Trinitatis mysterium inspiciet, in quo Unitas Dei ratione naturali evidentèr evincitur; Trinitas verò Personarum, absque ullo, vel minimo Unitatis præjudicio, quem-

quemlibet creati intellectus superat captum, & proindè à Primæ Veritatis revelantis testimonio necessariò dependet, ut ipsi infallibilem præbere possimus assensum. Ex hac autem objectorum, aut mysteriorum diversitate, Alphonsus à Castro *de just. hæret. punit. cap.3.* desumendam censet differentiam, quæ intercedit inter propositiones *hæreticas*, & *erroneas*, illas esse autumans, quæ opponuntur propositionibus mysteria primi generis explicantibus, cujusmodi est: *Deus non est Unus*, has verò, quæ repugnant propositionibus exprimentibus mysteria alterius generis, qualis esset: *Deus non est Trinus*. Sed hunc Authorem aliàs doctissimum, meique Ordinis sidus fulgentissimum, in hoc *apertè falli* non immeritò pronunciavit Jo. Antonius Saura *in suo Voto Platonis prælud.5.* quòd negari nullatenùs queat, omnes propositiones indicatas esse verè, & formalissimè *hæreticas*, ac ut tales eas habent Cardinalis De Lugo *disp.20. de virt. fid. div. sect.3. num.75.* Dominicus à *SS. Trinitate lib.2. Bibl. theol. sect.7. cap.2.* & ferè nemine dempto cæteri Theologi.

2. Quicquid namque sit de quæstione illa, quæ exagitari solet à Scholasticis, an de eodem objecto secundùm idem possit simul haberi scientia, & fides? innegabile prorsùs est, quòd objectum quodlibet quantumvis demonstrabile, majorem accipiat firmitatem à Prima Veritate illud revelante, ea, quam vi naturalis demonstrationis potest acquirere; ex quo provenire, quòd oppositio omnium maxima habeatur inter propositiones fidei, & *hæreticas*, vidimus *cap.2.art.7.* Ad quem firmitatis excessum elevatum verè fidei objectum dicitur, quod priùs scitum ex natura sua non erat summo adhùc stabilitatis gradu consistens. Quo motivo ductus *2.2.q.2.art.4.* Angelicus *conclusionem* statuit, quòd nedùm, *ut citiùs, sed & ut firmiùs Dei notitiam homines assequerentur, necessarium fuit homini non solùm suscipere per fidem ea, quæ supra rationem naturalem sunt, sed ea, quæ naturali lumine investigari possunt*; id probans, quia: *Ratio humana in rebus divinis est multùm deficiens. Cujus signum est, quia Philosophi de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes in multis erraverunt, & sibi ipsis contraria senserunt. Ut ergo esset indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit, quòd divina eis per modum fidei traderentur, quasi à Deo dicta, qui mentiri non potest*.

3. Si autem verum fidei objectum in rigore secundùm se est, quòd aliàs est demonstrabile, verè quoque *hæret cum* esse debet, quòd ipsi repugnat, ob oppositionem quam imbibit in ordine ad Primam Veritatem revelantem, in qua est sita *hæresis* quidditas. Omnique carens fundamento penitùs ex ipsis ferè terminis apparet, quod demonstrabilitas alicujus objecti, quæ potius, ut ita dicam, augere deberet malitiam propositioni ei repugnantis, illam habeat imminuere, reducendo ad *erroneitatem*, quæ aliàs esset in toto rigore *hæretica*. Inspiciendum planè est ex parte Subjecti proferentis aliquam ex hujusmodi propositionibus, an sufficiens in eo adsit notitia divini testimonii de objecto illo, cui contradicit, ut indè eruatur, an *hæreticus formalitèr* valeat denominari? Sed quòad propositionem pronunciatam in se ipsa consideratam pertinet, si semel contraria ea est alteri, quæ sit Primæ Veritatis revelantis testimonio innixa, nil aliud requiritur, ut sicut hæc est rigorosissimè propositio fidei, ita & illa sit simplicitèr, & absque ulla restrictione *hæretica*, dummodò semper cæteræ conditiones concurrant, quæ propositionem *hæreticam* à cæteris propositionibus ad alias infidelitatis species spectantibus distinguant.

4. Nec in contrarium afferatur Angelicus *1.p.q.2.art.2.ad.1.* asserens, *quòd Deum esse, & alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur (Rom.1.) non sunt articuli fidei; sed præambula ad articulos. Sic enim fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & ut perfectio perfectibile*: & *2.2.q.1.art.8.ad.1.* objecto, quo probabatur, Unitatem Dei non esse articulum fidei, quia eam Philosophus (*12. Metaph.*) *probat, & multi alii Philosophi ad hoc demonstrationes induxerunt*, respondet, *quòd multa per fidem tenemus de Deo, quæ naturali ratione investigare Philosophi non potuerunt, puta circa Providentiam ejus, & omnipotentiam, & quòd ipse solus sit colendus, quæ omnia continentur sub articulo Unitatis Dei*. Si enim ex hoc quidpiam inferri deberet, non certè aliud, quàm quòd propositio opposita prædictis veritatibus, non sit *hæretica*, non autem, quòd sit *erronea* erroneitate theologicâ, de qua loquimur; sed de ea discurrendum, sicut de quibuslibet propositionibus, quæ scientificis, ac demonstrativè cognitis ad versantur. Sed neque dicta illatio sequitur, nam S. Doctor loquitur de fidei articulis relatè ad Credentes, respectu quorum, retinere non possunt rationem fidei, dum eorumdem obscuritas, quæ esset essentialis, hujus virtutis actibus supponeretur ablata

per evidentiam demonstrationis, quæ proindè dicitur præambula ad fidem. Non autem asserit, quòd secundùm se, & relatè solùm ad Primam Dei Veritatem eas revelantem, non sint fidei articuli, aut saltèm (ne hic instituatur quæstio ad præsens intentum frustranea) fidei objecta; aliàs neque respectu Rudium, & Simplicium possent talia æstimari; cum tamen Aquinas subdat (1. p. cit.) *nihil tamen prohibet illud, quod secundùm se est demonstrabile, & scibile, ab aliquo accipi, ut credibile, qui demonstrationem non capit*; vel ad eam in aliis distractus minimè advertit.

5. Quòd expressiùs *qu. 14. de verit. art. 9. in fine corp.* tradit; *Sciendum autem, quòd aliquid est credibile dupliciter, uno modo simpliciter, quod scilicet excedit facultatem omnium hominum in statu viæ existentium, sicut Deum esse Trinum, & hujusmodi; & de his est impossibile ab aliquo homine scientiam haberi, sed quilibet fidelis assentit hujusmodi propter Testimonium Dei, cui hæc sunt præsto, & cognita. Aliquid verò est credibile, non simpliciter, sed respectu alicujus, quod quidem non excedit facultatem omnium hominum, sed aliquorum tantùm, sicut ea, quæ de Deo demonstrativè sciri possunt, ut Deum esse Unum, Incorporeum, & hujusmodi, & de his nihil prohibet, quin sint ab aliquibus scita, qui horum habent demonstrationes, & ab aliquibus credita, qui horum demonstrationes non perceperunt*. Hoc autem totum sufficit, ut propositio opposita alicui ex veritatibus prædictis, sit objectivè *heretica*. Quinimmò, & talis est reputanda relatè ad Proferentem, adeout ipsum *hereticum formalitèr* denominet, etiam dato, quòd prædictus ille sit scientifica notitia veritatis, cui pronunciata propositio opponitur, si aliàs in eo supponatur cognitio sufficiens revelationis, & nihilominùs revelatæ veritati contraria tueri paratus esset, ob animi *pertinaciam*, qua vellet dissentire rei revelatæ, si ad dissensum impeditus non esset ab evidentia naturalis demonstrationis, quam habet de ea.

6. Similitèr probabiliùs censemus, rejiciendam esse, (nisi limitetur, ut infra) opinionem eorum, qui autumant *erroneam* propositionem esse, quæ opponitur alicui catholicæ doctrinæ communi Ecclesiæ consensu adeò receptæ, ut quamvis non sit expresse definita, nullus nihilominùs pius, & doctus de ea hæsitare præsumit. Quam aliàs probabilem censet Suarez *disp. 19. de infid. apost. seu heret. &c. sect. 2. num. 13.* duobus illam explicans exemplis, quorum alterum formatur ex propositione, qua, quis negaret *Deiparam resurrexisse, seu in corpore, & Anima esse assumptam*, nam contraria veritas non invenitur expressè revelata, aut definita, cum tamen sit sufficientèr catholica, & idcircò dicta propositio non inter *hereticas*, sed inter *erroneas* videtur numeranda. Aliam ex hac altera propositione: *B. Virgo aliquando peccavit venialitèr*, quæ ante Concilium Tridentinum non erat, nisi *erronea*, ex quo adhùc veritas opposita non erat definita de fide, cùm tamen haberetur tamquàm veritas catholica, quod satis est ad *erroneitatem* tribuendam contrariæ. Quibus non obstantibus Cardinalis de Lugo *disp. 20. de virt. fid. div. sect. 3. num. 76.* etsi contra Hurtadum confundentem doctrinam *fidei* cum *catholica*, distinctionem inter eas admittat, ex quo Tò *Catholicam*, solam universalitatem doctrinæ importet, quæ haberi potest, quin doctrina sit divinitus immediatè revelata; non ideò indè illationem admittit, quòd opposita propositio veritati *catholicæ* sit *erronea*, cum æquè esse queat *temeraria*, *scandalosa* &c. quæ censuræ paritèr indicant, quòd veritates, quibus adversantur, ab omnibus admittantur, & proindè ea universalitate gaudeant, qua denominandæ veniunt *catholicæ*. Ac propterea reflectens *errorem*, propositionemque *erroneam* in præsenti materia, quid ampliùs in rigore importare, quàm, quòd imbibat repugnantiam doctrinæ à cunctis Catholicis propugnatæ, quæ tamen fidei *immediatè* aut *mediatè* non sit; ad distinctionem specificam censuræ *erroneitatis* ab aliis, *temeritatis*, *scandali* &c. præfatæ opinionis Doctores explicandos putat, de propositione, quæ adversatur „ doctrinæ apud omnes Catholicos com„ muni sensu indubitantèr receptæ, qui „ nempè ideò de ea dubitare non audent, „ quia vident valdè connexam cum do„ ctrina fidei, Error enim in fide opponi „ debet aliquo modo cum ipsa fide, quate„ nùs saltem neget aliquid, quod propter „ connexionem cum fide, nemo negare „ audet. Quando verò communis ille con„ sensus fidelium aliundè oritur, & non ex „ connexione rei illius cum principiis fi„ dei, non videtur propriè *erronea* doctrina, „ quæ rem illam negat, sed aliam censu„ ram habebit.

7. Hanc autem limitationem, aliamque consimilem excepimus & nos in asserto, quod propugnamus, dum juxta eam Doctores opinionis relatæ non dissentiant ab aliis, quos sequi profitebimur, cum propriam aperiemus sententiam. Ea verò præcisa,

cisa, Cardinalis argumentum efficax est, ut vi ipsius à recensita *erroneę* propositionis explicatione recedamus, ne indè confusio oriatur cum aliis censuris ab *erronea* specificè diversis. Non tamen omninò opinionem prædictam rejiciendam ducimus, sed potiùs benignè, ut supra, interpretandam, quia existimamus innixam eam esse Constantiensi Concilio, quod (*cit. sess.* 8.) erroneos Wicleph *articulos* explicat particulis illis, *alii non catholici, sed erronei*, quibus importari videtur *erroneum* confundi cum *non catholico*. Quod, cum verificari nequeat de *non catholico*, quatenùs hæc denominatio communis sit reliquis propositionibus censura dignis, *temerariis, scandalosis* &c. necesse est, ut sub aliqua limitatione sumatur, per quam propria eadem denominatio reddatur propositionis *erroneę*. Eòque fortiùs, quòd Concilium non habet *non catholici, seu erronei*, sed *non catholici, sed erronei*, per adverbium *sed* innuens non omninodam identitatem se velle significare inter *non catholicum*, & *erroneum*, sumpto Tò *non catholicum* in tota sua latitudine. Nisi quoque dicere placeat, quòd, sicuti Concilium de censura *hęresis* loquens, particulam *notoriè* non apposuit, ut differentiam traderet *heresis* ab aliis censuris, ut tetigimus *art. prec. num.* 6.7. sed ad exprimendam qualitatem in particulari *heresum* Wicleph; ita & apponens *non catholici* minimè intenderit designare prædicatum, quod se solo differentiale esset à cæteris censuris, sed quod tale esset conjunctum, & connexum cum sequentibus particulis, *sed erronei*, qua connexione attenta, specialius quid est in *erroneis* propositionibus, per quod, hæ majori quadam cum proprietate, quàm reliquæ aliis censuris inustæ, denominari valeant *non catholicę*.

8. *Erroneę* idcircò censentur propositiones in B. Virginem efformatæ *num. prec.* non præcisè quia sunt *non catholicę*, latè hoc sumpto vocabulo, sed quia tales communitèr habentur ex speciali difformitate, quam important, mediatamque oppositionem cum fide; quicquid in contrarium senserit Cardinalis Brancatus *disp.* 16. *de Pref. ac Doctr. de hær. susp. art.* 2. §. 1. *n.* 35. gratis omninò assumens non *erroneos* sed *temerarios* dumtaxat habendos, qui ante Tridentinum negassent immunitatem B. V. à venialibus, quique ad præsens dissentirent ejusdem Assumptioni. Ut enim *ibidem* advertit De Lugo, ex eo, quòd B. Virgo fuerit vera Mater Dei, quod est certissimum fidei mysterium, sequitur illam non fuisse umquam peccati actualis ream, quod in Dei Matre maximam indecentiam haberet: *Non fuisset*, (ait Angelicus 3. *p. q.* 27. *art.* 4. *in corp.*) *idonea Mater Dei, si peccasset aliquando: tùm quia honor Parentum redundat in Prolem, secundùm illud.* (*Prov.* 17.6.) Gloria Filiorum Patres eorum; unde *& per oppositum ignominia Matris ad Filium redundasset. Tùm etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit; dicitur autem* (2. *ad Cor.* 6.15.) Quæ conventio Christi ad Belial? *Tùm etiam quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei Sapientia, in ipsa habitavit, non solùm in Anima, sed etiam in Utero; dicitur autem* (*Sap.* 1.4.) In malevolam Animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. *Et ideò simpliciter fatendum est, quòd B. Virgo nullum peccatum actuale commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic in ea impleatur, quod dicitur.* (*Cant.* 4.7.) Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in Te.

9. Erronea igitur meritò ante Tridentinum, (seu fortè veriùs ante Claramontanum sub Urbano II. ut refert Vega *lib.* 14. *in Trid. cap.* 18., post quod, Tridentini Patres non tàm directè id definierunt *sess.* 6. *de justif. can.* 23., quàm definitum supposuere, dum declarantes *neminem posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare*, exceptam declararunt B. V. verbis illis præhabitum Ecclesiæ sensum præseferentibus: *Nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodùm de B. Virgine tenet Ecclesia.*) habebatur, propositio, qua Deipara peccato veniali obnoxia redderetur, ob oppositionem mediatam cum fidei mysterio divinæ ipsius Maternitatis, cum qua adeò connexum erat immunitatis ab omni peccato privilegium, ut in eo contineretur *implicitè* revelatum; licèt quòad Nos non adhùc fide divina credendum esset, quòd *implicita* hujusmodi inclusio ante prædictorum Conciliorum tempus per expressam, & infallibilem definitionem non innotesceret. Ex quo obitèr advertere liceat, quanto cum fundamento Subtilis Magister eadem argumenta extenderit ad evincendam ejusdem Deiparæ immunitatem à qualibet originaria labe, quantaque soliditate, excelsum, præclarumque *Mariani Doctoris* nomen indè fuerit adeptus. Eædem paritèr rationes applicandæ, & alteri propositioni, circa Virginis resurrectionem, assumptionemque in Cœlum in Anima, & Corpore; de qua pari modo discurrunt Theologi ex Maternitate divina inferentes assumptionem prædictam,

Damasceno duce (*orat. de Dormit. B. M. V.*) *Ut autem Dei Viventis Mater, ad illum ipsum digne assumitur ...., quomodò corruptio invaderet corpus illud, in quo Vita suscepta est?* Subdit tamen hic De Lugo, quòd, cùm non adeò aperta connexio appareat inter hujusmodi prærogativam, & divinam Maternitatem, ac est inter supremam hanc dignitatem, & privilegium immunitatis à culpa, non ita clarè, & evidentèr constat propositionem negantem Virginem talitèr in cœlum assumptam, esse *erroneam*, æquè, ac antequam expressè definiretur ipsius immunitas ab omni culpa, erat propositio, eam adstruens labe, vel minima peccati actualis infectam. Circa quam tamen observationem *num.* 9. redibit sermo, ex ea interim inferentes, nullo solido fretum motivo, Catharinum *lib.* 4. *contra Cajetanum, & in opusc. de Conceptione* existimasse fidei objectum esse *B. Virginis assumptionem*, dum revera neque sit ab Ecclesia definita, neque appareat testimonium Scripturæ, aut sufficiens Traditio, quæ divinam, ac infallibilem de ea facere valeat fidem.

10. Sicut autem ex incertitudine prædicta non sequitur, quòd propositio præfata *erronea* absolutè non sit, sed tantùm quòd non sit certò, sed *probabilissimè erronea*; Ita & paritate rationis, quotiès incertum est, an aliqua propositio sit revelatis opposita? non inde sequi potest, quòd propositio absolutè *hæretica* dici nequeat, si objectivè consideretur, sed solùm, quòd non sit certò, sed *probabilitèr* talis; & ideò neque constitui potest *erronea* per hoc, quòd aliqua propositio non *certam*, sed *probabilem* dicat oppositionem cum revelata. Attento præsertim quòd, ut notavimus *art.* 2. *num.* 10. *hujus cap. probabilitas* in rigore non sit aliquod se tenens ex parte propositionis objectivè consideratæ, sed potiùs ex parte intellectus nostri, magis, vel minùs perspicientis intrinsecas rerum naturas. Cum aliàs, sicuti revelatio in se, vel existit simplicitèr, vel simplicitèr non existit; ita & propositio, vel est opposita revelationi, vel non & consequenter, vel *hæretica* absolutè, vel non *hæretica*, ac eatenùs per hoc præcisè, nulla ratione *erronea*, nisi aliquod aliud consideretur motivum à præfata *probabilitate* diversum. Qua tamen *probabilitate* perseverante, an, & quomodò, qui verè sustinet *probabilitèr*, aut saltem *probabiliùs*, de aliquo objecto adesse revelationem, possit nihilominùs actum fidei de eo elicere, vel *hæresis* nota dignus effici valeat dissentiendo ab objectis, quæ *probabiliùs* habet pro divinitùs manifestatis, abundè discussum manet *cap.* 3. *art.* 21.

11. Contra prædicta, & præsertim in favorem sententiæ propositionem *erroneam* constituentis per oppositionem ad doctrinam catholicam, est inter Recentiores Ferrè *tract.* 2. *de oppositis fidei qu.* 15. §. 4. ubi in primis De Lugo impugnat, quòd diversimodè discurrat de propositione negante *Virginis assumptionem*, ac de affirmante *B. Virginem venialiter peccasse*, etiam si hæc inspiciatur præcisa definitione Tridentini, &, ac si ante Tridentinum prolata fuisset. Idque quia modò hæc propositio *B. Virgo in corpore, & Anima est assumpta* non est in certitudine inferior ista, quæ ante habitam de ea definitionem proferretur, *B. Virgo nunquàm venialitèr peccavit*; & proindè, vel utraque *certò erronea*, vel neutra. Neque enim posterior certa erat, vel quia immediatè esset revelata, vel quia ex una de fide, & altera evidentèr nota inferretur; sed tantùm, quia piè credebatur à Fidelibus indecens habentibus, quòd illa, quæ erat electa in Dei Matrem, aliquandò actualitèr peccaret, quo modo etiam indecens nunc à Fidelibus habetur, quòd caro illa, ex qua Christi assumpta est caro, & quæ aliquo modo cum Christi carne identitatem habuit, in pulverem sit redacta, & non habuerit privilegium resurrectionis privatæ, sed debuerit expectare diem resurrectionis communis. Quin obstet, quòd immunitas à peccato veniali etiam ante Tridentinum fuerit *implicitè* revelata, aliàs nec per Tridentinum potuisset ut fidei objectum definiri, ex traditis *cap.* 3. *art.* 5. *num.* 21. Etsi namque id verum esset, „ non tamen de hoc „ constabat; nec etiam ex una de fide, & „ altera evidentèr nota deducebatur, sed „ tantùm illa propositio piè credebatur à „ Fidelibus, quia indecens erat asserere, „ quòd Dei Mater aliquando actualitèr „ peccaverit; ac modo est piè credita ista: „ *Maria in corpore, & Anima assumpta est*, „ quia indecens, & valdè incongruum est „ asserere, quòd caro illa, quæ vitam parturiit, & in partu corruptionem nescivit, „ per mortem, communem corruptionem „ fuerit passa, & expectaverit, sicut aliæ „ animæ, communem corporum resurrectionem: ergo saltèm quoad nos, ejusdem certitudinis modo est ista: *B. Virgo* „ *in Corpore, & Anima assumpta est*, ac fuit „ illa, *B. Virgo nunquàm actualiter peccavit* „ ante Tridentinum.

12. Transit dein hic Author ad sententiam

tiam indicatam explicandam, per *doctrinam catholicam* intelligens „ illam, quam, ut ve„ ram tradit communis, & universalis sen„ sus Catholicorum Theologorum „ subdens hunc dari posse primò de eo, quòd aliqua propositio in Sacris Literis, vel Traditionibus contineatur, &, si hoc non adhùc fuerit Ecclesiæ revelatum, & ab ea consequentèr non definitum, tunc dicta propositio secundùm doctrinam catholicam dicetur in sacris Paginis, aut Traditionibus contenta, & propterea propositio opposita *erronea* erit, utpotè repugnans alteri, quam universalitèr docent Theologi in Sacra Scriptura, aut Traditionibus comprehendi. Quod vulgari illo confirmat exemplo propositionis; *Christus non est risibilis*, quam omnes Theologi habent tamquàm *erroneam*, & tamen usque modò non declaravit Ecclesia, quòd prædicta propositio involvatur sub hac alia divinitus revelata; *Christus est homo*, sed hujusmodi inclusio, ac continentia habetur ex communi consensu Theologorum communitèr propositionem illam; *Christus est homo* intelligentium de homine perfecto cum suis passionibus, aut proprietatibus præsertim essentialibus, inter quas proculdubio est risibilitas. „ Undè qui negaret *Christum esse* „ *risivum*, non esset *hæreticus*, quia non ne„ garet propositionem contentam in Scri„ ptura sacra juxta sensum Ecclesiæ hoc „ definientis, & declarantis, sed tantùm „ juxta commune placitum Catholico„ rum Doctorum „ Secundò potest sensus communis Theologorum haberi quoad aliquam veritatem theologicam, in qua cuncti unanimitèr conspirant, non quia judicent illam præcontineri in Scriptura, vel Traditionibus, sed quia judicant sic fidei consonam, & decentem, quòd asseverare oppositum censeant dissonum fidei, ac penitùs indecens, & hujus generis esse, subnectit propositionem negantem *B. Virginem assumptam fuisse in Anima, & corpore*, quæ tamquàm *erronea* explodi debet, quòd repugnet alteri *B. Virgo est assumpta in Anima, & corpore* connexæ cum divina Virginis Maternitate, non quidèm connexione necessitatis, sed connexione idoneitatis, & decentiæ, in quam omnes concordes conspirant Theologi.

13. Huic tamen celebris Thomistæ discursui non omninò possumus acquiescere, ipsiusque pleniorem solutionem *art. seq.* dabimus, contenti interim Cardinalem vindicare, non adeò solidè, ni fallimur, impugnatum; cui impingit, quòd asserat propositionem negantem *Virginis assumptionem in corpore, & Anima* non esse *propriè erroneam*, cum, diversum quid sit, non esse *propriè erroneam* aliquam propositionem, & *non clarè* constare, *quòd sit propriè, & rigorosè erronea*, hocque à Cardinali docetur, non illud. Nec video, quomodò negari queat à Ferrè contendente, quòd propositio prædictæ opposita *B. Virgo in corpore, & Anima est assumpta*, non sit *inferior in certitudine*, ista, quæ, ante definitionem in contrarium habitam, proferretur: *B. Virgo nunquàm venialiter peccavit*. Quamvis namque utraque titulo congruentiæ, & decentiæ ex divina eruatur Maternitate, non indè sequitur, quòd illatio in utroque casu eodem vigeat certitudinis gradu. Dedecentia siquidem conjunctionis peccati cum divina Maternitate est in linea moris, cùm tamen indecentia conjunctionis corruptionis corporis cum eadem divina Maternitate extet in linea physica, quæ cum longè sit minoris ponderis, non mirum, si repugnantia ipsius ea non gaudeat certitudine, quam imbibit repugnantia connexionis cum peccato veniali, quæ utpotè in materia moris est gravioris momenti.

14. Hinc in ipsomet Christo, etsò repugnantia summa adsit, ut cum unione hypostatica conjungatur peccatum, aut peccabilitas, quæ in Schola Thomistica est metaphysica, non tamen ejus generis est altera inter eamdem unionem hypostaticam Verbi cum corpore quantumvis mortuo, ad notissimum illud effatum, *quòd semel assumpsit nunquàm dimisit*, & ejusdem corporis corruptionem; quæ, tantùm abest, ut metaphysica dici valeat, quòd potiùs præservatio ab ea, sit habenda miraculosa, dicente *3. p. q. 51. art. 3. ad 2.* Angelico, quòd *Corpus Christi quantùm ad conditionem naturæ passibilis, putrefactibile fuit; licèt, non quantùm ad meritum putrefactionis, quod est peccatum. Sed virtus divina corpus Christi à putrefactione præservavit, sicut & resuscitavit à morte*. Si autem hinc liceat analogica quadam proportione ratiocinari, quis non videat divinæ Maternitatis privilegium, quæ totam suam excellentiam, & dignitatem desumit ex unione hypostatica Verbi cum humanitate, potiori jure exposcere connexionem cum immunitate à labe peccati, quàm à corporis incineratione? Utraque certè Immunitas Maternitati divinæ conveniens, utraque decentissima, sed non utraque eodem certitudinis gradu, quasi quòd, si Virgo non fuisset ab hac præserva-

servata, eadem ratione præservata nec fuisset ab altera.

15. Quòd si à divinæ Maternitatis qualitatibus, & prærogativis velimus transitum facere ad Theologorum consensum prædictam convenientiam unanimitèr comprobantium, nec eos inveniemus loqui eadem firmitate, & consensu, de immunitate Virginis à labe peccati, & à carnis corruptione, ex divina Maternitate inferendis. Primam namque etiam ante definitionem Ecclesiæ omnes tuebantur tamquàm theologicè certam, unico excepto Gregorio, qui *in 2.dist.3.quæst.2.art.1.* ausus est dicere Deiparam venialitèr interdùm peccasse, ne illam fateretur fuisse à peccato originali immunem, quòd juxta Augustini regulam, nullus adsit in peccato originali conceptus, qui non aliquando venialitèr peccaverit, cum longè solidiùs vi hujus regulæ, ex immunitate peccati venialis ab omnibus in Virgine admissa, inferre debebat & præservatiònem ab originali. Hujusmodi autem communis assensus certitudinem minimè eodem gradu consistentem conspicimus quoad immunitatem Virginis à corporis incineratione. Author enim *libri de assumpt.* nomine Hieronymi eam *dubiam* relinquere visus est, quamquàm ita *piè* posse existimari non neget. *Formidolosè* de ea paritèr locutus est Augustinus, vel quicumque sit Author *lib. de assumpt. tom.9. ejus* operum inserti, & *Serm.34.de Sanctis.* Abulensis itidem *quæst.230. in c.22. Math.* solùm, ut quid *probabilius* id admittit. Cajetanus *opusc. de concept.* ait dumtaxat esse *piam* sententiam, quem sequitur Sotus *in 4. dist. 43.* Canus, id negare adscribit petulanti *temeritati* (*lib.12. de loc. cap.11.*) quod & dixit quoque Corduba *lib.1.quæst.theol.q.17.* quos referens laudatus Suarez subjungit, ita receptam prædictam sententiam, ut *à nullo pio, & catholico possit in dubium revocari, aut sine temeritate negari* & licèt *disp.19.de inf. apost. seu hær.sect.2.n.13.* in opinionem, quam impugnamus inclinans, exemplum hoc visus sit approbare, in *fine* tamen *cit.num.13.* concludit,, atque omnes isti modi probabiles qui-,, dem sunt, satisque distinguunt proposi-,, tionem *erroneam* ab *hæretica*, nihilominùs,, non videntur satis illam distinguere à,, propositione *sapiente hæresim*, & aliis sta-,, tim tractandis.,,

16. Est & aliud animadversione dignum in tradita P. Ferrè doctrina, quòad particulas *num.10.* relatas, quibus discrimen assignans inter declarationem Ecclesiæ, & declarationem communem Doctorum, applicando illud exemplo propositionum *Christus est homo*; *Christus est risivus*, hanc negantem, ait non esse *hæreticum*,, quia non,, negaret propositionem contentam in,, Scriptura juxta sensum Ecclesiæ hoc de-,, finientis, & declarantis,, supponens proindè *hæreticum* fore, eamdem, qui negaret propositionem in hypothesi, quòd risibilitatis continentia in Christi humanitate, divinitùs revelata per Ecclesiam definiretur. Quod tamen non multùm cohæret ejusdem Authoris doctrinæ, quam indicavimus *cap.3.art.5.num.21.* ex ipsius *tract.de fide quæst.4.* §.12. ubi ex professo impugnat Suarium asserentem objectum connexum cum alio revelato, quod propter revelationem remotam, actu fidei credi non poterat, accedente Ecclesiæ definitione, actu fidei credendum esse; ex quo non quælibet declaratio Ecclesiæ ad id sit sufficiens, sed illa dumtaxat, quæ revelationem antiquam implicitam, & immediatam ad statum explicitum eruit. Indè autem sequitur, quòd non præcisè per hoc, quòd Ecclesia declararet, ac definiret *Christum esse risivum*, hanc negans esset *hæreticus*, nisi illam negaret, quòd Ecclesiam in illis definitionibus infallibilem non haberet ex deductis *cap.3. art.13.* nisi dicta declaratio talis sit, quæ implicitam, & immediatam revelationem, quæ latens erat, apertam reddat, & manifestam, ad quòd non sufficit, quòd risibilitas sit cum revelata humanitate connexa, tamquàm proprietas cum essentia & quidditate, quòdque hujusmodi connexio ab Ecclesia definiatur; sed requiritur, quòd ipsa immediatè sit revelata, & tamquam talis ab Apostolica Sede proponatur credenda.

ARTICULUS IV.

An Propositio erronea *rectè constituatur per oppositionem* mediatam *cum doctrina divinitùs revelata*?

1. Affirmativè respondendum censemus cum Theologorum communi, quorum aliquos recenset, & sequitur Cardinalis De Lugo *disp.20. de virt. fid. div. sect.3 .num.78.* cohærenter ad ea, quæ dicta sunt *cap.3.art.5.* ad excludendam à nota *hæresis* propositionem oppositam alteri contentæ in sacris Paginis in terminis *illativè* æquipollentibus, ideft non importantibus idem formale significatum cum objecto revela-

velato, sed aliud cum illo essentialitèr connexum, adeòut ad convertentiam valeat illatio, sive à priori ea sit, sive à posteriori. In hujusmodi siquidem propositionibus ex una parte non habetur ea *immediata* oppositio, quæ satis sit ad eas tenendas tamquàm *hæreticas*; & ex altera extat repugnantia *mediata*, quæ est gradus oppositionis, *immediatæ* proximior, & proindè constituens propositionem censura notandam, qualibet alia, *hæresi* magis affini, cujusmodi non est, nisi *erronea*. Sub qua comprehendi quoque propositiones omnes, quæ, quamvis sint contra objecta *immediatè* divinitùs revelata, non tamen istis opponuntur quà talia, sed quà deducta per vim syllogisticam, etiam si illatio fiat ex utraque præmissa de fide, eruitur ex resolutis *cap.3.art.19.* Licèt namque conclusio ejusmodi considerata, ut propositio præcisè est, independentèr à deductione syllogistica *immediatè* sit alteri revelatæ opposita, & eatenùs *hæretica*, si tamen sumatur *reduplicativè*, ut deducta, *immediatio* prædicta imminuitur, non quidem ex parte objecti, cui opponitur, sed ex parte modi, quo attingitur oppositio, non nisi videlicet *medio* naturali discursu. Utrque proindè *immediatio* requiritur, ut propositio aliqua sit de fide, & per consequens, ut ejus opposita sit *hæretic*, illa nempè, per quam objectum *immediatè* revelatione afficitur, & non per solam connexionem cum altero revelato, & illa, qua *immediatè* attingatur ex revelatione ipsa, & non *medio* naturali ratiocinio, quod per se formaliter influat in assensum præstandum; nam si se habeat, ut quid præsuppositivum in assensum minimè influens, non officere, quin propositio aliqua sit *de fide*, & contraria *hæretica*, abundè advertimus *cit.art.5.n.6.* relatè *ad art.4.num.8.*

2. Huic discursui contradicentem habemus Ripaldam *tom.3. de ente supernaturali in proæmio disp.1.num.70.& seqq.* ubi statuens non esse *erroneam*, sed *hæreticam* propositionem, quæ opposita est conclusioni theologicæ illatæ ex duplici præmissa de fide, & ex altera de fide, & altera naturali evidenti, de prædicato, quod est intrinsecum, & essentiale subjecto, exemplum ponit in definito, & definitione, quia, eo revelato, revelatur definitio, & revelata connexione extremorum cum tertio, revelatur connexio extremorum inter se; instantiæque, quam prævidet fieri posse, quòd oppositio ejusmodi sit minor oppositione propositionis, quæ *immediatè* contradicit veritati de fide, occurrit, minoritatem ejusmodi non esse attendendam, quòd logica, & metaphysica sit, non moralis, quæ in censuris theologicis considerari solummodò debet, quia re ipsa tale objectum est de fide, & seclusa ignorantia, qui ei dissentiret, esset *hæreticus*. Si tamen conclusio theologica sit deducta ex altera de fide, & altera naturali de prædicato extrinseco, subdit eam non esse *erroneam*, quòd cogatur quis per evidentem consequentiam negare propositionem de fide. Nam potest tali conclusioni contradicere, salva doctrina fidei. Si enim quis neget corpus Christi esse affectum quantitate, & humanitatem Christi passiones risibilitatis à se distincta, arbitratus eas passiones miraculosè impeditas, quòd humanitati Christi nihil prodessent, sanè is negans Corpus Christi esse quantum, & humanitatem risivam, non cogeretur negare humanitatem Christi, quæ est de fide, & ex qua quantitas, & risibilitas theologicè colliguntur, nam is supposita, & credita humanitate dissentit eis affectionibus. Undè concludit *erroneam* assertionem esse, quæ dissentit veritati, quæ re ipsa non est definita de fide, communi tamen consensu fidelium habetur contenta in sacris Scripturis, Conciliis, aut Traditionibus; qua ratione, subdit, propositionem contradicentem conclusioni theologicæ illatæ ex altera de fide, & altera naturali de prædicato, quòd est extrinsecum subjecto, esse *erroneam*, quia prædicatum propositionis de fide, communi sensu fidelium creditur contineri in Scripturis, Conciliis, Traditionibus, cum sua integritate naturali, ad quam pertinet passio naturalitèr consequens, quæ propositione *erronea* negatur, quales sunt passiones risibilitatis, & quantitatis respectu humanitatis Verbi Incarnati.

3. Referre ferè ad verbum placuit hujus Doctoris placitum, ad uberiorem assertionis nostræ intelligentiam, non quia aliquod in eo sit, quod ex traditis principiis præclusum non extet, nisi instituere velimus inutiles de vocibus quæstiones. Non minùs igitur esse de fide, aliquod definitum, ac ejusdem definitionem, ex professo firmavimus *cap.3.art.4.* æquè proinde *hæreticam* asserentes propositionem, quæ opponitur huic, & quæ opponitur illi. Negamus tamen esse universalitèr verum definitionem respectu definiti considerari dumtaxàt posse, ut conclusionem theologicam ex duplici præmissa de fide, vel altera de fide, & altera naturali deductam, sed se habere dicimus, tamquàm iden-

identicè, formaliter, æquivalenter idem cum definito, ipsius attento significato, & non solis vocibus; quæ si aliquam obscuritatem involvunt, ea erit ex parte nostri intellectus non benè statim percipientis, quid per eas importetur: cæterùm respectu intellectus divini revelantis *Christum* e.g. *esse hominem*, nullum omninò est discrimen, per quod hæsitari queat, quòd immediatè revelet *Christum esse animal rationale*, ut cum Suario advertimus *cap. 2. art. 8. num. 16.*

4 Nullam habente vim, quòd etiam ex definito ad definitionem argui queat, ut fassi sumus *c. 3. art. 1. n. 1.* cum non minùs id contingat inter terminos synonimos ejusdem prorsùs significationis, ac inter dictiones diversi idiomatis, ut *ibidem* innuimus. Cæterùm hæc, & similia objecta, quomodolibet efformentur, nullius roboris prædita conspicientur, ea habita præ oculis regula, quòd si conclusio aliqua consideretur reduplicativè ut deducta, adeò ut ei non præbeamus assensum, nisi virtute illationis, sive hæc se habeat, ut motivum, sive, ut essentialis conditio, tunc eam dicimus non habendam de fide, & consequentèr ejus oppositam non fore *formaliter hæreticam*, cohærenter ad tradita *cap. 13. art. 19.* Si verò inspiciatur absque illa reduplicatione, & ut propositio præcisè est, erit proculdubiò de fide, ejusque opposita prorsùs *formalissimè hæretica*, qualis certè præsumeretur pariter in præcedenti hypothesi, ex quo conclusionem negans, argueretur ei contradicere, non præcisè, ut conclusio est, sed ut propositio; & quidem fortiùs, quàm id contingere diximus, respectu negantis propositionem *illativè* solùm æquivalentem alteri revelatæ *cit. cap. 3. art. 5. n. 8.* & in præsenti notat Dominicus à SS. Trinitate *lib. 2. bibl. theol. sect. 7. cap. 2.* Ac idcircò nequaquam admittimus minoritatem oppositionis, quam Arguens vocat logicam, & methaphysicam, non officere, quin conclusio sit fidei objectum, ejusque opposita sit censenda *hæretica*, cujus insubsistentia *num. 1.* est insinuata, indèque eruitur, quòd fidei assensus unicè innixus esse debet divino testimonio, absque ullo alterius consortio, quod sive ut motivum, sive ut essentialis conditio in illum necessario influat.

5. Quod autem habet de distinctione reali passionum, seu proprietatum à suis subjectis, quæstio merè philosophica est, & alterius instituti; qua tamen, etsi absque solido fundamento, transmissa, difficultatem non habemus concedendi, quòd propositio proprietatem subjecti revelati negans, puta risibilitatem, respectu humanitatis Christi, habenda sit *erronea*, modo tamen mox explicando, non verò quia sensus communis fidelium sit unica, & præcisa ratio, ex qua *erroneitas* desumatur, quod rejecimus *artic. præc. num. 6.* cum Cardinali De Lugo; quem proindè non omninò cohærentem conspicimus, in eo, quòd tradens propriam de propositionis *erroneæ* constitutione sententiam, pluriès repetit, eam explicari debere per oppositionem conclusioni theologicæ deductæ *evidentèr ex una de fide, & altera evidenti lumine naturæ*. Cum enim ista evidentia lumine naturæ quò ad inferendam immunitatem peccati venialis ex divina Maternitate in Deipara, minimè adesse videatur, frustraneus reddetur ipsius labor, quo, ut vidimus *art. præc. num. 6.* nititur interpretari Doctores *erroneam* habentes propositionem dictæ immunitatis exclusivam, quòd videlicet id afferant propter connexionem magnam, quæ intercedit inter immunitatem enunciatam, & divinam Maternitatem, dum insufficiens adhùc hujusmodi connexio per ipsum habenda sit, si evidenter lumine naturæ non constet.

6. Ut itaque majori cum conformitate loquamur, solutionemque præbeamus difficultati *art. præc.* ex Ferrè propositæ, *erroneitatem* desumendam dicimus ex *mediata* oppositione ·m fidei objecto, quæ tamen duplicite· ·test verificari. Vel nempè, quia aliqua propositio alteri opponitur, quæ sit de objecto, quod evidenter lumine naturæ constat connecti cum alio, quod est fide divina tenendum, ac divinitùs revelatum. Vel deficiente hujusmodi evidentia, adhùc talis est dicta connexio, ut ab omnibus, vel ferè omnibus Theologis admittatur. In prima hypothesi, juxta quam procedit *art. 18. cap. 3.* ubi & *art. 19.* propositionem oppositam deductæ, vel ex duabus de fide, vel quarum altera sit de fide, altera evidens, *hæreticam* dici non posse firmavimus, non est per se necessarius communis hic consensus ad constitutionem *erroneitatis*. Undè etsi adesse non dubitetur, attamen etiam independenter ab eo, propositio dicenda erit sufficienter *erronea*, estò à fortiori talis habebitur per unanimem Theologorum concordiam, quæ reputari potest, velut alter *erroneitatis* titulus, dummodò cum respectu ad prædictam connexionem sumatur, ut in simili ratiocinati sumus *cap. 3. art. 13. num. 26.* In secunda verò redditur necessarius dictus communis consensus, qui veluti sit suppletivus defectus evidentiæ *mediatæ* connexionis inter objectum

ctum fidei, & objectum, cui contradicit propositio *erroneitatis* nota inurenda.

7. Ad cujus explicationem recolenda sunt, quæ tetigimus *cap. 3. art. 16.* & præsertim *num. 18.*, doctrina, qua propugnavimus *hæreticam* habendam propositionem, quam *hæreticam* tenent ferè omnes Theologi, extendentes, servata proportione ad aliarum censurarum materiam, indicando certò, *erroneam* e.g. habendam, quæ à communi Theologorum, ut *erronea* existimatur. Quod adhuc dupliciter contingere potest, primò per hoc, quòd expressè, & formalitèr dicant Theologi, hanc, vel illam propositionem esse *erroneam*. Secundò virtualitèr, per hoc, quòd asserant objectum oppositum huic, vel illi propositioni esse connexum cum altero certò divinitùs revelato. Quæ connexio, etsi in se ipsa evidens non sit, & ex suis terminis nota, talis æquivalentèr fit ab extrinsecò, ex quo firmitèr teneamus, Deum non permissurum, quòd circa propositiones, quas vel amplecti obstringantur fideles, tamquàm de fide, aut fidei proximas, & ad fidei munimen conducentes, vel eas rejicere, ut fidei noxias, & adversantes, decipiantur à Theologis; quoties hi unanimes omnes sint, sivè in asserenda propositione aliqua, tamquàm de fide, aut fidei affini, sivè in rejicienda alia, tamquàm *hæretica, erronea* &c.

8. Cum igitur de connexione objecti alterius cum altero divinitùs revelato agitur, quæ evidenter minimè eluceat, nec sit physica, sed moralis, inspiciendus attentè est modus, quo de ea discurrunt Theologi, an videlicet, re vera unanimes sint, ac concordes, an loquantur cum trepidatione, & formidine, opinantes potiùs, quàm docentes? an absque prudenti hæsitatione in contrarium? ut indè inferri valeat propositionem re vera habendam certò, vel probabilitèr *erroneam*. Ex quo patet solutio adhibenda P. Ferrè *art. præc. num. 11.* relato, in eo sita, quòd non benè *erroneitas* constituitur per oppositionem ad veritatem catholicam in tota latitudine sumptam, ne sic *erroneitas* cum aliis censuris confundatur, sed per oppositionem ad veritatem catholicam, quæ vel evidentèr sit connexa cum veritate fidei, adeò ut, altera negata, necesse sit, negari, & alteram, vel talis censeatur unanimi Catholicorum Doctorum sensu, in judicio hujusmodi convenientium. Quare semper propositio *erronea* ex oppositione *mediata* cum fide est desumenda, per quam sufficientissimè discriminatur, nedùm ab *hæresi*, de cujus ratione est oppositio *immediata* cum revelatis, sed & ab aliis quibuslibet censuris, quæ oppositionem hujusmodi in sua quidditate nequaquàm important, ut in decursu videbitur.

9. Quo argumento, fusiori calamo utitur Dominicus à SS. Trinitate *lib. 2. bibl. theol. sect. 7. cap. 2.* hanc opinionem propugnans, eamque concilians cum altera eorum, qui sustinent *erroneitatem* constitui per oppositionem cum doctrina catholica communitèr admissa, ut nullus verè pius, & doctus de ea audeat hæsitare juxta explicationem Cardinalis De Lugo, de qua *art. præc. num. 6.* Per quam tamen non video quomodò pariter in idem coincidere contendat opinionem oppositioni *mediatæ* cum fide innixam, cum altera sustinente „ quòd „ error, vel propositio *erronea* propriè sit, „ quæ contradictoria est, & opposita do„ ctrinæ ab Ecclesia definitæ, seu quam „ non tantùm, ut probabilem, sed ut cer„ tam, & indubitatam asserit Ecclesia. Quia „ enim non solas à Deo revelatas verita„ tes Ecclesia definit tenendas, sed etiam „ aliquas alias, ut *sequenti libro, suo loco* di„ cemus. Idcirco hæ propositiones sunt „ non *hæreticæ*, sed *erroneæ* in fide, quæ op„ ponuntur illis, quas non ut revelatas, „ sed ut communi Doctorum consensu „ examinatas, & certas probat, & tenet „ Ecclesia. Ita ut quemadmodùm propo„ sitio *hæretica* opponitur directè authori„ tati Dei revelantis, ita *erronea* opponatur „ authoritati Ecclesiæ, quam Divinæ qui„ dem subordinatam, sed ab ea diversam „ esse suppono ex dicendis *sequenti libro.* „ Siquidem in una ex his opinionibus, quam amplectimur, patet oppositionem, quæ *erroneitatem* specificat, esse cum ipsa fide, & cum Prima Veritate Dei revelante, non quidem attingente *immediatè* objectum, cui per se, & formaliter contradicit propositio *erronea*, sed aliud, cum quo illud connectitur, undè & oppositio certè dicitur *mediata*. In altera verò oppositio non in ordine ad Veritatem revelantem desumitur, sed in ordine ad Ecclesiam. Quin valeat, quòd hæc sit subordinata Primæ Veritati revelanti, quia ex hujusmodi subordinatione non sequitur, oppositionem *mediatam* admittendam in objectis, quorum unum sit fidei, alterum sit oppositum objecto cum revelato connexo, sed ad summum sequi potest, quòd qui contradicit *immediatè* Ecclesiæ, contradicit *mediatè* Deo revelanti. Quod adhùc neque in rigore est verum, quia

quia ipsamet Ecclesiæ subordinatio, ex qua ortum habet Ecclesiæ infallibilitas, fidei objectum immediatè est, cui contradici proindè nequit absque *hæresi*, aliàs non *hæreticus*, sed *erroneus* habendus esset, cui repugnaret assensum præbere definitis ab Ecclesia *de fide*, quòd istiusmodi definitio non à Prima Veritate *immediatè*, sed *mediante* Ecclesia promanaret.

10. Differunt pariter opiniones prædictæ, quòd illa ad *erroneitatem* non requirit, per se saltem, definitionem Ecclesiæ, quæ objectum cum revelato connexum afficiat; hæc verò ad dictam definitionem per se videatur recurrere, parùm tamen rationabiliter, quia semel constito, quòd objectum aliquod sit revelatum, si naturali ductu appareat aliud esse cum revelato connexum, eò ipso, propositio huic contradicēs est *erronea* absque eo, quòd Ecclesia determinet connexionem prædictam. Quæ proindè determinatio non facit, ut propositio opposita evadat *erronea*, sed dumtaxat, quòd certiùs talis sit habenda ob Ecclesiæ authoritatem, vi cujus etiam *hæreticus* fieri quis posset, non per solam propositionis oppositæ defensionem, sed quòd fortè eam propugnaret, quia Ecclesiam infallibilem in dicta determinatione promenda minimè haberet. Non omisso etiam, quòd Ecclesiæ authoritas eadem prorsùs est, sivè ferat *erroneitatis* censuram, sivè *temeritatis, scandali* &c. Undè si ex oppositione ad ipsam desumi deberet *erroneitas*, omnes censurarum species confunderentur, ut consideranti facilè patet, & supra est jam sufficienter ostensum.

11. Nostram sententiam pariter propugnat ex professo Cardinalis Brancatus de Lauræa, *cit. disp.* 16. *de Personis, ac doctrinis de hæresi suspectis art.* 2. §. 1. *à num.* 36. plerisque eam declarans exemplis, quorum primum de infante per baptismum ab originali liberato, à nobis est impugnatum *cap.* 3. *art.* 5. *num.* 9. in eo, quòd, semel posito, quòd propositio; *Hic infans ritè baptizatus est liber ab originali*, supponatur veluti *particularis*, respectu *universalis* revelatæ: *Omnis infans ritè baptizatus est liber ab originali*, adeò ut nulla moveatur difficultas circa rectam baptismi collationem, vi cujus prior propositio deficiat à rigorosa inclusione in universali posteriori sub reduplicatione *revelationis* acceptæ; habendum illud sit tamquàm quid particulare, seu singulare de fide in suo universali revelatum, eique formaliter inadæquatè æquipollens. Aptum tamen exemplum est, si particularis prædicta, quoad collationem debitam baptismi, nota non, tiquàm supponatur per medium infallibile infallibilitate fidei, sed per aliud, quod majorem infallibilitatem non habeat, quàm scientiæ. Sic namque si accipiatur, formari de eo potest conclusio rigorosè theologica ex una præmissa de fide; *Omnis infans ritè baptizatus sit ab originali immunis, & liber*, & ex altera naturali; *Hic infans est verè baptizatus*, quæ ad summum per solam naturalem evidentiam, & certitudinem constare potest, cujus proindè naturam, tamquàm debiliorem, sequitur propositio, quæ indè infertur; *Ergo hic infans est ab originali immunis, & liber*. Hocque modo accepto exemplo, optimè advertit *num.* 41. Brancatus idoneum esse ad explicandam propositionem *erroneam* ex communiori Theologorum mente, indicans ingenuè se à communi recessisse *disp.* 9. *art.* 13. ubi docuit, quòd negans conclusionem evidenter deductam ex una de fide, & altera naturali, esset *hæreticus*. Cui proindè, ut inhæreat, subdit *num.* 42. distinctionem *erroneitatis* ab *hæresi*, quæ est ex Conciliis desumpta, referendam, ad forum „ externum tantùm. Et de eo loquitur „ Concilium. Si ergo, quod absit, ego „ sciens conclusionem aliquam evidenter, „ ac necessariò deduci ex revelata, & natu„ rali, v. g. si egomet validè baptizarem „ puerum, & negarem ei remissum, seu „ deletum originale, Ecclesia haberet me „ *suspectum de hæresi*, sed formaliter *erroneum*, „ quicquid ego in foro interno essem. Quod, quanta cum probabilitate dicatur, ex hactenùs traditis facilè colligēdum, nec non ex eo, quo ipsemet concludit *cit. articulum*, „ Hæc stabiliri potest pro generali regula „ doctrinæ *erroneæ*, ut dicatur illa tantùm, „ quæ contradicit conclusioni theologicæ, „ ex una de fide, & alia naturaliter nota, „ necessariò tamen illatæ, & non sufficit, „ si solùm *probabilitèr* inferatur.

12. Alia, quæ promit laudatus S.R.E. Princeps, exempla, desumpta sunt ex propositionibus, quas contra Witcleph, & Joannem Hus damnavit Constantiense Concilium, *num.* 45. ad intentum seligens *tertiam* Hus; *Præsciti non sunt partes Ecclesiæ*, quæ explicitè, & *immediatè* non contradicit Scripturæ, benè tamen *mediatè*, quatenùs adversatur conclusioni theologicæ, quæ infertur ex una de fide; *Omnis, qui Christum induit per Sacramenti regenerationis lavacrum, fit membrum Ecclesiæ*, & ex alia naturali, quòd *Præsciti revera Christum per baptismum induerint, qui fuerit ritè collatus*, ex quibus tenet illatio, quòd

quòd *Præsciti sint Ecclesiæ membra*. Ac decimamquintam, contra obedientiam Prælatis ecclesiasticis debitam: *Obedientia ecclesiastica est secundùm adinventionem Sacerdotum Ecclesiæ præter expressam authoritatem Scripturæ*, de qua sic discurrit „ Certè nullus Scripturæ locus „ explicitè loquitur de obedientia Ecclesiasticis servanda, nisi in doctrina: *Qui „ Vos audit, me audit, qui Vos spernit, me spernit*, (*Lucæ* 10.16.) & *super Cathedram Moysi, „ sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia, quæ dixerint vobis, servate, & facite* (*Math*. 23.3.) „ Refractarii Ecclesiæ dicere possent, se audituros Ecclesiasticos, eisque obedituros, „ dum docent credenda, & agenda secundùm legem, non verò in aliis præter legem. Et proinde ego existimarem doctrinam illam Hus quoàd obedientiam, „ præter expressa in lege, esse *erroneam*, ne„ que ex alio capite, nisi quia contra conclusionem theologicam, ex una de fide: *Omnis Anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*, Episcopi autem sunt tales Potestates; & ex minori naturali, quòd *Laici, & minores sunt eis subditi*.

In quo ratiocinio satis patet Eminentissimum Authorem, Theologi munere fungi, cujus est applicare huic, vel illi propositioni ab Ecclesia damnatæ individuam qualitatem censuræ, quoties ea in damnationis decreto non reperitur expressa, quod certè magis usitatum apparebit expendentibus damnationes Constantiensis Concilii generalis hac indeterminata traditas formula: *quibus examinatis fuit repertum aliquos, & plures ex ipsis fuisse, & esse notoriè hæreticos, & à SS. Patribus reprobatos, alios non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos, & blasphemos, quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos eorum temerarios & seditiosos*; Pii V. cujus verba in proscribendis propositionibus Baji dedimus *cap*.1. *art*.5. *num*.25. Leonis X. prohibentis *articulos* Lutheri; aliorumque Romanorum Pontificum, qui in consimilibus bullis, aut decretis, ob indicatam applicationis censuratum indeterminationem, non semel addiderunt adverbium *respectivè*, ut videre est in decreto Alexandri VIII. vel aliquam aliam particulam ad idem intentum conducentem. Ut enim præter alios observarunt Ripalda *tom*.3. *de Ente supernaturali in proœm. disput*.1. *super doctrina Baji proscripta, sect*.5. *num*.20. & *Suarez par*.1. *de Grat. proleg*. 6. *cap*.4. *de censur. Pii V. & Greg. XIII. aliquarum assert. num*.8. cum præcipuus finis in ejus generis sanctionibus condendis Apostolicæ Sedis sit rejicere, & abolere, ac radicitùs evellere è Vinea Domini venenosa doctrinarum semina, qui plenè, & perfectè obtinetur per genericam prædictam damnationem, non mirum, si quandoque solicita minimè sit circa particularem damnationis applicationem quoàd gradum specialem censuræ, sed id præstandum relinquat Theologis, dummodò firmissimum maneat omnes, & singulas indictis sanctionibus comprehensas propositiones, aut sententias, habendas esse aliqua *respectivè* censura dignas, & ut tales, ea, quamvis indeterminatè, inustas, rejectas, & profligatas.

14. Quæ cautio est perpetuò præ oculis habenda, ad nonnullorum elidendam temeritatem, qui ex indeterminatione ejusmodi servata in *Bulla* contra Bajum, occasionem non erubuerunt desumere asserendi aliquas ex illis esse, quas ob earumdem probabilitatem, verisimile non sit à Christi Vicariis fuisse interdictas. Ac si, particulæ illæ, *quas quidem sententias* &c. positæ post distinctam Bajanarum propositionum enumerationem, non omnes, sed aliquas dumtaxat earum respiciant, & consequenter per eas relicti fideles fuerint, expositique manifesto periculo errandi in secernendis noxiis à probabilibus. Qua, nulla ferè excogitari potest major absurditas, dùm sic, non fidei conservationi, Romanæ Cathedræ Moderatores consuluissent, sed potiùs ipsis creditum Dominicum gregem errorum exposuissent vorticibus, quod suspicari a catholicis mentibus absit. Attento præsertim, quòd in Piana *bulla* præter recensitas particulas, illæ aliæ leguntur, *quamquàm nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*, quæ evidenter demonstrant omnes, nulla dempta, damnatas *in rigore tamen, & proprio verborum sensu ab Authoribus intento*. Si namque aliqua illarum *in rigore* sustineri posset, cur ergo Pontifex admittit dumtaxat id locum habere *aliquo pacto*? cur & dein subnectit adversativum adverbium *tamen*? certè id ipsum per posteriores rejicitur particulas, quod per primas permittitur, & proinde, si per has de aliquibus sustineri eas utcumque posse dicitur, sustineri easdem in proprio sensu per posteriores negatur, ac idcircò, si affirmativa particularis est vera, quòd aliquæ dumtaxat valeant *aliquo pacto sustineri*, debet, & esse vera contradictoria universalis negativa, quòd nulla *in proprio sensu* defendi queat.

15. Quòd si alicujus propositionis exemplum desideretur, quæ sit certò erronea

nea, utpote, ut talis expresse damnata, duas ejus surfuris in promptu habemus, quarum altera inter *articulos* Witclephi præ reliquis indeterminata, & vaga censurarum applicatione rejectis, legitur explicito *erroneitatis* stigmate expuncta; est autem ordine *vigesima quarta* in hanc formam concepta: *Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, & non per mendicitatem*, de cujus posteriori parte hanc Constantienses Patres sententiam protulere; *Secunda pars est erronea, pro quanto asserit mendicitatem Fratribus non licere*. Altera erroneitatis nota pariter profligata est à fœl. rec. Alexando VIII. *sub die 21. Augusti 1690.* in decreto, quod edidit contra *duas theses*, de quarum secunda; *Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale, est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum*, infallibile hoc laudatus Pontifex efformandum præcepit judicium; *Secundam thesim, seu propositionem declaravit scandalosam, temerariam piarum aurium offensivam, & erroneam, & ut talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet*.

16. De Witclephisticæ autem assertionis *erroneitate*, sic breviter laudatus Brancatus *num.43.* „ At non ex alio capite est *erronea*, nisi quia ex Evangelio habetur, quòd „ dans operam vitæ perfectæ, potest omnia „ sua erogare pauperibus, & ipse mendicare. Minor est evidens naturalitèr, quòd „ scilicet Fratres dent operam perfectæ vitæ, Igitur, si negatur licere eis mendicare, „ & hæc negativa à Patribus Concilii dicitur *erronea*, non ex alio capite est talis, „ nisi quia, contraria conclusioni theologicæ deductæ ex una de fide; & alia natu. „ rali „ Fusiori autem, ac eruditiori calamo eam impugnat Witclephisticorum dogmatum exterminator egregius Thomas Waldensis Carmelitici Instituti clarissimus, & doctissimus Sectator, nec non & titulo, quo potitur, *præstantissimi* Theologi dignissimus, *in suo primo tomo Doctrinalis Antiquitatis Fidei Eccles. Catholic. lib.7. per totum*, quem præter alios sequutus est Suarez *tom.. 3. de Relig. lib.8. de Paup. cap.8.* & licet in impugnationibus, quas extendunt, non qualitatem censuræ comprobandam assumant, sed *erroris* perniciositatem, falsitatemque demonstrandam, ea tamen exhibent in dictum finem Scripturæ loca, ut addita ipsis præmissa, qua naturali ratione eluceat Religiosos esse pauperes illos spiritu, de quibus in prædictis locis est sermo, facillima erit theologica illatio, quòd *mendicitas* eorumdem sit laudabilis, & consequentèr, quòd illicitam eam affirmare, *erroneum* sit habendum, utpote theologicæ conclusioni immediatè repugnans, Scripturæ verò authoritatibus *mediatè*, in quo quidditas *erroneæ* propositionis est sita.

17. De peccato autem philosophico eò solidiùs, quò breviùs novissimè agit meus Patria, ac Religione sodalis insigni sapientia pollens Felix Potestà *in suo examine ecclesiastico tom.1. exam. Confess. par.4. de Sacram. cap.6. de peccatis*, ex apertis sacrarum Literarum textibus, quibus constat naturale rationis dictamen unicuique inditum Dei æternam legem esse, vi cujus verum sit, *signatum esse super nos lumen vultus* Domini, (*Psal.4.7.*) & consequentèr, quòd *Gentes naturalitèr ea quæ legis sunt, faciunt, & sibi ipsi sunt lex, & ostendunt opus legis inscriptum in cordibus suis* (*ad Rom.2. 14.*) validissimè inferens, quodlibet peccatum eò ipso, quòd contra, hujusmodi dictamen fit, esse contra æternam Dei legem, & propterea peccatum *theologicum*, de quo (*ad Rom.5. 13.*) *usque ad legem peccatum erat in mundo*, cui illationi, cum advertetur propositio, qua culpa huiusmodi *philosophica* affirmatur, prout per hanc vocem, ratio divinæ offensæ ab eo exclusa prætenditur, *erronea* manifestè esse convincitur. Ex qua proindè, ut Concivis verba usurpem „ Excluditur primò error eorum, qui „ conceptus formales peccati philosophici, & theologici solùm metaphysicè, „ (&, ut meliùs dicam) secundùm diversa „ connotata, & varias considerationes distinctos, in re, & practicè separantes, in „ super ignorantiam Dei invincibilem practicè, immo regularitèr admittentes, di„ xerunt Americanos, Romanos, & Gen„ tiles, qui vitam adulteriis, stupris, furtis, „ & homicidiis plenam duxerunt, non pec„ casse peccato theologico, quia Deum „ non cognoverunt, sed solùm peccato „ philosophico, in quantùm præmissa de„ licta solùm contraria rationi naturali co„ gnoverunt, ac proindè non commisisse „ offensam Dei, nec fuisse æterna pœna „ dignos. Secundò excluditur error eo„ rum, qui Molinistarum errores sectantes, „ & latam viam peccandi licentiæ aperire „ volentes, præcisiones objectivas, imò „ & formales, practicas, ac physicas, chimæri-

„ mœrizavere, dicentes animas unitas, tentationibus carnis urgentibus, non debere „ curare, quid agant sensus, sed in Dei amore,& unione persistere; &, si tunc sensus in libidines, etiam viri cum muliere „ prorumpant, non peccare theologicè; „ quia nec offensam Dei, nec Deum actu „ cognoscunt. Quæ major fatuitas? prætendunt sistere in unione, & amore Dei, „ & simul illum non cognoscere; Stulte, si „ Deum non cognoscis, quid amas? Idolum. Ad peccatum igitur theologicum, „ non requiritur, quòd fiat ex intentione „ expressa contrariandi Deo, aut ejus legi „ naturali, & æternæ, quia hoc adderet „ rationem contemptus formalis,sed quod „ actu cognoscatur esse contrarium Deo, „ seu legi naturali, æternæ. Adeòque peccatum philosophicum, seu actus ab intrinseco malus, si sit voluntarius, quatenùs scilicet cognitus esse contra rationem, adhùc est volitus, necessariò est „ offensa Dei; quia est contra legem æternam, & indè contra ejus Legislatorem, „ qui est Deus.

18. Aliquid in *articuli* complementum indicandum videtur circa monitum ex Cardinali Brancato *num.*11. transcriptum, quòd nempè non sufficiat ad propositionis *erroneitatem*, contrarietas conclusioni theologicæ, quæ ex una de fide, & alia naturaliter nota, non *necessariò*, sed *probabilitèr* infератur. Illud autem priùs universalioribus terminis vim etiam circa aliarum censurarum species præferentibus, tradiderat *in suo Platonis Voto* Antonius Saura integro *præludio tertio*, quo sequentem thesim probandam assumens, „ Non sufficit ad con„ demnandum doctrinam, probabilis illa„ tio ex Scripturis,Conciliis,Decretalibus, „ & unanimi sensu Patrum, vel Scholasti„ corum, si non sit evidens, vel necessaria, „ vel manifesta consequentia „ in hunc modum pro ea argumentatur,„ Hæc doctri„ na recepta est ab omnibus, non solùm „ sapientibus, sed etiam mediocritèr eru„ ditis: nam variæ, & contrariæ opiniones „ sæpissimè à sacris Expositoribus, Theo„ logis, & Juris Professoribus probabilitèr „ deducuntur ex Scripturis, Decretalibus, „ Conciliis, Jure Canonico, & unanimi „ sensu Patrum, & Scholasticorum, qua„ rum singulæ sunt probabiles, etiamsi „ contrariæ, aut contradictoriæ sint; ergo „ illatio, qua convincatur propositionem „ aliquam esse contra Scripturam, Decre„ tales, Concilia, Jus Canonicum, aut una„ nimem sensum Patrum, vel Scholasti„ corum, debet esse manifesta, & evidens. „ Declaratur, & confirmatur, quia, opinio „ habens pro se graves Authores, & funda„ menta, est absolutè probabilis, si non „ obstet aliqua revelatio divina,aut pondus „ irrefragabilis authoritatis; sed quod pro„ babilitèr solùm infertur, sine evidenti, „ aut necessaria connexione, non est fide di„ vina revelatum, nec connexum cum „ eisdem revelatis necessariò, & manifestè: „ ergo similes illationes quantumvis ve„ risimiles, & probabiles non tollunt oppo„ sitæ doctrinæ probabilitatem. Prima pro„ positio est certa,secunda indubitata; nam „ doctrina, quæ solùm probabilitèr elicitur „ ex Scriptura, Conciliis, Decretalibus, „ Jure Canonico, aut unanimi sententia „ Scholasticorum, vel Patrum, non habet „ altiorem gradum, quàm probabilitatis, „ cum conclusio sequatur debiliorem par„ tem, sed quod non excedit metas proba„ bilitatis, nec de fide est, nec inconcussam „ certitudinem attingit: ergo similes do„ ctrinæ manent intra limites duntaxat „ opinionis probabilis. Ex quo fit, ad con„ demnandum propositiones Doctorum, „ quæ in sequentibus tabulis producuntur, „ non sufficere illationem probabilem con„ tra ipsas ex Scripturis, Conciliis, Jure „ Canonico, unanimi sensu Patrum, vel „ Scholasticorum, nisi illa sit necessaria, „ aut evidens, & quæ à viro mediocritèr „ docto, nec à Sapientissimis negari queat.

19. Totum hunc discursum & nos admittere non renuimus, dummodò debitacum proportione ad firmata *c.*3.*art.*21. præsertim *à n.*6.& *hoc art.n.*8.intelligatur. Juxta, quæ, sicuti, cum apud Doctores quæstio aliqua instituitur, utrùm hoc, vel illud objectum sit fide divina tenendum? consequens fit, ut qui partem affirmativam sustinent, pro *hæretica* probabilitèr habeant propositionem oppositam, ita & si quæstio esset de connexione alicujus prædicati cum fidei objecto, utrùm videlicet, ab hoc ad illud sustineatur illatio? qui tuentur admittendam connexionem, & idcircò efficacem esse indicatam illationem, cohærenter ad hanc opinionem, *probabilitèr erroneam* autumant propositionem prædicato cum fidei objecto connexo repugnantem. Et quamvis in scholasticis concertationibus, ac etiam in operibus edendis, summa adhibenda sit cautio ne unius sententiæ Patroni præjudicium, vel leve, inferant oppositam Propugnantibus, nihilominùs re ipsa, asserere *probabili-*

tèr

tèr aliquam propositionem *erroneam*, immò & *hæreticam*, non est, nisi propriam aperire sententiam propositæ quæstioni respondentem, nullatenùs exclusa *probabilitate* sententiæ oppositæ, & quidem etiamsi penès faventem censuræ inferendæ, *probabilis* ea minimè extet. Neque enim privatum judicium esse potest sufficiens regula ad excludendum oppositum, quod graves Doctores gravi fundamento censent innixum.

20. Quòd si quæstio non sit utrùm hæc, vel illa propositio, aut assertio sit *hæretica*, *erronea*, aut alia quavis nota digna? tunc omninò à prædictis censuris abstinendum, quolibet non obstante modo locutionis *probabilitatem* exprimente. Etsi enim in hac quæstione e.g. *An Verbum Divinum Adamo non peccante incarnatum fuisset?* Thomistæ censeant, Negativam optimè deduci ex Scripturæ locis, quibus Verbum Divinum incarnatum insinuatur ad redimendos homines à peccato, non ideò affirmativam, quam unanimiter propugnant Scotistæ, affirmare debent, aut possunt *erroneam*, nec è contra. Cum diversum quid sit Scripturæ textibus uti ad evincendam *erroneitatem* alicujus opinionis, ac ad eam dumtaxàt probabiliter rejiciendam, illud enim evenit, solùm quoties quæstio est de ipsa *erroneitate* &c. hoc verò quoties quæstio est de re ipsa, non de censuræ alterius qualitate, qua sit afficienda. Et ratio ulterior esse potest, quia in secundo casu veritas, aut falsitas alicujus propositionis controvertitur, non modus ipsius; in primo verò falsitas, aut insubsistentia penès omnes constat, & controversia unicè fit de falsitatis, & insubsistentiæ gradu, & catenùs, qui de eo debet judicium efformare, illum non potest non exprimere, cautione non omissa, quòd *probabilitèr* dumtaxat in eo proferendo se gerat. Sic in illa quæstione, de qua *articulum* 19. *cap*.3. instituimus: *An videlicèt propositio opposita alteri deductæ ex duabus præmissis de fide, sit hæretica?* Affirmativam tuentes, nullo modo præscindere possunt in ea propugnanda, ab *hæreticæ* denominatione *probabiliter* tribuenda quibuslibet propositionibus ex prædictis præmissis illatis, ita tamen, ut ex hujusmodi *probabili* assertione, censura eadem nullo pacto extendatur ad opinionem ipsam, quæ *probabilitèr* sustinet prædictas propositiones non esse *hæreticas*. Monitum itaque Brancati, & Sauræ præludium, locum habent, vel quoties sermo sit de propositionibus juxta secundam hypothesim, ad quam paritèr conducunt, quæ dedimus *cap*.3.*art*.20. vel si juxta priorem, quotiès tantùm censuræ propositionibus, aut opinionibus tribuuntur absque ulla diminutione, aut restrictione, quæ privatum alicujus designent judicium, debitamque imbibant oppositi æstimationem, quod à privatis doctoribus debet esse omninò alienum.

21. Possent in principale assertum nonnullæ objectiones formari, quæ tamen adeò facilis sunt solutionis tàm ex impugnationibus aliarum opinionum, quàm ex fundamentis, quibus communior, quam defendimus, innititur, eruendæ; ut illas silentio obducere consultiùs censeamus; duabus exceptis, quæ speciali videntur discussione dignæ. Desumitur autem prima ex Concilio Constantiensi, in quo *sess*.15. relato *articulo*: *Quilibet Tyrannus potest, & debet licitè, & meritoriè occidi, per quemcumque Vassallum suum, vel Subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocumque præstito juramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectata sententia, vel mandato Judicis cujuscumque*, mox à sancta Synodo fuit sub variis censurarum gradibus in hanc formam conceptis, damnatus: *Adversùs hunc errorem satagens sancta Synodus exurgere, & ipsum funditùs tollere, declarat, & definit hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide, & in moribus, ipsamque tamquàm hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem, reprobat, & condemnat. Declarat insuper, & decernit, quòd pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt hæretici, & tamquam tales juxta canonicas sanctiones puniendi.*

22. Ex hac autem damnatione patet, propositionem *erroneam* aliam esse, quæ dicitur *erronea in fide*, aliam, quæ *erronea* est *in moribus*; dùm de doctrina prædicta, definitum, ac declaratum elucet *erroneam esse in fide, & in moribus*. Qua tamen posita distinctione, corruere videntur, nedùm tradita de *erroneitate* propositionis sententia, sed & præcipuum *præsentis capitis* motivum, quo *erroneitatis* censuram supposuimus ad receptam Theologorum mentem, cæteris quibuslibet graviorem, *hæresique* proximiorem, indè inferentes, quòd ipsius quidditas sit desumenda ex oppositione, quam aliqua propositio involuit *mediatè* cum fidei objecto, ut sic, sicut inferior *hæresi*, quæ *immediatam* dicit oppositionem, ita & superior redditur aliis censuris, quæ nec *mediatam* prædictam oppositionem important. Hinc autem sequi videtur quamlibet *erroneam* propositionem, dictam essentialitèr imbibere

bere

bere oppositionem; & proindè quamlibet esse *erroneam in fide*, ac consequenter non admittendam *erroneam* in moribus, ut membrum *ab erronea in fide* diversum, quale in recensiti *articuli* damnatione supponitur. Cui inhærens recentior quidam Theologus asseruit, quòd per oppositionem *mediatam* cum fide, sola explicatur propositio *erronea in fide*, non verò *erronea*, prout sub se comprehendit *erroneam in fide* & *erroneam in moribus*, quam propterea explicabat per oppositionem *mediatam* cum propositione, cujus *immediatè* opposita, aliqua notanda sit censura ex pertinentibus ad lineam morum.

23. In stabilita nihilominùs persistendum est assertione, cùm non appareat, cur discedere debeamus à receptissima Doctorum mente, non agnoscentium, nisi unicum *erroneitatis* gradum, prout *erroneitas* speciem censuræ constituit ab aliis quibuslibet diversam. Vim non habente præfata Recentioris doctrina: Tùm quòd per eam, neque per *erroneam in moribus* intelligi posset gradus proprius alicujus censuræ, sed generica dumtaxat denominatio competens quibuslibet propositionibus, *mediatè* oppositis cum illis, quarum *immediatè* oppositæ, sunt *scandalosæ*, *injuriosæ*, *maledicæ* &c. aliàs assignandum foret discrimen, cur opposita *mediatè* alicui propositioni, cui *immediatè* repugnans est *scandalosa*, dici valeat *erronea in moribus*, non verò mediatè opposita propositioni, cui repugnans *immediatè* est *maledica*, *blasphema*, *injuriosa* &c. Tùm etiam, quòd, eò ipso, quòd propositio aliqua per oppositionem *immediatam* alteri *scandalosa* ex. gr. supponitur, *scandalosa* & in rigore erit, & alia, quæ *mediatam* dicit eidem oppositionem, estò non tanti fortè momenti *scandalum* vigeat in hac, & in illa, nec adeò sit patens, & clarum. Quod non evenit in propositione *erronea in fide*, quia propositio *immediatè* opposita objecto fidei, est *hæretica*, qualis nullatenùs censeri potest opposita *mediatè*, quæ proindè in suo speciali gradu, *erroneitatis* videlicet ponitur.

24. Duplicem idcircò viam ineundam censerem pro solutione difficultatis, quam hactenùs apud Doctores discussam non reperi. Alteram, qua dicatur, Concilium per particulas illas *erroneam in fide*, *& in moribus* non diversum gradum censuræ indicare voluisse, sed eumdem explicatius tradere designando materiam, circa quam *erroneitas* versabatur, indicans nedum *erroneam* esse, quòd opponeretur *mediatè* propositioni revelatæ spectanti ad lineam intellectus, sed etiam spectanti ad lineam voluntatis. Sicuti enim objecta revelata, alia sunt, quæ per se manifestantur tantùm, ut credantur, cujusmodi est Sacrosanctæ Trinitatis mysterium, alia verò, quæ, ut credita, inserviunt tamquàm regulæ agendorum, quale est, quòd ex. gr. mendacium sit illicitum; ita & propositiones ipsis *mediatè* oppositæ, possunt & esse *erroneæ in fide*, si objecta revelata quibus opponuntur, sistant in linea intellectus, & *erroneæ in moribus*, si transeant ad lineam voluntatis. Quæ tamen differentia non parit diversitatem gradus censuræ, quæ semper eadem est, per oppositionem *mediatam* cum revelatis constituta, sivè revelata per se, ea sint, ut dumtaxat credantur, sivè ut ex eis nostræ operationes dirigantur, quod totum accidit quidditati censuræ, & propterea non attendendum, utpotè, quòd non nisi materiale quoddam gignere queat discrimen.

25. Ac ita ni fallor discurrisse videtur Cardinalis Brancatus *disp.16. de Personis, ac doctrinis de hær. suspect. art.2.§.1. num.44.*, ubi loquens de damnatione in argumento propositã, nulla habita reflexione ad particulas *in fide*, *& moribus* propositionis damnatæ *erroneitatem* unicè ex oppositione cum revelatis *mediata* deducit. „Patet autem quòd *erro-„neitas* hujus doctrinæ in alio non consi-„stit, nisi in hoc, quòd de fide est nulli „privato licere occidere, juxta divinum „præceptum. Minor autem est naturalitèr „evidens, quòd Vassalli, & Subditi sunt „privati. Item ex alio capite, quòd de fide „est, nulli licere perjurium, & minor est „naturalitèr nota, si Subditi, aut Vassalli „jurarunt fidelitatem Principi. Igitur te-„nens licere occisionem Tyranni, contra-„dicit conclusioni theologicæ, & ideò est „*erroneus*„ In hoc autem sensu, sicuti admittitur propositio *erronea*, ita admitti & potest, *hæretica in fide*, *& moribus*, juxta diversitatem materiæ, circa quam versatur, ita tamen, ut *erronea*, aut *hæretica in moribus*, semper esse debeat *hæretica*, aut *erronea in fide*, quia semper opposita *immediatè*, aut *mediatè* revelatis, non tamen è contra, quia potest dari propositio *hæretica*, aut *erronea in fide*, quæ per se saltem ad agibilia non dirigatur; undè & *hæretica*, aut *erronea* in *moribus* non denominetur.

26. Altera via verosimilior esse potest in eo sita, quòd Concilium Constantiense per particulas prædictas *declarat, ac definit hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide, & moribus*, non sumat Tò *erroneam*, prout designat

signat gradum censuræ infra *hæresim*, de quo *præsenti Capite* habitus est sermo: sed sub generica dumtaxat denominatione, significante in ea doctrina contineri *errores* in materia *morum*, & *fidei*, eo planè modo, quo Pius V. *in sua bulla*; Ex omnibus *afflictionibus*, se ad eam edendam motum præmisit, quòd *Christi populus antiqui hostis suggestione dissectus in alios, atque alios errores passim, & promiscuè deferatur*; non jam per *errores* intelligens propositiones ut *erroneas* damnandas, sed omnes Baji *articulos*, sub variis *respectivè* censurarum gradibus proscribendos; & Leo X. in *sua Bulla*; exurge *Domine*, post damnata Lutheri *asserta*, diversis itidem notis, ea omnia, dein *errores* universaliter vocat *præfatos omnes articulos, seu errores*. Quin urgeat, quòd in nostro casu Tò *hujusmodi doctrinam erroneam in fide, & moribus* pronunciatum sit, post verba *declarat*, & *definit*, quæ videntur exprimere specificam qualitatem damnationis. Ex contextu enim satis elucet, Concilium damnationem veluti genericam de doctrina ferre priùs voluisse, dein per gradus specificos explicandam. Et proindè primò vocat per modum solius enunciationis *errorem*, secundò *definitivè* pronunciat *erroneam in fide, & moribus*; tertiò *tamquàm hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia proditiones, perjuria vias dantem reprobat, & condemnat*. In quibus censurarum gradibus signanter est advertendum, *erroneitatem* non reperiri; quæ certò repetenda erat, si de ea, ut ad gradum specificum censuræ spectante, factus immediatè fuisset sermo. Cùm præsertim inter posteriores, & præcedentes particulas sit conjunctiva dictio, *Ipsamque*, per quam explicatio generalis definitionis traditæ indicatur. Addendo insuper, quòd, cum doctrina eadem damnanda immediatè esset, tamquàm *hæretica*, quæ est censura omnium gravissima, non est cur de *erroneitate*, quæ *hæresi* inferior est, pronuncianda erat *definitio*, & *declaratio*, specialis, *hæresi* omissa, inter alios inferiores gradus solummodò recensenda. Cùm præsertim ex dicendis *art. seqq.* non adeò usitatum appareat, ut de eadem propositione individuali judicium *hæresis*, & *erroneitatis* specificæ simul proferatur.

27. Nec officit relatum Brancati argumentum, doctrinæ prædictæ *erroneitatem* censuræ speciem constituentem, evincens; sivè, quia, non hic intendimus hujusmodi *erroneitatem* absolutè negare, sed solùm quòd ea intelligenda veniat per particulas enunciatas; simulque potest verificari, & quòd *specificè erronea* esse queat doctrina, & quòd *erroneitas specifica* per eas minimè designetur. Sivè etiam quia ad damnatæ propositionis naturam comprobandam minimè conducunt minores illæ naturalitèr notæ, quòd *Vassalli, & Subditi sunt privati*, & quòd *Subditi, & Vassalli jurarunt fidelitatem Principi*. Cum enim propositio damnata universalis sit, minimèque restricta ad hos, vel illos Vassallos, aut Subditos, non est proindè ad hos ullatenùs recurrendum pro ejus explosione, sed *immediatè* profligata manet per universalia fidei principia, quòd *nulli privato liceat occidere*, quòdque *nulli liceat perjurium*. Et proindè Brancati deductio locum dumtaxat habebit quoties doctrina illa ad particulares casus applicaretur, dicendo *licere his, aut illis determinatis Vassallis, & Subditis, Tyrannum occidere*. Quod confirmari potest sexcentis exemplis, pro quibus, satis sit illud, quo *omnem hostiam ritè consecratam credimus continere Christi corpus*, cujus opposita absolutè *hæretica* ab omnibus censetur, non autem *erronea*, & tamen quòd *hæc, vel illa hostia ritè sit consecrata*, sciri nequit, nisi naturali lumine, quod tamen non minuit *hæresis* rationem universali propositioni competentem, sed solùm facit, quòd e.g. Sacerdos *ritè consecrans hostiam*, si neget eam adorandam, *erroneus* sit habendus non *formalitèr hæreticus*, ex quo de consecratione individua illius hostiæ non habeat, nisi evidentiam naturalem, quicquid sit de præsumptione *hæresis*, quæ contra ipsum vigeret, ut alibi non semel notavimus.

28. Huic discurrendi modo videtur conformis censura, quam protulit Facultas Parisiensis de propositione illa Lutheri: *Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu, & quicquid alitèr fit, tyrannico spiritu fit*, sequentis tenoris, apud Bail *tom. 1. summ. conc. de Conc. Trid. pag. 628. Hæc propositio est à debita subditorum erga Prælatos, & Superiores subjectione, & obedientia retractiva, legum positivarum seditiosè destructiva, ac in fide, & moribus erronea, & est error damnatus Vualdensium cum errore Aerianorum conveniens*. Ita namque apparet concepta, ut à minoribus censuris ascensus fiat veluti per gradus ad graviores, usque ad supremam *hæresis*, dum primò dicitur *retractiva* à debita obedientia; secundò *seditiosè destructiva* legum, tertiò *in fide, & moribus erronea*, quartò denique *error Vualdensium, & Aerianorum*, sumpto Tò *error* pro *hæresi*, cujus Author ser-

fertur Aerius sustinens jejunia Ecclesiæ non esse servanda, ne sub lege esse videantur, ex Epiphanio *hær.*75., quem sequutos esse Waldenses, seu Pauperes de Lugduno testatur Prateolus, *verb.* Pauperes de Lugduno *num.*8. & 22. quibus dein adhæsere Wicleph, & Hus, ut innuimus *art. præc. num.* 12. & denique, *in propositione relata*, Lutherus, cui, optimè animadvertit Canus *lib.*4. *de Eccl. cath. author.* datam fuisse clavim „ putei „ abyssi, ut errores penitùs demersos, at„ que defossos eruendo, tanta caligine or„ bem obduceret, ut, vel lucem ipsam te„ nebris circumfudisse videretur „. Quamvis & altera dictæ censuræ explicatio adaptari posset cohærenter ad indicatam doctrinam *art. præc. num.*25. dicendo quòd Facultas Parisiensis per Tò *in fide & moribus erroneam*, non intellexerit specificam *erroneitatis* censuram, sed *hæresim*, cui, additamentum *in moribus*, tetigimus non repugnans. Sicut namque per Tò *error* clarissimè importatur *hæresis* Aerianorum, ita & eadem importari potest per Tò *in fide, & moribus erroneam*. Attenta præsertim conjunctione illa, &, in ultimis particulis, *& est error damnatus*, quæ non tàm præsefert novi gradus censuræ incrementum, quàm immediatè præcedentis explicationem.

29. Altera, quam polliciti sumus, objectio, ex opinione eorum eruitur, qui negantes cum Soto *lib.*3. *de nat. & grat. c.*11., & *contra Catharinum cap.*5. Canum *lib.*12. *de locis c.*3. & alios nonnullos, ad fidei objectum pertinere revelationes privatis hominibus factas, ducti notissima Augustini *in Enchir. cap.*9. & *contra epist. fundamenti cap.*5. protestatione *cap.*2. *art.*10. *num.*22. relata, ipsius animum designante non credendi Evangelio, nisi illud Ecclesia proponeret, ac Angelici assertione, qua 1. *p. q.*1. *art.*8. *in corp.* fretus altera ejusdem Augustini authoritate, quæ habetur *c.* Ego solis, *dist.*9. dicentis se alios è Scriptoribus canonicis Authores ita legere, *ut quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios Authores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt*; firmat fidem nostram inniti *revelationi Apostolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si quæ fuit aliis Doctoribus facta*, & consequenter propositiones oppositas dictis privatis revelationibus non fore *hæreticas*, utpotè quæ haud quaquàm contrariæ sint fidei objectis: Ut indè assignent gradum censuræ eis competentem, ad *erroneitatem* confugiunt, quæ ad *hæresim* præ aliis accedit. Contendentes idcircò non per solam *oppositionem mediatam* revelatis *erroneitatem* constitui, sed, vel per *mediatam* revelatis, quæ Ecclesia proponit ab omnibus, ac singulis fidelibus credenda, vel etiam per *immediatam* revelatis huic, vel alteri privatæ Personæ, & non, ut ab universitate fidelium credi debeant fide supernaturali, & divina.

30. Verùm in primis hi Doctores non distinguunt fidem *divinam* à fide *catholica*, prout Tò *catholica* universalitatis extensionem designat. Cùm tamen non eò ipso, quòd aliquod objectum ad *catholicam*, quà talem, fidem non pertinet, nec censeri queat ad fidem *divinam* spectans, quæ simplicitèr, ac unicè suam denominationem ex *divino* testimonio desumit, quod ejusdem est authoritatis, & ponderis, sivè de eo authentica, ac publica habeatur notitia, sivè privata, dummodò firmitas concurrat, quæ ad infallibilitatem fidei supernaturalis sit necessaria. Ad quod comprobandum, innumeris aliis Scripturæ textibus silentio obductis, *caput* 11. *epist. ad Hæbr.* efficacissimum est, in quo fides multorum commendatur, quæ tamen non erat, nisi revelationibus privatis innixa. Immò nec, ut fides *catholica* absolutè dicatur, adeò essentialis censenda Ecclesiæ propositio, ut absque illa nullatenùs, nullaque in hypothesi tamquàm talis haberi valeat. Regularitèr quidem, & juxta communem modum, dictam necessitatem negare non possumus, quo attento Angelicus (2.2. *q.*5. *art.*3.) *Formale*, inquit, *objectum fidei est Veritas prima, secundùm quod manifestatur in Scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex Veritate prima*; non ob id tamen repugnans & chimæricum reputari debet, quòd talitèr per miracula, aut alia motiva fiat cunctis fidelibus nota revelatio divina de aliquo objecto facta huic, vel illi Personæ, ut ipsi assentire omnes maneant obstricti. Nisi dicere placeat, quòd etiam in hoc casu, Ecclesiæ concurrat authoritas, quatenùs, ut fide divina tenendum asserit, quicquid, eo modo constet esse à Deo revelatum. Quo sensu etiam fides præbenda revelationi privatæ, uni, vel alteri dumtaxat factæ, sufficientèr tamen aliis omnibus notæ, dici potest *catholica*, non quidem *directè*, sed *reflexè* ex consideratione prædicta.

31. Ut ut autem *catholica* dici nequeat fides, quæ privatæ revelationi innititur, non est tamen, cur *divina* ac *supernaturalis*

 into-

in toto rigore haberi non debeat; & catenùs nullum extat motivum, ut opposita proprio alteri, privatæ ejusmodi revelatione affectæ, non sit tamquàm *hæresis* explodenda, non quidem ab omnibus, sed à quotquot de revelatione prædicta sunt sufficientèr instructi. Quod tamen intelligendum volumus de *hæresi*, quatenùs hæc constituitur per oppositionem, & contradictionem Primæ Veritati revelanti, & *objectivè* inspecta, ad tradita *cap.2. art.1.* non prout importat *sectam*, seu *divisionem* ab Ecclesiæ unitate, sic namque, de ea discurrendum, servata proportione, sicut nuper ex opposito locuti sumus de fide *catholica*, & indicavimus ex De Lugo *cap.3. art.21. num.6.* Ad quod cohærenter præfatus Author *disp.1. de virt. fid. div. sect.11. num.243.* privatæ revelationi repugnantem *infidelem* dicendum asserit, non *hæreticum*, quia ad *hæresim* exigitur contumacia contra Ecclesiæ propositionem; quod adhùc restrictionem aliquam patitur ratione recursus ad propositionem *reflexam*, de qua *num. præc.* & quidem conformitèr ad limitationem, quam doctrinæ ejusdem Cardinalis dedimus *cap.3. art.21. num.8.*

32. Sivè autem *infidelitatis* titulo afficiatur propositio privatæ revelationi opposita, sive *hæresis*, nusquàm tamen *erronea* dici potest, nisi opinioni eorum inhærere quis velit, putantium quolibet defectu, ob quem *hæretica* propositio nequaquàm denominanda censetur, eò ipso dicenda sit *erronea*, quos abundè rejecimus *art.1. num.5. hujus cap.* Attento præsertim, quòd in casu defectus esset penitùs accidentalis in extrinseca circumstantia universalitatis consistens, non malitiam *hæresis* imminuens, sed denominationem dumtaxat accidentaliter immutans eodem planè modo, quo, à contrario sensu, licèt *fidei catholicæ* objectum non dicatur, cujus revelatio non est per Ecclesiam proposita, non tamen ideò à rigorosa *fidei divinæ* ratione declinat, ut satis ostendimus, & à Concilio Tridentino *sess.6. de justific. cap.12.* videtur insinuatum in illa sacrosancta de prædestinatione sanctione: *Nemo quoque quandiù in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeò præsumere debet, ut certò statuat, se omninò esse in numero prædestinatorum, quasi verum esset, quòd justificatus, aut ampliùs peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam nisi ex speciali revelatione scire non potest, quos Deus sibi elegerit* & (*Can.16.*) *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certò habiturum absoluta, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit: anathema sit.* Dum enim asserit *neminem debere præsumere, ut certò statuat se omninò esse in prædestinatorum numero*, rationem subnectens: *Nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit*, et *nisi hoc speciali revelatione didicerit*, apertè indicat, quòd ex speciali revelatione oriri possit infallibilitas fidei circa propriæ prædestinationis notitiam. Eademque loquendi formula usus est, loquens de notitia, quam quis potest habere de propria fide *in 3. dist. 23. qu. unic.* Subtilis Magister: *Fidem accipiendo, prout dicit habitum generatum inclinantem in aliquid non evidens ex se, tamquàm in verum, & hoc determinatè, ut assentis illi tamquàm vero; sic potest aliquis scire se habere fidem, generalitèr loquendo de fide, sicut potest scire se habere scientiam, arguendo, habitum esse in se ex suis actibus, sed quòd aliquis sciat, vel scire possit, se habere fidem certam determinatè inclinantem in verum, ita quòd sciat, fidem esse veram, & illud in quod inclinat, esse verum, ita quod facit assentire vero, & non solùm inclinat in aliquod tamquàm verum secundùm primum modum, sic nullus potest scire in hac vita, nisi revelatum sibi.*

33. Neque quis contendat, ex eo, quod diximus, absque Ecclesiæ propositione posse pro aliquo casu utcumque possibili haberi fidem, nedùm *divinam* dumtaxat, sed & *catholicam*, erui posse quidpiam in præjudicium eorum, quæ firmavimus *cap.2. art.11.* de necessitate Regulæ vivæ in ordine ad credenda mysteria divinitùs revelata, eam, non aliam esse probantes, quàm Ecclesiam *catholicam*. Non enim huic necessitati officit, quòd possibilis sit aliqua hypothesis, in qua Deus operari volens supra ordinarium rerum cursum, revelationem aliquam privato cuilibet factam, notam miraculosè reddat cunctis fidelibus, etiam Romani Pontificis *directa* propositione præcisa. Extraordinaria esset hujusmodi suppositio, quæ non attendenda, ut indè stabilita pro præsenti Providentia Regulæ vivæ necessitas infirmetur. Cùm præsertim etiam in data hypothesi, ad Ecclesiam sit habendus recursus, tàm pro revelationum privatarum, quàm pro miraculorum in earum confirmationem patratorum discussione, & examine, juxta decretum Later. Concil. sub Leone X. *sess.11.* Reflexaque semper concurrat Ecclesiæ propositio, qua credenda præcipit, quæ sufficienter constet esse divinitùs revelata.

34. Aptè catenùs Innocentius Tertius

Uni-

Universis Christi fidelibus, tàm in Urbe Meten. quàm in ejus diœc. constitutis, scribens, & habetur *cap.* Cum ex injuncto *debæret.* post. quàm ex illo Apostoli (1. *Corinth.* 12.28.) *Alios Dominus dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Doctores*, infert: *Non debet sibi quisquis indifferenter prædicationis officium usurpare. Nam secundùm Apostolum*; (*ad Rom.* 10.15.) quomodò prædicabunt, nisi mittantur? & *Veritas ipsa præcepit Apostolis* (*Math.* 9. 38.) Rogate Dominum messis, ut mittat Operarios in messem *suam*. Indè objiciens: *Quòd si fortè quis argutè respondeat, quia tales invisibiliter mittuntur à Deo, & si non visibiliter mittantur ab homine, cum invisibilis missio multò sit dignior, quàm visibilis, & divina longè sit melior, quàm humana* in sequentem formam præsenti faventem intento, respondendum protulit: *quòd cum interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nudè tantùm asserere, quòd ipse sit missus à Deo, cùm hoc quilibet hæreticus asseveret: Sed oportet, quòd adstruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi, vel Scripturæ testimonium speciale. Undè cum Dominus vellet mittere Moysen in Ægiptum ad filios Israel, ut crederent ei, quòd mitteretur ab ipso, dedit ei signum ut converteret virgam in colubrum* (*Exod.* 7.9.) *& virgam iterum reformaret. Joannes quoque Baptista speciale suæ missionis testimonium protulit de Scriptura dicens*; (*Jo.* 1.23.) Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta (*cap.* 40.) *Non ergo credendum ei, qui se dicit missum à Deo, cum non sit missus ab homine, nisi de se speciale proferat testimonium de Scriptura, vel evidens miraculum operetur. Nam & de his, qui missi leguntur à Deo, Evangelista testatur, quòd ipsi profecti prædicabant ubique*, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis (*Marc.* 16. 20.)

ARTICULUS V.

An eadem propositio possit esse simul hæretica, *&* erronea?

1. POsse aliquam propositionem de *erronea*, decursu temporis transitum facere ad *hæresim* nequit in dubium verti. Sicque contigisse satis probabiliter indicavimus *art.* 3. *num.* 9. propositioni asserenti *B. Virginem venialiter peccavisse*, quæ ante definitionem Claramontani sub Urbano II. vel Tridentini, habebatur *erronea*, ad præsens verò virtute Apostolicæ determinationis est rigorosissimè *hæretica*; dùm per eam revelatio de immunitate ejusdem Deiparæ à qualibet veniali labe, quæ erat *implicita*, nec adhùc cunctis fidelibus nota, reddita dein est Spiritus Sancti afflante lumine omnibus manifesta. Ex quo elucere innuimus transitum prædictum minimè habitum, præcisè per hoc, quòd propositio relata ex *erroneitate* ad *hæresis* quidditatem, sed quòd ab *implicito*, & ignoto hæresis statu, in quo erat, ad *explicitum* & *manifestum* devenerit. Aliàs quantumvis *erronea* ea extitisset, per nullam subsequentem definitionem evadere potuisset *hæretica*, ex traditis *cap.* 3. *art.* 5. præsertim *à num.* 20. & *art.* 13. *num.* 4. ac *cap.* 5. *art.* 2. *num.* 2. & *art.* 3. *num.* 16.

2. Mota igitur quæstio sita est, ut videamus, an, sicuti aliqua propositio, dùm reperiretur in *implicito hæresis* statu, *explicitè* censebatur dumtaxat *erronea*, utpotè quæ opponebatur conclusioni theologicæ ex præmissa de fide, & altera naturaliter deducta, ita & perseverare queat sub eadem *erroneitatis* nota, non obstante Pontificia definitione, per quam *hæretica* est declarata? locumque etiam habet quòad reliquas propositiones, quæ semper *hæreticæ* fuere habitæ, an videlicet sint quoque capaces, ut simul denominentur *erroneæ*? non quidem ex ejusdem oppositionis cum revelati principio, sed ex diverso, adeò ut, per oppositionem *immediatam* cum aliquo fidei objecto constituantur *hæreticæ*, per *mediatam* verò cum altero itidem revelato asserantur *erroneæ*. Undè patet totam controversiam restringi circa *erroneitatis* constitutivum, & quidditatem, utrùm videlicèt *mediata* oppositio cum revelatis accipienda sit *privativè*, & prout excludit majoris, & *immediatæ* oppositionis consortium, vel *positivè* dumtaxat præscindendo ab eo, quòd respectu alicujus revelati objecti *immediata* extet, vel non, oppositio?

3. Licèt autem eadem quæstio agitari posset quòad simultatem aliarum quarumlibet censurarum respectu unius ejusdem propositionis, nihilominùs de *erronea*, & *hæretica* specialiùs instituitur, sivè quia ex præcipuarum harum compossibilitate, quam tuebimur, facillima est illatio ad compossibilitatem aliarum, sivè etiam quia, fortior est difficultas in *erronea*, ac *hæretica* conjungendis, quàm sit in reliquis, cùm præsertim de illis nullum ferè appareat in damnationibus Conciliaribus, aut Pontificiis clarum, & evidens exemplum, & de his verò obvia ea sint, nullique dubietati

obnoxia. Eiusque generis sunt damnationes relatæ *art. prac.* propositionis licitæ occisionis Tyrranni, (de qua *art. cit. num.* 21.) interdictæ sub apertis censuris *hæresis*, *scandali*, *& ad fraudes*, *deceptiones*, *mendacia*, *proditiones*, *perjuria*, *vias dantis*; ac thesis de peccato philosophico, quæ (ut vidimus *ibid. num.* 15.) declarata est *scandalosa*, *temeraria*, *piarum aurium offensiva* & *erronea*. Nec minùs ad idem intentum conducens est proscriptio quinque propositionum Jansenii *cap.* 3. *art.* 4. *n.* 6.7.8. extensarum, quarum primam Christi Vicarius definivit *temerariam*, *impiam*, *blasphemam*, & *hæreticam*, secundam, & tertiam *hæreticas*, quartam *falsam*, & *hæreticam*, quintam *falsam*, *temerariam*, *scandalosam*, *& intellectam in eo sensu*, ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit, *impiam*, *blasphemam*, *contumeliosam*, *divinæ Pietati derogantem*, *& hæreticam*. Ex quibus aliisque consimilibus exemplis;

4. Affirmativam resolutionem quæstionis propositæ eruimus, quòd non appare at ulla discriminis ratio, vi cuius non minùs *hæresis*, quàm *erroneitas* possint, respectu ejusdem propositionis simul jungi cum aliis censurarum gradibus, non autem inter se simul compati. Si aliqua namque esset, potissimùm illa, quam indicat Suarez *disp.* 19. *de fid. apost. &c. sect.* 2. *num.* 21. ubi in oppositam opinionem, quò ad *hæresim*, ac *erroneitatem* inclinat, ita discurrens: „ Quamvis „ illi gradus propositionum formalitèr di- „ stinguantur, nihilominùs observandum „ est, plures illorum posse aliquando in- „ eamdem propositionem convenire, ut „ in Concil. Basil. *sect.* 22. illa propositio. „ *Christus quotidiè peccat*, *erronea*, *scandalosa*, „ & *piarum aurium offensiva* nominatur. In „ quo observo aliquando inter illos gradus „ inveniri oppositionem contradictoriam, „ seu privativam solùm virtualitèr, & tunc „ non poterunt simul eidem propositioni „ attribui propter repugnantiam. Exem- „ plum clarum est in censura *hæresis*, vel „ *erroris* strictè, vel specificè sumpti: illæ „ enim duæ censuræ non possunt similitèr „ eidem propositioni attribui, quia inclu- „ dunt oppositionem ad fidem cum certi- „ tudine, vel cum aliqua incertitudine, quæ „ duæ non possunt esse simul: aliquando „ verò solùm distinguuntur illæ censuræ „ per diversas habitudines, ut esse *temerariam*, vel esse *scandalosam*, vel *blasphemam*; „ & tunc optimè possunt tales censuræ ei- „ dem propositioni simul attribui.

5. Hæc autem non videtur concludens, etsi enim major argumenti sit vera, & juxta eam regulari debeat asserta compossibilitas censurarum, quoties videlicet ad invicem nullam specialem repugnantiam, aut privativam oppositionem imbibunt, minor nihilominùs potiùs à Suario supponitur, quàm probatur, quòd nempè censuræ *hæresis*, & *erroris* prædictam contrarietatem importent, ut una alterius sit necessariò exclusiva. Quin, & quod ait de *certitudine*, & *incertitudine*, quarum priorem propriam *hæresis* censet, posteriorem verò *erroris*, si de *incertitudine* positiva id intelligit penitùs est insubsistens, & suismet principiis nequaquàm cohærens, quibus *num.* 14. præcipuum modum explicandi propositionem *erroneam* seligens, ait, esse illum. „ Quæ opponitur „ veritati certæ certitudine theologica, quę „ non attingit gradum certitudinis fidei, „ quia nullo modo est immediatè revelata, „ ut supponitur, sed est conclusio evidentèr „ illata ex una de fide, & ex altera evidentèr lumine naturali: Nàm quod talis con- „ clusio sit certa certitudine theologica, „ manifestum est, quia est scientifica in illo „ ordine. Quòd autem non attingat certi- „ tudinem fidei, docuit benè Gerson *in* „ *tract. de vita spirit. lect.* 3. & in *Alphab.* 14. „ & est consentaneum D. Thomæ 1. *p. q.* 1. „ Ubi etiam videtur esse communis sen- „ tentia, fundata, vel in illo principio, „ quòd conclusio sequitur debiliorem par- „ tem, vel in illo, quòd revelatio *mediata* „ tantùm, secundo modo explicata, non „ causat tantam certitudinem, quantam „ revelatio *immediata*, sicut scientia non „ est tàm certa, ac habitus principiorum. „ Hoc ergo supposito, manifestè sequitur „ propositionem contrariam tali proposi- „ tioni non attingere gradum propositio- „ nis *hæreticæ*, quia non habet summam „ oppositionem cum propositione fidei, „ qualis est *immediata*. Quòd autem sit *erronea*, manifestum est, quia post *hæreticam* „ propositionem habet summam repu- „ gnantiam cum veritate fidei, scilicet *mediatam* per evidentem illationem, & ita „ distinguitur ab inferioribus gradibus pro- „ positionum damnabilium.

6. Patet namque, quòd evidentia illationis concurrente, nulla adesse possit *positiva incertitudo*, quæ incompatibilis est cum *certitudine theologica*. Absque eo, quòd obstet recursus ad secundum modum, quo apud ipsum explicatur *erronea* propositio, quatenùs videlicet aliqua propositio sit omninò

ninò certa de fide, altera verò, quæ opposita censetur juxta communem sensum, non sit evidentèr, aut *certissimè* contraria. Et quidem nedùm quia explicatio hæc satis videatur *art.præc.* rejecta, sed præcipuè, quia in præsenti minimè inquirimus, an qualibet propositio *erronea* sit simul *hæretica*? sed solùm, utrùm aliqua propositio, quæ est certò *hæretica*, esse simul possit *erronea*, & è contra? ad cujus exclusionem non sufficit, quòd simul *hæretica* esse nequeat, *erronea* illa propositio, quæ talis censetur, ex quo oppositio ipsius cum revelatis evidens non sit, ac *certissima*, sed ex communi dumtaxàt constans Theologorum judicio. Sed necessariò requiritur, ut de ratione *erroneæ* simplicitèr sit excludere necessariò oppositionis *immediatæ* cum revelatis consortium, adeò ut illa censenda sit hujus generis, quæ oppositionem *mediatam* dumtaxàt *privativè* importet, quod tamen ex allato Suarii discursu minimè videtur deduci.

7. Neque ex hoc, quòd propositio *erronea* non involvat *certitudinem* fidei, nec tantam *firmitatem* contineat, quanta in *hæresi* residet, cujus oppositio cum revelatis debet inniti Primæ Veritati revelanti; infertur, inveniri inter *erroneam*, & *hæreticam* propositionem, *oppositionem contradictoriam, seu privativam*. Sicut enim contendit Suarez, *eadem disp.19. sect.4. num.16.* posse circa res fidei admitti actum opinativum, non qui *exclusivè* sit talis, quo aliquis judicet illas non esse dignas *firmiori* assensu, sed qui talis fit *præcisivè*, quo actu quis considerans solum motivum humanum, vel rationem probabilitèr suadentem, illi probabilitèr adhæret, non attendendo, nec cogitando de *incertitudine*, quæ dicto motivo insit; ita & poterit dari actus judicii, quo quis *erroneam* aliquam propositionem, aliàs *hæreticam*, teneat, non *exclusivè*, sed *præcisivè*, in vim videlicet oppositionis *mediatæ*, quam conspicit inter eam, & aliquam propositionem *certam certitudine fidei*, simulque habere judicium de eadem, quòd sit *hæretica* in vim oppositionis *immediatæ* cum altera propositione *certa* itidem *certitudine fidei*.

8. Fortiùs ex paritate duorum actuum respectu ejusdem objecti materialis, quorum alter sit fidei, alter verò scientificus, quos ad invicem compossibiles pariter propugnat Suarez *disp.3. de objecto form. fid. &c. sect.9. num.16.* per eos siquidem manifestè sequitur idem objectum reddi *certum*, & simul *incertum, certitudine*, ac *incertitudine* non *positiva*, ac *exclusiva*, sed *præcisiva*, ut enim *scitum* præcisè non potest habere tantam *certitudinem*, quantam habet, ut *creditum*, & proindè malè quis per ipsum argueret, objectū illud fore *certum*, & *incertum*, cum absolutè habendum sit *certum*, licèt ex duplici motivo, quorum unum non eumdem *certitudinis* gradum pertingat, quàm alterum. Hoc autem, non est, cur & applicari non poterit præsenti materiæ, dicendo propositionem aliquam, & *hæreticam* esse, & *erroneam*, & proindè oppositam *certissimè* aliis, quæ sint de fide, ita tamen ut oppositio respectu unius sit *certa certitudine fidei*, respectu alterius *certitudine infra fidem*, utraque verò taliter *certa*, ut quamlibet in contrarium *dubietatem* excludat, sola hypothetica excepta, quę nihil ponit in esse, sed exprimitur solùm pro explicatione quidditatis utriusque, per conditionalem, qua dicitur, in hypothesi impossibili, quòd aliqua ex prædictis oppositionibus deficere deberet, potiùs deficeret oppositio *mediata*, de qua constat sola certitudine scientifica, quam oppositio *immediata*, de qua constat *certitudine fidei*.

9. Quæ tamen, etsi ad hominem dicta sint, cum in schola Subtilium repugnantes omnino censeantur actus opinionis, simul & fidei, vel actus scientificus, & fidei, quòd de quidditate opinionis sit formido in ea imbibita, & *incertitudo positiva*, ac *certitudinis fidei exclusiva*; & de quidditate scientifici actus *claritas* itidem *exclusiva obscuritatis*, quæ essentialis est fidei; Adhùc tamen robur habent quoàd hoc ultimum de *certitudine scientiæ, & fidei*, vi cujus nec Scotistæ contendunt opponi ad invicem unum actum cum altero, ac si non possimus de eodem objecto habere simul *certitudinem scientiæ, & fidei*, quæ procul dubiò compatibiles essent, nisi obstaret repugnantia *claritatis, & obscuritatis*. Quicquid autem dicatur de philosophicis huiusmodi quæstionibus, resolutionem practico explicemus exemplo. De fide est *Christum esse hominem*, non tamen *ipsum esse risibilem*, sed *certum* dumtaxat *certitudine theologica*, quòd per evidentem illationem sequatur ex revelata humanitate, cum qua necessariò connectitur. Revelet jam Deus *Christum esse risibilem* revelatione, quæ immediatè afficiat *risibilitatem*, non quæ afficiat *connexionem* risibilitatis cum humanitate; hoc casu, *risibilitas* esset quidem fidei objectum, considerata, ut divinitùs *immediatè* revelata, non indè tamen, vel *connexionem* cum humanitate deperderet, vel hæc redderetur *immediatè revelata*, & proindè non obstante *immediata risibilitatis* revelatione adhùc

adhùc *risibilitas* confiderari poffet,ut *connexa* cum humanitate, etiam *immediatè revelata*, & proindè dici certa ex *certitudine fidei* ob *immediatam sui revelationem*,& *certitudine theologica* ob *revelationem immediatam humanitatis*. Quo pofito, patet propofitionē oppofitam, & fore *hæreticam* ob oppofitionem *immediatam* cum *rifibilitatis revelatione*, & *erroneam* propter *mediatam* cum *revelatione humanitatis*.

10. Quinimò ex traditis *cap.3. art. 19.* circa propofitionem ex duplici de fide illatam, quæ, fub illationis reduplicatione, non fit objectum fidei, poteft id ipfum evinci de eadem propofitione relatè ad eamdem revelationem. In hoc etenim fyllogifmo: *Omnes Apoftoli receperunt Spiritum Sanctum, D. Petrus fuit Apoftolus, ergo recepit Spiritum Sanctum*, propofitio illata fecundùm fe, certè de fide, utpotè *immediatè revelata*, & eatenùs oppofita eft omninò *hæretica*, quia immediatè repugnans alteri revelatæ; adhùc tamen, fi confideretur fub *reduplicatione* illationis, non ampliùs confideratur cognita, ut *immediatè* revelata, fed cognita, ut revelata *medio* naturali ratiocinio. Circa eam propterea, ficut poffumus elicere duos actus, quorum alter ob *reduplicationem* illationis fit *certus certitudine theologica*, alter fit *certus certitudine fidei*, utpotè, omninò ab illatione independens; ita & poffumus propofitionem oppofitam habere, & ut *hæreticam*, quatenùs oppofitam *immediatæ revelationi*, & ut *erroneam* quatenùs oppofitam *revelationi*, quę attingitur *medio* naturali difcurfu; & in hoc fenfu dumtaxat poteft habere locum, quod habet Antonius Saura *in fuo Platonis voto cap.5. de exam. doctr. damnat. & expurgat. in genere*, quòd videlicet omnis propofitio *hæretica* fit *erronea*, non quidem ob ipfius monitum, quo neceffe effe, ait „ expendere di„ verfos gradus propofitionis damnabilis, „ aut expurgabilis non femper effentia, aut „ fpecie differre; cum interdùm folis acci„ dentibus, aut circumftantiis notabiliter „ aggravantibus feparentur; interdùm mu„ tuò fe includant. Omnis propofitio *hæ„ retica* eft *erronea* &c.„ Cùm enim abundè fupponatur probatum, *hærefis* notam fpecie differre ab *erroneitate*, & ipfemet Saura exprefsè id doceat *prælud.5.* corruit dicta reflexio; & proindè non aliter quælibet propofitio *hæretica*, effe poteft *erronea*, nifi quatenùs propofitio revelata, cui *immediatè* opponitur, poffit ita difponi, ut fiat conclufio theologica, ficque ipfi repugnans evadere *erronea* confiderata oppofitione, quam dicit ad illam *reduplicativè*, ut eft conclufio theologica.

11. Quo nihilominùs non obftante, non folent Concilia, ac Romani Pontifices in propofitionum profcriptione conjungere prædictas duas cenfurarum fpecies, *hærefis*, & *erroneitatis*, licèt, ut jam vidimus, non minùs *hærefis*, quàm *erroneitatis* notas conjungant cum aliis plerifque. Cujus potiffima ratio effe poteft, quòd utraque *hærefis*, & *erroneitatis* cenfura ad eamdem lineam nedùm fpectent, fed per oppofitionem ad fidem conftituantur. Indè enim fequitur, quòd reperta in aliqua propofitione oppofitione *immediata* cum fide, minimè fit attendenda oppofitio longè inferior, ac *mediata*, habitaque præ oculis *immediata* oppofitione cum divina revelatione, inutilis appareat fyllogifmi efformatio, per quam propofitio revelata difponatur tamquàm conclufio theologica, ut hac ratione propofitio oppofita denominari queat *erronea*. Quod & contingit in aliis cenfurarum gradibus ad fidem fpectantibus, ex quo clarum fit, quòd fi aliqua propofitio *hæretica* appareat, inutilis habetur quælibet alia confideratio, aut alicuius cujuslibet refpectus reflexio, per quam forfitan *fufpecta de hærefi*, feu *fapiens hærefim*, utcumque poffet denominari. Ex quo ulteriùs deducitur controverfiam hanc reduci poffe ad quæftionem de vocibus, dùm tota fita fit, ut determinetur, an oppofitio *mediata* cum fidei objecto, quæ propofitionem *erroneam* conftituit, fit *mediata* prout excludit omninò majorem, *immediatamque* oppofitionem, tàm cum eodem, quàm cum quolibet alio fidei objecto? fi enim id afferatur, incompoffibilis ftatim videbitur *erroneitas* cum *hærefi*, compoffibilis verò fi id negetur, ut probabiliùs hactenùs negandum infinuavimus.



CA-

CAPUT SEXTUM.

Varios censurarum gradus complectens, quibus pleræquè notari solent propositiones, Fidei, ac Religioni, adversantes.

INCOEPTAM prosequimur methodum explicandi censuras theologicas propositionum, quæ sacrosanctis catholicæ Ecclesiæ dogmatibus aliquo modo opponuntur, & cum *hæresi* aliqualem involvunt propinquitatem, ut vel ex ipsis mox recensendis, quibus inscribuntur, nominibus, poterit facillimè colligi. Non incongruum autem visum est, hoc eodem *capite* comprehendere præcipuas notas propositionibus *Religioni* contrariis applicandas, quòd *Religio* virtus sit *Fidei* summoperè affinis. Sicut namque *Fides* tendit in Deum, quia Prima Veritas est, ita & *Religio* divinam respicit excellentiam, cujus vigore dignus est supremo cultu, & honore. Hoc attento discrimine, quòd *Fides* Deum respiciat, ut *objectum quod*, & proindè virtus sit in toto rigore theologica, & ordine generationis inter Theologicas omnium prima. *Religio* verò illum respiciat, ut *objectum cui*, ita videlicet tendens in supremi Numinis excellentiam, tamquàm formalem rationem objectivam, ut tamen non sit *objectum, quod* immediatè vult ipsa *Religio*, quia velle Deo hujusmodi excellentiam est potiùs Charitatis, quàm *Religionis* effectus, sed ad illam dirigitur medio honore, vel cultu, quatenùs nempè ob illam Deus sic honorabilis est, ut ex ea talis honor habet, ut sit honestus & supremo Numini debitus; ex quo à Theologis deducitur *Religionem* non esse inter Theologales Virtutes ullatenùs adnumerandam, licèt sit è moralibus omnium nobilissima, quæ tamen ex ipsamet oritur *Fide*, & à *Fide* in esse quidditativo virtutis dependet. Adeò ut, nulla alia differentia sit inter veram, falsamque *Religionem*, quòd vera, quæ sola est virtus, & simpliciter *Religio* nominatur, ex *Fide* agnoscat originem; Falsa, quæ *superstitio* est dicenda, non Virtus, nec absolutè *Religio*, ex errore procedat, rectè catenùs dicente *opusc.* 19. *cap.* 1. Angelico, *Fidem esse primum vinculum, quo Deo ligatur homo*. Ipsæque denominationes veræ, vel falsæ *Religionis* à SS. Patribus, & Theologis passim usurpatæ ostendunt connexionem virtutis *Religionis* cum *Fide*, ex quo vera illa non dicitur, nisi per habitudinem ad *fidem*, sicut falsa appellatur quælibet alia per habitudinem ad *errorem*. Veritas etenim, & falsitas sunt qualitates per se ad lineam intellectualem spectantes; ac idcircò per se competere non possunt *Religioni*, quæ utpotè virtus moralis per se non ad intellectum, sed ad voluntatem pertinet, undè, esse verum virtutis *Religionis*, in posteriori est ad ipsam *Religionem*; quæ vera dicitur, quia constat ex illis principiis, quæ vera *Religio* postulat, ideòque dicitur vera in esse rei per conformitatem ad veras sui causas, quæ sunt verus Deus, veraque cognitio ejus.

ARTICULUS I.

An propositio suspecta de hæresi, *ac* Sapiens *hæresim ad invicemspecificè distinguantur? Ubi de utriusque ab* erronea, *&* hæresi proxima *propositione, discrimine.*

1. NEgativè huic quæstioni respondere videtur Antonius Saura *in suo Platonis voto* (*præludio* 5. *in fine*), „ eadem „ inquiens nota, seu censura propositionis „ esse videtur *hæresim sapere*, ac de *hæresi esse* „ *suspectam*, cujus meminere Pius V., & „ Gregorius XIII. illa enim *suspicio* in eo „ *sapore* fundamentum habet, & illa *hæresi* „ *favens*, propter eumdem enim *saporem* „ illi favere videtur „. Cùm tamen *cap.* 6. *de examin. doctrin.* agens ex professo de propositionibus prædictis, eas non obscurè indicet distin-

distinguendas, dùm de *hæresim sapiente* asserit „ Ut propositio aliqua *sapiens hæresim* „ existimetur, necessarium est, ut prima„ verborum facie, & significatione sensum „ *hæreticum* offerat audientibus, & legen„ tibus, sivè piè intellecta sensum catholi„ cum habere queat, sivè illum non ca„ piat „ de altera verò„ Propositio *suspecta* „ *de hæresi* illa est, quæ cum duplicem ha„ beat sensum, unum *catholicum*,& alterum „ *hæreticum* ratione circumstantiarum, per„ sonæ, temporis, vel loci, suspicio gene„ ratur, quòd à proferente, vel Scribente „ in sensu *hæretico* fuerit prolata, aut scri„ pta „ Patet autem, quòd, si, ut propositio *suspecta de hæresi* habeatur, duos necessariò imbibere debeat sensus, *catholicum*, & *hæreticum*, ea ad convertentiam dici nequaquàm valeat, cum propositione *sapiente hæresim*, quæ prima facie ita *sensum hæreticum* præsefert, ut præscindat ab eo, quòd *sensum catholicum* habere queat, vel non; adeò ut, etiamsi illum non habeat, adhùc in rigore propositio *hæresim sapiens* maneat, quin *suspecta de hæresi* sit denominabilis ob defectum duplicitatis sensus *catholici*, & *hæretici*, quam ad ejus constitutionem supponit essentialiter esse requisitam.

2. Cardinalis De Lugo *disp.20. de virt. fid. div. sect.3. num.88.* licèt prædictas censuras autumet distinguendas, non tamen apertè favet distinctioni specificæ, sed potiùs eam esse tradit distinctionem veluti gradualem, asserens utramque quidem præbere timendi ansam, ne *hæresis* lateat, neutram importare fundamentum ad absolutum judicium *hæresi* sufficiens, benè tamen ad *suspicionem* concipiendam de *hæresi*, quod cùm non consistat in indivisibili, sed habeat latitudinem magis, & minùs, indè evenit, quòd propositio quandoque dicenda veniat *hæresim sapiens*, quandoque verò *suspecta de hæresi*; Si namque fundamentum tanti videbitur ponderis, ut ex eo probabile sequi valeat judicium de *hæresi*, quam sustineat hujusmodi propositionis Author, denominabitur *sapiens hæresim*, quia *sapor* magis indicat substantiam rei, quæ sentitur, & eatenùs potest pariter inscribi *hæresim olens*, quia etiam odor ostendit naturam rei odoriferæ; si verò talis naturæ fundamentum non erit, sed sufficiens habeatur ad eruendam ex eo meram *suspicionem de hæresi*, dicetur *suspecta de hæresi*, quòd ex ea, nec probabiliter argui possit in Authore *hæresis* reitas.

3. Identitatem omnimodam earumdem censurarum supponit proculdubiò Suarez *disp.19. de infid. Apost. &c. sect.2. n.1.* in quo enumerans species, seu gradus notarum, quibus propositiones damnari solent, ponit tertio loco propositionem *sapientem hæresim*, nulla prorsùs facta mentione de propositione *suspecta de hæresi*, nec certè, nisi, quia posterior à priori solo appellationis vocabulo idem omninò importante significatum, secernitur; undè *num.16.* totus est in stabilienda distinctione inter propositionem *erroneam*, & *sapientem hæresim*, silentio itidem obducens *suspectam de hæresi*. Distinctionem autem *sapientis hæresim* ab *erronea*, eadem evincit ratione, qua concludi solet distinctio *erroneæ* ab *hæretica*. Ex quo videlicet Concilium Constantiense, & Pius V. in censuris contra Witcleph, Hus, & Bajum latis, de gradibus prædictis sejunctam faciant mentionem. Quod„ argumentum esset efficax (Saura loquitur *in suo Plat. voto prælud.5.*) „ si in Concilio Constan„ tiensi, aut Bulla Pii V. mentio esset pro„ positionis *hæresim sapientis*, sed ut constat „ ex verbis Concilii, & Pii, ibi est men„ tio propositionis *hæreticæ* in primo loco, „ & *erroneæ* in secundo, nulla tamen me„ moria propositionis *hæresim sapientis*, „ quare argumentum nullum est„ Re vera nihilominus nulla potiùs redditur hæc impugnatio, si attendatur, quod paulò ante observavimus, pro eadem videlicet censura per Suarium haberi *hæresis saporem*, & *hæresis suspicionem*, qua in hypothesi, optimè deducere poterit distinctionem præfatam propositionis *sapientis hæresim*, & *erroneæ* ex Bulla Pii V., in qua tertio loco recensetur *sapiens hæresim*, quamvis non hoc vocabulo, sed ejus, per ipsum synonimo, *suspecta*. Non omisso, quod nimius hic locutionis rigor non sit attendendus, ut ex ipso proferri valeat rationis nullitas, quotiès, quod enunciatur, in substantia est verissimum, estò accidentalem præseferat mutationem, qualis propemodùm est ea, qua asseritur de propositione *hæresim sapiente* fieri sermonem, ut membrum ab *erronea* distinctum in Constantiensi Concilio, e. g. In quo de ea non est mentio, dummodò hæc modo præfato in aliis Conciliis, aut in Pontificiis diplomatibus passim reperiatur.

4. Eamdem itidem distinctionem *erroneæ à sapiente hæresim* inculcat idem Author *num.17.* ubi referens opinionem Castri, & aliorum, qui *sapientem hæresim* explicant per hoc, quòd aliqua propositio prima facie, & ex solis terminis spectata *hæresim* præ-

sefert,

fefert; quamvis intimiùs confiderata, & piè explicata catholicum fenfum habere poffit; eam, (quatenùs ita fumatur, ut pro *Sapiente hærefim* veniat propofitio, quæ in fenfu proprio eft contra fidem, & folùm poteft in metaphorico ab errore liberari) impugnat, ex quo fic magis videatur pertinere ad fecundum gradum cenfurarum, quàm ad hunc tertium; fecundus autem eft *erroneitas*, tertius *fapor hærefis*. Quam impugnationem corroborat exemplo Bafileenfis Concilii *feff.22.* hanc propofitionem tamquàm *erroneam* damnantis: *Chriftus quotidiè peccat*, nec nifi, quia in proprio fenfu falfa eft, & contra fidem, & folùm in metaphorico liberatur, intelligendo Chriftum non in fe, fed in fuis membris quotidiè peccare. De propofitione autem *Sufpecta de hærefi* idem omninò fervat *prædicto numero* filentium, quod fervarat in *præcedenti*, & eatenùs validior redditur conjectura, quòd nullam inter *fapientem hærefim*, & *fufpectam de hærefi* agnofcat diverfitatem.

5. Apertam ècontra diftinctionem prædictarum cenfurarum propugnat adversùs Hurtadum, De Lugo, Oviedum, & plures alios, P. Ferrè *tract.2.de oppofit.fid.q.16. §.5. num.24. & feq.* fequenti utens ratiocinio „ *fapere hærefim*, & *redolere hærefim* determinatè ducit intellectum ad concipiendum aliquid, quod habeat affinitatem cum *hærefi*, hoc enim eft habere *faporem hærefis*, habere affinitatem, feu aliqualem participationem *hærefis*, & ad hoc concipiendum determinatè ducit propofitio *fapiens hærefim*. At propofitio *fufpecta de hærefi* non ducit intellectum determinatè ad aliquid, quod, vel fit effentialitèr *hærefis*, vel folùm participativè, fed tantùm concipientem ducit ad fufpicandum, quòd illud, quod ipfa profert, *hærefis* fit, vel quòd eam Proferens *hærefim* aliquam habeat: & licèt multoties aliqua propofitio ex hoc, quòd *hærefim fapiat*, ducat concipientem ad dubitandum, vel vehementer fufpicandum *de hærefi*, non tamen idem eft formaliter, effe *fufpectam*, & *hærefim fapere*. Tùm quia *fufpecta* per hoc tantùm definitur, quòd *fufpicionem* ingerat de *hærefi*, *Sapiens* autem *hærefim*, quamvis *fufpicari de hærefi* faciat, non tamen per hoc definitur, fed tantùm per hoc, quòd fignificet aliquid affinitatem habens cum *hærefi*. Tùm fecundò quia *fufpecta* tantùm eft illa, quæ poteft *fufpicionem* generare in Audiente illam; *fapiens* autem *hærefim* poteft tantum, & tàm magnum habere *faporem hærefis*, quòd poffit etiam inducere ad aliquam probabilitatem, quòd aliqua hærefis lateat, vel in illa, vel in Proferente. Ex quo crediderim, propofitionem *fapientem hærefim* majorem gravitatem habere, faltèm per non repugnantiam, quam habeat propofitio *fufpecta*, quia poteft pervenire ad generandam probabilitatem de *hærefi*, ad quod *fufpecta*, ut talis, pervenire non valet „ Quo difcurfu non obftante.

6. Quæftionis propofitæ opinionem identitati faventem ducimus feligendam, cum communiori Theologorum, quos ex profeffo fequitur Cardinalis Brancatus *difp.16.de Perf.ac doctr. de hærefi fufp.art.2.§.2.* eodemque à contrario fenfu illam probandam putamus motivo, quo diftinctionem fpecificam autumamus ftatuendam inter propofitionem *fapientem hærefim*, feu *fufpectam de hærefi*, ac *erroneam*, quicquid contra hanc aliqui fcripferint confundentes *hærefim fapientem*, & *erroneam*, quos inter, Suarez *difp.19. de inf. apoft. &c. fect.2.num.16.* recenfet Simancam, & alios *erroneam* definientes effe illam, quæ hominem reddit *fufpectum*, quòd *hæreticus* fit, vel ex qua, cum aliis principiis fequitur *hærefis* manifeftè, quorum utrumque convenit propofitioni, quæ *fapit hærefim*. Ob quam fortè rationem Antonius Saura *in fuo Platonis voto prælud.5.* ejufdem opinionis facit Turrecrematam *in Summ. de Eccl. lib.4. par.2.cap.10.ad finem*, ubi re vera nihil de propofitione *erronea*, cùm toto eo *capite* agat de *multiplici hærefum fpecie*, qua tradita, fubdit: „ Præter autem has fpecies *hærefum* diftinguitur quædam fpecies falfæ affertionis, videlicet affertionum, quæ etfi *hærefes* non fint, funt tamen *hærefim fapientes*, quia *hærefi* propinquæ, qualis eft, quæ afferit dogma perverfum, ex quo, cum notorio vero, quod negari non poteft, fequitur *hærefis* propriè dicta; v.g. ifta propofitio: *omnis homo exiftens Romæ eft in peccato mortali*, poteft dici *fapere hærefim*, quia, ex ea, cum alio vero coaffumpto, videlicet, quòd *infans noviter baptizatus, eft Romæ*, fequitur, quòd *infans noviter baptizatus*, *Romæ fit in peccato mortali*, quod eft *hæreticum*. „ Ex quibus verbis non elucet intenta confufio *erroneitatis*, & *hærefim fapientis*, quam Saura refert. Non omiffo, quòd potiùs *cap. 11.* diftinctio dictarum cenfurarum aperitur, dum *erronea*, veluti in fenfu generico definitur, propofitio afferens aliquod,

quod est falsum; de *hæresi* verò, ac *hæresim sapiente*, subjungitur, fuisse *capite præcedenti* explicatas.

7. Motivum autem indicatum ex Suario relato *num. 3.* præcipuè in eo est situm, quòd in decretis Conciliaribus, ac Pontificiis sanctionibus censuras propositionum involventibus, sicuti *erroneitas* ponitur, ut gradus omninò distinctus, nedùm ab *hæresi*, sed & à *sapiente hæresim*, ac à *suspecta de hæresi*, de quibus in uno eodem decreto, aut bulla fit specialis mentio, quæ superflua prorsùs esset, si quod importatur per eas, designaretur per *erroneitatem*; non esset enim, nisi repetitio unius ejusdem censuræ sub variis nominibus significata; Ita & è contra nullibi simul enunciatæ reperiuntur *sapiens hæresim*, & *de hæresi suspecta*, sed quoties in aliquo decreto, ac constitutione sermo fit de *sapiente hæresim*, silentio præteritur *suspecta de hæresi*; & è contra, si hæc nominetur, de illa nec ullum verbum. Undè cum in causis præcisis, si affirmatio affirmationis est causa, negatio est habenda causa negationis, ut in simili animadvertimus *cap. 3. art. 5. num. 7.* sequi indè videtur utrumque resolutionis membrum, quòd videlicet *erroneitas* sit gradus censuræ distinctus à *sapiente hæresim*, seu *de hæresi suspecta*, quódque non duo distincti, sed unus, idemque gradus censuræ importetur per *suspicionem*, & per *saporem hæresis*. Assumptum videtur nulla indigens probatione quoàd singulas sui partes; Quòd enim *erroneitas* nominetur expressè in uno, eodemque decreto, ac constitutione, in quibus exprimitur *sapiens hæresim*, aut de *hæresi suspecta*; quódque è contra nusquàm hæ postremæ simul nominatæ reperiantur, ad oculum patet, si decreta, & constitutiones hujusmodi inspiciantur. Quòd verò dicta diversitas expressionis sit causa præcisa, ob quam *erroneitas* existimatur communitèr gradus censuræ à reliquis sejunctus, ex traditis de *erroneitatis* natura, ac impugnationibus opinionum oppositarum clarissimè elucet: & propterea legitima habenda quoque erit illatio, nisi contra eam speciale aliquod adducatur discrimen, ob quod, etiamsi de eis nulla extet nominationis simultas, quæ diversitatem indicet gradus, adhùc diversitatem admittere simus obstricti.

8. Quòd si ad censurarum earumdem recurramus naturam, clarissimè quoque redditur *erroneitatis* ab *hæresis sapore*, ac *suspicione* distinctio. Propositio siquidem *erronea* nullam penitùs in se continet formalitatem *hæresis*, quam potiùs adeò excludit, ut neque per supervenientem Ecclesiæ definitionem possit propositio ulla de *erronea* ad *hæresim* transitum facere, uti non semel est deductum ex eo solidissimo fundamento, quòd in Ecclesia nulla fiat revelatio de novo, sed ea, quæ erat in statu implicito, ad explicitum eruatur; *erronea* autem, quà talis præcisè, nullam explicitam revelationem de se supponit, quia aliàs, non *erronea*, sed *hæretica* habenda esset, & propterea, etiamsi *mediata* ipsius repugnantia cum propositione fidei divinitùs manifestaretur, adhùc in sua *mediata* oppositionis natura perseveraret, & eatenùs adhùc itidem maneret *erronea*. Non sic autem propositio *hæresim sapiens*, & *suspecta de hæresi*, quæ in suo conceptu non excludit rationem *hæresis*, sed potiùs illam indicat, adeòut ex ipsa ad *hæresim* fieri valeat transitus, tamquàm quid imperfectum, ac veluti incompletum, ad sui complementum. Neque enim ex alio capite dicitur haberi in aliqua propositione *sapor hæresis*, vel *suspicio*, nisi quia aliqua ratio, formalitas, aut conjectura in ea adsit *hæresis* non adhùc satis cognitæ, sed occultæ, estò non omninò latentis ob indicationem, quæ de ea supponitur, quæque per *saporem*, & *suspicionem* designatur.

9. Hinc colligenda venit diversitas, quæ est in eo, quòd habeatur *hæresis præsumptio*, & *hæresis suspicio*, quarum illa, non hæc cum *erroneitate* consistit. *Præsumptio* enim *hæresis* non dicit in suo conceptu respectum ad solum *erroneæ* propositionis objectum, nec sumitur relatè dumtaxàt ad oppositionem, quam illud *mediatè* dicit ad divinam revelationem; sed aliud objectum diversum respicit, & ejus percutit *immediatam* divinitùs manifestationem. Sic in pluriès repetito vulgari *erroneæ* propositionis exemplo: *Christus non est risibilis*, qui eam enunciaret, esset *præsumendus hæreticus*, non præcisè, quia negaret risibilitatem Christi, quomodocumque hæc explicetur, sed quia *præsumeretur* negare aliud objectum *immediatè* revelatum, nempè Christi humanitatem: At *sapor hæresis*, ac *suspicio* in eodem sistit objecto, involvitque respectum ad eamdem revelationem, quam, etsi non clarè constet ab eo negari, aliquod nihilominùs fundamentum leve, aut grave adsit, quòd revera negetur. Circa quod optimum est etiam monitum Cardinalis De Lugo *disp. 20. de virt. fid. div. sect. 3. num. 87.* insinuantis, ex re ipsa constare, quòd minus quid videatur significare propositio *suspecta*, quàm *erronea*, quia error con-

„ concessus cogit ad negandum principium revelatum, & ideò non solam *suspicionem*, sed *præsumptionem* magnam affert: de *hæresi suspicio* autem multò minus est, quàm *præsumptio*, ut constat, „ quare multò minus requiritur ad *suspectam*, quàm ad *errorem*.

10. Ex quo inferendum, quòd licèt Turrecremata confundere non intenderit propositionem *erroneam*, & *suspectam de hæresi*, ut *num.*5, innuimus, revera tamen constitutivum *erroneæ*, propositioni de *hæresi suspectæ* adaptaverit, hujusmodi esse autumans, quæ *asserit dogma perversum, ex quo, cum notorio vero, quod negari non potest, sequitur hæresis propriè dicta*. Ad cujus explicationem non omninò idoneum exemplum ab eo allatum apparet; licèt enim conclusio illa: *hic infans noviter baptizatus est in peccato mortali*, sit *hæretica*, in hypothesi, quòd de vero, validoque baptismate intelligatur; ea tamen non sequitur ex dogmate perverso, quale non est propositio illa universalis: *Omnis homo Romæ existens est in peccato mortali*, perversitate sumpta, prout designat aliquam pravitatem, quæ non *immediatè*, sed *mediatè* revelatis repugnet. Vel enim per universalem, *Omnis homo*, signatur quilibet Romæ existens, etiamsi baptizatus ritè sit, ac puer peccati actualis incapax? & in hac hypothesi est *hæretica*, ac revelatis *immediatè* repugnans; vel pueri sic baptizati in ea non comprehenduntur? & sic ex ea non benè infertur prædicta conclusio. Vel propositio præcisivè sumitur, quatenùs potest, & extendi ad pueros ritè baptizatos, & non extendi? & hoc modo utique *sapiens hæresim* dici poterit, non tamen quia, ex ea cum notorio vero, quod negari non potest, prædicta eruatur conclusio, sed quia, ex una parte ob sui apparentem universalitatem præsefert comprehensionem omnium hominum Romæ existentium, pueris ritè baptizatis non exclusis, & ex altera est capax limitationis per exceptionem puerorum ritè baptizatorum, eo planè modo, quo (*Esther.* 15.13.) *Non pro Te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*. Undè conclusio adducta potest dumtaxat pro *erronea* haberi, quatenùs majori illa accepta in sensu *hæretico*, ob universalem pueros ritè baptizatos comprehendentem, ea dein consideratur reduplicativè, ut deducta, juxta tradita *cap.*3.*art.*19.*per totum*.

11. Quin valeat definitionem prædictam limitare cum Suario *citato num.*17. *disp.*19. *de infid. &c. sect.*2. dicendo tunc illam propositionem *sapere hæresim*, ex qua, „ coassumptis aliis principiis sequitur *hæresis*; quando vel illa alia principia non „ sunt omninò certa, licèt in Ecclesia sint „ valdè recepta, & ferè certa, vel etiam „ illatio non est evidens, cùm tamen probabilissima sit, & communitèr probata„. Ex notatis siquidem *cap.*5. *art.*2. *num.*9., & *art.*3. *num.*10. quotiès aliqua propositio ex principiis non omninò receptis, & certis, ut fide divina tenendis eruitur, vel si ex certis, illatio non omninò clara, & evidens, sed solùm probabilis, aut probabilissima habeatur, totiès dicenda est propositio *hæretica*, sed cum addito, *probabilissimè*, vel *ferè certò*, vel *certò moraliter*, aut alio consimili. Ratione cujus Cardinalis de Lugo ex Hurtado, & Coninchio *n.*79. propositionem eo affectâ addito fidei immediatè adversantem, *hæresi proximam* censuit appellandam, sicut si mediatè tantùm adversaretur, fore *num.*84. subdit, ob paritatis rationem, dicendam *errori proximam*. Indè colligens tùm rationem, cur in Concilio Constantiensi de quibusdam *articulis* dictum sit *esse notoriè hæreticos* „, hoc est certò, & sine controversia; illi autem, qui non omnium, sed „ aliquorum sententia sunt *hæretici*, non „ possunt dici *notoriè hæretici*, sed dubiè, & „ id significatur per *proximam hæresi*. Quæ „ censura non tàm videtur intrinseca ipsi „ propositioni, quàm extrinseca propter „ diversa Doctorum judicia, quorum alii, „ qui eam dicunt esse *hæresim*, alii negant, „ quam varietatem controversam significamus, dum dicimus esse *proximam hæresi*:„ tùm impugnationem Suarez in eo, quòd, ut tetigimus *art.*5.*num.*5. *præc. cap.* negaverit eamdem propositionem esse simul posse *erroneam*, & *hæreticam*, quia hoc esset habere certam, & non certam oppositionem cum fide. Cùm revera oppositio *incerta*, sufficiens esse queat ad *hæreticam* propositionem constituendam „, quia in iis ca„ sibus incertitudo frequenter nascitur ex „ diversis Doctorum sententiis probabili„ ter affirmantibus, vel negantibus eam „ propositionem esse *hæreticam*; sæpè au„ tem continget, propositionem affirman„ tem esse veram; nam opinio probabilis „ aliquando, & sæpè vera est: tunc ergo „ verè propositio illa erit *hæretica*, sed pro„ pter opinionem probabilem in contra„ rium non puto esse judicandam in judi„ cio ultimo, ut *hæreticam* simpliciter, & „ sine addito, sed ut *hæreticam* aliquorum „ judicio, & simpliciter ut *proximam hæresi*.

12. Pro cujus explicationis pleniori intelligentia tria subnectit animadvertenda monita. Primum, quòd sufficiens nequaquàm sit, ut propositio dicatur *proxima hæresi*, quòd unus, aut alter Doctor eam affirmet *hæreticam*, sed requiri, quòd plures, estò non omnes, graves tamen Doctores, dicant esse *hæreticam*,, Ille enim, qui probabiliter ,, *hæreticus* iudicatur, vel *hæreticus* est, vel ,, *hæresi proximus*, ipsum autem *proximitatis* ,, vocabulum indicat propinquitatem maximam, quam non habet propositio, ,, ex eo, quòd ab uno, vel altero, & sine ,, gravi fundamento *hæretica* pronuncie- ,, tur.,,Secundum,propositionem aliquam modalem non esse *hæresi proximam*, sed eò, quòd cathegorica, seu de inesse sit *proxima hæresi*. Sic, licèt *hæresi proxima* dici valeat assertio, qua quis negaret aliquem Sanctorum canonizatorum esse in gloria, quòd probalissimum sit Rom. Pont. non posse fallere, aut falli in condendis decretis hujusmodi: si quis tamen diceret *hæresim* non esse, defendere, quòd Pontifex possit errori fieri obnoxius in dictis decretis, reflexa hæc assertio non esset *hæresis*, sed opinio multorum Catholicorum. Tertiò, graviorem esse simpliciter, omnibusque pensatis, *erroneitatis* censuram, quàm *proximæ hæresi*,, nam qui ,, dicitur *hæresi proximus* solùm significatur, ,, quòd in aliquorum opinione sit *hæreticus*, quæ tamen opinio falsa esse potest, & ,, ideò non invenitur in eo necessaria con- ,, nexio cum *hæresi*, sed contingens. Qui ,, tamen negat conclusionem theologi- ,, cam deductam evidenter ex præmissa ,, certa de fide, & ex alia præmissa evidenti ,, lumine naturæ, quæ conclusio sine erro- ,, re negari non potest, eò ipso invenitur ,, habere necessitatem ad negandam præ- ,, missam de fide ,, cohærenter ad tradita supra *cap.5. art.4. num.8.*

13. Hanc Cardinalis doctrinam, quam exscripsisse videtur Dominicus à SS. Trinitate *lib.2. bibl. theol. sect.7. cap.3.* quoad aliquam partem amplectimur, quoad aliam rejiciendam putamus. Amplectimur in eo, quòd *proxima hæresi* sit desumenda ex Theologorum extrinseca authoritate potiùs, quàm ex aliqua, quæ insit propositioni, formalitate, per quam propositio desumere valeat notam distinctam, nedùm ab *hæresi*, sed & ab *erroneitate*, ac etiam ab *hæresis suspicione*, & *sapore*. Quælibet enim formalitas, quæ considerari potest in propositione, in aliqua oppositione ad fidem debet fundari, quæ si est *immediata*, infert *hæresim*, si *mediata*, *erroneitatem*, si dubia ob sensus duplicitatem, *suspicionem hæresis*, aut *ejus saporem* servata proportione; ut proindè clarum videatur absque recursu ad extrinsecam authoritatem assignari facilè non posse prædicatum ullum, aut qualitatem propositionis, reddentem eam *proximam hæresi*, prout hęc nota supponitur à prædictis omnibus diversa; qualis haberi debet, quicquid scripserit Lor. ca *proximam hęresi* autumans propositionem contrariam alicui conclusioni theologicæ, rectè idcircò ab eodem Cardinali rejectus, quòd *erroneam* cum *proxima hæresi* absque fundamento confuderit. Immò post decretum Alexandri VIII. damnantis unam supra triginta propositiones, videtur apertè confusio dicta explodenda, ex quo *erronea*, & *proxima hæresi* in eo recensentur, tamquàm duæ censurarum species omninò diversæ, particulis illis: *hæresi proximas*, *hæresim sapientes*, *erroneas*, ex quibus si pro synonimis habendæ essent, potiùs *hæresi proxima*, & *hæresim sapiens*, quarum una immediatè post aliam ponitur, quàm *hæresi proxima*, & *erronea*, quas inter extat *hæresim sapiens*, nisi omnes tres synonimas putare quis velit, unius athomæ speciei expressivas, contra communem Theologorum sensum, sic infirmando fundamentum præcipuum, ex quo eruimus specificas censurarum species ex insinuatis *cap.5. art.1. n.4.* & *art.præc.n.3.*

14. Si autem ab extrinseca Doctorum authoritate est desumenda *proximæ hæresi* quidditas, solidè præfatus Author *num.84.* contra Coninchium monet, loquens de *proxima errori*, non satis esse ad hujusmodi censuram, quòd propositio aliqua contradicat conclusioni probabilitèr ex fidei principiis erutæ,, Nam Doctorum usus videtur esse ,, contrarius, quorum plures probant suas ,, sententias ex principiis fidei, ex quibus ,, probabilitèr putant eas deduci, & tamen ,, alii probabilitèr etiam negant conse- ,, quentiam, & ideò probabilitèr, & impu- ,, nè docent sententias contrarias, non est ,, ergo *proxima errori* propositio negans id, ,, quod solùm probabiliter infertur ex ,, principiis fidei, sed negans id, quod ple- ,, risque videtur evidentèr inferri ex prin- ,, cipiis fidei, quamvis aliis videatur non ,, evidentèr inferri, qui est gradus quidam ,, superior, & ideò propiùs ad *errorem* acce- ,, dit, & reddit propositionem *errori proxi-* ,, *mam*,, Quæ ratio sicuti quò ad primam partem cohærens est iis, quæ tetigimus *c.5. art.4. num.18.* ita & quoad alteram, non videtur undequaque admittenda. Ex eo namque,

que, quòd aliqua propositio appareat plerisque Doctoribus inferri evidenter ex præmissis, quarum una sit de fide, altera naturali lumine nota, solùm sequitur, quòd illa sit habenda probabilitèr *erronea*, semel posito, quòd alii Doctores graves, uti supponimus, gravi ducti motivo, evidentem illationem non teneant. Sicuti cum quæritur ex. gr. an sit demonstrabile, & evidens, qualibet revelatione præcisa, Animam hominis esse immortalem? estò plerisque Doctoribus id appareat demonstrabile, & evidens, si tamen alii, & graves, & ob grave motivum, asserant oppositum, non ampliùs in hac hypothesi dici potest absolutè Animę immortalitas demonstrabilis, ac evidens, sed cum addito probabilitèr demonstrabilis, & evidens.

15. Hujusmodi autem probabilitatem idoneam non credimus, ut aliqua propositio dicatur respectivè *hæresi*, vel *errori proxima*, licèt eò ipso, quòd quæstio revera sit, utrùm sit *hæretica*, vel *erronea*, dici illam posse *probabilitèr hæreticam*, vel *erroneam*, ab iis, quibus talis videtur, debita cautione adhibita, notatum maneat *cap.5. art.4. num.18.* Quoties enim dicitur *probabiliter* propositio *hæretica*, vel *erronea*, totiès indicatur, non absoluta propositionis pravitas, sed privatum de pravitate judicium, ex quo, nulla in diversimodè opinantes injuria, à qua difficillimè liberari potest, qui absolutè pronunciaret propositionem *hæresi*, vel *errori proximam*. Quod adhùc clariùs innotescet, si attendamus, quòd nota *proximę hęresi*, pronunciata, ut vidimus, sit à Romanis Pontificibus, qui nunquàm censura inurunt propositiones, quæ probabiles extant apud Doctores, eas relinquendo in sua probabilitate, quam habebant. Et proindè eò ipso, quòd aliqua propositio *hæresi proxima* declaratur, omni prorsùs necesse est probabilitate destitui, aliàs si in ea ulla probabilitas maneret, absolutè *hæresi proxima* minimè declararetur. Cum verò hinc indè est Doctorum opinio, patet nullam ex opinionibus dici posse omni probabilitate destitutam, & idcircò nullam *proximam hæresi*.

16. Quin replicetur id locum habere, si diceretur, quòd aliqua propositio sit absolutè *proximâ hæresi*, & probabilitèr non *proxima hæresi*, non verò, si absolutè dicatur, *proxima hæresi*, & probabilitèr *non hæretica*, ad eum modum, quo simul verificari potest esse propositionem aliquam absolutè *temerariam*, *scandalosam*, *erroneam*, & probabilitèr *non hæreticam*. Hoc namque utique verificatur in censurarum gradibus, quorum quælibet suum habet constitutivum proprium, ac positivum, quòd proindè non consistat præcisè in eo, quod aliqua propositio probabiliter non sit *hæretica*, undè si ita se habeat aliqua propositio, & aliundè constet ipsam deduci ex duabus præmissis, quarum una sit fidei, alia nota lumine naturæ, nullus negabit dici posse simul probabiliter non *hæreticam*, & absolutè *erroneam*. At in præsenti, versamur in hypothesi, quòd censura *proximę hæresi* eadem omninò sit, ac *probabilitèr* non *hæretica*, quod putamus insufficiens, ut absolutè pronuncietur propositio *proxima hæresi*. Attento præsertim quòd possit dari casus, in quo graves Doctores habeant propositionem probabiliter *hæreticam*, alii verò illam habeant sanam, & orthodoxam, undè nisi addatur, quòd illa omni probabilitate sit destituta, non dicenda absolutè *proxima hæresi*. Quod adhùc neque satis esse contendimus, nisi pariter excludatur probabilitas, qua habeatur *non hæretica*, quòd de ratione cujuslibet censuræ absolutè, & absque restrictione, aut limitatione inferendæ putemus, certam adesse de ejus constitutivo notitiam. Ac eatenùs nullo modo acquiescere possumus explicationi, quam adhibet De Lugo particulis illis Constantiensis Concilii, *notoriè hæreticos*, ac si pro Tò *notoriè* exprimatur dumtaxat, quòd nulli fuerint Doctores, à quibus non haberentur *hæretici*; aliàs, quia in aliis decretis Pontificiis *hæreticæ* declarantur propositiones Baji, c. g. Jansenii &c. absque adverbio *notoriè*, dici consequenter deberet illas propositiones apud plerosque habitas *hæreticas*, non apud alios. Undè Tò *notoriè* nedùm excludere debet opinionem, per quam possint reputari non *hæreticæ* propositiones, ut tales, proscriptę, sed etiam quamcumque tergiversationem, per quam possit *hæretica* pravitas ullatenùs excusari, & in hoc cumulativo sensu locuti sumus eumdem citantes De Lugo *cap.5. art.2. num.7. 8. & 9.*

17. Relatè itaque ad extrinsecam authoritatem desumendam credimus quidditatem propositionis *proximæ hæresi*, dummodò talis, ac tanta sit hujusmodi authoritas, ut ob eam propositio, omnibus perpensis, ex cõmuni Theologorum mente habeatur *hæretica*, adeò ut si qui pro *hæretica* illam non tenent, attendendi non sint, utporè nullo gravi motivo innixi, quod fundamentum esse valeat veræ probabilitatis. Cum hac moderatione, præ aliis placet opinio

nio laudati Societatis Doctoris, qui per extrinsecam authoritatem non ita distinguit *proximam hæresi* à reliquis censuris, ac si unicè per illam constituatur. Requiritur namque fundamentum *immediatæ* oppositionis propositionis hujusmodi cum revelata; sed quia, vel quòd hæc sit revelata, vel quòd illa revera cum revelata opponatur, non est omninò certum certitudine, quæ revelatam absolutè fidei objectum reddat, & contrariam ipsi, absolutè *hæreticam*, sed ferè certum id extet ob commune Doctorum catholicorum judicium ita putantium; & ideò, sicuti revelata dici potest *proxima fidei*, ita, & opposita *proxima hæresi*. Sicque discurrendum proportione servata de propositione *proxima errori*.

18. Triplex propterea inspici potest certitudinis gradus, quo possumus judicare propositionem *hæreticam*, vel *erroneam*. Primus, quotiès clarè, & evidenter eluceat oppositio ipsius *immediata*, vel *mediata* cum revelatis, sivè quòd aperta extet in sacris literis contrariæ propositionis testificatio, quòd sit divinitùs manifestata; sive quòd, de ea habeatur explicita definitio, ac declaratio Apostolicæ Sedis; sivè etiam ex probatis *cap.3. art.* 16. n.17. quòd omnes Patres, aut Theologi unanimes concordent in ea asserenda indubiè *hæretica*, vel *erronea*. Secundus, quoties non omnes in dicta assertione, sed ferè omnes conveniunt, paucis dissentientibus levi ductis motivo. Tertius; quotiès divisi inter se ita reperiantur Theologi, ut verè probabilis utraque opinio, tùm videlicet affirmans aliquam propositionem esse *hæreticam*, tùm illam negans, reputetur. Ex his autem primus inservit propositionibus, inter absolutè, & simpliciter *hæreticas*, adnumerandis. Tertius propositionibus, quæ *hæreticæ* denominari non valent, nisi cum addito *probabilitèr*. Secundus propositionibus, quibus adaptari potest nota *hæresi proximæ*. Et fortè ab hoc gradu certitudinis, non omninò apparebit alienus De Lugo, si, quod supra retulimus ex *n.*80. de habenda ut *proxima hæresi* propositione, quam *alii dicunt esse hæresim, alii negant* &c. explicetur per particulas, quibus *num.*81. concluditur: „ Ipsum *proximitatis* vocabulum indicat propinquitatem *maximam*, „ quam non habet propositio ex eo, quòd „ ab uno, vel altero, & sine gravi fundamento *hæretica* pronuncietur „. Ac idcircò, cùm *initio ejusdem num.*81. fatetur, ut propositio sit *proxima hæresi* non sufficere, *quòd unus, aut alter Doctor eam dicat esse hæreticam*, restrictio ad *unum*, & *alterum* accipi debet posita exempli causa, quæ proindè vim suam ad finem per eam intentum retineat, etiamsi plures sint, qui judicent propositionem aliquam *hæreticam*, dummodò etiam plures sint in contrarium negantes esse *hæreticam*, adeòut utraque opinio inter catholicos Doctores censeatur verè probabilis. Undè ulteriùs patet, quo sensu est verum, quòd *erroneitatis* censura gravior sit *proximæ hæresi*, quia negans conclusionem theologicam cogitur necessariò negare, & præmissam de fide; cùm tamen sustinens propositionem *hæresi proximam*, possit non esse *hæreticus*, ex quo opinio afferens illam propositionem *hæreticam*, falsa esse queat, & proindè inter eam, & *hæresim*, non sit necessaria connexio, sed contingens, sumendo videlicet contingens pro contingenti, contingentia meræ possibilitatis, seu veriùs, metaphysicæ non repugnantiæ, non verò pro contingentia, veræ, & propriæ probabilitatis.

19. Potest & alio modo *proxima hæresi* explicari, qui fortè expeditior videbitur, & in praxi tutior, ut nempè ea propositio dicenda sit *hæresi proxima*, quæ est in ultimo, aut ferè ultimo constituta diffinibilitatis gradu, ut declaretur *hæretica*. Et hujusmodi esset propositio, quæ vel à Concilio generali præcisa Rom. Pontificis approbatione, & consensu proponitur, ut *hæretica*, vel ab unanimi omnium Patrum, aut Theologorum consensu. Pro cujus majori intelligentia, ac ne videamur opposita docere iis, quæ fusè probavimus *cap.3. art.*16. 17. sustinentes *hæreticas* simpliciter habendas propositiones, quæ tamquam tales, aliquo ex dictis modis, fidelibus proponuntur, animadvertere juvat, propositionem aliquam *hæreticam* dici posse *authenticè*, & non *authenticè*. In priori acceptione *hæretica* habetur propositio, quoties vel expressa de hujusmodi ejus pravitate habetur in sacris literis testificatio, aut clara extet de ea Ecclesiæ, seu Romanæ Cathedræ definitio. In posteriori verò, quoties, etsi adeò explicita non habeatur de ea fidei regula, quæ ostendat haberi debere, ut *hæreticam*, nihilominùs concurrunt omnes conditiones, quæ requiruntur, ut declarari valeat *hæretica*, uti propemodùm eveniret, si in aliqua propositione omnes omninò Patres, aut Theologi unanimes illam haberent *hæreticam*, cohærenter ad notata ex Cano *cap.3. art.*16. *nu.*11. In hac itaque suppositione, propositio ejus generis haberi potest, & *simpliciter hæretica*, & *hæ-*

& *hæresi proxima*. Inspecta enim oppositione *immediata*, quam importat cum fide, est simpliciter *hæretica*, & in hoc sensu locuti sumus *citatis articulis*; Inspecto tamen modo, quo dictam oppositionem *immediatam* cognoscimus, non est ex eo præcisè *simpliciter hæretica*, quia non est medium certum in se ipso certitudine fidei, sed certitudine præsuppositiva fidei, quæ tamen sufficit, ut inde propositio sic agnita ut *hæretica*, talis simpliciter æstimetur. Ac eatenus eadem propositio, & *hæretica simpliciter* habebitur in se ipsa, & relatè ad Primam Veritatem, cui contradicit, & *proxima hæresi* relatè ad medium, quo dicta contradictio est nobis nota, quod non est in se ipso Regula fidei, sed potius signum Regulæ fidei. Aliisque terminis dici potest propositio *hæretica definibilis*, quibus per Tò *hæretica* designatur prædicta *immediata* oppositio, ob quam in rigore est talis, per Tò *definibilis*, defectus medii, quo oppositionem eamdem cognoscimus, non omninò certi certitudine, quæ sit propria Regulæ fidei, sed *proximè* accedenti ad Regulam fidei. Sicque censura *proxima hæresi* gravior procul dubio erit *erronea*, quia simpliciter *hæretica* est, & certò talis, certitudine, quæ proximam diffinibilitatem constituit, quæque æquivalens dici potest certitudini, quam habemus de *mediata oppositione*, quam cum fide sufficienter involvit *erronea*, licèt adhuc non pertingente supremum gradum certitudinis Regulæ fidei. Hancque viam tutiorem innuimus, quia per eam præcluditur scopulus, in quem possent privati Doctores incidere juxta aliam, pro communi habentes opinionem asserentem aliquam propositionem esse *hæreticam*, quæ re vera communis non sit, leveque judicando motivum putantium *hæreticam* non esse, quod fortassis sit grave; & proindè notare, ut *hæresi proximam* propositionem, quæ tantam non contineat pravitatem. An autem re vera, hæc præ alia absolutè ineunda sit via? æqui, doctique lectores determinent.

20. Quæcumque autem seligatur, patet *proximam hæresi* cōfundendam non esse cum *hæresim sapiente*, quia illa semper involvere debet veram *hæresis* rationem, hęc verò non tàm substantiā *hæresis* importat, quàm *hæresis* indicationē, quę per *saporem* exprimitur. Ex quo inferri potest minimè approbandā *sapientis hæresim* definitionem ex Saura *c. 6. relatam n. 1*. In propositione etenim illa, quæ nullum habere potest catholicum sensum, nullus *hæresis sapor* admitti potest. Neque etenim, (quicquid dicat Ferrè *num. 5.* relatus, sola contentus multiplicitate, ac varietate verborum, ut *sapientis hæresim*, & *suspectæ de hæresi* distinctionem indicet) *sapiens hæresim* ideò dicitur propositio, quòd aliquod involvat *de hæresi* participans, licèt non sit *hæresis*, quia ratio *hæresis* in indivisibili consistit, nempè in oppositione, quam contradictoriè dicit cum propositione revelata: cumque non possit aliqua propositio præscindere ab eo, quòd sit, vel non sit revelata, nec poterit ejus opposita præscindere ab eo, quòd sit, vel non, *hæretica*. Solidiùs itaque idem Author *præludio 5.* discurrit unam eandemq; indicans propositionem, *hæresim sapientem*, & de *hæresi suspectam*, & per consequens, si non velit sibi ipsi etiam in hoc videri contrarius, non minùs illam, quàm istam in aliqua debet asserere æquivocatione fundatam. Quo semel admisso, optimum erit discrimen inter *sapientem hæresim*, & *suspectam de hæresi*, quod *num. 2.* ex de Lugo insinuavimus, quatenùs nempè *sapiens hæresim* in quadam speciali ori proprietate dicatur propositio, quæ gravem ingerit *suspicionem de hæresi*. Cæterùm etiam sic accepta dicitur *suspecta de hæresi*, cujus *suspicio* ex communi Theologorum mente esse potest *levis*, *vehemens*, & *violenta*, seu *modica*, *magna*, & *maxima*, quæ sunt qualitates non constituentes diversam censuram, sed diversitatem graduum ejusdem exprimentes. Quod totum majorem firmitatem desumet ex tradendis *seq. art.* de constitutivo propositionis *sapientis hæresim*, seu *suspectæ de hæresi*.

21. Non omittentes interim advertere pro plena *proximę hæresi*, ac *proximæ errori* dilucidatione, quòd, etsi hactenùs, dicta appellatione inscribendam dixerimus illam dumtaxat propositionem, quæ vel ab omnibus Doctoribus unanimiter habetur *hæretica*, juxta posteriorem viam, vel, juxta priorem, à ferè omnibus, exclusa in oppositum qualibet vera probabilitate, ac gravi, solidoque motivo. Adhùc nihilominùs probabile judicamus, posse propositionem dici *proximam hæresi*, aut errori juxta materiæ qualitatem, etiamsi à Doctoribus talis non nominetur, sed aliis notis afficiatur. Cùm enim in ferendis censuris summa sit necessaria cautio, ut non semel tetigimus, non mirum, si Theologi, ut securiùs incedant, illis solis censuris propositiones afficiant, quas judicant certiores, & à qualibet dubietate remotiores. Immò si de *hæresi* præsertim sermo habeatur, prudentiores ex ipsis,

ipsis, ab ea alicui propositioni inferenda, abstinent, præcisè per hoc, quòd adhùc veritas opposita non sit expressè definita; idque, etiamsi hanc, certò, aut ferè certò judicent contineri in aliquo Scripturæ textu, aut innixam esse divinæ Traditioni. Quo sensu, patet, quòd si ex hoc motivo unicè non asseratur *hæretica* propositio, nominari possit *hæresi proxima*, dummodò communissimè censeatur definibilis, ut *hæretica*.

22. Quod adhùc dupliciter potest contingere, *virtualiter* scilicet, & *formaliter*. Si namque expressè definibilitas prædicta ab ipsis affirmetur, ac asseratur, *formalitèr* propositio *hæresi proxima* pronunciabitur. Si autem id expressè, ac explicitè non afferant, adhùc *hæresi proxima* dici poterit *virtualiter*, eo ipso quòd Theologi, estò illam *hæreticam* non habeant, præcisè per hoc, quod non extet de ea Romanæ Cathedræ definitio, adhùc tamen illam affirmant in aliquo Scripturæ textu indubiè inclusam, & designatam. In quo, si omnes unanimiter, vel ferè omnes conveniunt, ut nulla adsit in contrarium probabilitas, nec gravе fundamentum oppositum inclusioni prædictæ, ea propositio haberi potest *proxima hæresi*, quia revera in se judicatur *hæretica*, seu, quod in idem recidit, contraria Scripturæ textui, quamvis *hæretica* ob prædictum respectum non affirmetur, & proindè dici poterit *proxima hæresi*, seu tamquam *hæresis* proximè *definibilis*, vel ferè proximè, si unanimis prædictus omnium consensus non adsit, sed communior ille sit, ac sufficiens ad secundum certitudinis gradum *num.*18. indicatum.

ARTICULUS II.

An, & quomodo Propositio hæresim sapiens, *seu* suspecta de hæresi, *constituatur per sensus, quem continet, duplicitatem*, catholici, *videlicet, & hæretici?*

1. Nullis indigemus præludiis pro quæstionis hujus decisione, quòd ex *art.præc.* satis eluceat affirmativam resolutionem esse seligendam, quam apertè propugnat de *suspecta de hæresi* Antonius Saura in *suo Platonis voto* de *exam.prop. cap.*6. ubi ut *art. præc. num.* 1. *tetigimus*, *suspectam de hæresi* distinguit à *sapiente hæresim*, cùm tamen *præludio* 5. ubi pro una, eademque censuræ specie eas sumit, propugnate contendat, quòd *hæresim sapiens*, accepta, „ stricta, ac pressa significatione, pro ea, „ quæ nec *hæretica* est contra expressam fi- „ dei propositionem, nec *erronea* contra „ conclusionem evidenter deductam ex fi- „ dei præmissa; sed pro ea, quæ, cùm nec „ *hæretica sit*, *nec erronea*, habet non *hæresis* „ substantiam, sed illius aliquid, *saporem* „ scilicet, non quidem ex re ipsa ortum, ut „ in naturalibus, quia hic indicat rem ipsã, „ vinum scilicet, si sapor sit vini, aut pa- „ nis, si illius sit sapor. In propositione au- „ tem *hæresim sapiente*, *hæresim* non indicat „ sub *sapore* latentem, sed ortum ex aliqui- „ bus circumstantiis, in quibus illa profer- „ tur. Exemplis res plana erit. Hæc propo- „ sitio (*Justus ex fide vivit*) *hæresis saporem* „ non habet in D. Paulo lecta, à Lutherano „ tamen audita, aut lecta in libro suspecto, „ *hæresis saporem* habet, quia à Lutheranis „ usurpatur ad bona opera excludenda. „ Similiter propositio *Pater major me est* in „ Evangelio lecta, est catholica, sed ab „ Ariano prolata, redolet *hæresim*. Itaque id „ habet ex circumstantiis, non verò ex pro- „ positionis significato, quod nec *hæresim*, „ nec *errorem* continet „.

2. In qua tamen *sapientis hæresim* descriptione, alia Authoris hujus inconstantia est observanda quòad postremas relatas particulas, quæ componi nullatenus valent, cum definitione *sapientis hæresim*, quã tradit *c.*6.*cit.* ad eam affirmans necessarium, *ut prima verborum facie, & significatione sensum hæreticum offerat audientibus*, *& legentibus*. Quælibet autem sit ipsius mens, approbare in toto rigore non possumus, quòd propositio *suspecta de hæresi* ex solis circumstantiis habeat reddi talis, *non verò ex propositionis significato*. Si namque propositio, ut prolata ab *hæretico* infert *hæresis suspicionem*, sanam verò doctrinam redolet, ut prolata à Catholico, indè sequitur, quòd ipsa secundùm se possit ad *Catholicum*, & *hæreticum* sensum trahi; undè optimè notat Ferrè *tract.*2. *qu.*15. *de oppos. fidei* §.5. *num.*27. ad *suspectam de hæresi unum indispensabiliter requiri*, videlicet, *quòd ipsi non repugnet hæresim enunciare de qua suspicionem ingerit*; id comprobans iisdem exemplis, quibus utitur Saura, quæque proindè sunt ad hominem convincentia. Prima namque propositio ita est catholica in sensu Apostoli significantis dumtaxat, quòd à fide sumatur justificationis exordium, juxtà illud ejusdem Gentium Doctoris (*ad Heb.*11. 6.) *Accedentem ad Deum oportet credere*, ut ei

non

non repugnet sensus Lutheri malignè interpretantis, quòd sola fidei virtus sufficiens sit ad peccatorem justificandum. Secunda itidem ita exprimit in sensu catholico minoritatem Verbi Divini secundùm assumptam humanitatem, ut intelligi queat in pravo, & *hæretico*, de minoritate secundùm Divinitatem, juxta distinctionem, quæ in Athanasiano Symbolo traditur: *Æqualis Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem.*

3. Quod adeò verum est, ut non desint Doctores, mordicùs propugnantes, quòd propositionis *suspectæ de hæresi*, aut *sapientis hæresim* proprius, & rigorosus sensus, *hæreticus* esse debeat, catholicus verò improprius, & ex pia quadam interpretatione adhibendus. Quos tamen non sequimur, eo ducti argumento, quo *cap. 5. art. 2. num. 8.* contra Lorcam usi sumus, ex Bulla Pii V. inferentes, quòd sensus improprius adaptabilis propositionibus, non impedit, quin absolutè declarentur *hæreticæ*, æquè ac *erroneæ*, & propterea ex hujusmodi sensus improprii applicatione non potest deduci, quòd propositio, non *hæretica* absolutè, sed *de hæresi suspecta* sit tenenda. Quod confirmari potest alterius propositionis exemplo, quod indicat Suarez *disp. 19. de inf. Apost. &c. sect. 2. n. 17.* ex Concilio Basileensi *sess. 22.* damnante simpliciter, ut *erroneam* in fide, propositionem illam, *Christus quotidiè peccat, & ex quo fuit Christus quotidiè peccavit*, non obstante, quòd Author illius Augustinus de Roma affirmaret se locutum in sensu improprio: *Quamvis pro Capite Ecclesiæ Jesum Christum dicat se non intelligere, sed ad membra sua, quæ cum Christo Capite unum Christum esse asserit, intelligentiam ejus referendam dicat.*

4. Fortiùs admittere non possumus doctrinam Cani, *lib. 12. de loc. usu schol. disp.*, qui, ut propugnet non esse attendendum sensum improprium alicujus propositionis, ut ea *sapiens hæresim* inscribatur, adversùs resolutionem supponere videtur posse aliquam propositionem nota præfata dignam autumari, quin ullius catholici sensus, quatumvis improprii sit capax, » quis » enim dubitat illam propositionem: *Ridiculum est Eucharistiæ Sacramentum solemni ritu per vias publicas circumferre*, Lutheranorum *hæresim sapere*, qua negant in Eucharistia Corpus Christi verum contineri? & tamen in nullo pio sensu vera est, » Quantùm enim attinet ad propositionem prædictam, *hæresim sapere*, dici eam non posse, sed absolutè *hæreticam*, notavit contra Lorcam De Lugo *disp. 20. de virt. fid. div. sect. 3. num. 89.* ob Tridentini *sess. 13. de SS. Eucharistiæ Sacramento cap. 5.* expressam definitionem: *Declarat præterea sancta Synodus piè, & religiosè admodùm in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam, & festo die, præcelsum hoc, & venerabile Sacramentum singulari veneratione, ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverentèr, & honorificè illud per vias, & loca publica circumferretur*, nec non, & *Can. 6.*, quo *anathema* profertur in eum, qui *dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo adorandum: atque adeò nec festiva peculiari celebritate venerandum: neque in processionibus secundùm laudabilem, & universalem Ecclesiæ Sanctæ ritum, & consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras.*

5. Quicquid autem sit de hujusmodi definitione, quæ fortè non adeò clara apparere potuit Lorcæ, & Cano, ut propositionem, *hæresim manifestam*, qualem vocat Cardinalis, præsertim ratione dicti habere deberent, ex quo *anathema* non immediatè videatur prolatum in illam pertinacitèr asserentem, sed in asserentem illam, *ideò*, quia nèpe censet in *Eucharistiæ Sacramento, Christum Unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum*; estò ratione modi, alio titulo *hæretica* reputanda esset, vi cujus Ecclesia licitum declarans usum per vias circumferendi Eucharistiæ Sacramentum, supponitur errori obnoxia. Adhùc propositio *sapiens hæresim* non est dicenda, sed *erronea*, ac, ut talis, ad minus à Tridentino proscripta, cum ex ea per necessariam illationem cogi valeat Proferens ad negandam fidei propositionem, qua Christus in Ecclesia credi debet adorandus, etiam cultu externo adoratione latriæ. Nec sanè video, qua ratione, hoc sit usus exemplo Canus, in cujus principiis, nullatenùs *sapiens hæresim* reputandum Lutheranum illud assertum, cujus pravitas ex natura rei, ita illi inest, ut ad eam judicandam, nequaquàm sit opus ad Proferentem, causamque ejus, recursum habere, qui necessarius per eam habendus foret, si re vera *sapiens hæresim* esset, ut mox videbimus.

6. Supposito itaque, quòd ad rationem *sapientis hæresim*, seu *de hæresi suspectæ*, capacitas in propositione prærequirenda sit duplicitatis sensus, *hæretici*, & *catholici*, quorum quilibet non metaphoricè, & impropriè; sed

sed cum aliqua proprietate competat, difficultas insurgit, quam tangit Suarez *cit. disp.19. num.17.* quòd propositio ejusmodi æquivoca simplicitèr sit, & ideò de se in meliori sensu accipienda, vel certè ad summum, ut *malè sonans*, non verò *sapiens hæresim* reputanda. Ad quam difficultatem sol. vendam occurri primo aspectu posse videbitur, Cani doctrina, qua censuram *Sapientis hæresim*, non ex propositione ipsa desumendam adstruit, sed ex ipsius causa, & ex qualitatibus Proferentis, quamque eleganti hoc firmet discursu; „ Nunc id solùm agi„ tur, propositionum *sapores* magis sen„ tiendi, & gustandi viribus discernen„ dos, quàm speculandi. Causa quippè „ hos, non natura distinguit. Itaque „ non præceptis, & regulis, sed prudentia, „ & sagacitate dijudicantur. Expediam „ brevi rem hanc, & planam, exemplo uno, „ faciam. Leges illam propositionem; „ *Pater major me est*, in Evangelio; habes „ illius doctrinæ Auctorem cognitum, & „ perspectum: antecedentia, & consequen„ tia in Evangelio verba diligenter atten„ dis, ejus doctrinæ principia reliqua me„ moriæ tenes. Jam experiere, nisi habes „ humore aliquo malo affectum gustum, „ propositionem illam: *Pater major me est*; „ non *hæresim* tibi *sapere*, sed modestiam. „ Legebat eamdem in Arianorum libris „ Athanasius, Auctores intùs, & in cute „ noverat; Arianæ disciplinæ causas, & „ effecta, principia, & connexa perspexerat, „ & quæ in Evangelio Christi dulcis erat „ super mel, & favum, eadem propositio „ in Arii libros transfusa *sapiebat hæresim*; „ eratque ejus gustui vel amarissima. At„ que ut idem vinum ex vase uno sapit pi„ cem, ex altero non sapit, & res eadem „ illud olet, undè fit, è cœno malè, ex ar„ cula muliebri benè, sic una, & eadem „ oratio ex uno corde, & ore odorem spi„ rat jucundissimum, ex altero teterri„ mum, ex uno saporem suavem servat, „ ex altero insuavem. Quemadmodùm „ etiam videmus aquam à radicibus, & „ canalibus, per quas transit, aliud, atque „ aliud & olere; & sapere. Non itaque è „ rerum ipsarum, orationumque natura „ *sapor*, *odorve* omnis existimandus est; sed „ tùm res, tùm orationes ipsæ à venis ali„ quandò, & viis, per quas permeant, „ *saporem*, & *odorem* accipiunt. *Saporem* „ igitur propositionum, ut dixi, non tàm „ scientia, quàm prudentia dijudicat. „ Quocircà, quæ propositio *hæresim sapiat*, „ quæ contra non *sapiat*, non Theologi „ quivis, sed prudentes solùm, atque expe„ rientes poterunt judicare.

7. Elegans nihilominùs hic discursus, qui videtur cohærens iis, quæ tradidimus *cap.1. art.6.* expressè *num.3.* firmantes; propositiones *æquivocas*, *seu ambiguas esse examinandas subjectivè, seu relatè ad Authorem proferentem, & quidem censurandas adversùs eum, si posset præsumi suspectus de errore, qualificandas verè ad favorem ejusdem, si non præsumatur suspectus de aliquo errore*; duas præsertim involvit difficultates, seu objecta; quorum non adeò facilis apparet solutio. Prima formari potest ex eo, quòd, si ex prava, vel sana Proferentis mente, pravus, vel sanus propositionum sensus est dignoscendus, ad propositionum manifestè censurabilium discrimen, è quibus ad Proferentes fieri solet illatio, ut *ibidem num.6.* notavimus, sequi indè videtur non benè propositiones dici debere *suspectas*, si proferantur ab Authore, qui ea sit *hæresi* infectus, quæ in eis lateat, sed dici tunc debere penitùs *hæreticas*. Quod evinci potest rationis paritate, quia, si eadem propositio proferatur ab Authore catholico, non dicitur propositio *sapiens* veritatem, aut veritati, ac fidei proxima, sed absolutè vera, & catholica. Undè sicuti e. g. Si propositio, *Justus ex fide vivit*, in Apostolo lecta, utpotè quæ indicat sensum optimum, dicitur simpliciter, & absque ulla limitatione catholica, ita & lecta in Luthero, ejusque Asseclis non est dicenda de *hæresi suspecta*, aut *hæresim sapiens*, sed simpliciter *hæretica*, sicque discurrendum innuisse videmur *cit. art.6. num.1.* verbis mox adducendis.

8. Secunda quia ex data doctrina sequitur, quòd propositiones æquivocæ in priori ad Proferentium notitiam non sint ratione sui censurabiles (estò tales esse queant ob scandalum, quod ex eis quandoque Audientibus, aut Legentibus posset oriri) sed pro indifferentibus sumi ad sensum sanum, ac pravum, ut ex Suarez indicavimus *n.7. art. præc.* Cùm tamen oppositum sustinendum appareat, nisi velimus recedere ab eo, quod *eodem art.6. num.1.* diximus: *est autem censurabilis censura theologica ante sui explicationem, nam, si explicetur secundùm pravam intelligentiam, tunc coincidet cum propositione manifestè, seu non ambiguè prava; sicuti, si explicetur secundùm rectam intelligentiam, eodem modo coincidit cum propositione manifestè sana, quæ catholicum redolet sensum*, quod & repetitur *nu.7. & 14.* Sicque revera discurrendum esse colligitur ex praxi Conciliorum, & Romanorum Pon-

Pontificum proscribentium, qui licèt non semel propositiones prohibeant ob Authoris earumdem malitiam, & pravitatem, ex insinuatis *ibid.num.*15. multoties tamen illas proscribunt absque ullo ad Authores earumdem respectu, eorumque nullatenùs detectis nominibus, ut ex quindecim annorum experimento testatur Cardinalis Brancatus *disp.*16.*de Perf.ac doctr.de hær.susp.art.*2. §.2. *num.*53. tamquàm *hæresim sapientes*, & *suspectas*; quod certè non facerent, nisi sub ipsis abscondi agnoscerent, vel pravitatis venenum, independenter à Proferentibus; quo posito, patet eas fore censura dignas etiam in priori quam ab hoc potiùs, vel illo hæretico, aut catholico pronuncientur; vel saltem pravitatis periculum; ad *ibidem num.*6. expensa: *Propositioni verò æquivocæ ante ipsius explicationem non tribuimus aliam notam, nisi periculosæ in fide, aut moribus respectivè, quæ videlicet non exprimat errorem, qui actu in ea formaliter, aut determinatè extet, sed periculū dumtaxat erroris; adeout, si æquivocatio sit in materia fidei, vocetur sapiens hæresim, seu suspecta de hæresi, juxta dicenda infra (c.*6 *art.*2.)

9. Ut itaque quid in hac materia sentiendum putamus, distinctiùs, & absque incohærentia aperiamus, in primis advertimus, nos *cit. cap.*1. *art.*6. non tàm agere ex professo de censurabilitate propositionum æquivocarum in se ipsis, quàm de modo, quo censurari debeant relatè ad Proferentes, *an videlicet propositio æquivoca sit censuranda contra, vel qualificanda ad favorem Proferentis?* & catenùs, non mirum, si insistentes examini quæstionis sub dicto titulo propositæ, non adeò clarè, ac distinctè locuti simus de propositionibus æquivocis in se ipsis inspectis, de quibus acturos professi sumus *hoc*, & 7. *cap.* Ad quarum, proindè explicandam naturam, præmittimus, non omnes propositiones æquivocas ejusdem qualitatis esse. Omissis namque propositionibus illis, quæ in rigore æquivocæ dici non possunt, quòd proprius, qui solùm est attendendus, earum sensus, pravus apertè sit, estò impropriu, nullatenùs considerandus, sanus esse possit, ut diximus *num.*3. conformiter ad indicata *cap.*1. *art.*5. *num.*25. Aliæ sunt propositiones æquivocæ, quæ duplicem involvunt sensum, quorum quilibet ita sit ipsi proprius, ut neuter sit alteri præferendus, & quidem nedùm eis in se ipsis inspectis, sed etiam attento earumdem usu, ac etiam omnibus consideratis circumstantiis, virtute quarum alteruter eorumdē vim præ alio habeat, & promiscuè æquè in uno, ac in alio sensu usurpari solent. Et hæ propositiones non sunt in rigore absolutè ulla prava nota censurabiles, nisi ex Proferentium, vel operum, aut librorum, in quibus extant, qualitatibus, innotescat eas in pravo sensu prolatas, aut scriptas. Ac proindè quod diximus *cit.art.*6. de censurabilitate propositionum æquivocarum ante earumdem explicationes, in hujus generis æquivocis, intelligendum est de censurabilitate, & *suspicione* remota, designante propositionem accipi posse in sensu pravo, juxta quem *hæretica* e. g. habenda. Undè in hac parte convenimus cum Suarez *num.*7. relato, nec non & cum Antonio Saura *ca.*6. *de propos, hæret. erron. &c.* itidem affirmante, „ quòd si propositio aliqua duos habet literales sensus proprios, & communes, „ quorum alter catholicus sit, alter *hæreticus*, non est *suspecta*, aut *hæresim* redolens, „ sed æquivoca: sic accidit in vocibus simplicibus, ut *frons*, æquivoca vox est ad „ frontem, & frondem: in hoc casu non „ licet prædictam æquivocam propositionem absolutè condemnare, si Author est „ catholicus.

10. Aliæ sunt propositiones æquivocæ, quæ, etsi utriusque capaces propriè sint sensus, sani, & pravi, attamen sensum pravum prævalentem involvunt; sivè quòd verba earumdem, habeant potiùs, & majori cum proprietate exprimere sensum pravum, quàm sanum, sivè ob extrinsecas circumstantias, præcisa Proferentium conditione, ut patet in propositione: *Unus de Trinitate est Crucifixus* indicata eodem *cap.* 1. *artic.*6. *num.*16., quæ cum vigeret error Severianorum passionem Divinitati tribuentium, erat *suspecta de hæresi*, non quòd prolata esset à Severiano, sed simpliciter, quia sic à Severianis explicabatur, & aliàs dictus sensus ei minimè repugnabat. Eodemque modo discurrit 2.*p. q.*16. *art.*8. Angelicus de propositione: *Christus est creatura*, alteraque *cap.*1. *art.*6. *num.*2. adducta: *Christus est minor Patre*, quas æquè *suspectas* satis indicat, quia licèt in rigore verum contineant sensum, prævalet tamen in ipsis *hæreticus* ob Arianorum dogma Christum secundùm Divinitatem minorem Patre, ac creaturam constituens: *Respondeo dicendum, quòd sicuti Hieronymus dicit, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis. Undè cum hæreticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori favere videamur. Ariani autem hæretici Christum dixerunt esse creaturam, & minorem Patre, non solùm ratione humanæ naturæ, sed*

etiam Divinæ Personæ. Et ideò non est absolutè dicendum, quòd Christus sit creatura, vel minor Patre, sed cum determinatione, scilicet secundùm humanam naturam. Ea verò, de quibus suspicari non potest, quòd Divinæ Personæ conveniant secundùm se ipsam, possunt simpliciter dici de Christo ratione humanæ naturæ, sicut simpliciter dicimus Christum esse passum, mortuum, & sepultum. Hactenùs Aquinas quòad primam propositionem: *Christus est Creatura,* à Cano celebri Dominicanæ familię Alumno nequaquàm receptus, quòd semper habuerit „ persua„ sum, enunciationem illam, & simplici„ ter falsam esse, & catholicæ fidei absolu„ tè contrariam. Est enim in creaturæ vo„ ce negatio intùs inclusa, quæ Christi sup„ posito absolutè Divinitatem tollit. Nam „ qui dicit rem aliquam factam ex nihilo, „ is negat eam de substantia Generantis ex„ titisse; hoc enim discrimine id, quod ve„ rè, & propriè factum est, ab eo, qui ve„ rè, & propriè est genitus, separatur.

11. Quæ ratio non multùm distat à doctrina, quam tradit Præceptor Mariano-Subtilis, à quo facilè Canus eam desumpsit, nempè *ex 3. sent. dist. 11. q. 1.* ubi relata opinione prædicta Angelici, eaque non rejecta, quòd Damasceno, & Hieronymo habeat innixam, aliam (quam hìc inserere, quamvis paululùm prolixam, nullum tædium subtilitatem ejus penetrantibus inferet) aperit viam ineundam ab eo, *cui ista opinio non placet,* dicens quòd *Tò creari strictè accepto, illud dicitur strictè creatura, quod accipit esse à primo Efficiente immediatè, & post omninò non esse, sivè post purum nihil, & sic non esset dubium, Christum non esse creaturam, quia nec humana natura in Christo est sic creatura, ipsa enim non à solo Primo efficiente immediatè producebatur in esse, sed etiam à Matre, quæ aliqualem causalitatem habuit respectu ejus, neque etiam post oppositum contradictorium: quod est omninò non ens, vel nihil, sed post oppositum privativè, quatenùs scilicet materia corporis transmutabatur à forma sanguinis ad formam corporis organici animati. Hoc enim modo solummodò Angeli, & Anima intellectiva, & gratia, & quædam hujusmodi, quæ de nihilo producuntur à Primo efficiente, dicuntur creari. Alio modo generaliùs accipitur creari, prout dicit habitudinem ad Primum efficiens, licèt, non ut immediatè producens excludendo omnem causam, dicit etiam ordinem ad oppositum præcedens, scilicet negationem; sed non excludendo, quòd sit in aliquo susceptivo. Et à creari hoc modo generalius dicto, dicitur creatura generaliter de omnibus aliis à Deo; præterquàm de Christo; omnia enim alia à Primo efficiente recipiunt esse, & dicuntur creari: licèt etiam sint effectus aliarum causarum: non tamen dicuntur aliarum causarum creaturæ, quia creatura isto modo non dicit relationem ad aliquam causam secundam. Accipiunt etiam esse sui primum post non esse, sivè illud sit nihil, sivè in aliquo susceptivo. Esse autem primum alicujus dupliciter potest intelligi. Vel illud, quo totum dicitur primò ens, hoc est adæquatè, sicut humanitas dicitur primum esse corporis organici animati: quia hoc totum esse, quod consurgit ex unione istarum partium est esse adæquatum totius. Alio modo esse primum alicujus potest dici esse primæ partis alicujus in illo toto; puta si corpus organicum præcederet duratione animationem, primum esse hominis hoc modo esset esse corporis organici. Quandocumque ergo creatura accipit esse primum, altero istorum duorum modorum post non esse, vel totale, vel partiale primæ partis; & ideò si corpus organicum fuisset ab æterno inanimatum, & in tempore animaretur, totus homo diceretur creatura, licèt non accepisset totum esse post non esse, quia esse alterius partis est ęternum, secundùm primum esse totale. Christus autem nullo modo accipit primum esse sui post non esse: quia neque primum esse totale, quod resultaret ex natura divina, & humana; quia nullum tale est secundùm Damascenum (c. 49.) Quia tunc non manerent ibi istæ naturæ, nisi confusæ, sed sicut sunt duæ distinctæ naturæ, ita duo esse distincta: neque primum esse partiale, ut esse Verbi, quia illud est æternum, deficit ergo sibi habitudo illa, quam necessariò dicit creatura ad oppositum præcedens, quæ est, quòd post non esse sequatur esse, vel primum partiale, si nullum habet totale, vel esse totale ipsius, quo creatur, sic non est in proposito.* Juxta quam resolutionem, & hypothesim, itidem negat propositionem eamdem verificari posse non obstante reduplicatione: *Christus secundùm quòd homo, est creatura,* eo solido ductus motivo efficacissimè applicato, quòd, *quando propositio affirmativa est falsa ex repugnantia extremorum, quacumque determinatione, vel reduplicatione addita, quæ non tollit repugnantiam eorum, non tollit rationem falsitatis illius &c.* Sivè autem propositio dicta de creaturæ denominatione *suspecta* dici debeat, sivè probabiliter *hæretica* juxta sententiarum, ac explicationum varietatem, ad intentum præsens sufficit, nedùm altera de Christi minoritate, sed & illa eadem ipsum creaturæ vocabulo afficiens, si semel de ea ratiocinari placeat juxta Divi Thomæ principia, & priorem Scoti explicationem.

12. De propositionibus itaque æquivocis sub reflexione prædicta, accipiendum,

quod

quod diximus *cit.num.2. art.6. cap.1.* & quidem relatè *ad 1. 2. & 3. art. hujus cap.* quòd *objectivè* inspectæ subjaceant censuræ theologicæ, ob *suspicionem*, quam sui natura ingerunt pravitatis in eis contentæ, & proindè in priori ad sui explicationem, & præcisè à Proferentium qualitatibus sunt explodendæ tamquàm *suspectæ*. Estò, hoc non obstante, si semel proferantur ab Authore catholico, interpretari valeant, ac regulariter debeant in sensu catholico, ut *ibidem num.5. & seq.* insinuavimus, notantes, quòd in eis censurandis potiùs ab Authore ad doctrinam, quàm ècontra, valeat illatio, non tamen *suspicionis hæresis*, quam propositioni inesse independenter ab Authore, si *objectivè* consideretur, *ibid. num.7.* affirmavimus, sed vel absolutæ *hæresis*, si Author supponatur *hæreticus*, vel simpliciter *catholica*, si supponatur *catholicus*; Si verò supponatur *suspectus* dumtaxat, tunc propositio erit non minùs ratione sui, quàm relatè ad Proferentem *suspecta*. Ac idcircò soluta manet utraque mota difficultas, dicendo quòd propositiones æquivocæ censurandæ, si in abstracto, & *objectivè* considerentur, sunt simpliciter habendæ *suspectæ*, prævalente in eis sensu pravo, & *hæretico*, si materia sit fidei, & sensus pravus eis non repugnet; alitèr, si ex natura rei [illegible] modo competeret, sed ex sola *hæreticorum* pervicacia intenderetur, non *suspecta*, sed *periculosæ* in fide deberent inscribi, ex dicendis *art.4.* ob *periculum* Proferenti imminens, efformandi ab *hæreticis* de eo judicii, quòd cùm ipsis sentiret. Si tamen inspiciantur veluti in concreto, seu ut prolatæ ab hoc, vel illo Authore, tunc examen *subjectivum* institui debet, non quidem, ut declarentur *suspectæ* in se ipsis, cum jam supponantur tales, sed ut declarentur vel absolutè *hæreticæ*, si Author est *hæreticus*: vel benignè eas interpretando, absolutè *catholicas*, seu in sensu *catholico* pronunciatas, si Author sit probatæ fidei: vel *suspectas*, nedùm in se ipsis, sed etiam, ut à Proferente enunciatas, si Author habeatur *suspectus*. Ex quo facillimè dignosci poterit, quid ex Cani præcedenti, alioque ipsi affini ex Saura *num. 1.* extenso, discursu, amplectendum, quidvè respuendum probabiliter censeamus.



ARTICULUS III.

An sola propositio suspecta de hæresi, *vel* sapiens hæresim *denominare valeat Authorem* suspectum?

1. QUestio hæc sensum exclusivum importat, nedùm cujuslibet alterius propositionis, quæ non sit tenenda *suspecta de hæresi*, seu *sapiens hæresim*, sed & cujuslibet criminis, aut facti, de quo æquè, ac de propositione in se ipsa formaliter *non suspecta*, inquiritur, an valeant Proferentem, aut Patrantem afficere denominatione *suspecti de hæresi*? Cujus resolutionem amplectimur affirmativam, illamque, quòad factum, seu crimen, idoneum illud ad tribuendam Patranti denominationem prædictam, supponere potiùs possumus, quàm ex professo probare, dùm abundè videatur jam stabilita *cap.2. art.2.* ubi regulas tradidimus dignoscendi, *quale delictum det suspicionem hæresis in Operante*? Ex quibus confirmata hic manet necessitas duplicitatis sensus ad propositionem *de hæresi suspectam* constituendam, quæ suo modo adesse, & in criminibus debet, ut ex ipsis possimus devenire in cognitionem, quòd Patrans sit, vel non, *suspectus de hæresi*? Si enim delictum talis naturæ censeatur, vel tales ad illud committendum circumstantiæ concurrant, ut indè occasio sumi valeat prudenter judicandi Patrantem, non nisi ex erroneo intellectus judicio ad illud inductum fuisse, *suspectus de hæresi* erit utiq; habendus; non tamen *hæreticus*, nisi plenè constiterit revera erroneo illum esse, pravoque judicio infectum, quòd illis circumstantiis, ac delicti qualitatibus non obstantibus, adhùc possit sanum de fidei dogmatibus judicium conservari. Rectè autem innuimus, præ aliis quibuslibet regulis in hujusmodi criminibus dignoscendis sanctissimæ Inquisitionis praxim esse attendendam, quæ ex ipsius ædictis pro denuntiandis reis criminum in eis expressorum potissimùm enitet. Cum præsertim aliqua inter ea esse queant, quæ attentis, tùm natura eorum, tùm circumstantiis, in quibus patrantur, non semper *suspicionem hæresis* ingerunt, quæ saltem certa sit, ac indubia, & manifesta. Cujusmodi tetigimus fuisse solicitationem ad turpia in Pœnitentiæ Sacramento, contra quam non procedebant olim Inquisitores, estò re ipsa ex ea *hæresis suspicio* sufficientèr oriri posset; quòd hæc aperta adhùc communiter non habe-

haberetur, eò quia ad ipsam inducti Confessarii credebantur solis carnis stimulis prævalentibus; & proindè utillima fuit Pontificia sanctio, quæ simul & declaravit sufficientem solicitationem prædictam ad *hæresis suspicionem*, & legem condidit, quòd adversùs eam omninò Inquisitores procederent, ut *ibidem num.* 12. *& seq.* manet notatum.

2. Aptiora ad id comprobandum videntur sortilegiorum, & divinationum exempla, quæ nostra ætate ad sacrum tribunal semper sunt deferenda, ad id obstringentibus Pontificiis diplomatibus Sixti V. quod incipit. *Cœli, & Terræ*, & Urbani VIII. quod incipit *Inscrutabilis judiciorum*, nec non & Universalis Romanæ Inquisitionis ædictis in eo potissimùm fundatis, quòd nusquàm, aut ferè nusquàm talis furfuris crimina patrentur, absque eo, quòd *suspicionem hæresis* ingerant. Etsi namque antiquitùs, nec de illis, Inquisitorum esset judicare; non tamen id accidit, quia *hæresis suspicionem* non possent ingerere; sed quòd non semper *suspicio* esset *manifesta*, quam evidentiam ad id necessariam voluit in prædictis criminibus Alexander IV. *cap.* Accusatus *de hæret. in* 6. §. Sanè *cum negotium fidei (quod summoperè privilegiatum existit) per occupationes alias non debeat impediri: pestis Inquisitores hæreticæ à Sede Apostolica deputati, de divinationibus, aut sortilegiis, (nisi hæresim saperent manifestam) intromittere se non debent*. Deinde verò, experientia suadente, quòd cum ejusmodi delictis aliqua semper fidei jactura reperiatur conjuncta, ampliata est Inquisitorum authoritas ad omnes divinationis, & sortilegiorum species; pro quibus dignoscendis, an & qualem *hæresis suspicionem* causent? duas ex plerisque, quos refert, Doctoribus, insinuat Suarez *to.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superst. cap.* 19. *nu.* 10., quas subnectere non videtur incongruum, ut ex ipsis facilior aperiatur via ad *hæresis suspicionem* in aliis delictis dignoscendis, „ Una est quoties hi „ divini, vel magi; aut malefici expressè „ invocant Dæmonem, aliquid ab eo po„ stulando, quod à solo Deo cognosci, re„ velari, aut fieri potest, vehemens oritur „ *suspicio hæresis*, quia nemo petit ab aliquo, „ nisi quod credit ipsum facere posse. At „ quando solùm petitur à Dæmone ali„ quid, quod naturales vires Angeli non „ excedat, cessat dicta præsumptio. Et tunc „ est adhibenda secunda regula, nam, si in „ illo pacto, & invocatione Dæmonis in„ tercessit adoratio Dæmonis per latriam, „ vehemens generatur *suspicio*, quia illa est „ expressa idololatria, quæ de se est infido„ litatis protestatio, & ostensio. Præterea, „ etiamsi fit per solam duliam, magna ge„ neratur *suspicio*, quia talis adoratio indi„ cat non credi talem esse Dæmonem, „ qualem secundùm veram fidem esse cre„ dimus, ac subindè illam etiam esse osten„ sionem, & confessionem cujusdam infi„ delitatis. Item crescit hæc *suspicio*, si in „ pacto cum Dæmone interveniat exterior „ fidei abnegatio, vel renunciatio Christi, „ aut Sacramentorum ejus, vel etiam si in „ usu talis artis abusus Sacramentorum, „ vel rerum sacrarum misceatur, & tantò „ major erit *suspicio*, quantò res fuerint sa„ cratiores, & præsertim si fuerit ipsa Eu„ charistia. Quando verò nihil horum in„ tervenit, & præsertim, si pactum non sit „ expressum, sed tantùm implicitum, ces„ sat dicta *suspicio*. „

3. Sicut autem delicta ipsa talis naturæ quandoque sunt, ut ex eis Author reddatur *suspectus*, ita & potest talis censeri ex aliis circumstantiis, quæ ad facta, ac delicta reduci possunt. Quænam verò illæ regulariter sint? ex Carena *de off. S. Inquis. p.* 3. *tit.* 3. *à* §. 4. *usque ad* 9. expendit novissimè Illustrissimus Signaturæ Justitiæ Votans, Sacræque Congregationis Indicis Consultor Anselmus Dandinus *in suo opere Romæ edito de suspectis de hæresi præliminari* 5. *& seq.* accuratè animadvertens *suspectum* quempiam de *hæresi* dici posse ex Patria, ex Parentibus, ex Educatione, ex Vita anteacta, ex Amicis, ex Dictis. Patria Personam *suspectam* constituit, ipsiusque actiones in malam partem interpretandas reddit, quoties in illa aliqua *hæresis*, aut *error* propemodùm vigeat, dictæque actiones impunè exerceantur, quòd licitæ autumentur, estò si ab aliis alterius Nationis effici conspiciantur, excusari regulariter queant, immunesque reputari à quacumque in fide, etiam vel minima labe, cum saltem Author earum verè pius, verè catholicus habeatur. Sic, si videris Anglicanum aliquem corpore robustum edere tempore quadragesimæ carnes, facillimè *suspicaberis* ex illis eum esse, qui licitam hujusmodi comestionem tenent, cum tamen si catholicum, & pium eas comedentem observaveris, aliqua latenti, & occulta infirmitate laborantem concipere potiùs debes, quàm statim *suspicari* infectum eum esse errore indicato.

4. Parentes pariter ejusdem *suspicionis* argumentum præbent, quòd talis regulariter

ter reputetur Filius, qualis extitit Genitor, à quo non minùs corporis substantiam, verùm & genium, affectiones, virtutes, & vitia solet accipere. Unde fit, quòd, cum quis in *hæresim* incidit, nedùm ipse, sed & filii ejus ipso jure privandi veniant beneficiis, & pensionibus ecclesiasticis. Estò, pia quadam consuetudine, inducta sit circa hoc contraria praxis. Eademque ratione spurii, & illegitimi non possunt ad Ordines ecclesiasticos promoveri, quòd eis communicata putetur incontinentia Patris. Educatio, alia est *suspicionis* causa, ob quam non permittitur catholico matrimonium cum hæretica, & è converso contrahere, cumque Urbanus VIII. dispensare vellet, ut illud contraheretur inter Ducem Neoburgicum Wolfangum, & Filiam Bipuntinam hæreticam, inter alias conditiones, ea fuit præcipua, ut verbo Principis promitteret prolem, tàm masculinam, quam fœmineam ex eo matrimonio edendam, statim, ac nata esset, Romanæ fidei zelo flagrantibus Tutoribus tradere, ut in catholicæ Religionis alerentur puritate, catholicisque dogmatibus instructi adolescerent.

5. Anteacta vita *suspicioni* etiam subministrat occasionem, ad vulgare illud effatum, quòd *semel malus semper præsumitur malus*, nisi vel talis, ac tanta subsecuta fit in melius emendatio, ac correctio, ut præterita alicuius scelera totaliter in oblivionem sint tradita, habeanturque, ac si nusquàm fuissent commissa; vel mutatæ adeò sint causæ impellentes ad præterita crimina, ut ob eam non amplius quis credatur in ea propensus, quæ fuit ratio, ob quam Pelagius Papa Florentino Episcopo scribens, & habetur *c.Fraternitatis dist.39.* indulgendum censuit cuidam Seni, qui castitatem conjugalem non servaverat, ut ad Diaconatum provehi posset, quòd *ætas istius, de quo agitur, futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dignoscitur*. Nec minùs efficax ad *suspicionem* præbet argumentum Amicitiæ titulus juxta illud Salomonis (*Prov.13.20.*) *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, Amicus stultorum similis efficietur.* Hæ itaque, aliæque his affines sunt conditiones, quarum examen est necessarium, quoties censuranda offeratur aliqua propositio, quæ *orthodoxum*, & *hæreticum* redolet sensum, si tamen de ea non *objectivè* dumtaxat, & in abstracto sit proferenda censura, sed *subjectivè*, & veluti in concreto, & relatè ad Proferentem. Ob quem respectum, sicuti diximus propositiones nonnullas *objectivè suspectas* ratione sui, si tamen à catholicis rectè sentientibus proferantur, in partem meliorem fore accipiendas, cum præsertim nullum timeatur scandalum, ob quod quandoque prohibitionis capax efficitur, quod aliàs non interdiceretur; Ita & è converso censura digna possunt evadere propositiones illæ, quæ objectivè consideratæ nequaquàm tales censeri valerent, uti essent propositiones æquè utriusque sensus capaces, quas cum Suario innuimus *art.præc.num.7.* non *suspectas*, sed *æquivocas* esse inscribendas, quòd & nuper notavit laudatus Dandinus *prælimin.9.num.6.*, dum ait, quòd, ut ex dictis, *hæresis suspicio* inferatur, necesse sit non esse æquivoca „ in quibus non inducitur crimi„ nis *suspicio*; & quòd non oriatur ex ipsis „ præsumptio *hæresis*, cum ipsa sumenda „ sint in sensu catholico, nisi fama loquen„ tis aliter suadeat „, indè eruens nullo jure admittendum, quòd ait De Lugo *de virt. fid.div.disp.14.sect.2.num.9.*contendens, quòd revera talia verba *suspicionem* inducant, quia per accidens eam occultant. Quod tamen *dicto loco* apud Cardinalem non legitur, sed solùm *num.36.*, quòd non liceat in materia fidei respondere verbis æquivocis, quæ ab interrogante accipiuntur pro negatione, licèt à respondente alius verus sensus intendatur. Hoc autem nullò potiùs jure impugnatur, & de eo sermo redibit *art. seq.*

6. Manet adhùc examinanda postrema ex relatis conjecturis, quibus *suspectus de hæresi* quis dignoscitur ex Dictis, quorum nomine nedùm veniunt propositiones sui natura inducentes *suspicionem hæresis*, ob latentem in eis æquivocationem, sensu tamen *hæretico* prævalente, juxtà earumdem explicationem traditam *art. præc.* sed & quælibet aliæ, ex quibus vel indebitè applicatis, vel ex aliis conjecturis significato earumdem innixis, Proferentes redduntur *suspecti*. Qualia esse possunt etiam verba sacra scurrilibus, fabulosis, vanis, superstitiosis &c. insolenter adaptata, contra quorum abusum, Tridentini Patres *sess.4.* decretum *de edit. & usu sacr. libr.* conclusere: *Temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur, & torquentur verba, & sententiæ Sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos: Mandat, & præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam, & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba*

verba Scripturæ Sacræ ad hæc, & similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines temeratores, & violatores verbi Dei, juris, & arbitrii pœnis per Episcopos coerceantur. In qua hypothesi,tantùm abest,quòd sanctitas verborum *suspicionis* inditia habeat imminuere, quòd, æquè ac de factis superstitiosis, & sortilegis *n.2.*indicatum vidimus à Suarez,summoperè illam augeat, (nisi ex particularibus circumstantiis sufficienter appareat non Proferentium erroneo judicio, sed levitati animi, abusum eorumdem potiùs tribuendum) ut ex Moura, aliisque notat Dandinus *cap.2. sect.2. subsect.3.* §.2. *num.7. & seq.* modos designans,quibus perverti possunt, sivè nempè ratione Sanctitatis contentæ in eis *connotativè*, quando ab homuncione instituuntur, vel adaptantur ad aliquid significandum, vel efficiendum, quia sic desinunt Deum Sanctum Institutorem connotare. Sivè ratione Sanctitatis *objectivè*, quoties applicantur ad sensum contrarium ei, quod quem designandum sunt destinata, quod tamen, ex mox dicendis,non tàm *hæresis suspicionem*, quàm animum verè *hæreticum* indicat. Sivè ratione Sanctitatis ab illis *effectæ*, quando sumuntur ad finem diversum ab eo, ad quem per se à Deo ordinata sunt. Et in hoc sensu videtur locutus fuisse in *c.5. ad Galat. super illud. Hæreses, invidiæ &c.* D. Hieronymus dicens, quòd *quicumque aliter Scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus Sancti efflagitat, à quo scripta est, licèt ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.* Et si enim Angelicus 2.2. *q.11. art.2. ad 2.* explicet, *quòd ille dicitur aliter exponere Sacram Scripturam, quàm Spiritus Sanctus efflagitat, qui ad hoc Sacræ Scripturæ expositionem retorquet, quod contrariatur ei, quod est per Spiritum Sanctum revelatum. Undè dicitur* (Ezech.13. 6.) *de falsis Prophetis*, qui perseveraverunt confirmare sermonem, *scilicet per falsas expositiones Scripturæ*. Hæc tamen expositio Tò *hæreticus* sumendum supponit in sensu rigoroso, juxta quem optima est, & suo Authore dignissima. Adhùc nihilominus possumus in Hieronymi effato considerare, quòd ipse non dicat, *hæreticus est*, sed *appellari potest*, sic indicans, quòd etsi fortè non sit, talis possit haberi ob *suspicionem*, quam ingerit, ad hunc sensum nos inducentibus particulis præcedentibus, *licèt ab Ecclesia non recesserit*, quæ rigorosè *hæretico* ab Ecclesia discissio non omni cum proprietate adaptantur.

7. *Suspecti* pariter habendi enunciantes serio, & deliberatè propositiones aliarum censurarum notis obnoxias, quæ etsi in se ipsis non important sensum *hæreticum*, & *catholicum*, adhuc tamen *connotativam*, ut ita dicam, quamdam æquivocationem involvunt, quòd oriri possint ex erroneo Proferentium judicio, de quo, si inditia prævaleant, Proferentes *suspecti* denominantur. In quem finem conducunt, quæ *c.3. art.13.* diximus de Romanæ Cathedræ infallibilitate in propositionibus sub censuris infra *hæresim* prohibendis, quas, qui pertinaciter propugnant, etsi ratione ipsarum præcisè, & formaliter non reddantur alia nota digni, quàm ea, sub qua illæ sunt prohibitæ, & proindè nonnisi *temerarii* denominandi sint, qui *temerariam* asserunt propositionem; ingerunt nihilominùs *suspicionem hæresis*, quòd id faciant credentes, Christi Vicarios non gaudere infallibilitatis privilegio, aut authoritate illas interdicendi. Vim non habente reflexione Dandini *cap. ult. de susp. de hær. sect.2. subsect.2. num.8.*, & „ quamvis, qui dicit Pontificem errare „ in damnatione propositionis, aliquid „ *erroneum* dicat, non sequitur indè, quòd „ si quis asserat licitum esse furari, non „ solùm in extrema, sed etiam in gravi ne„ cessitate,dicat aliquid erroneum, eò quia „ videtur virtualiter affirmare, quòd er„ ret Pontifex in damnatione illius propo„ sitionis, quæ est *trigesima sexta ex damn. ab* „ *Inn.XI.* Siquidem, dum quis firmat op„ positum propositioni per Pontificem „ damnatæ,potest credere Pontificem in ea „ censura procedere probabiliter, & pru„ denter, & ità non concedere, quòd Pon„ tifex erret. „ Omisso namque quòd eligens, ac propugnans propositionem censura iniustam, etsi dicat Pontificem *probabiliter* eam damnasse, simul asserat virtualiter, quòd in dicto judicio *probabiliùs* sit deceptus, dùm eo non obstante probabiliorem practicè habendam teneat propositionem damnatam, estò deceptio ejusmodi culpabilis credi nequeat, utpotè ex motivo probabili orta; Hoc id ipsum, quod est, Pontificem *probabiliter* procedere in censuris ferendis, idem virtualiter videtur, ac non procedere *infallibiliter*, si præsertim Tò *probabiliter* supponat relictam *probabilitatem* de opposito. Quoties autem Pontifex non declarat seligendam propositionem aliquam, ut *probabiliorem*, uti fecisse vidimus *cap.3.art.13.n.19.* Clementem V. seligendo ut *probabiliorem* opinionem, quæ asserebat parvulis in baptismate infundi virtutum theologalium habitus, toties nullam probabilitatem relinquit

quit propositioni, quam damnat, vel propositioni, quæ opponitur alteri, quam similiter pronunciat ex Cathedra sustinendam. Ac idcircò eò ipso, quòd propositio damnatur, ut *minimùm tamquàm scandalosa*, non *probabiliter*, sed *certò scandalosa* est reputanda, si velimus à qualibet *suspicione* effici immunes. Hæcque observatio locum habet, sivè propositio damnata, quæ propugnetur, sit falsa in se ipsa, sivè quandoque possit esse vera, de quo *cap.9.* quæstio instituetur: vis enim sistit in eo, quòd in sensu composito damnationis sustineri illa nequeat, ut ad praxim licitè reducibilis, utpotè quæ, *ut minimùm scandalosa* supponitur; adeòque qui eam semel sustinet ad praxim reducibilem, quantumvis speculativè vera haberi queat, semper signum præbet *suspicandi*, quòd intendat illam *scandalosam, probabiliter* saltem non esse, Romanumque Pontificem desiniendo, ac proscribendo, ut *scandalosam*, processisse *probabiliter*, ac prudenter, non verò *infallibiliter*, & *certò*, quod cum privilegio immunitatis à qualibet deceptione, & errore, ei in D. Petro concesso, nequaquàm componitur.

8. In hunc pariter finem adduci à plerisque solet D. Hieronymi authoritas: *ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis*, ex Sententiarum Magistro, ab Aquinate relata *cit. art.2. q.11.* quam licèt apud Hieronymum minimè reperiri observaverit præter alios Canus *lib.12. de loc. usu in theol. disp. c.9. ad 3.* probans S. Doctorem in ea potiùs fuisse sententia *in epist. ad Damasum*, ex qua dicta verba putantur desumpta, ut existimet, è sensu, non è verbis *hæresim* æstimandam, ad intentum adhuc explicat ita discurrens: „ Itaque ex verbis *inordinatè* prolatis in *hæresis suspicionem* incurrere fortasse possumus: in *hæresim*, si error in fide absit, non possumus. Cum enim fides in intellectu sit, necesse est infidelitatem, cujus species est *hæresis*, in intellectu quoque esse. Item veritati nihil contrarium est, nisi error; cum ergo *hæresis* fidei veritati adversetur, sine dubio est error. Sed quoniam interdùm Legislatores, & Judices juris fictione, & præsumptione in foro exteriori crimina persequuntur, dicta, factaque externa, quæ *hæresim* testari solent, & *hæreses* vocant, & pro *hæresibus* puniunt. Quemadmodùm, & in eos, qui foris deserunt fidem, opereve externo cultum Idolo exhibent, quamvis ex metu id faciant, perindè animadvertunt, ac si interiùs à fide, & religione descivissent. Sed quod „ ad voces attinet, nihil moror. Nam sicut testatio, & professio fidei, interdùm fides nuncupatur, ita etiam externa testatio *hæresis*, eamdem quoque nomenclaturam habet. Rerum quippè signa, & imagines, rerum sæpè nominibus appellantur. Quo modo proverbium illud vetus, atque laudatum, cui ego vix unquàm assensus, verum est in sermone vulgari, *ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis*. At sermone proprio, ut diximus, *hæresis* apud christianos, error est ejus, qui fidem Christi generaliter se habere profitetur, nec tamen veram habet „ Hæc Canus, cujus explicationem impugnat Suarez *disp.19. de infid. Apost. &c. sect.4. num.7.* „ quia incurrere *suspicionem*, vel *præsumptionem*, non est incurrere *hæresim*, præsertim quia illi Patres „ (Hieronymus videlicet, cui effatum dictum tribuitur, & Gregorius *lib.1. epistol. cap.24.* dicens: *incauta locutio in errorem pertrahit*) „ non ut Jurisperiti, sed ut Theologi loquuntur „ Undè ad alias se convertit explicationes, quas consultò omittimus *art. seq.* expendendas, tradita per Canum interim non omninò rejecta, utpotè quæ sua probabilitate non caret, & ad scopum præsentis resolutionis collimat. Ex ea interim notantes, quòd Judices in foro exteriori quandoque pro *hæresibus* per juris fictionem puniunt, quæ *hæreses* in se non sunt, aut possunt non esse, sed ex *præsumptione* censentur *hæreses*, seu ex *hæretico* animo promanantes.

9. Quod subnectere placuit, ne aliquis, contradictionis nos redarguere contendat, quòd *cap.4. art.7. num.5.* diximus ignorantiam quamlibet, etiam *crassam*, & *affectatam* ab *hæresi formali* immunem reddere quempiam posse, & à *pœnis hæreticorum* eximere; cùm tamen *num.13.* ejusdem *articuli* supponamus, ignorantes hujusmodi, esse posse *præsumptivè hæreticos*, & *per* consequens posse puniri ut *hæreticos*, juxtà firmata *cap.4. art.5. num.4.* In quo nihilominùs nulla, vel levis repugnantia, cùm utrumque sit verum, nempè & quòd Ignorantia quælibet, etiam *crassa*, & *affectata*, dummodò non sit *concomitans*, (de qua sola accipiendum, quod ex Suarez est insinuatum *cap.4. cit. art.7. n.3.*) excuset ab *hæresi formali*, eximatque ratione sui à *pœnis hæreticorum*, & quòd, ea non obstante, possit quis dictis *pœnis* obnoxius reddi. Hoc namque procedit ex *fictione juris*, per quam ignorantia prædicta talis non creditur, prævalentibus in contrarium vehementibus indiciis, & validissimis conjectu-

 ris;

ris; illud verò per se, & ex hypothesi, quòd revera dicta ignorantia adsit. Quænam autem repugnantia in hoc, quòd quis nec *hæreticus formaliter* sit, nec ut *hæreticus* per se puniendus, ex quo ignoranter deliquerit; & quòd per accidens juris fictione plectendus existimetur, ex quo non credatur ignoranter deliquisse, scientiæ sufficientis *præsumptione* vigente?

ARTICULUS IV.

Per quid constituatur propositio periculosa in fide, *& an confundenda veniat cum* hæresim sapiente?

1. Rejecta, ut nuper vidimus, explicatione, quam Canus adhibendam censuit Hieronymiano effato, habitaque, ut parùm consona textui altera, quam aliàs approbat ex Bannez putante tunc per *inordinata* verba incurri *hæresim*, quando certa verba sunt approbata, & præscripta ab Ecclesia, & aliquis ea despicit, alia contraria introducendo; duas alias, quæ sibi magis arrident, subdit Suarez *loco cit.* Prima, quam esse ait Angelici, quatenùs, qui *inordinatè* de rebus fidei loquitur, occasionem aliis præbet *hæresim* concipiendi, & in illam incurrendi. Secunda, quatenùs *inordinata* prolatio esse potest occasio, per quam in *hæresim* quis incidat; sicut enim *qui spernit modica paulatim decidet*, utique in graviora, ita qui temerè *inordinatè* loquitur, in *periculo* versatur incidendi in *hæresim*. Undè colligi posse videtur *propositionem in fide periculosam* non esse, nisi propositionem *inordinatè* conceptam, per quam quis constituitur in *periculo hæresis*. Revera tamen illatio non sequitur ex præcisis verbis Suarez, qui non loquitur de *periculo hæresis*, quod immineat ex una, aut altera propositione, sed quod consequens esse queat ad frequenter iteratas propositiones *inordinatè* verbis formatas. Quod tamen, quantumvis pro Hieronymiani effati explicatione probabile, ad præsens intentum nequaquàm conducit, dùm non agitur de frequenti usu *inordinatè* loquendi, ex quo oriri valeat *periculum* recessus à fide, sed de propositionis constitutivo, quæ sui natura sit censuranda tamquàm *periculosa in fide*.

2. Prima verò interpretatio, etsi terminis *periculosæ in fide* applicabilis, adhùc, nisi ad sensum *num. seq.* exprimendum reducatur, nec sensui Hieronymi plenè est conformis; nec, ut jacet, ab Angelico tradita; nec pro *periculosæ in fide* quidditativo conceptu sufficiens. Hieronymus enim nequaquàm respicit ad *periculum* Audientium, aut Legentium, sed ad *periculum* Proferentium, quod indicatur particulis illis: *Incurritur hæresis*. Ex quo eruitur nec relatè ad hujusmodi Audientium, aut Legentium *periculum* solutam manere quæstionem propositam, nisi confundendo propositionem *in fide periculosam*, cum *scandalosa*, quæ, ut *suo loco* videbimus, constituitur per respectum ad spiritualem Proximorum ruinam, quam potest causare. Ac catenùs nullum aliud assignari posset discrimen inter *periculosam in fide*, & *scandalosam*, nisi quòd *scandalosa* sit veluti genus sub se complectens *scandalosam* in materia fidei, & *scandalosam* in materia morum, *periculosa* autem *in fide* sub ista reduplicatione sit tantùm *scandalosa* in materia fidei, non verò in materia morum, quæ propemodùm dici potest *periculosa in moribus*. Licèt autem modus hic discurrendi non omninò incongruus appareat proprietati verborum *periculosa in fide, & moribus* respectivè, non ideò admittendus, si semel velimus per *periculosam in fide*, aut *moribus* designare censuram à *scandalosa* diversam.

3. Neque hanc fuisse conspicitur Angelici mentem, qui nihil de *periculo hæresis*, in quod incurrere possent Audientes, aut Legentes; sed solùm de eorumdem Audientium, & Legentium conceptu, quem formant, aut formare possunt de Proferente, loquitur, in eo sistente, ut sensus sit, *ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis* nota, penès Audientes, qui existimant Proferentes ea, in sensu locutos *hæretico*. En Aquinatis verba; (*loco, art. præc. cit.*) *Similiter etiam per verba, quæ quis loquitur, suam fidem profitetur, est enim confessio actus fidei. Et ideò, si sit inordinata locutio circa ea, quæ sunt fidei, sequi potest ex hoc corruptio fidei. Undè Leo Papa (in quadam epist. ad Proterium Episcopum Alexandrinum) dicit, quòd inimici Crucis Christi omnibus factis, & verbis nostris insidiantur; ut, si ullam illis, vel tenuem occasionem demus, nos Nestoriano sensui congruere mentiantur.* Loquitur itaque S. Doctor de *corruptione fidei*, non Audientium, quam supponit præviè habitam, ut locus esse possit authoritati Leonis, sed de corruptione fidei Proferentium, non in se ipsa, sed in Audientium mente, deducentium *ex verbis inordinatè prolatis*, quòd enuncientur in sensu catholicæ fidei contrario.

4. Ex quo insuper colligendam autuma-

mamus *periculosæ in fide* naturam, ac quidditatem, afferentes esse illam, ex qua quis concipi potest in sensu *hæretico* loqui, quantumvis per ipsum nullatenùs intento. Sic namque *periculosa in fide* secernitur à *scandalosa*; quia, licèt ex pravo illo conceptu sequi valeat Proximorum ruina spiritualis se se obdurandi, e. g. in *hæresi*, quam aliàs fovent, vel etiam in illam incidendi; non tamen ob id propositio est *in fide periculosa*, cum sit quid consequens ad ipsam, in eo præcisè situm *formaliter*, quòd illam Proferens concipi valeat sensum pravum intendens. Distinguitur pariter à *sapiente hæresim*, aut *suspecta de hæresi*, quòd hæc æquivocationem aliquam necessariò supponat in verbis, quibus formatur, ob quam ratione ipsius propositionis præcisè, potest quis suspicari *hæreticus*, sensu hæretico ex natura rei aliqualiter prævalente, illa verò ab æquivocatione omninò præscindat, utpote in eo dumtaxat sita, quòd ab Audientibus ad sensum pravum trahi posse, & fortè in propriæ insaniæ patrocinium prævideatur. Quare, licèt *num*. 2. innuimus, propositionem *scandalosam* attenta proportione verborum, (ad quam dumtaxat attendisse videtur Antonius Saura in *suo Platonis voto prælud*. 5. cum propositionem *erroneam* denominandam dixit *periculosam in fide*,, quia *periculo* fidem exponit; Si enim quis negat hanc conclusionem,, *Christus est visibilis*,, aperto *periculo* exponitur negandi *Christum esse hominem*) dici posse,, *periculosam in fide*, dummodò in materia fidei versetur, non tamen quæ pertineat ad speciem censuræ à *scandalosa* diversam: Ita & dicimus *periculosam in fide* inscribi etiam posse *hæresim sapientem*, aut *suspectam de hæresi*, & fortè in magis rigorosa acceptione, quatenùs, si propositio, quæ profertur, sit nedùm sui natura capax *sensus pravi*, sed hic in ea alteri sano prævaleat, efficacius argumentum desument Audientes, pravæ mentis præsertim, deducendi in sensu *hæretico* illam enunciatam fuisse, ac eatenùs *cap*. 1. *art*. 6. *num*. 1. & 7. propositionem æquivocam in materia fidei censurandam diximus per notam *periculosæ in fide*, prout hæc, re ipsa in prædictæ æquivocationis hypothesi, veluti in unum coalescit cum *sapiente hæresim*, aut *suspecta de hæresi*.

5. Cæterùm etiamsi æquivocatio talis non sit, ut sensus in ea pravus penès communem æstimationem, sivè ex tenore verborum, sivè ex circumstantiis extrinsecis, prævaleat, sed æquè involvens utrumque sensum, ac ideò ratione sui *de hæresi suspecta* dici non valeat; immò quæ, ut talis præcisè, haberi nequit censura digna, ex indicatis *art. præc. n*. 7. adhuc inuri eam posse nota *periculosæ in fide* ex communi illo Theologorum placito eruimus, quo firmant, non licere in materia fidei respondere verbis æquivocis, quibus non minùs unus, quàm alter sensus ex æquo conveniat; dummodò ea ab Interrogante accipienda sint pro negatione, licèt à Respondente alius verus sensus intendatur; eo fundamento innixi, quòd de sic Respondente, verificetur Christi exprobratio; (*Lucæ* 9. 26.) *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc & Filius hominis erubescet*, & (*Matt*. 10. 33.) *qui autem negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*; neganti enim æquiparandus, qui taliter loquitur, ut negans ab interrogantibus sit habendus. Cumque propositio illa, *suspecta de hæresi* dici nequeat, non prævalente ex verborum tenore, vel ex circumstantiis extrinsecis, sensu *hæretico*, dici potest, & debet *in fide periculosa*, utpote attentis præcisè qualitatibus solius Interrogantis, inductiva judicii, quòd in sensu *hæretico* fuerit pronunciata.

6. Quin etiamsi nullam æquivocationem involvat, & ex natura rei, non nisi sani sensus sit capax, adhùc proscribi potest, saltèm ad tempus, tamquam *in fide periculosa*, si ex ea possent *heretici* conceptum formare, quod in sensu *hæretico* proferatur. De quo, celebre illud extat exemplum vocis *Christipara*, quæ nullam æquivocationem importat, nec sensum ullum pravum involvit. Æquè siquidem ac Verbum in assumpta humanitate denominatur propriissimè *Christus*, ejus Mater Sanctissima, est inscribenda *Christipara*, cujus vocabuli usum viguisse longè ante Ephesinum Concilium, observatum refert Bail *in summ. Conc. ad Ephes*. à Wastelio Carmelita in *vindiciis* Jo. Hierosolymitani *lib*. 2. *sect*. 9. *art*. 2. à quo usurpatum contra Arianos testatur. Et nihilominùs ab hoc nomine, grassante Nestorii hæresi effutientis, dici non valere *Deiparam*, sed dumtaxat *Christiparam*, ac si per hanc vocem excluderetur ratio maternitatis Divinæ eidem Virgini debita, abhorrebant olim Catholici, ut *lib*. 3. *cap*. 12. *de fide orthod*. Damascenus tetigit: *Genitricem Christi nequaquam dicimus Beatam Virginem*, rationem subnectens, *solius in contemptum honoratæ super omnem creaturam Dei Genitricis, vocem Christiparæ*, (*& si ipse rescindatur cum impio Sathana*) *adinvenit* Nestorius. Non itaque pravus aliquis sensus, qui dictæ voci verè compete-

ret, aut ex natura rei competere posset, causam dedit ea non utendi, sed odium præcisè in abusum Nestorii contendentis tali modo à mente Catholicorum evellere *Deiparæ* non minùs significatum, quàm nomen, nec non & *periculum*, quod tunc temporis erat, ansam dandi *hæreticis* effutiendi, non nisi in sensu *hæretico*, divinæ videlicet Maternitatis exclusivo, ab ipsis Catholicis nominari. Undè optimè subdit Bail ,, po- ,, sterioribus sæculis, extincta nimirum, & ,, extirpata hæresi Nestoriana, & sublato ,, erroris, ac *perversæ intelligentiæ periculo*, ,, nihil vetat, quò minùs, ut nunc passim ,, fit, & Χριστοτόκον fideles B. V. promiscuè ,, & Θεοτόκον, idest, & Christi, & Dei Ma- ,, trem appellent: quemadmodùm ea ci- ,, borum genera, quibus tempore morbi ,, abstinendum est, depulso morbo impu- ,, nè sumi possunt; ,, juxta Sapientis monitum. (*Prov.25.11.*) *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*. Ex quo facilè patet discrimen inter vocem *Christipara*, & propositionem *Unus de Trinitate est Crucifixus*, de qua *art.* [illegible] *num.* 10. Quamvis enim de utraq; verificaretur olim prævalentia sensus *hæretici*, ob tunc grassantes *hæreses* illum præsumere facientes; dictus tamen sensus propositioni prædictæ non erat ex natura rei omninò repugnans, & ob hoc, inter *suspectas de hæresi* innuimus numerandam, modo *ibidem* expenso. Voci autem *Christipara* nullatenùs congruit exclusio divinæ Maternitatis, sed ea solùm censebatur per ipsam importata ex Nestorianorum pervicacia; ideòque æquivocatione vocis non habita, non ad *sapientis hæresim*, sed ad notam *periculosæ in fide*, est reducenda.

ARTICULUS V.

Quænam sit ratio formalis constitutiva propositionis blasphemæ?

1. B*Lasphemia*, si ampla nominis significatio inspiciatur, quamlibet maledictionem, seu execrationem designat, honoris, ac dignitatis alterius læsivam, ex D. Hieronymo in *cap.4. ad Ephes.* Augustino *lib.2. de morib. Manich. cap.* 11. Angelico 2.2. *q.*13. *art.*1 Scoto *in 4. dist.*15. *q.*3. §. De secundo *versic.* Sic in proposito *liter. E.* aliisque communiter, id colligentibus ex illo Apostoli (*ad Tit. cap.3.1.*) *Admone illos neminem blasphemare*. Quo sensu, *blasphemantes* sunt judicandi, qui Principibus maledicunt, & ideò textum (*Exodi 22.28.*) *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices*, paraphrasis chaldaica legit; *Judices non vilipendes, & Principi in populo tuo non maledices, vel execraberis, seu blasphemabis*. Strictiùs nihilominùs *blasphemia* sumitur in præsenti, prout videlicet ad derogationem aliquam divini honoris, & dignitatis solummodò applicatur: *Est autem blasphemia*, (ait Augustinus *loc. cit.*) *cùm aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque jam vulgò blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere*, rationem tanto Doctore dignam subnectens: *Quia de hominibus dubitari potest, Deus autem sine controversia bonus est*; & idcircò Hugo de S. Victore *lib. de fructu carnis, & spir. cap.6.* definivit *blasphemiam esse cum quadam probrosa irreligiositate, & diminutione honoris divini vituperium, ac convicium*. Ex quo Angelicus *art.2.* argumentum desumpsit probandi *blasphemiam ex suo genere* esse peccatum lethale, *quia secundùm genus suum repugnat charitati divinæ, quia derogat divinæ bonitati, quæ est objectum charitatis*; & quidem omnium, quæ Religioni opponuntur, maximum, teste *in cap.* 18. *Isaiæ* Hieronymo; *nihil horribilius blasphemia, quæ posuit in cælum os suum, omne quippè peccatum comparatum blasphemiæ, levius est*, & eatenùs in sacris literis gravissimè punitur, ut videre est *Levit.*24. 15. *Isaia* 37. 4. 4. *Regum* 19. 2. *Mac.*15.

2. Consultò autem innuimus *blasphemiam* derogationem *aliquam* divini honoris, vel dignitatis involvere, per particulam limitativam, indicantes non necessarium ad *blasphemiam*, ut in Deum immediatè, ac directè tendat, de qua (*loco cit. Levit.*) *Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, & qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur*; sed sufficit, quòd in ipsum ultimò referatur, uti evenit, quoties *blasphemia* immediatè ad Sanctos, ut (*Act.6.11.*) *Tunc submiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicere verba blasphemiæ in Moysen, & in Deum*, vel ad res sacras dirigitur; *Abjecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium Sancti Israel blasphemaverunt* (*Isaiæ 5.24.*) *& aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in cælo habitant* (*Apocal.13.6.*) Ideòque proposita quæstio resolvi passim à Theologis solet, dicendo propositionem *blasphemam* formaliter constitui per convicium, aut vituperium in Deum, aut Sanctos, aut res sacras. Quæ tamen non tàm rigorosa definitio censenda est, quàm descriptio. Sufficiens

clens siquidem ad rigorosam definitionem esset, illam exprimere per convicium, & vituperationem in Deum, quia maledictio, & contumelia in Sanctos, aut res sacras, non nisi quia in Deum terminatur, *blasphemiæ* suscipit rationem, ut perbellè indicavit Aquinas (2.2, q.13. art.1, ad. 2.) *sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit, ita & blasphemia, quæ fit in Sanctos ex consequenti in Deum redundat*.

3. Adduntur itaque aliæ particulæ, quæ Sanctos, & res sacras designant, ad exprimendos modos præcipuos, quibus *blasphemia* regulariter concipitur, quòd in Sanctis, sacrisque rebus *specialiùs* aliquid Divinitatis eluceat. Cæterùm neque dictæ particulæ quamlibet *blasphemiæ* extensionem important, nisi per res sacras, genericà, & impropria quadam denominatione, quælibet res creata, sive rationalis, sivè irrationalis intelligatur, quatenùs dicit ordinem, & respectum ad Deum. Sic namque, convicium, aut maledictionem in creaturas esse *blasphemias*, in dubium verti nequit, ex distinctione, quam ad intentum tradit 2.2. q.76. art.2. sequentem conclusionem firmans Angelicus: *Creaturis irrationabilibus maledicere, ut Dei creaturæ sunt ad rationalem creaturam ordinatæ, blasphemia est; eis autem maledicere, ut in se ipsis sunt, illicitum est, cum sit hoc otiosum, & vanum*. Quod adeò verum esse notavit ex Navarro in *summ. c.12.n.117*, Del Bene *tom.2. de off. S. Inquis. & hær. par.2. dubit.218.*, ut etiam *blasphemus* habendus sit maledicens Diabolum, si maledictio ipsum respicit sub reduplicatione respectus, quem dicit ad Deum, cujus est effectus. An autem è contra, qui contumeliosus esset in Sanctos, hos considerans absque habitudine saltem virtuali ad Deum, *blasphemus* in rigore, & formaliter sit dicendus? Negativè post Passerinum *in cap.* Ut inquisitionis *de hæret. in 6. nu.189.* & Moron. *resp. moral.95. num.10.* respondet Dandinus *de susp.de hæresi cap.1. sect.1. num 35.* qui tamen *num.32.* ex Sanctarello, Fagundez, & Campanil. non omninò cohærenter dixerat traditam distinctionem de conviciis in creaturas irrationales locum non habere in maledictionibus prolatis in Sanctos, ac res sacras, *nam semper est blasphemia*, rationem assignans „ quòd Sancti intrinsecam habitudi„ nem, & relationem ad Deum habent ra„ tione status, in quo permanent, & ideò „ contumelia in eos prolata, censetur esse „ prolata in Deum; satis est, quòd male„ dicens Sancto potuerit, & debuerit con„ siderare talem respectum, quem Sancti „ habent ad Deum ratione status, in quo „ sunt, quo respectu carent aliæ creatu„ ræ„. Quæ, si concludit, enervat sequelam, „ quòd si aliquid probrosum verè, vel fal„ sè dicatur de illis, quatenùs erant mor„ tales, non admittitur *blasphemia* pecca„ tum, sed solùm *duliæ*, & *observantiæ* Re„ ligioni crimen oppositum, quia tunc „ nullum convicium jacitur in Deum, „ quod necessariò requiritur ad rationem „ *blasphemiæ*.

4. Revera tamen utrumque gaudet non spernenda probabilitate; & quidem sivè sermo sit de *blasphemia* objectivè, sivè *subjectivè* considerata. Cùm circa ipsam, debita tamen servata proportione, militent, quæ in *præcedentibus* dicta sunt de propositione *hæretica*, quoad hujusmodi inspectione propositionis, quæ sit formaliter talis in se ipsa, ac *objectivè*, & quæ valeat denominare Proferentem *hæreticum*, nedùm materialiter, à quo præscindi neutiquàm potest, sed & formaliter. Sunt namque qui putant paritatis rationem concludentem; & proindè, quòd sicuti maledictio creaturæ non *blasphemia*, sed *otiosum* quid, & *vanum* censetur, si illam, ut in se ipsa est, respiciat, absque ullo ad Deum ordine, & respectu; ita & convicium in Sanctos, non *blasphemia*, sed *inobservantia* est inscribenda, si ex illo nulla in Deum sequatur, aut intendatur injuria. Quod confirmant ex D.Thoma *num.2. rela*to, comparante *blasphemiam* cum laude; laus autem alicujus Sancti, nisi, vel expressis verbis, vel ex Proferentis intentione, referatur ad Deum, non est propria Dei laus, neque habet aliam honestatem, nisi *Duliæ*; pariter itaque *blasphemia* in Sanctum, ex vi objecti, & seclusa speciali intentione Operantis non habet propriam malitiam *blasphemiæ*, quæ est contra Deum, sed tantùm *inobservantiæ* contra Sanctos; quia (inquit inter alios Del Bene *de off. S. Inquis. part. 2. dubit.218. sect.1. num.22.* pro se citans Vasquez Valentiam, Sanchez) „ & contume„ lia prolata contra Sanctos, non ut sunt „ quid Dei, sed ut sunt excellentes quædam „ Personæ, propriè non opponitur virtuti „ Religionis, sed observantiæ (cujus est „ Sanctis deferre eam reverentiam, quæ „ illis debetur) quamvis & hæc virtus sit „ etiam Religioni annexa;, quod, & repetit *sect.4. num.4.* præfatis Doctoribus addens Turrianum, Petrum de Ledesma, & Bannez. Alii verò simpliciter, & absque ulla

ulla restrictione afferunt, contumelias Sanctorum præsertim defunctorum, & cum Christo regnantium, esse veras, & proprias in Deum *blasphemias*, & Proferentes denominari formaliter *blasphemos*, dummodò debita in ipsis concurrant cognitio, libertas, & advertentia, ob motivum à Dandino insinuatum; quòd Sancti ex vi sui status habent quasi intrinsecam habitudinem ad Deum, & ideò si contumelia afficiantur, injuria transit in ipsum Deum, etiamsi id non exprimatur, nec explicitè intendatur; Quæ est ratio, cur in definitione *blasphemiæ* apponi soleant *Sancti*, ac *res sacræ*, quia semper *blasphemia* in ipsos, ad Deum terminatur, quod in aliis rebus non evenit.

5. Exemplum *blasphemæ* propositionis idoneum censet Bonucius in *Vindic. Decr. Alex. VIII. sect.* 26. *num.* 224. affertum illud inter *damnatas propositiones* à prælaudato Pontifice (26.) *Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ vana est*: & meritò, quia, in ea per reduplicationem *ut Mariæ*, non jam intenditur sola Virginis Persona in suo esse physico inspecta, vel prout excludit quemlibet in Deum respectum, ac ordinem, sed prout dumtaxat excludit respectum Maternitatis divinæ ad suum Unigenitum, quasi quòd unicum in Deipara laudis meritum ex prædicta divina Maternitate ortum habeat, eoque præciso, quodlibet aliud ex plenitudine sanctitatis, & gratiæ, donorumque supernaturaliter ei concessorum resultans, futile in dictum finem sit reputandum, & vanum. Quo posito, clarum redditur præfatum prorsùs horrendum convicium in B. Virginem esse directum, etiam ut importans respectum ad supremum omnium; quibus gaudet, donorum, & privilegiorum Largitorem,& idcircò involvere *blasphemiæ* quidditatem. De qua tamen non fit explicita mentio in Pontificia damnatione, exprimente solummodò propositiones illas esse *temerarias, scandalosas, malèsonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, & hæreticas respectivè*, non numerata cẽsura *blasphemiæ*. Idque,sive quia *propositio* sic in abstracto inspecta non exprimit ullum ad Deum respectum, ac idcircò non importat explicitè certam, apertamque, ac indubiam quidditatem *blasphemiæ*, quæ ex probabili sententia reduci per sui explicationem non possit ad rationem inobservantiæ. Sive quia sub *injuriosis* universaliter sumptis comprehenduntur *blasphemæ*, seu,quod idem est, *injuriosæ*,non solùm in Regulares Ordines, dum *prop.* 20., quæ verè *injuriosa* specificè est *suo loco* explicanda, pleræque *confessiones apud Religiosos factæ, vel sacrilegæ, vel invalidæ declarantur*; sed & in Deum Patrem, cujus *simulacrum in Templo collocare nefas asseritur* (*prop.* 25.) in Verbum hominem factum, cui *macula* impudenter tribuitur, *prop.*24., & in Deiparam, ut in hactenùs expensa *propositione* 26. nec non & in 24. per quam purificatione indigens arguitur ex oblatione, quam fecit in die Purificationis suæ. Quæ omnes *injuriosæ* sunt, non quidem,pro ut Tò *injuriosæ* exprimit propriam censuræ speciem, qualem esse innuimus *prop.*20. sed quatenùs sub ea continetur quælibet censura, quæ per *injuriam* genericè constituitur, estò ratione materiæ proprium sortiatur nomen, & qualitatem, *blasphemæ* videlicet in dictis exemplis, in quibus *injuria* ad Deum dirigitur, sive immediatè, ut in 24.& 25.sive mediatè, ut in 26. quæ quoque *impia* dici possit, si considerare eam vellemus, ut oppositam Virgini, tamquam nostræ Benefactrici, ad dicenda *art*.6. Non mirum autem, si, cum propositiones damnantur, quæ varias censurarum species suscipiunt, sub universali aliquo vocabulo comprehensas, sub illo dumtaxat damnentur *respectivè*, Theologis relinquendo, ut juxta materiæ diversitatem propriam censuræ speciem cuilibet applicent. Non omissò, quòd negare Mariæ,ut Mariæ,laudem, etiam independenter formaliter à divinæ Maternitatis prærogativa; videtur contentum vel sub censura *hæresis*, vel, ob sui indicatam æquivocationẽ, ad minùs *hæresim sapientis* Iconomachorum, videlicet Leonis Isaurici, & Constantini Copronymi, qui ex Nicephoro *lib.* 18. *in fine* pervicaciter sustinebant pro eo dumtaxat tempore tribuendum fuisse Mariæ cultum, reverentiam, & obsequium, quo Verbum Patris indutum humana carne gestaret in utero. Quoties autem Romani Pontifices aliquam damnant propositionem, minimè necesse est, quòd omnes, & singulas tradant censuras, quas illa meretur, sed satis est, quòd unam, vel alteram præsertim ex principalioribus recenseant, ut propterea hæc decreti Alexandrini explicatio præcedentibus sit præferenda.

6. Varios autem modos tradunt Theologi, quibus proferri solet *blasphemia*, sed ad duos reduci eos posse observat Suarez *tom.*1.*de Relig.lib.*1.*de Irrelig.cap.*4.*n.*8. Prior evenit, quoties per verba *indicativa*, immediatè, ac directè, aut mediatè, & indirectè, derogatur divinæ excellentiæ, aut potentiæ,

Po-

Posterior, quoties per verba *execrationis*, *ignominiæ*, aut *contumeliæ*, honori divino irrogatur injuria. *Indicativè* quis dicitur *blasphemare*, cum *vel negat aliquid de Deo, quod ei convenit, vel asserit de Deo, quod ei non convenit*, ut loquitur 2. 2. *qu.*13. *art.*1. *in corp.* Angelicus, qui *in solut. ad* 3. ad secundum ex dictis membris reducit, Creaturis tribuere, quod soli Deo competit: *Quòd autem ea, quæ sunt Dei propria creaturis attribuantur, ad hoc pertinere videtur, quòd aliquid ei attribuatur, quod ei non conveniat. Quicquid enim est Deo proprium, est ipse Deus. Attribuere autem id, quod est Dei proprium alicui creaturæ, est ipsum Deum dicere idem creaturæ*; licèt alii reducendum hoc ducant ad primum, eò quia, qui creaturæ tribuit prædicatum ordinis divini, eò ipso dicit, illud non esse Dei proprium, sed creaturæ commune, ut discurrit Valentia 2.2. *q.*13. *disp.*1. *punct.*1. Et de hujusmodi *blasphemia*, fuit non semel calumniatus Christus Dominus à Judæis, quandocumque videlicet videbatur sibi usurpare, quæ sunt characteristica Dei, ut remittere peccata, à dextris Dei sedere, & id genus similia, ad textus *art. seq. num.*1. recensendos. Sub *indicativa* verò enunciatione comprehenditur, & *dubitativa*, sicuti enim in fide dubium, *hæreticum* habendum esse defendimus *cap.*4. *art.*8. *à nu.*14. ita & in Deum injuriosum, & *blasphemum* nunc asserimus, æquè, ac qui falsum de eo affirmat, cum, qui in dubium revocat, quæ ad perfectionem ipsius pertinent, sapientiam nempè, omnipotentiam, justitiam &c. juxta illud (*Ps.*77.19.) *Et malè locuti sunt de Deo, & dixerunt: Numquid potuit Deus parare mensam in deserto?*

7. *Execrativè* verò committitur *blasphemia*, quoties injuria, aut contumelia fit per verba *optandi*, aut *desiderandi*, aut *imprecandi* Deo malum aliquod, vel carentiam alicujus boni, ut cum aliquis Deo ipsi maledicit, aut æquivalentia *execrationis* verba profert. Ad quem modum reducitur convicium, quod committitur, ignominiosè nominando quæ Deo conveniunt præsertim secundùm humanitatem, & secundùm inferiores, & obscuriores ejus partes. Omnia enim hujusmodi verba cedunt in contumeliam Creatoris, & proinde censenda *blasphema*. Ex quibus sequi videtur *blasphemiam* in verbis (sive prolata ea sint, sive scripta) juxtà illud 2. *Paralip.*32. 16. *Alia multa locuti sunt servi ejus contra Dominum Deum, epistolas quoque scripsit plenas blasphemiæ in Dominum Deum Israel, & locutus est adversus eum*,) rigorosè consistere, non in factis, aut signis exterioribus, ut sustinet cum aliis Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*1. *de irreligios. cap.*4. *num.*3.4.5. citans Angelicum, Alensem, & Navarrum, idque colligens ex communi usu, ex quo sumenda est vocum significatio. *Blasphemia* enim vitium linguæ apud omnes significat, ut patet ex Augustino, & Hugone de S. Victore *num.*1. relatis, cum quibus Theologi passim conveniunt. Et declarari à contrario potest; „ nam laus divina tantùm propriè „ verbo fit, quamvis enim Deus aliis signis, „ bus, & actibus corporis adorari possit; „ tamen propria laus, actus est oris, juxta „ illud (*Ps.*33.2.) *semper laus ejus in ore meo*, „ Undè D. Thomas 2.2. *qu.*103, *art.*1. *ad* 3. „ differentiam constituit inter laudem, & „ honorem, quòd laus consistit in solis „ signis verborum, honor autem in quibuscumque externis signis; Sic ergo *blasphemia* propriè dicta, quæ laudi Dei opponitur, tantùm verbis exprimitur. Item „ *blasphemia* non tantùm inhonorationem „ continet, sed etiam infamationem, dicitur enim esse sacrilega infamia; infamatio autem non fit sine verbo, ergo & „ *blasphemia* proprium verbum requirit. „ Denique, aliàs idololatria, & omnia alia „ similia vitia, possent dici *blasphemiæ*; quod „ constat, non ita esse propriè loquendo, „ quamvis per metaphoram interdùm fortassè ita appellentur.

8. Hæc Suarez, à quibus non discordant, quæ tetigimus *cap.*1. *art.*2. *à num.*15. & *art.*4. *num.*6.7.8.16.17. Et in hunc finem optimè à prælaudato Authore adducitur Angelicus 2.2. *q.*72. *art.*1., ubi quærens, *utrùm contumelia consistat in verbis?* affirmativè respondet, illud Augustini *lib.*2. *cap.*3. *de doctr. Christi.* usurpans: *omnia signa verbis comparata paucissima sunt*; ac corroborans: *verba enim inter homines obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur, & ideò contumelia propriè loquendo in verbis consistit. Undè Isidorus dicit* lib. 10. cap. 3. æthimol., *quòd contumeliosus dicitur aliquis, quia velox est, & tumet verbis injuriæ. Tamen, quia etiam per facta aliqua, significatur aliquid, quæ in hoc, quod significant, habent vim verborum significantium, indè est, quòd contumelia extenso nomine etiã in factis dicitur. Undè* Rom. 1. 30. *super illud:* contumeliosos, superbos, *dicit glossa interlinearis, quòd contumeliosi sunt, qui dictis, vel factis, contumelias, & turpia inferunt*; & in resp. ad 2. *In tantùm aliquis aliquem factis dehonorat, in quantùm illa facta, vel faciunt, vel significant illud, quod est contra honorem alicujus, quorum primum non pertinet ad contumeliam, sed* ad

ad alias injustitiæ species; secundum verò pertinet ad contumeliam, in quantùm facta habent vim verborum in significando. Ex quibus patet, quomodò ad invicem conciliari valeant Authores in hoc dissidentes, aliis *blasphemię* rationem ad facta ampliantibus cum Alphonso de Castro *lib.1. de just. hæret. punit. cap.12.* Corduba in *quæstionar. lib.1.q.17.§.1. notab.1.* Graffio *lib.1.cas.reser.c.10.num.4.* Menochio de Arbitris *lib.2.centur.4.cas.376.* aliis ad verba restringentibus, ex Angelico 2.2. *q.13. art.1.* dicente, *quòd per blasphemiæ vitium, homo corde, vel ore, secundùm intellectum, vel affectum Deo tribuit, quæ ei non conveniunt, vel negat, quæ ei conveniunt*, inter quos, relatus Suarez, Alensis *3.p. q.13. memb.6.* Navarrus *in summ.cap.12.num.81.* Lessius *de just. & jur. lib.2.c.45. dub.5. num.24.* præter eos, quos citat, & sequitur Dandinus *de susp. de hær.cap.1.sect.1.num.6.& seq.*

9. Qui omnes cum eodem Aquinate per verba, nedùm intelligunt verba externè prolata, sed etiam internè concepta, ac eatenùs nullo modo manifestata, distinguentes proindè *blasphemiam in blasphemiam cordis*, & *oris*. Quarum prior, etsi ab Ecclesia non sit punibilis, nisi per aliquod signum, exteriùs innotescat ad tradita *cap.1. art.4.n.6. 7.8.* coram Deo nihilominùs est in rigore *blasphemus*, qui in *corde* suo divinæ bonitati injuriam irrogat, cum etiam corde quis dicatur loqui, ex illo: (*Ps.13.1.*) *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Ne autem in hoc ulla contingat æquivocatio, rectè monet Suarez *lib.1. de irrel.cap.4. num.2.* quòd distinguere necesse sit inter affectum *blasphemiæ*, & *blasphemiam* ipsam internam, „ Affectus enim „ *blasphemiæ* propriè non est *blasphemia* in „ re, ut sic dicam, sed in voto, & appetitu, „ & ideò licèt tota malitia formalis *blasphemiæ* sit in illo affectu, ideòque talis affectus dici possit *blasphemia* mentalis, sicut „ desiderium occidendi hominem vocatur „ homicidium mentale. Nihilominùs non „ est verè, & realiter *blasphemia*, sicut desiderium occidendi non est realiter homicidium, sed morali quadam imputatione. Blasphemia autem interior est propria *blasphemia*, in usu, & executione, „ ut sic dicam, & comparatur ad affectum, „ ut objectum ejus, & respectu voluntatis „ dici potest actus externus, licet respectu „ corporis sit internus. „



ARTICULUS VI.

An propositio hæreticaliter blasphema *specie distinguatur à propositione* hæretica?

1. Omnem *hęresim* in ampla, ac impropria quadam significatione denominari posse *blasphemiam* firmat Cardinalis Brancatus *disp.16. de Pers.ac doctr.de hęr.susp. art.2. §.3. num.84. & seq.* id comprobans ex Sacris Literis, in quibus, inter alia, quæ adduci possunt exempla, Christus Dominus *Matth.9.3.* eò quòd dixerit, *confide fili, dimittuntur peccata tua*, habitus est *blasphemus* à Scribis: *Hic blasphemat*, ea ductis ratione, *quia nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus.* (*Marc.2.7.*) & *cap.26.65.* cùm Principi Sacerdotum interroganti, *Adjuro Te per Deum vivum, ut dicas nobis, si Tu es Christus filius Dei?* respondisset: *Tu dixisti*, ab eo statim pronunciatus est *blasphemię* reus: *Blasphemavit.* Verùm, non multùm ad intentum idonea videntur exempla hæc, quæ non de impropria, sed de rigorosa *blasphemia* sunt potiùs accipienda, dum per ea Christus *blasphemus* inscribitur, quòd creatura, non Deus à Scribis, & Caypha reputatus, sibi, crederetur usurpare, quod erat Dei proprium, videlicèt peccatorum remissionem, in quo rigorosam *blasphemiam* sitam, cum D. Thoma innuimus *art. præc. num.6.* Non ideò tamen *blasphemię* impropriam denominationem tribuendam negamus cuilibet *hęresi*, per quam injuria non potest non inferri Deo revelanti, ejusque characteristico prædicato, quo constituitur Prima Veritas, quæ non possit falli, nec fallere, eò ipso, quòd ab eo sufficienter manifestatis, debitus non præbetur assensus. Quin, si de *hęresi* loqui velimus, quæ circa Dei naturam, aut Attributa versetur, etiam in rigore dici eam posse *blasphemiam* facilè ex mox dicendis colligi poterit.

2. Quicquid autem sit de lata *blasphemię* acceptione, *hęreticaliter blasphemam* specie distingui ab *hęresi* ex tradendis *hoc art.* supposuimus *cap.2. art.8. num.38.* efficax insinuantes motivum, quòd *blasphemię hæreticalis* quidditas ex formali ratione convicii in Deum sit desumenda, *hęresis* verò ex præcisa oppositione cum revelatis, quæ formaliter non importat injuriam, & convicium, eò arguitivè, & virtualiter illud contineat. Quod, ut luculentiùs appareat, divi-

divisio *blasphemiæ* in *hæreticalem*, & *simplicem* est explicanda. Ac *hæreticalis* illa dicitur, quæ *hæresim*, seu falsitatem contra fidem exprimit, aut significat, qualis est quælibet *blasphemia* enunciativa, qua vel affirmatur de Deo, quod ei repugnat, vel negatur, quod ipsi convenit, aut in dubium revocatur: sivè totum id fiat per expressam enunciationem, qua e. g. diceretur: *Deus est injustus*, sivè per implicitam, nominando ipsum absolutè *injustum*, *ignorantem* &c. quæ æquivalenter enunciationem prædictam important. Debet autem id, quod negatur de Deo, certò certitudine fidei ipsi competere, quodque affirmatur repugnare, aliàs non *hæreticalis blasphemia* dici poterit, quòd nulla *hæresis* ratio in ea appareat. Undè si quis per irrisionem negaret Christum esse risibilem, *hæreticalem blasphemiam* non diceret, quia risibilitas fidei objectum revera non est, sed cum fidei objecto conjuncta, & idcircò dici ad summum posset *blasphemia erronea*, quæ tamen denominatio in usu non est apud Theologos. *Simplex* verò, seu non *hæreticalis*, quæ etsi aliqualem contineat falsitatem, quæ sit contra fidem, ut videbimus *art. seq.* non tamen ea expressè, & enunciative elucet, uti sunt quæ proferuntur per modos optandi, imperandi, aut imprecandi, aut quæ fiunt nominando aliquod, quod verè in Deo reperitur, sed per modum contumeliæ, & irrisionis. Ad hanc proindè pertinent pleraque vulgaria verba *blasphema*, qualia sunt, *Ad despectum Dei*: *Per vitam Dei*: per quæ non indicatur formaliter, & expressè *infidelitas*, sed solus Dei contemptus, & irrisio; non enim formaliter significatur, quòd fieri possit quidpiam contra efficacem Dei voluntatem, sed vel importatur voluntas faciendi aliquod, non obstante, quòd Deo displicere agnoscatur per voluntatem antecedentem, & signi, in quo summa est irreverentia, & contemptus; vel profertur per modum *imprecationis* optando Deo displicentiam, vel tædium de tali re; aut *execrationis*, qua ita nominatur *vita Dei*, ut subjici quodammodò videatur defectioni, & morti, nisi hoc, vel illud ita contingat, ut profertur. Sicque præ aliis ferè ratiocinatur Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. de Irrelig. cap. 5. num. 7. & 8.*

3. Qui *cap. 6.* explicans *blasphemiæ* gravitatem malitiæ, postquàm probat *blasphemiam* ut sic nec esse *infidelitatem* propriam, quòd haberi queat, non solùm absque falsa opinione de Deo, qualis propemodùm est in damnatis, & Dæmonibus, qui quamvis credant, detestantur nihilominus divinam justitiam, quæ *detestatio divinæ justitiæ est in eis cordis blasphemia*, & *credibile est quòd post resurrectionem erit in eis etiam vocalis blasphemia, sicut in Sanctis vocalis laus Dei*, ut loquitur Angelicus 2. 2. *q. 13. art. 4. in corp.* Nec illam in Proferente necessariò præsupponere; aliàs reperiri in Credentibus minimè posset: ultra quod, ex traditis *num. præc.*, haberi multoties formaliter queat, absque ulla falsa enunciatione de Deo. Ex quo ulteriùs colligit, non semper *blasphemiam* esse contrariam fidei confessioni, quia ubi nihil falsum contra fidem profertur, nec ore fides negatur. Transitum ad *blasphemiam hæreticalem* facit, suadere contendens ei propriam inesse malitiam Religioni contrariam, & distinctam ab ea, quæ est in *infidelitate*, sivè intrinseca sit, sivè extrinseca, estò cum ea sit persæpè conjuncta.

4. Fundamentum, cui inhæret, quòad exclusionem *infidelitatis* internæ, ex *blasphemia*, quam nuper retigimus reperiri in Dæmonibus, eruitur, quin in ipsis sit *infidelitas*; quod quoque exemplo in humanis declarat, ex quo sæpè accidat aliquem alteri contumelias inferre vocando *Stultum*, *Judæum*, etiamsi talem de illo opinionem non habeat: sicque pariter quandoque peccatores fervido iræ impulsu ducti, Deum ipsum *improvidum* vocant, ac *iniquum*, quin de Deo internum hujusmodi conceptum teneant. Quòad verò *infidelitatem* exteriorem, seu confessioni fidei oppositam, subdit, quòd etsi *blasphemia hæreticalis* semper videatur dictæ fidei confessioni repugnare, quia semper exteriorem saltem fidei negationem importat. „ Hoc tamen non obstat, „ quò minùs in illomet actu præter malitiam contrariam confessioni fidei, sit „ etiam malitia contraria laudi, & honori „ debito Deo, quæ propositionem *blasphemam* constituit, & Religioni opponitur. „ Sicut fidelis, qui metu mortis sacrificat „ Idolo tantùm exteriùs sine interiori *infidelitate*, deficit quidem in confessione „ fidei, & hoc titulo graviter peccat, nihilominùs tamen simul committit peccatum idololatriæ Religioni contrarium, „ quia honorem soli Deo debitum alteri „ defert. Et simili modo *infidelis*, vel *hæreticus*, qui ex falsa opinione, quam habet „ de Deo, falsum de illo loquitur, vel ali- „ quid dicit, quod in contumeliam Dei „ cedat, simul, & *hæreticus* est, & *blasphemus*, quia & contra fidem, & confessionem fidei peccat, & contra divinum honorem

„ norem loquitur, etiamsi fortasse id for„ maliter non intendat. Nam ad peccati „ malitiam contrahendam sufficit volun„ tas faciendi actum de se inhonorativum „ alicujus, licèt honoris detractio per se „ non intendatur. Hac ergo ratione omnis „ abnegatio fidei *blasphemiam* continet, & „ sic dixit D. Thomas *quodl. 9. art. 14.* Petrum „ negando Christum non solùm defecisse „ in confessione fidei, sed etiam *blasphemas„ se*. Atque ita etiam de hac *blasphemia hæ„ reticali* intelligi potest, quòd D. Thomas „ 2. 2. q. 13. art. 13. dixit *blasphemiam* inclu„ dere *infidelitatem* utique exteriorem fal„ tem, & aggravare illam habendo irreli„ giositatem, & præsertim si accedat dete„ statio, seu intentio detrahendi bonitati „ Dei, & ejus honori.„

5. Quicquid autem pro nunc sit de falsitate, quam, ut innuimus, cuilibet *blasphemiæ* aliqualiter inesse *art. seq.* contra Suarez tuebimur; ut solidiùs, & clariùs, quid sentiamus, appareat, cum distinctione procedendum videtur. Vel namque loqui intendimus de *blasphemia objectivè* inspecta, vel de ea etiam *subjectivè*, ac ut formaliter denominante Proferentem *blasphemum*. Si enim de hac sit sermo, utique verificatur, non semper *hæreticaliter blasphemum* esse formaliter *hæreticum*, quia non semper, qui in *blasphemias hæreticales* erumpit, sentit revera ita illas in re esse, quales ipse pronunciat, fortassis motus dumtaxat ex aliqua passione, qua irretitus detinetur; quæ est ratio, obquam per *hæresis* reservationem non eò ipso censetur reservata, & *hæreticalis blasphemia*, nisi talis sit, quæ ex animo fidei infenso, & infideli procedat, hujusque generis esse damnatorum, & Dæmonum *blasphemias*, absque *infidelitatis* videlicet mixtione, concedimus. Si autem de *blasphemia objectivè* sit sermo, ipsi semper inerit *hæresis* ratio, à qua *hæreticalis* denominationem desumit, ut *num. 2.* insinuavimus. Non indè tamen sequitur, specificè distinguendas non esse *hæreticam* propositionem, & *hæreticaliter blasphemam*, idque non solùm, quia, etsi quælibet *blasphemia hæreticalis* sit *hæretica objectivè*, non tamen quælibet *hæresis objectivè* est *objectivè blasphemia hæreticalis*, cum possit concipi absque ulla propria, (de qua loquimur) expressione convicii; ut si quis cum Origene effutiret *pœnas damnatorum non esse in æternum duraturas*. Verùm & præcipuè, quia ad specificam distinctionem sufficit rationum formalium, quibus aliqua constituuntur, essentialis diversitas, qualem haberi inter *hæreticam propositionem*, & *hæreticaliter blasphemam*, ex dictis fit clarum, quibus firmatum manet, *hæreticam propositionem* præcisè constitui per oppositionem cum revelatis quin ullo modo attendatur, an oppositio involvat ullam convicii formalitatem; *blasphemia* autem *hæreticalis*, quamvis oppositionem prædictam contineat, non tamen eam per se respicit, ut *blasphemia hæreticalis* est, nisi quia est oppositio habita per modum convicii, & contumeliæ. Undè sequitur, quòd *hæresis* in *blasphemia* se habet ut prædicatum differentiale, per quod *blasphemia hæreticalis* discriminatur à *simplici*, cum tamen in se ipsa sit ratio communis quibuslibet propositionibus fidei immediatè oppositis conveniens, & proindè à *blasphemia hæreticali* ad *hæreticam* valet illatio, non autem ab *hæretica* ad *hæreticalem blasphemiam*. Indeque eruitur Proferentem *hæreticalem blasphemiam* confessioni fidei se se semper opponere, quia per eam exteriùs, revelatis contradicit, propter oppositionem *objectivam*, quam *blasphemia* illa importat; estò non semper illa sit per se intenta, quia non semper credit ex corde rem ita esse, qualem externè profert, & propterea non semper denominandus *formaliter hæreticus*, semper tamen *hæreticaliter blasphemus*, quòd per Tò *hæreticaliter*, non exprimatur animus Proferentis *blasphemias*, qui revera sit pertinax contra aliquod fidei dogma, sed qualitas pronunciatæ *blasphemiæ*, quæ non simplex est, sed *hæreticalis*, & in se ipsa continens *hæresim*, sive hæc per se à Proferente sit intenta, sive non. An autem in solis *blasphemiis hæreticalibus* dicta confessioni fidei oppositio locum habeat, & de iis dumtaxat sit explicandus Angelicus, vel etiam extendatur ad quaslibet propositiones *blasphemas*? discutiendum *sequen. art.* relinquimus.

ARTICULUS VII.

An omnis propositio blasphema *debeat continere aliquam falsitatem*?

1. Affirmativa hujus quæstionis resolutio videtur esse de mente Angelici, ac præ opposita seligenda, quam apertè propugnant Cajetanus *in cit. S. D. qu. 13. art. 1. in corp. & in respon. ad 1. & 3.* Aragonius, Petrus Ledesma, Valentia, Tolerus, Simanchas, quos citat, & sequitur Thomas del Bene

Bene *part.2. de off. S. Inquis. & var. dub.218. sect.3. num.31. & 32.* quibuscum consentit Bordonus præsertim *in 1. append. posthuma ad manuale consult. in caus. S. Off. casu 2.* Rejiciunt verò plerique alii, nempè Turrianus *2.2. disp.58. dub.1. vers.* verùm *hæc*, Azorius *tom.5. inst. mor. lib.9. c.28. q.1. & 2.* Dandinus *de susp. de hær. cap.1. sect.1. num.8. & seq.*, & præ cæteris Suarez *lib.1. de Irrelig. cap.4. n.9.* ubi tamen modum dicendi Cajetani referens, illum fatetur sustineri posse, esse tamen nimis metaphoricum, & generalem ,, nam hoc modo, etiam qui odit Deum, ,, in actu exercito falsum significat, nam ,, virtute dicit Deum esse odio dignum, ,, quo modo in universum dictum est: *Errant, qui operantur malum* (*Prov.14. 22.*) ,, Nec enim in illis blasphemiis alius error, ,, nisi purè practicus reperitur. Nam qui ,, ex ira, vel odio in Deum profert verba ,, optantis malum illi, non sentit illud esse ,, possibile, aut decens, sed appetit, licèt ,, sit impossibile, & indecens, ut satisfaciat ,, furori suo, & similiter, qui verenda ,, Christi membra contumeliosè nominat, ,, non dicit etiam in actu exercito illa ,, membra esse vituperabilia, idest digna ,, vituperio, sed facto tantùm vituperari ,, posse ad explendum inordinatum affe- ,, ctum. Error ergò, qui ibi intervenit, est ,, merè practicus, qui omnibus vitiis inor- ,, dinati affectus communis est. Ideoque ,, simpliciùs responderi potest negando fal- ,, sitatem aliquam esse de speciali, & pro- ,, pria ratione *blasphemiæ* ut sic, nulla enim ,, ratione hæc necessitas probatur, & argu- ,, mentum factum, oppositum sufficienter ,, persuadet ,,. Quo nihilominùs non obstante.

2. Falsitatem esse de ratione cujuslibet *blasphemiæ* magis Angelici menti conformatur, quem propterea fe deseruisse in hac parte ingenuè fassus est Toletus *lib.4. Instruct. c.12.*, Alii verò ipsum interpretari conantur, vel quòd loquatur de sola *hæreticali blasphemia*, quod ex Azorio probabile habet Suarez *cap.6. num.6.* immò & tuetur *num.8.* cum Soto *lib.8. de just. q.2. art.3. in princ.* subdens, Cajetanum in re non dissentire; vel quòd sumat fidei confessionem, prout oratio, & laus Dei, dici potest quædam fidei confessio. Prior tamen explicatio S. Doctori nequaquàm adaptanda videbitur, si semel inspiciatur, quod ipse *quæstionem decimam tertiam* inscribit: *De peccato blasphemiæ in generali in quatuor articulos divisâ*, ac per consequens de ea sic inspecta, sumi debent subsequentes *articuli*, in iis præsertim, in quibus limitatio aliqua non apparet; & proptereà de *blasphemia* ut sic præ aliis *articulus primus* concipitur; *utrùm blasphemia opponatur confessioni fidei?* cui *generalis* itidem *conclusio* respondet: *Blasphemiæ vitium ad infidelitatem eatenùs spectat, quatenùs per illam homo corde, vel ore, secundùm intellectum, vel affectum, Deo tribuit, quæ ei non conveniunt, vel negat, quæ ei conveniunt*. Ex quo *art.2.* infert, *blasphemiam*, per quam homines *derogant divinæ bonitati*, esse *necessariò peccatum mortale ex suo genere*, & in *3. art.* firmat: *Blasphemiæ vitium omnium peccatorum ex suo genere gravissimum est, ipsam etiam infidelitatem, quæ maximum peccatum est, aggravans*. Non itaque de *blasphemiæ* specie, quantumvis potissima, interpretari absque violentia potest S. Doctor, se loqui declarans de *blasphemia in generali*, & *ex suo genere*. Quod adhùc magis evincitur ex solutione, quam secundo argumento *art.3.* adhibet, quo probare contendebatur, *perjurium esse gravius peccatum, quàm blasphemiam*, quia *quicumque pejerat inducit Deum testem falsitatis, & ita videtur eum asserere esse falsum. Sed non quilibet blasphemus usque ad hoc procedit, ut Deum asserat esse falsum, ergo &c.* præcisis his verbis conceptam *Ad secundum dicendum, quòd super illud*, (*ad Eph.4.31.*) Blasphemia tollatur à vobis, *dicit Glossa*, (quæ est Augustini *lib. con. Mendacium. c.19.*) Pejus est blasphemare, quam pejerare. *Qui enim pejerat, non dicit, aut sentit aliquid falsum de Deo, sicut blasphemus, sed Deum adhibet testem falsitati, non tamquàm æstimans Deum esse falsum testem, sed tamquàm sperans, quod Deus super hoc non testificetur per aliquod evidens signum*.

3. De omni idcircò locutum Aquinatem *blasphemia* sustinet inter alios insignis ejus discipulus Ferrè *tract.2. de opposit. fidei q.18. §.1. & seq.* duo distinguens in confessione interna, vel externa fidei, ex quibus erui poterit, quo sensu locum habeat posterior tradita S. Thomæ explicatio. Primum videlicet, quòd sit simplex assertio eorum, quæ fidei sunt; secundùm quod prædicta assertio sit quædam Dei laus, & honor; ac subdens, confessioni fidei quò ad priorem formalitatem opponi *infidelitatem*, quò ad posteriorem, *blasphemiam*. Quod latiùs prosequitur animadvertens, quòd fidei confessio haberi potest, & per hoc, quòd simpliciter enuncientur, quæ fides dictat Deo convenire, & disconvenire; & per hoc, quòd Deo desiderentur, vel imperentur convenire ea, quæ secundùm fidem possunt, &

decent Deo convenire, ut, si quis optet Deum esse beatum, dicendo ex. gr. *Regi sæculorum immortali, & invisibili soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum*; iste talis, estò non affirmet Deum de facto beatitudinem habere, tamen desiderat Deo aliquod prædicatum, quod secundùm fidem Deo habet convenire. Sicut autem fidei confessio sic explicata fit per modos diversos, *indicativū*, videlicet, & *optativum*, aut etiam *imperativum*, qualis propemodùm erat illa, qua veteres Patres confitebantur Christum venturum: *Rorate Cæli desuper, & nubes pluant Justū, aperiatur terra, & germinet Salvatorem*. Ita & *blasphemia* concipi potest *indicativè* negando, quæ Deo conveniunt, vel affirmando, quæ disconveniunt, & *optativè*, aut *imperativè* desiderando, vel imperando, quæ confessioni fidei sic acceptæ repugnant, ac adversantur. Ideoque sicut fidei confessioni, sivè *indicativè*, sivè *optativè*, aut *imperativè* formetur, semper competit veritas, ita & *blasphemiæ* quomodolibet conceptæ semper competit falsitas.

4. De mente itaque D. Thomæ non videtur hæsitandum, quoàd hanc partem, & quamvis congeri adversùs eam possent ex contextu non ignobiles difficultates, eas nihilominùs solvere nititur laudatus ejus Discipulus Thomistico fungens munere, ad quem lectores remittimus, cùm, ad intentum satis fit ostendisse doceri revera ab Angelico, quod menti ipsius conforme asseruimus. Cui non obstat argumentum ex odio Dei desumptum, in quo dupliciter falsitas practica potest considerari; quæ nempè aliquo modo insit hujusmodi actui, & quæ quadantenùs appareat ex enunciatione, vel enunciationis, quo profertur modo: è quibus non illam, sed hanc attendimus falsitatem, cum dicimus esse de ratione *blasphemiæ*, quæ ita dicitur practica, ut aliquo modo ex enunciatione, vel enunciationis modo importetur, ut notavit Del Bene *cit. sect. 3. num. 34.* ex eodem Suario, qui *num. 9.* fatetur, quòd, etsi odium Dei non sit in rigore *blasphemia*, quia formaliter non contra honorem, sed contra amorem Deo debitum, nec in verbo, sed in pravo affectu consistens, attamen si quis velit hoc ipsum odium verbo ostendere, vel profiteri, jam illud erit verbum *blasphemiæ* imperatum ab odio; idemque sentiendum subjungit de desperatione, formaliter enim non est *blasphemia*, sed alius pravus affectus, proferre tamen verba desperationis, erit *blasphemia*, quia per talia verba semper detrahitur divinæ bonitati, veritati, omnipotentiæ &c.

5. Practicam idcircò, affectivam, & in actu exercito, non signato, nequaquam negamus esse falsitatem, quam cuilibet *blasphemiæ* non *indicativè* conceptæ censemus insitam, & eatenùs minùs rigorosam, minùsque propriam, si ad eam comparetur, quæ habetur in *blasphemia indicativè* prolata, non tamen omninò metaphorica, sed ex ipso irrisorio, & significandi modo satis designata; sicuti è contra qui per modum desiderii Deo optat benedictionem, & laudem, non quidem ità propriè Deo debitam laudem enunciat, ac qui *indicativè* asserit Deum esse laude dignum, sed non ideò metaphoricè dumtaxat loquitur, sed optando, innuit, ei laudem omninò debitam. Undè fit quod *blasphemia* non in voluntate, sed in intellectu, quorum actibus veritas, aut falsitas verè, non metaphoricè competit, subjectatur, quælibet enim *blasphemia*, locutionem involvit, quæ, si externa, ad os, si interna, ad intellectum pertinet, cujus est loqui, non voluntatis, ex Ferrè §. 4. testante, quòd hoc dubium à nemine viderit pertractatum.

6. Fortiùs ex quo, quamvis Suarez *c. 6. num. 18.* innuat sibi valde probabile esse, quòd *blasphemiæ hæreticales* specie distinguantur à non *hæreticalibus*, quòd videantur continere deformitatem, & injuriam longè diversæ rationis; Communior nihilominùs, magisque recepta Theologorum opinio distinctionem specificam inter prædictas *blasphemias* negat, „ itaut quomodocumque *blasphemiæ* proferantur, sivè in „ Deum, sivè in Sanctos, sivè *enunciativè*, „ sivè *optativè*, sivè *imprecativè*, sivè *imperativè*, sivè per modum *maledictionis*, sivè „ *contemptus*, sivè *contumeliæ*, sivè *detractionis* &c. in universum sint omnes ejusdem „ speciei, ut loquitur Thomas Del Bene *par. 2. de off. S. Inquis. & hær. dub. 218. sect. 16. num. 1.* citans Cajet. in *summ. verb.* Blasphemia, & *2. 2. q. 1. art. 1. vers.* Quoàd 2. & *vers.* Hinc *responsione ad 2.* Bannez *ibid. notabili ultimo*. Azor. *tom. 1. instit. mor. lib. 9. cap. 28.* Petrum de Ledesma *in summ. tom. 2. tract. 1. c. 9. concl. 5.* Valentiam *2. 2. disp. 1. q. 13. punct. 1. vers.* Quocumque *igitur*, subdensque ita sentire alios passim. Et quamvis cum hoc prima facie minimè concordans appareat, quod subnectit *num. 4.* quòd „ *blasphemiæ* „ possint aliundè differre specie inter se, „ quia *blasphemia*, quæ continet *hæresim*, „ manifestè differt specie à *blasphemia*, quæ „ non continet *hæresim*, non quidem ratione

„ ne *blasphemia*, sed ratione *hæresis* adjun„ ctæ. Quod intellige, etiamsi non adsit as„ sensus internus *hæreticus*, quia talis *hære„ sis*, solùm scilicet externa, opponitur di„ rectè, & propriè confessioni externæ „ fidei: *Blasphemia* autem opponitur dire„ ctè, & propriè Religioni, ergo erunt duo „ peccata specie diversa virtutibus specie „ diversis opposita.„

7. Potest adhùc conciliari, si dicamus, quòd falsitas in *enunciativa*, ac *indicativa blasphemia*, duplicem habet inspectionem; quatenùs nempè ad contumeliam, quæ Deo infertur, dirigitur, & quatenùs *indicativa* est, Proferentem falsam revera opinionem habere de Deo. Hoc secundo modo est per se opposita confessioni fidei, utpotè quæ signum exhibet judicii repugnantis fidei, quod si in se non adsit, adesse semper designatur, attenta vi *indicativæ* enunciationis. Sicque inspecta falsitas ad *blasphemiam* non est necessaria, nec formaliter ad eam concurrit, estò cum ea conjungatur, quoties *indicativè* concipitur. Primo autem modo falsitas potiùs terminum, & objectum contumeliæ, Deum videlicet, respicit, quàm Proferentem, quatenùs in eum, convicium fertur derogativum honoris, & laudis debitæ, præscindendo omninò ab hoc, quòd Proferens opinionem habeat, Deum ita esse, qualis pronunciatur. Cùm verò ad rationem *blasphemiæ* formaliter non pertineat falsitas designativa judicii erronei Proferentis, per accidens omninò est, quòd formetur per modum *indicativi, imperativi*, aut *optativi*, nec proindè ex modi varietate potest colligi specifica diversitas *blasphemiarum*, quà talium, benè autem peccatorum multiplicatio saltèm æquivalens, vi cujus, qui *indicativè* Deum *blasphemat*, dicendo e. g. *Deus est injustus*, nedùm peccat adversùs Religionem, qua præcipitur Deo tribuenda debita laus, sed & in fidei virtutem, quia asserit quod revelatæ veritati repugnat, indicans expressè se ita credere, estò si revera id non credat, non tàm in fidem ipsam, & quòad præcipuum ejus actum, quàm in fidei confessionem deficiat; ideòque *blasphemiam hæreticalem* ex communi Theologorum importare speciem malitiæ speciei adjunctam dixit Bordonus in 1. *app. ad manual. cap.* 10. *num.* 12.

8. Eo planè modo, quo *blasphemia* licèt conjungi quandoque possit cum malitia juramenti, uti evenire solet 1. in illis juramentis, quæ fiunt, cum quadam exaggeratione, quæ redundat in contumeliam Dei, ut *art. præc. num.* 2. insinuavimus de verbis illis: *per Vitam Dei*, quæ proferuntur per modum juramenti 2. cum ad jurandum assumuntur modo injurioso, & contemptibili partes præsertim inferiores Christi, dicente in *c.* si quis 2. 2. *quæst.* 1. Pio Papa; *Si quis per capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit*. 3. quoties divina Veritas humanæ comparatur, ipsique æqualis efficitur, ut cum aliquis affirmat tàm verum esse, quod dicit, quàm est verum, Deum existere, vel Christum natum ex Virgine, nisi id declaret se facere, non ad æquiparationem faciendam, sed per exaggerationem, significando veritatem, quæ aliàs indivisibilis est, rei, quam enunciat. 4. cum quis jurat per falsos Deos, vel per creaturam, quà talem, tribuendo creaturæ, vel Idolo, quod est solius Dei proprium; Non ideò tamen *blasphemia* hujusmodi in ratione *blasphemiæ*, diversa specificè ab aliis *blasphemiis* censetur, contumeliæ Deo irrogatæ ratione dumtaxat inspecta. Undè fit, quòd sicuti potest haberi malitia solius perjurii absque malitia *blasphemiæ*, si Deus adducatur in mendacii testem, absque injuria, & contumelia; ita & potest haberi malitia *blasphemiæ* absque malitia perjurii, cùm quis Deum in testem veritatis profert, modo tamen indecenti, & contumelioso.

9. Ad quam doctrinam fit consequens verum esse, quod cohærenter ad indicata *num.* 3. prosequitur Ferrè, *blasphemiam* videlicet non esse vitium theologicum, sed virtuti Religionis repugnans, quia licèt sit confessioni fidei contrarium, ex Angelico, oppositio tamen non respicit confessionem fidei, prout hæc à fide credentis procedere debet, & elici, & ideo nec ipsa debet ab *infidelitate* per se ortum ducere, sed prout confessio fidei vera est de Deo locutio, Quin obstet dari non posse confessionem fidei, quæ laus, & honor Dei sit, nisi à Credentis fide emanet, cum ex hoc nequaquàm deduci valeat non dari *blasphemiam*, quæ ab *infidelitate* non prodeat. Siquidem „ estò „ duo inveniantur in confessione fidei, „ nempè quòd sit locutio vera de Deo, & „ quòd sit à fide loquentis elicita; potest „ tamen *blasphemia* opponi uni, nempè „ quòd sit locutio vera de Deo, fine eo, „ quòd opponatur alteri, nempè quòd sit „ elicita à fide loquentis, ergo poterit dari „ *blasphemia* opposita fidei confessioni non „ elicita ab *infidelitate blasphemantis*. Patet „ consequentia, nam estò talis *blasphemia* „ non eliciatur ab *infidelitate blasphemantis*,

„ tis, erit tamen falsa locutio de Deo, er-
„ go opponetur confessioni fidei, in quan-
„ tùm est vera locutio de Deo, quamvis
„ non oriatur ab *infidelitate blasphemantis*.
„ Et certè in hoc fundo nostræ conclusio-
„ nis veritatem, (quòd nempè *blasphemia*
„ non sit peccatum *infidelitatis*) videlicèt,
„ quòd *blasphemia* non opponitur confes-
„ sioni fidei, quia illa elicitur à fide, sed
„ tantùm, quia confessio fidei vera locutio
„ de Deo est. Neque enim habet esse ve-
„ ram de Deo locutionem, quia à fide eli-
„ citur, sed est vera, quia id, quod loqui-
„ tur de Deo, verè convenit, vel verè à
„ Deo removetur. Potest autem dari falsa
„ locutio de Deo, estò ab *infidelitate* non
„ eliciatur, ergo & poterit dari *blasphemia*,
„ quæ ab *infidelitate* non procedat; ergo &
„ quæ species *infidelitatis* non sit. „

ARTICULUS VIII.

An, & quomodo propositio blasphema *non* indicativa *dici queat* hæreticalis?

1. Bordonus cohærenter ad ea, quæ *in suo Sacro Trib. cap.* 26. *num.* 34., & *in Manual. Consult. sect.* 45. *num.* 29. sustinet, in *Append.* 1. *ad Manual. casu.* 7. licèt fateatur omnes ferè Doctores, & præsertim, quos *casu* 6. retulerat, Suarez nempè, Sanchez, Layman, Lupum, Castropalaum, Basseum, Carenam, Alberghinum, & Directorium Inquisitorum censere *blasphemias imperativè*, aut *optativè* prolatas esse *simplices*, non verò *hæreticales*, ob falsitatis defectum, quam autumant in solis *enunciativis* reperiri, absolutè nihilominùs ob oppositam rationem, inter *hæreticales* illas asserit numerandas. Quod comprobare nititur, tùm ex auctoritate *Levit.* 24. 11. ubi pœna mortis, quæ est omnium maxima, imponitur pro *blasphemia imprecativa*, cui mitior assignari debuisset, si illa *hæreticalis* non esset, (quæ tamen ratio suas patitur exceptiones cohærenter, servata proportione, ad insinuata *cap.* 2. *art.* 3. *num.* 25. & *seq.*) tùm ex definitione *blasphemiæ*, quæ tradi solet ex D. Ambrosio, quòd nempè, universaliter sit vitium, quo Deo attribuitur prædicatum repugnans, vel negatur aliàs ipsi conveniens: undè infert parùm referre, considerare modum, quo *blasphemia* evomitur, an videlicet *enunciativus* sit, *imperativus*, vel *optativus*? cùm æquè verba *imperativè*, aut *optativè* concepta, ac *enunciativa*, Sanctæ Inquisitionis Judices moveant ad præsumendum, contra *blasphemantes*, quia æquè repræsentant imperfectionem in Deo subjecto illi, vel subiicibili. Quod subdit intelligendum, etiamsi *blasphemia* aliquo ex dictis modis dirigatur in Sanctos.

2. Verùm contra hunc discursum duæ insurgunt difficultates, quarum solutio ardua redditur. Primò etenim, ex eo sequi videtur, omnes *blasphemias* dici debere *hæreticales*, nullam verò *simplicem*, quia ex ejus principiis, quoàd hanc partem à nobis admissis, omnes, illis non exclusis, quæ de veris Christi membris quomodolibet concipiuntur, involvunt falsitatem, quam *casu* 2. *num.* 5. pariter eruit ex definitione *blasphemiæ*, quæ aliter bona non esset, si omnibus singulisque *blasphemiis* falsitas non inesset: Hoc tamen, citatis Sanchez, Candido, Mazuchello, Florono, Castropalao, Suario, & Salelles, Bordonus apertè rejicit *casu* 14. Stabiliens „ nominare pu-
„ denda Christi, atque Dei in Christo pro-
„ pter communicationem idiomatum, &
„ Sanctorum, quidem est *blasphemia*, quia
„ nominari non possunt, nisi delusoriè, &
„ cum magno dedecore, & contemptu, ut
„ similia verba de se præseferunt, non ta-
„ men *hæreticalis*, quia non tribuitur Deo,
„ & Sanctis aliquid, quod non habent, nec
„ aliquid ab eis removetur, quod habent. „
Ex quo secundò deducitur, contra quaslibet *blasphemias* Inquisitores procedere posse, ac debere, quod relatè ad *casum* 6. ubi traditur divisio *blasphemiæ* in *hæreticalem*, & *simplicem* „ quæ nullam continet hæresim,
„ nec formaliter, nec virtualiter, neque
„ odorem habet, aut sapit hæresim „ æquè rejicitur à Bordono *casu* 55. *num.* 57. præcisis his verbis, „ *Blasphemus* simplex, hoc est non
„ *hæreticalis* juxta dicta *casu* 6. non est *suspe-*
„ *ctus de hæresi*, nec subjectus judicio hujus
„ Sacri Tribunalis; Ita omnes cum Locat.
„ *verb.* Blasphemia *num.* 1., Albertino *quæst.*
„ 22. *num.* 63. Penna *p.* 2. *com.* 66. Sousa *lib.* 1.
„ *cap.* 19. *num.* 16. Carena *p.* 2. *tit.* 7. *num.* 18. „
Cum præsertim hæc revera sit concors Theologorum mens, quorum plures refert, & sequitur Del Bene *de Off. S. Inquis.* & *hær. p.* 2. *dub.* 218. *post. sect.* 15. *in corollariis n.* 1. Directorium scilicèt Inquisitorum *p.* 2. *q.* 41. Pennam *ibid. comm.* 66. Rojas *de hær. p.* 2. *num.* 172. Bannez 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *circa finem*. Simanchas *de cath. instit. cap.* 8. Covarruviam *de pact.* 1. *p.* §. 7. *num.* 12. Alphonsum de Castro *lib.* 1. *de just. hæret. punit. cap.* 12. Albertinum *tract. de agnoscendis assert. quæst.* 6. *n.* 24. & 25.

& 25. *quæst.22.num.63. quæst.27. & quæst.36. num.18.* Turrianum 2.2.*disp.58.dubit.3.* Azorium *tom.1.lib.9.cap.28.quæst.5.* Ideòque subjungit præfatus Author, quòd, etsi ex *Constitutione* Julii III. quæ incipit: *In multis* colligi videatur, Inquisitores procedere posse contra quoscumque *blasphemos*, quatenùs in ea dicitur: *Judices verò tàm horrendi, & impii criminis, nempè blasphemiæ in Christum, B.Virginem, & in Sanctos deputamus, & instituimus Reverendissimos DD. Inquisitores nostros Generales, quos volumus posse addere præstitutis pœnis, & maximè in corpore, si modus blasphemiæ ob gravitatem, impietatem, vel malitiam, id exposcat*, id tamen non servatur in praxi, quia hodiè in Tribunali S. Inquisitionis tantùm proceditur contra *blasphemantes hæreticaliter*, etiamsi tamen solùm ex calore iracundiæ *blasphemaverint*, in qua propterea hypothesi mitiori pœna puniuntur.

3. *Hæreticalem* posse dici quamlibet *blasphemiam* videtur sustineri quoque posse ex Angelico 2.2. *q.13. art.3.* dicente *blasphemiam*, malitiam *infidelitatis* involvere, & aggravare, ut videre est *art. præc. num.2.* In nihilo obstante explicatione Bannez sustinentis, id intelligendum de *infidelitate*, non quæ sit talis, sed quæ talis in ratione demeriti censeatur; adeout, sicut de Christo Domino dicimus, quòd habuerit fidei meritum, non tamen fidem, ita & de *blasphemo*, quòd *infidelitatis* demeritum habeat, non autem *infidelitatem*. Ut enim argumentatur Ferrè *tract.2.de oppos. fidei quæst.18. §.6. num.27.* dum S.Doctor ait *blasphemiam* habere in se gravitatem *infidelitatis*, idque quia supponit ipsam opponi confessioni fidei, apertè sentit, *blasphemiam* in aliquo gradu, *infidelitatis* rationem involvere, quæ aliàs *aggravari* non posset; quia quòd *aggravatur*, præsupponi omninò debet sub eadem inspectione, sub qua *aggravatur*, aliàs *poni* diceretur, non *aggravari*. Tùm quia nec semper *blasphemo* tribuendum demeritum fidei, si semel nullus in eo admittatur *infidelitatis* gradus. Ideò namque in Christo Domino admittitur fidei meritum, quia, etsi fidei fuerit incapax, talis nihilominùs in eo erat animi dispositio, ut si credere sibi fuisset possibile, actum fidei elicuisset. Hoc tamen minimè verificatur de *Blasphemo*; sed potiùs oppositum, dum licèt possit *blasphemias* concipere *indicativè*, immò & fidem ipsam amittere, liberè tamen illas *optativè*, aut *imperativè* pronunciat, fidemque conservat, nolens revelatis ullatenùs dissentire. Undè ad eum modum, quo nolens mortaliter peccare, dum potest, & peccans venialiter, dici non potest habere demeritum peccati mortalis, ita & *blasphemans* retinendo sanam fidem de revelatis, quam potest, & non vult deperdere, dici non valet habere demeritum *infidelitatis*.

4. Distinctiùs itaque procedendo, præmittendum in primis censemus dari posse *blasphemiam* etiam *hæreticalem*, & modo *indicativo* conceptam, & quidem nedùm *externam*, sed & *internam* absque ulla *blasphemantis infidelitate* ex indicatis *art.præc. num.9.* quòd *blasphemia* non sit vitium theologicum, utpotè Religioni, non Fidei pressè sumptæ oppositum; cùm nulla sit in hoc repugnantia, quòd quis ex odio, ira, desperatione affirmet *Deum injustum* e. g. firmissimè tenens, quod affirmat esse absolutè, & simpliciter falsum, ut evenit in Dæmonibus. Peccabit proindè iste talis contra fidei confessionem, si præsertim externa sit *blasphemia*; sed *hæresis* in *blasphemia* indicata, destructiva habitus fidei non erit, quia non ex erroneo intellectus judicio promanaret; habetur tamen in foro Ecclesiæ tamquàm *hæreticus* ex vehementissima præsumptione, quòd reus præfati judicii erronei reputandus appareret. Et idcircò hoc adesse videtur discrimen inter *blasphemiam* hujusmodi externè pronunciatam, & internè conceptam, quòd illam ore evomens, & si *hæreticus* non sit, *hæretici* tamen agit Personam, & proindè à jure habetur *hæreticus*, ideoque est denunciandus absque prævia correctione, ut ex Fagundez habet Diana *par.7. tract.3. resol.60.* internè autem solùm concipiens coram Deo non habetur *hæreticus*, quia Deus verè cognoscit non ex *infidelitate* illam ortum ducere, cum qua cognitione repugnat, quod quis reputetur *hæreticus*.

5. Nec officit, quod *blaspemia* interna fieri nequeat, nisi per compositionem mentalem, aut mentalem divisionem, in quo *infidelitas* videtur consistere. Nam, ultra quòd ex dictis satis pateat, etiam *blasphemiam* interiorem posse haberi *optativè*, & *imperativè*, non minùs, quàm externam; nulla, adhùc antecedenti transmisso, est illatio prædicta; quia in mentali propositione, qua quis e.g. internè pronunciat, *Deum esse injustum*, diversum quid est, locutionem esse falsam, & judicium esse falsum. Locutionem namque falsam esse, dicit solùm, falsitatem reperiri in ipso actu relatè ad objectum, quod explicat, judicium verò esse

esse falsum, dicit loquentem existimare veram, locutionem falsum enunciantem. Est autem hoc separabile à locutione falsa, quia potest quis ex passione aliqua simul judicare Deum esse justum, & formare locutionem internam, quòd sit injustus; & catenùs non reddi *hæreticus*, benè tamen *blasphemus*, & quidem *hæreticalis*, sivè ore *blasphemiam* proferat, sive mente retineat. Quamvis namque non habeatur *hæreticus* in foro Dei cognoscentis non habere judicium falsum, ac revelatis oppositum, adhuc tamen habetur transgressor præcepti confessionis fidei, ad cujus adimplementum non pertinet, quòd quis habeat judicium verum de revelatis, sed hoc præsupposito requiritur, quòd dicto judicio conformetur fidei confessio, & proindè quòd non sit sui natura expressiva judicii revelatis contrarii, estò aliundè hoc non adesse innotescat.

6. Hinc autem solutionem quæstionis eruendam putamus, dicendo, quòd etsi *blasphemia imperativè, optativè* &c. concepta *hæreticalis* formaliter sui natura dici nullatenùs valeat, denominari nihilominùs queat *virtualiter hæreticalis*, si modus, quo concipitur, talis sit, ut ex eo probabiliter ad minùs, deducatur erroneum Proferentis judicium circa res fidei. Sic videntur conciliatæ oppositæ opiniones, & solutio hactenùs stabilitis cohærens. Quòd namque *blasphemiæ* ejusmodi *formaliter hæreticales* dici non debeant, evincit, tùm distinctio *blasphemiarum* in *hæreticales*, & *simplices*, tùm distinctio falsitatis speculativæ, & practicæ, relatè ad Proferentem, & relatè ad objectum, circa quod fertur. Cùm satis ex dictis colligatur non quamlibet falsitatem sufficientem esse ad *hæreticalis blasphemiæ* denominationem, sed illam dumtaxat, quæ sui natura sit designativa erronei judicii in Proferente, quam non adesse in *blasphemiis imprecativis, optativis* &c. abundè conspeximus. Quæ tamen, si taliter proferantur, aut concipiantur, ut signum idoneum præbeant arguendi judicium in Proferente erroneum, per accidens id erit, & ex circumstantiis particularibus, ob quas propterea *virtualiter hæreticales* inscribi poterunt; non *formaliter*, quòd *indicativæ* revera licèt non sint, *indicativis* nihilominùs in hac parte æquiparantur. Hocque fortassis fuit motivum, ob quod Julius III. *num.* 2. relatus, Inquisitores deputavit Judices cujuslibet *blasphemiæ*, eorumdem subjiciens examini, an illæ, quæ *indicativæ* non essent, & eatenùs sui natura non *hæreticales*, sed *simplices*, ex circumstantiis nihilominùs *hæreticales*, evaderent, & tamquam *hæreticales* puniendæ.

7. Colligitur itidem quomodò sit intelligendus Angelicus asserens blasphemiæ vitium genericè sumptum *infidelitatis* malitiam continere, illamque aggravare. In eo namque sensu, quo *blasphemia* ad *infidelitatem* reducitur, in eo dicitur aggravans *infidelitatis* malitiam. Ac propterea si *infidelitas* formalis, & rigorosa sit, quæ supponat judicium intellectus erroneum, & ex eo promanet, ac ideircò fidei habitum destruens, ut esse quandoque solet in *blasphemiis indicativis*, malitia rigorosæ *infidelitatis*, quæ ipsius propria est, aggravatur ob contumeliam in Creatorem ipsi adjunctam. Si verò *infidelitas* sit, nullum quidem præsupponens erroneum in Proferente de revelatis judicium, adhuc tamen *formaliter* opposita fidei confessioni, prout hæc elicitur (ut sustinet Angelicus, cum quo *art. praeced.* locuti sumus, aut imperatur, ut sentit Scotus, circa quod tamen quæstio de solis vocibus censetur à Cardinali DeLugo *de virt. fid. div. disp.* 14. *sect.* 1. *num.* 14.) à fide, & ex fide promanat, tunc & ipsius malitia, quæ destructiva fidei non est, utpotè cum recta fide Proferentis consistens, ex injuria, Deo irrogata, in suo genere augetur. Si denique *infidelitas* minùs propria sit, & tantùm ex parte materiæ se tenens, quatenùs videlicet fidei confessio materiale est laudis, & honoris, qui exhibetur Deo confitendo fidem, ad illud Christi D. *Confiteor tibi Pater*, explicatum *sermone* 8. *de verb. Domini*, ab Augustino: *Si Confiteor, Christus dixit, à quo est longè omne peccatum, non solius est peccatoris, sed etiam laudatoris: Confitemur ergo, sivè laudantes Deum, sivè accusantes nosmetipsos*; tunc per *blasphemiam* non augetur *infidelitatis* malitia, quæ verè sit opposita fidei confessioni, prout hæc à fide derivat, sed quæ sit fidei confessioni contraria, prout hæc veram de Deo locutionem importat. Ideoque notavit Ferrè *cit. quæst.* 18. §. 5. *num.* 24. „ consultò Divum Thomam dixisse *blasphemiam* habere in se *gravitatem infidelitatis*, & non dixisse *blasphemiam* esse *infidelitatem*, ne intelligeremus illam esse speciem *infidelitatis*. Primò autem loco numeravit gravitatem *infidelitatis*, quia ex materia *infidelitatis* primam gravitatem desumit: versatur enim falsa locutio de Deo circa eamdem indebitam materiam, circa quam versatur *infidelitas*. Sentire enim falsum de Deo, & dicere falsum de Deo circa eamdem indebitam materiam

„ tiam sunt, & sic dicitur *blasphemia infidelitas* ex parte materiæ, idest quia ex materia *infidelitatis* desumit gravitatem. Possumusque (ut benè vidit Cajetanus) „ *blasphemiam* appellare cognatam *infidelitatis*, quia primam suam gravitatem ex „ ipsa materia *infidelitatis* desumit. „ Hujusmodi autem *infidelitas* indispensabiliter habetur in qualibet *blasphemia*, & ratione ipsius, *blasphemia* in genere opposita dicitur confessioni fidei; quamvis vitium theologicum dici ob hanc oppositionem neutiquàm valeat, ex traditis *art. præc. num.9.*

ARTICULUS IX.

In quonam constituenda sit quidditas propositionis impiæ?

1. DE *Pietate* agit Angelicus 2.2. q.101. & 121. hoc discrimine, quòd in illa loquitur de *pietate*, quæ est virtus, in hac de *pietate*, quæ est Spiritus Sancti donum. *Pietatis* autem virtutem firmat se extendere *ad certas, & determinatas personas, videlicèt ad parentes, consanguineos, & ad conterraneos.* Donum verò ait esse secundùm quod *Deo, ut Patri cultum, & debitum exhibemus officium, ex Spiritus Sancti instinctu.* Indè in *respon.ad 1. q.121.* colligens, *quòd pietas, quæ exhibet Patri carnali officium, & cultum, est virtus. Sed pietas, quæ est donum, hoc exhibet Deo, ut Patri.* Utramque pietatem ad proximos quoslibet ampliari posse non negat; dùm de virtute, etsi afferat ad desuper indicatas Personas referri, quibus respectivè est homo *debitor secundùm eorum diversam excellentiam, & diversa beneficia ab eis suscepta*, quæ post Deum, cui summus debetur locus, utpotè *qui & excellentissimus est, & est nobis essendi, & gubernationis primum Principium*; in Parentibus, & Patria resident, *à quibus, & in qua nati, & nutriti sumus*: Nihilominùs in *respon. ad 2.* concedit, *quòd sicut Augustinus* in 10.de Civit. Dei cap.1. *more vulgi nomen pietatis, etiam in operibus Misericordiæ frequentatur. Quod ideò arbitror evenisse, quia hæc fieri præcipuè mandat Deus, quæ sibi præ sacrificiis placere testatur, ex qua consuetudine factum est, ut & Deus ipse pius dicatur*; & in *resp. ad 3.* conclusionem explicat accipiendam in strictiori significatione, dicendo, *quòd communicationes sanguineorum, & concivium magis referuntur ad principia nostri esse, quàm alię communicationes. Et ideò ad has nomen pietatis magis extenditur*. De dono itidem relatè ad Deum definito in *resp. ad 3. q.121.* subdit: *quòd sicut per pietatem, quæ est virtus, exhibet homo officium, & cultum, non solùm Patri carnali, sed etiam omnibus sanguine junctis, secundùm quod pertinent ad Patrem, ita etiam pietas, secundùm quod est donum, non solùm exhibet cultum, & officium Deo, sed etiam omnibus hominibus, in quantùm pertinent ad Deum. Et propter hoc ad ipsam pertinet honorare Sanctos, non contradicere Scripturæ, sivè intellectæ, sivè non intellectæ, sicut Augustinus dicit* in 2.de Doctr.Christ. *Ipsa etiam ex consequenti subvenit in miseria constitutis: Et quamvis iste actus non habeat locum in patria, præcipuè post diem judicii, habebit tamen locum præcipuus actus ejus, qui est revereri Deum affectu filiali, quod præcipuè tunc erit secundùm illud* Sap.5.5. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, *erit etiam mutua honoratio Sanctorum ad invicem. Nunc autem ante diem judicii miserentur Sancti etiam eorum, qui in statu hujus miseriæ vivunt.*

2. Ad Scholasticos autem remissa quæstione, quæ agitari solet de distinctione donorum Spiritus Sancti à virtutibus, quam aliàs tuetur Aquinas 1.2.q.68. *art.1.* rejicit Subtilis *in 3.dist.34. quæst.unica* §. Ulteriùs *est videndum*, ad intentum observare sit satis, *Pietatem* in universum omnes illas Personas respicere, quibus veluti nostris Principiis, vel cum his connexionem habentibus, obsequia, & gratitudinem præstare obstringimur, primòque, & per se, ipsum Deum, quà noster supremus est Pater, cui affectus filialis est debitus, juxtà illud (*ad Rom.8.15.*) *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*, & ratione ipsius Dei quibuslibet hominibus *in quantum pertinent ad Deum*; Secundariò Parentibus, in quorum cultu *includitur cultus omnium consanguineorum, quia etiam consanguinei ex hoc dicuntur, quòd ex eisdem Parentibus processerunt*, & Patriæ, quæ involvit *cultum omnium Concivium, & omnium Patriæ Amicorum*, aliis quibuslibet non exclusis, quibus misericordiæ opera impendi possent, licèt non æquè, ac relatè ad *Pietatis* virtutem spectantia. Ac catenùs de propositione *impia* ad præsens sermonem instituentes, non in lata quadam significatione, qua quilibet peccator dicitur *impius*, & consequenter quodlibet peccatum *impietas*, ut (*Gen.18.23.*) *Numquid perdes justum, cum impio?* (*Ps.1.1.*) *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum* (*ad Rom.4.5.*) *Qui justificat impium*. (*2. Petri 2.5.*) *Diluvium mundo impiorum inducens*; sed quatenùs gradum specificæ censuræ constituit, ejus quidditatem desumendam, & explicandam cum

Cardinali Brancato *disp.16.de Pers.ac doctr.de hær.susp.art.2.§.3.num.89.& seq.*putamus per oppositionem, quam dicit *Pietati*, ejusque dictaminibus, adeòut ea doctrina, aut propositio, tamquàm *impia* sit proscribenda, quæ indicata *pietatis* opera deprimit, ac depretiat. Eodem prorsùs ordine servato, quo de *pietate* ratiocinati sumus, ut propriissimè *impiæ* sint habendæ propositiones, quæ debitum cultum Deo, ut supremo nostrum omnium Patri, vel honorem Parentibus carnalibus, ac Majoribus auferunt; minùs autem propriè juxtà Personarum qualitatem, quæ, obsequia præstanda dirimunt, aliis quibuslibet habentibus aliqualem connexionem cum Deo, *in quantùm ad ipsum pertinent*, aut cum Parentibus,ac Patria,sivè ratione conjunctionis sanguinis, sivè beneficiorum, quæ erga nos ad Parentum similitudinem conferunt, sivè alio quovis titulo, quo eis misericordiæ opera debemus impendere.

3. *Impiæ* doctrinæ, aut propositionis exemplum præ reliquis aptum reputari solet, assertio illa, de qua legimus Pharisæos, *quòd impediebant filios*, *ne Parentibus sustentationem exhiberent* ex Angelico (*q.*101.*art.*2. §. Sed contra) redargutos à Christo (*Matt.* 15.3.) *Quare & vos trasgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit*: Honorá Patrem, & Matrem, & qui maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur. *Vos autem dicitis; quicumque dixerit Patri, vel Matri munus quodcumque est ex me,tibi proderit, & non honorificabit Patrem, aut Matrem suam; & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Et quamvis eos expressè vocaverit *Hypocritas*, de quibus prophetavit Isaias 29.13. dicens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*, hoc fecit ob Religionis prætextum, quo *impietatem* tegebant. *Sine causa autem colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum*, non ad *impietatem* excludendam, quam demonstravit, reos declarando præcepti, quo jubemur honorare Patrem, & Matrem, ipsisque sub pœna mortis non maledicere. Verè itaque *impia* erat eorum doctrina, pietatique repugnans, ad quam, ut ait Aquinas, (*cit.q.*101. *art.*4.*in corp.*) *pertinet officium, & cultum Parentibus exhibere secundùm debitum modum.*

4. Quem sanè non servavit Lutherus, cum insaniens dixit: *Negare laicis utramque speciem est impium, & tyrannicum*, dignus catenùs effectus, ut inter alias censuras, quibus, ut refert Bail *in summ. Conc. ad Trident.*, inusta fuit à Facultate Parisiensi dicta propositio, in eam eadem retorqueretur *impietas*, quam in Ecclesiam, usum Calicis laicis prohibentem, temerarius ausus est inferre: *Hæc propositio est erronea*, quia deduci ex ea valet totum Christum non contentum sub speciebus panis: *schismatica*, utpotè supponens, non obediendum Christi Vicariis usum Calicis laicis vetantibus: *ex damnato Boæmorum errore elicita*, qui præcipuè ejus fuerunt Authores: & *impia*, quia sub *pietatis* fuco erga homines, *pietatem* Christo Domino, animas nostras propria carne, pro prioque sanguine pascenti, debitam aufert, ad quam perpetuò custodiendam, ne tantum Sacramentum alicui exponeretur injuriæ, *pium* judicavit Ecclesia, ac expediens, ut vini species à solis Sacerdotibus sumerentur: *Ex parte sumentium*, ad rem inquit 3.*p.q.*80. *art.*12. *in corp.* Aquinas, *requiritur summa reverentia, & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat ad injuriam tanti mysterii: quod præcipuè posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidem, si incautè sumeretur, de facili posset effundi; & quia crevit multitudo populi Christiani, in qua continentur senes, & juvenes, & parvuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, ut cautelam debitam circa usum hujus Sacramenti adhibeant, ideò providè in quibusdam Ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solùm à Sacerdote sumatur.*

5. Ad hanc *Impietatis* censuram juxtà minùs rigorosam inspectionem reducit Brancatus *num.*93. propositiones Wicleph (32.) *Ditare Clerum est contra regulam Christi.* (33.) *Silvester Papa, & Constantinus erraverunt Ecclesiam ditando.* (34.) *Dantes eleemosinam fratribus mendicantibus sunt excommunicati*; idem subdens efformandum judicium de aliis similibus, quæ opera misericordiæ damnant. In quo tamen animadversio fieri debet, quæ adhibita est *art.*5. *num.*5. exemplo propositionis *blasphema*, quod expendit Bonuccius. Cùm enim in Constantiensi Concilio propositionibus Wicleph damnatis, *impietatis* censura non extet, id sustinendum est evenisse, quòd sub aliis censurarum gradibus proscribendas eas dixerit, non quidem excludendo prædictum *Impietatis*, sed ab eo solummodò præscindendo, quòd sufficientes ad Concilii intentum *respectivè* essent enumeratæ in decreto, quod condidit.

6. Id ipsum observare licet in diplomate Innocentii XI. damnantis 65. *propositiones*, absque aliarum expressione censurarum, præterquàm quòd *scandali*, & *perniciei*, idque, non obstante, quòd ipsarum ali-

aliquæ saltem expungi possent gravioribus notis, ut ipsemet Pontifex advertere non neglexit, declarans se damnare *sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tamquàm scandalosas, & in praxi perniciosas*, quibus verbis, satis innuitur, contentum Christi Vicarium fuisse sufficiens damnationis motivum manifestare, non verò omne, nec præcipuum, sed illud dumtaxat, quod *ut minimum* ipsis competeret. Ut propterea mirum non videatur, si quandoque in decursu operis, & etiam penès alios Authores ulla ex *damnatis propositionibus* à Conciliis, vel Pontificibus summis occurrat aliquo censuræ notata gradu, qui in eorum sanctionibus non perlegatur. Cujusmodi ad quæstionis præsentis dilucidationem in præfato Innocentii *decreto* sunt *propositiones* 14. & 15. quarum prior asserebat: *licitum absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas*: posterior: *licitum filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias indè ex hæreditate consecutas*.

7. Ex dictis namque abundè constat utramque propositionem *impiam* esse, ut notare non omisit Cardenas *in oper. posthum.* inscripto *Crisis Theologicæ super diplomate Innoc. XI. damn. 65. prop. diss. 10. cap. 3. ad num. 23. & seq.* inquiens: „ Dissonat maximè rationi, quòd præferat hæreditatem vitæ Patris. Habetque specialem circumstantiam contra *Pietatem* erga Patrem; debet enim pluris æstimare vitam Patris, quàm alterius Proximi, & hæc circumstantia mutat speciem, quia est contra specialem virtutem. Eodem genere deformitatis scatet 15. *propositio*, quia juxtà eam gaudium Filii formaliter, & immediatè terminatur ad calamitatem Patris, quod illicitum est ob rationes propositas, „ quæ corroborari possunt ex doctrina Angelici *cit. qu. 101. art. 2.* firmantis ex *pietate* Filios per se obstrictos esse Parentibus præstare reverentiam, & obsequium; per accidens aliquid aliud juxtà particulares circumstantias, quæ possunt occurrere, *puta si sit infirmus, quòd visitetur, & ejus curationi intendatur, & si sit pauper, quod sustentetur, & sic de aliis hujusmodi, quæ omnia sub debito obsequio continentur*. Tantùm proindè abest, ut cum *pietate* consistat desiderium, aut gaudium de morte Patris ob hæreditatem, quòd potiùs necessitate id exposcente, hæreditas ipsa, si aliundè Filiis obvenisset, impendenda foret ad Patris calamitatum levamen.

8. Atque eo, quòd à prædicta *impietatis* nota immunes *propositiones* prædictæ effici queant ob exceptiones, quas continent, *non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis*, & *propter ingentes divitias ex hæreditate consecutas*. Sicuti namque Doctores discurrere passim solent de *blasphemia*, quòd nempè ut talis in rigore habeatur, necessè nequaquàm sit, quòd proferatur ex directa intentione Deum infamandi, vel detrahendi ejus honori, ut ex Suarez *art. 6. num. 4.* indicavimus; ita & ut propositio sit *impia*, nec requiritur, quòd per se directè per eam intendatur malum aliquod Parentum, aut saltem denegatio debiti erga ipsos obsequii, sed sufficit quòd reverà in hujusmodi scopum collimet, quòdque à Filiis advertatur, si reos ipsos reddere velimus *impietatis*, quæ propositioni inest, qualibet non obstante exceptione, quæ talis naturæ non sit, ut valeat *impietatis* notam radicitùs evellere. Cujus generis non esse exceptiones prædictas, ex indicatis elucet, quia nimirum *bonum cupientis* temporales hæreditates acquisitas, vel acquirendas, est longè inferioris ordinis, quàm sit vita Patris, ut proindè ad hanc tuendam illa, si aliundè obtenta fopponeretur, insumi deberet. Quòd si, non in temporale commodum cupientis, sed in spirituale, quod sibi, vel Patri ipsi, ex morte Patris sequi posset, exceptio tenderet, non *impia* ampliùs esset propositio, sed *pia* potiùs, utpotè quæ ad *pietatis* ordinem servandum obsequia, aut media spiritualia sibi, aut Parentibus debita, temporalibus præferret. Vim fortiùs habente quòad *pietatis* virtutem, quod universaliùs docuit Angelicus *in 3. dist. 30. qu. 1. art. 1. ad 4.* de ordine charitatis: *Quia charitas ordinem habet, & plùs debet diligere quisque se, quàm alium, & propinquos, quàm extraneos, & amicos, quàm inimicos, & bonum commune multorum, quàm privatum unius: potest aliquis salva charitate optare malum temporale alicui, & gaudere si contingit, non in quantùm est malum illius, sed in quantùm est impedimentum malorum alterius, quem plùs tenemur diligere, vel communitatis, aut Ecclesiæ. Similiter de malo etiam ejus, qui in malum temporale incidit, secundùm quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus*, & in *disput. qu. de Char. art. 8. ad* 10. tres dumtaxat enumerat causas, quarum vigore *possumus illis, quos ex charitate diligimus velle, aut inferre aliquod malum. Primò quidem propter eorum correctionem. Secundò in quantùm aliquorum temporalis prosperitas est in detrimentum alicujus multitudinis, vel etiam totius Ecclesiæ*. Ter-

tiò ad servandum ordinem Divinæ justitiæ secundùm illud Psalmi (57.11.) Lætabitur justus, cùm viderit vindictam,

9. Hactenùs de propositione *impia*, quam minùs aptè à quibusdam vocari *non piam*, rectè monuit Cardinalis De Lugo *disp.20.de virt.fid.div.sect.3.num.*101. quia per negationem hujusmodi, haud eò ipso ex, primitur positiva *pietatis* exclusio, quæ præsertim certa sit *pietas*, talisque absque ulla controversia reputanda. Attento maximè, quòd non desunt Theologi, ut videre est apud Thomam Del Bene *tom.2. de off. S. Inquis.& hær.dubitat.*268.*num.*20.& Dandinum *de susp.de hæresi cap.ult. sect.2.subsect.*1.§.4.*n.*6. qui præter propositionem *impiam*, quæ est in toto rigore vera censura Theologica, admittunt propositionem *non piam*, quę propriè censuram theologicam non designat, sed præfato exprimitur vocabulo, ob repugnantiam, quam involvit cum opposita, cujus veritas quantumvis minimè revelata, nec certò theologicè illata, nec absolutè, & simpliciter, ac absque formidine à Catholicis asserta, est tamen ex quodam *pietatis* instinctu habita ur vera, & proindè dicitur *piè* credita, qua *pietate* minimè gaudens contraria, *non pia* quodammodò asseri potest, ad illam saltèm comparativè, quin tamen ullam in ea *impietatem*, quæ ad censuram sufficiat, contineri quisquam asserere valeat,

10. Duo, preter alia, etiam possunt exempla ad negativam, ni etiam dicere placeat, præcisivam, hanc *impietatem* explicandam idonea, propositionum videlicet, quæ formari possent contrariæ aliis, quas Theologi *piè* admittunt, ut veras. Talis in primis est illa, qua *piè* sustinent probabiliter credi posse B. Virginem consecutam esse plures gradus gratiæ, & charitatis, quàm sint in omnibus Sanctis Hominibus, & Angelis, etiam collectivè sumptis, adeòut, si mente concipiamus ex multitudine gratiarum Sanctorum omnium unam intensissimam gratiam consurgere posse, non adæquaret gratiam Virginis. Quæ assertio inter probabilitatis limites contenta, etsi apud veteres Scriptores non expressa, sed simul neque negata, neque improbata, consultis per Suarium, gravibus viris Academiæ Salmaticensis, Doctoribusque sapientissimis, & in rebus theologicis valdè versatis, *pia, atque probabilis visa est*, ut ipsemet testatur *tom.2. in 3. part. de mist. vita Christi quæst.37. art.4. disp.18.sect.3.* talemque post ipsum, qui solidissimis fundamentis eam munit, à Theologis passim haberi ad præsens conspicimus. Ut propterea propositio id negans *non pia* dici posset, utpotè repugnans nullo præponderante motivo, quod videndis apud ipsum Suarium prævaleat, assertioni, quam ex *pietatis* instinctu tuentur Catholici, illam piè cruentes præcipuè, tùm ex dignitate divinæ maternitatis, vi cujus Euthymius *serm.de Zona Virg.* & Andreas Cretensis *serm. de dorm. Deiparæ* scripsere: *Si quid, quod nos superat, in ea divina operata est gratia, nemo miretur intuens ad novum, & ineffabile, quod in ea peractum est mysterium ab omni finitate infinities infinitè exemptum.* Tùm ex amore Dei non certè sterili, sed fœcundissimo erga eandem, de quo *lib.de excell.Virg.* Anselmus: *Potest ne quæso ullus Hominum, aut Angelorum istius amoris immensitatem penetrare, vel dignitati honoris illius, quidquam cogitatu percipere comparabile?*

11. Præcedenti affinis est altera propositio, quam *ibid.disp.19.sect.4.* tuetur laudatus Societatis Theologus, nempè „ *piè* ac „ probabiliter credi posse, B. Virginem in „ hac vita interdum elevatam fuisse ad vi- „ dendum clarè divinam Essentiam brevi „ tempore „ Cujus opinionis fuisse refert S. Antoninum 4.*part. titul.*15. *cap.*17. §.1. D. Bernardi authoritate *hom.4. in Missus est* fretum; *illi soli datum est nosse, cui datum est experiri ...... Ut qui soli Patri notus est, sic & illi*: DionysiumRichelium *super Dionysium de cælest. hierar. art.*18. Gersonem *Alphab.*15. *tit.*8.& *Alph.*88.*tit.*9. Ubertinum Casalium *lib.*1.*arb.vit.Crucif.cap.*9.*circa fin.* S.Thomam de Villanova *ferm. de resurrect.* &c. Ac certè plùs quàm *pia* dicenda foret, si verè constaret, dictum privilegium concessum fuisse, ut aliqui putant, Moysi, & D. Paulo, cum tamen hoc sit valdè incertum, & probabilius Suario videatur oppositum, hoc adhuc non obstante, de B. Virgine *piè* satis, ac pro- „ babiliter creditur, interdùm vidisse in hac „ vita Deum, vel in Die Incarnationis, aut „ Nativitatis Christi, propter singularem „ Matris dignitatem, ad quam tunc evecta est, vel in die Resurrectionis, propter „ incredibilem dolorem, quem in Christi „ passione sustinuit, vel aliis temporibus „ opportunis juxta divinæ Sapientiæ dispo- „ sitionem,

12. Negare idcircò præfatum Virgini privilegium videri potest *non pium*, dùm illud apparet ex *pietate* in Virginem non ab uno, vel altero, sed à permultis Theologis rationabiliter creditum & assertum. Quod tamen, sicut nec revelatum divinitùs est, nec

nec certitudine theologica innatum, nec absque formidine in contrarium, propugnatum, ita nec ulla censura dignam efficit propositionem contrariam, sed solùm *non piam*, seu non innixam *pietati*, quæ probabiliter Deiparæ potest exhiberi, In cujus obsequium visum est ad rem nostram utrumque seligere exemplum, cùm præsertim, dùm *præsens articulus* prælo paratur, Zelantissimus Christi Vicarius Clemens XI. dignatus est tantæ Virginis cultum per totam Ecclesiam Catholicam ampliare, Fideliumque *pietatem* erga illam ferventissimè excitare, ac promovere, festum Immaculatæ ipsius Conceptionis, quo hæc immunis ab originali labe celebratur, & *piissimè* creditur, recensendo inter illa, quæ *de precepto* ab universis Catholicis servantur, decreto, (ob quod, præ aliis innumeris titulis, erga tantum Pontificem perpetuò se adstrictum profitebitur triplex sub Francisci vexillo militans seraphicus Ordo, totaque Mariano-Subtilis Magistri Schola, cujus characteristica prærogativa est, prædictam immunitatem Deiparæ ab originali labe ad sanguinis effusionem tueri) super hoc edito, Pontificiæ in Virginem *pietatis* summoperè commendativo quod sequitur: *Commissi Nobis divinitùs sacrosancti Apostolatus officil exiglt ratio, ut gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, cujus Conceptio gaudium annunciavit universo mundo, venerationem, & cultum plurium Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum more, ampliare studentes in terris, illius, quæ super choros Angelorum exaltata, pro populo christiano sedula exoratrix apud eum, quem genuit, assiduè intercedit in cælis, potentissimam opem in tot, tantisque, quibus premimur, Christianæ Reipublicæ, & Catholicæ Ecclesiæ necessitatibus, quantùm nobis ex alto conceditur, promereri jugiter satagamus. Sincera itaque nostra erga eamdem augustissimam Cœli Reginam, Patronam, & Advocatam nostram devotione incitati, festum Conceptionis ipsius B. Mariæ Virginis Immaculatæ, ubique terrarum in posterùm ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, sicut alia festa de præcepto servari & celebrari, ac sub præcepto observationis festorum comprehendi, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus.*



ARTICULUS X.

An propositio impia *in Deum, & Sanctos distinguatur specie à* blasphema hæreticaliter?

1. PRopositionem *impiam* universaliter sumptam distingui ab *hæreticaliter blasphema*, facillimè deduci potest ex utriusque quidditatis notitia, & præsertim ex eo, quòd *impia* non semper involvat *hæresim*, aut, si involvit, illam non respiciat, tamquàm sui constitutivum; *blasphema verò hæreticalis* necessariò contineat *hæresim*, non quidem in ratione *blasphemiæ*, sub qua non distingui specificè vidimus à *blasphema simplici*, & sub conceptu convicii; sed quatenùs ab hac *hæreticalis* discriminatur, ex indicatis *art.6. num.2.* & per additionem speciei ad malitiæ speciem, ut cum Bordono locuti sumus *art. 7. num.7.* post Sanchez *in Decal. lib. 2. cap.32. num.38.* Ideò quæstio proposita sub restrictione ad *impiam* concipitur, quæ de Deo, aut Sanctis immediatè formari potest. Cùm enim hæc, falsum aliquem de supremo bonorum omnium Largitore conceptum importare, aut saltem arguere quodammodò videatur, ob quem rectè Cicero *pro domo sua* dixit „ Nec „ est ulla erga Deos *pietas, nisi de Numine eo„ rum, ac merito opinio,„* hinc ne confundatur cum *hæreticaliter blasphema*, qualem tetigimus *art. 6. num. 1.* dici posse etiam in rigore quamlibet *hæresim*, quæ circa Deum immediatè versatur, alterius ab altera distinctivum est assignandum.

2. Illud autem præsertim est, quod *blasphemia hæreticalis* ad quodlibet divinum prædicatum se extendit, vel per negationem ejus, quod ipsi competit, vel per ejus affirmationem, quod repugnat. *Impia* verò propositio respicit Deum dumtaxat sub ratione divinæ Paternitatis, ac beneficiorum ex ea nobis provenientium. Undè, etsi quælibet propositio *hæretica* de divinis prædicatis formata, sit eò ipso *blasphema*, sub ratione convicii inspecta, per quod aliquod affirmatur ipsi repugnans, vel negatur ipsi competens, non tamen quælibet dici potest specificè *impia*, sed illa sola, quæ debitum Deo supremo omnium Patri obsequium imminuit, ac lædit in præjudicium divinæ erga nos Paternitatis, de quo ipsemet conqueritur per Prophetam *Malach.1.6. Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?*

Ex

Ex quo fit evidens, dari utique posse propositionem *blasphemam*, quæ specificè *impia* minimè sit habenda. *Impia* siquidem non videtur propositio Græcorum negantium processionem Spiritus Sancti à Filio, per quam minimè negabant Deo debitum obsequium, debitamque gratitudinem ob paternum erga nos amorem, quem habet, & ob beneficia, quæ in dies præstat, ut misericors Pater; *blasphema* nihilominùs est, utpotè negans Filio rationem Principii respectu Spiritus Sancti, negans Patri communicare omnia Filio præter esse Patris, negans Spiritui Sancto, respicere Patrem, & Filium, tamquàm unicum sui Principium.

3. Aliud in hunc finem exemplum ex novissimis Pontificiis diplomatibus allatum olim in quadam disputatione mihi fuit à perdocto Recentiore, propositionis videlicet 24. ex damnatis ab Innocentio XI. *Vocare Deum in Testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem*. Quam specificè *impiam* ajebat dici neutiquàm posse, dum per eam nullo modo officitur divinæ Beneficentiæ, benè autem divinæ Veracitati, qua nec falli Deus, nec fallere potest, ob quod *blasphemam* asserendam subjungebat, & quidem *hæreticalem*. Etsi enim minimè per eam negetur, *irreverentiam* committi in Deum, quoties vocatur in Testem mendacii quantumvis levissimi, sed *tantam irreverentiam*, quæ videlicet sit sufficiens ad peccatum lethale, adhùc nihilominùs in hujusmodi diminutione latens videtur *hæreticale* venenum. Quòd esset *blasphema*, eruebat ex Angelico 22. q. 98. *art.* 3. probante quodlibet perjurium esse peccatum lethale, quòd ratione sui pertineat ad Dei contemptum, in quo sita videtur *blasphemiæ* quidditas. *Videmus autem, quòd ea, quæ ex se sunt peccata venialia, vel etiam bona ex genere, si in contemptum Dei fiant, sunt peccata mortalia. Unde multò magis quicquid est, quod de sui ratione pertinet ad contemptum Dei, est peccatum mortale. Perjurium autem de sui ratione importat contemptum Dei*. Quòd esset *hæreticaliter blasphema*, & non *simplex* itidem deducebat ex eodem Aquinate *ibide. art.* 1. *in corp.* dicente, ideò tendere ad Dei irreverentiam, quòd aliquis eum Testem invocet falsitatis: quia per hoc dat intelligere, *vel quòd Deus veritatem non cognoscat, vel quòd falsitatem testificari velit*.

4. Hæc tamen ratiocinatio, ut jacet, videtur concludere, quodlibet perjurium dici posse, ac debere *blasphemiam*, quia de quolibet perjurio Angelicus sermonem facit, & de quolibet verificari contendit Dei contemptum, quòd per quodlibet detur intelligi, *vel quòd Deus veritatem non cognoscat, vel quòd falsitatem testificari velit*. Hoc autem esse à mente S. Doctoris omninò alienum, evincit responsio *ad* 2. *quæst.* 13. *art.* 3., quo probabatur, perjurium esse *blasphemia* gravius peccatum, innixa Glossæ (quæ est Augustini *in lib. contr. mendacium cap.* 19.) illud ad (*Eph.* 4. 31.) Blasphemia tollatur *à vobis*, explicando: *Pejus est blasphemare, quàm pejerare*, nec nisi quia, *qui pejerat, non dicit, aut sentit aliquid falsum de Deo, sicut blasphemus, sed Deum adhibet Testem falsitati, non tamquam æstimans Deum esse falsum Testem, sed tamquam sperans, quòd Deus super hoc non testificetur per aliquod evidens signum*. Ut propterea ne contradictionis redargui queat tantus Magister, cùm dicit, quòd perjurus dat intelligere, *vel quòd Deus veritatem neutiquam cognoscat, vel quòd falsitatem testificari velit*, id accipiendum de signo quodammodò practico, & improprio, quatenùs perjurus se gerit, ac si, vel Deus veritatem non cognoscat, vel testificari valeat falsum: non verò de signo, quo ostendat se, vel id de Deo sentire, vel id dicere, quorum posterius ad *blasphemiam* etiam *hæreticalem* sufficiens *art.* 7. *num.* 7. diximus, estò ut denominatio formaliter *hæretici*, pejeranti, aut proferenti tribui possit, utrumque sit requisitum, quam tamen denominationem præstare non necessarium probavimus *ar.* 8. *n.* 5. ut *blasphemia hæreticalis* in toto rigore habeatur. *Blasphemus* itaque *dicit, aut sentit aliquid falsum de Deo*, quia si *blasphemia* sit conjuncta cum *infidelitate*, debet proculdubio oriri ex judicio Proferentis erroneo, & quamvis hoc non sit de conceptu *blasphemiæ*, neque qua *blasphemia*, neque quà est *hæreticalis*, sed ob solam conjunctionem cum *hæresi*, ne dùm objectiva, sed & subiectiva; illud certè ad quidditatem *blasphemiæ* pertinet, cujus vidimus *art.* 7. characteristicum prædicatum esse falsitatem involvere. Ita tamen, ut si *dicere* tale sit, quòd ex ipso argui possit judicium Proferentis erroneum, etiam si in se revera non extet, *blasphemia* erit *hæreticalis*, ex indicatis *art.* 7. *num.* 7. aliàs erit *blasphemia simplex*, utpotè quæ falsitatem non Proferenti respondentem, sed objecto dumtaxat, importat.

5. Quibus in Angelici obsequium præjactis, à doctissimis ipsius Discipulis subtiliùs, ac solidiùs certissimè enucleandis, adhùc crederem, Recentioris ratiocinium su-

stine-

stineri nō improbabiliter posse. Quod ut pateat, anim advertere juvat, peccatū veniale, vel tale *per se* esse posse, & ex *genere suo*, vel *per accidens*. Veniale ex *genere*, seu ex natura rei dicitur, de quo non extat præceptum graviter obligans, sive res præcepta sit intrinsecè mala, ut contingit in mendacio, sive non, ut evenit in quibus libet rebus malis tantùm, quia contingenter prohibitis. Nusquàm verò peccatum veniale dicitur, per hoc, quòd in Deo aliqua minor, (quæ chimærica prorsùs esset,) perfectio, aut negativa imperfectio consideretur, quæ veniale illud reddat, quia hoc cederet in Dei depretiationem, & contemptum, & aliàs veniale sic sumptum per quodlibet superveniens præceptum evadere non posset mortale, dum semper supponeretur oppositum illi minori perfectioni, ob quam præcipi non posset sub gravi. Undè quantumvis mendacium sit leve, quia non prohibitum sub gravi, si quis tamen diceret leve illud esse, quòd non opponatur alicui divinæ perfectioni, quæ tanta sit, ut possit prohiberi sub gravi, *blasphemiam* committeret, & quidem *hæreticalem*; immò, & cum *heresi* subjectivè conjunctam, si judicium in Proferente haberetur respondens. Hoc autem accideret in casu propositionis, de qua loquimur, dum per eam non tantùm dicitur peccatum veniale esse perjurium ex indeliberatione operantis, vel alia simili circumstantia, neque quia liberè à Deo prohibitum sub levi, (quod tamen omninò repugnans esse, sequentia evincent) sed quòd *Deum esse testem mendacii levis, non est tanta irreverentia*, ut Pejerantem reddat reum lethalis culpæ; ac proindè, quòd prædicatum Primæ Veritatis, tantæ, ac indivisibilis perfectionis habendum non veniat, ut absque gravi injuria, ipsi tribui nequeat, quòd sit Testis mendacii levis; quòd certè *hæreticalis blasphemia* est, & respectivè ad Proferentem sic sentientem penitùs *hæreticum*. Prædicatum namque divinæ Veracitatis, tale est, ut sicut Deo summoperè repugnat dicere falsum, quantumvis minimum, ob summum præjudicium tantæ perfectionis destructivum, indè resultans, ita æquè repugnat esse Testem cujuslibet levissimi mendacii.

6. Cujus præceptum ideò est leviter obligans, quia per mendacium, etsi Deus offendatur, non tamen Deus inducitur ut causa, ac veluti effectivè, seu veriùs defectivè ad illud concurrens. Potest autem Deus leviter offendi, & offensio prohibita esse sub levi, quoties Deus per ipsum, non nisi terminativè læditur: at cum Deus ipse prætenditur ratione sui ad leve illud malum morale, quà tale cooperans, sicut injuria Deo illata non potest non esse gravis ex intrinsecis suis, ita & præceptum non potest illud non prohibere sub gravi. Sic contingere in eo, qui Deum in Testem mendacii invocat, efficaciter probat *tom.2. de Relig. tract.5. lib.3. cap.4. n.3.* Suarez, „ licet in homine affirmare mendacium jocosum sit „ levis culpa, tamen in Deo dicere levissimum mendacium esset summa imperfectio, quia eò ipso amitteret eminentiam „ Primæ Veritatis. Ergò qui Deum affert „ in Testem mendacii etiam minimi, maximam injuriam illi irrogat, & quantùm „ est ex se, privat illum sua infallibili Veritate, & consequenter tacitè protestatur, „ vel Deum non omnia scire, vel non esse „ summè bonum, cum mentiri possit. „ Ac idcircò, sicuti si quis diceret, gravem Deo injuriam non irrogare, qui assereret, Deum posse leviter mentiri, *hæreticalem blasphemiam* proferret, ita & *hæreticalis blasphemiæ* reus dici debet, qui præmissis non obstantibus, & præsertim attenta Pontificia damnatione, debita cum advertentia assereret gravem irreverentiam Deo non esse, ipsum in mendacii levis Testem adducere. Quo posito ad rem esse videtur Recentioris exemplum ad evincendum propositionem esse posse *hæreticaliter blasphemam*, quin tamen sit *impia*.

7. An autem id ipsum dici possit de *impia*, quòd videlicet, talis esse valeat, quin sit *blasphema*, etiamsi concipiatur de Deo, aut Sanctis; & sub tali reduplicatione? Non desunt, qui affirmativè respondeant, id comprobantes exemplo propositionis significantis, *indecens esse, quòd ante sepulchra Apostolorum Principum major ardeat lampadarum numerus, quàm ante Eucharistiam*, quæ *impia* videtur, indecens adstruens majorem lampadarum numerum, quæ ex *pietate*, & gratitudine erga Apostolos, propter beneficia Fidelibus collata, adhibentur; non tamen *blasphema*, quòd nullum in ea convicium in Sanctos appareat. Negativam nihilominùs alii adhibent solutionem, propositionem prædictam *hæreticaliter blasphemam* habentes. *Blasphemam* quidem, dum Sanctis indebitum asserit *pietatis* opus, quod ipsis impensum videmus, Ecclesia id permittente, ac approbante; *hæreticaliter*, quòd ex ea indicetur obsequia ejusmodi Sanctis impendi in *pietatis* Deo debitæ præjudicium, ac si, vel non sit

sit Deus, qui colatur in Sanctis, vel expressio gratitudinis in Sanctos præstita ob beneficia nobis collata, non sit in Deum referenda. Neque enim ex alio motivo indecens haberi potest lampadarum numerus Sanctis exhibitus, nisi quòd majora sint debita obsequia *pietatis* Deo, quàm Sanctis. Hoc autem, ut locum habeat, debet in eo fundari, quòd obsequia Sanctis præstita, vel non exhibeantur immediatè Deo in Sanctis, vel ex Sanctis non redundent, ac ultimò terminentur in Deum, quod videtur *hæreticum*. Christus namque, sicut absque præjudicio propriæ virtutis voluit (*Jo.* 14. 12.) ut Credens *opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*; ex quo eâ Credens non erat facturus, nisi per virtutem ab eodem Christo acceptam, faciente, ut faceret juxtà Augustini explicationem apud S. Thomam 3.*p.q.*43.*art.*4.*ad* 2. ita & dignatus est commendare, quòd majora quædam accidentalia obsequia quandoque præberentur Sanctis, ob beneficia ab ipsis accepta, ut ita debita donaretur laude, & honore sua virtus, qua facit, ut Sancti dicta beneficia præstent. Firmo tamen semper manente judicio, quòd per ejusmodi obsequia Sanctis nusquàm intendatur oblata, nisi adoratio per modum Duliæ, soli Deo reservatis Latria, & Sacrificio, quod ita ad ipsum dirigitur, ut nullo modo dirigi possit ad Sanctos, ex Augustino *lib.*10.*de Civit.Dei cap.*4. Theodoreto *lib.*4.*ad Gregor.*, qui est, *de Martyribus*, cæterisque Patribus, ac Theologis passim ex illo *Exodi* 22. 20. id eruentibus: *Qui immolat Diis occidetur, præterquàm Domino soli*. Ac etiam non omisso, quòd etsi in hoc, vel illo loco major lampadarum numerus exhibitus appareat huic Sancto, vel alteri, Christo tamen sub speciebus Eucharisticis ubique diu, noctuque præcipitur tenenda lampas perpetuò ardens, quod est signum majoris obsequii ipsi debiti, & propter excellentiam Divinitatis in Sacramento contentæ, & propter beneficium cœlestis Cibi, quo nos pascit, quibuslibet aliis beneficiis simul sumptis longè præstantioris, & propter virtutem, qua per Sanctos reliqua beneficia confert.

8. Vim non habente instantia, qua quis fortassis adversùs hæc arguere contenderet ex eo, quòd Dulia ita respicit Sanctorum excellentiam, ut necessariâ minimè sit ipsius in Deum relatio, Aquinate 2.2.*q.*103. *art.*3.*ad* 3. asserente, *quòd honor, vel subjectio Duliæ respicit absolutè quamdam hominis dignitatem. Licèt enim secundùm illam dignitatem sit homo ad imaginem, vel similitudinem Dei, non tamen semper homo, quando reverentiam alteri exhibet, refert hoc actu in Deum*. Ac si, ex hoc inferri valeat, non benè *hæreticaliter blasphemam* denominatam propositionem, de qua agimus, quòd ex ea deducendum videatur, non esse Deum, qui adoretur in Sanctis. Nam præterquàm quòd aliam responsionem *ibidem* tradit Angelicus, per quam Dulia ipsa ultimò supponitur in Deum terminata: *Vel dicendum, quòd motus, qui est in imaginem, quodammodò est in rem; non tamen motus, qui est in rem, oportet, quòd sit in imaginem. Et ideò reverentia, quæ exhibetur alicui in quantùm est imago Dei, redundat quodammodò in Deum. Alia enim est reverentia, quæ ipsi Deo exhibetur, quæ nullo modo pertinet ad ejus imaginem*.

9. Resolutio negativa procedit in hypothesi, quòd propositio prædicta *impia* sit reputanda, quam denominationem suscipere aliàs ex dictis non potest, nisi ratione *ingratitudinis*, quam continet in Sanctos Benefactores, & conjunctioni, quam Sancti habent cum Deo. Qua præcisa sicuti obsequia Sanctis præstita non essent in rigore dicenda *pietatis* actus, & opera, juxtà Angelici doctrinam *q.*121.*art.*1.*ad* 3. insertam *art. præc. num.*1., ita & denegatio obsequii ipsis debiti, non *impietas* inscribi deberet, sed vel *inobservantia*, vel *ingratitudo* secundùm diversos respectus, qui in ea possunt considerari. Eo ipso autem, quòd conjunctio dicta cum Deo supremo nostrum omnium Patre attenditur ad denominationem *impia* tribuendam alicui propositioni, non potest in ea non haberi *blasphemia hæreticalis*, per quam ex dictis *cap.*6.*art.*5.*num.*4. præjudicialis Deo asseritur major numerus lampadarum exhibitus Sanctis, quàm Eucharistiæ, quod præjudicium ex indicatis concipi nequit, nisi lampades dictæ ita in Sanctorum obsequium directæ habeantur, ut nec Deus per ipsas honoretur in Sanctis, nec Sancti honorentur ex conjunctione cum Deo, & in ordine ad Deum.

10. Non sequitur idcircò ex hoc discurrendi modo duplicem non admittendam Adorationis speciem, Duliæ videlicet, qua coluntur Sancti, & Latriæ, qua colitur Deus. Ex quo, si per utramque colitur Deus, semper una, & eadem erit adorationis species, ea prorsùs ratione, qua *blasphemiam* in Sanctos *art.*5. *num.*2. tetigimus esse unicam speciem *blasphemiæ*, quia sive in Deum immediatè, sive in Sanctos proferatur, semper convicium, & contume-

tumelia adversùs bonitatem divinam directa supponitur. Neque enim hactenùs dictum est, Sanctos coli non posse, nisi colatur formaliter Deus, seu nisi divina bonitas sit ratio motiva cultus; & eatenùs nusquàm negatum duas admittendas adorationis species, Duliæ, quæ exhibetur Sanctis, & Latriæ debitę soli Deo, ut enim 2.2.q.103.art.3. in corp. ratiocinatur Angelicus: *Ubi est alia ratio debiti, ibi necesse est, quòd sit alia virtus, quæ debitum reddat. Alia autem ratione debetur servitus Deo, & homini. Nam Deus primarium, & principale dominium habet respectu totius, & cujuslibet creaturæ, quæ totaliter ejus subjicitur potestati. Homo autem participat quamdam similitudinem divini dominii, secundùm quod habet particularem potestatem super aliquem hominem, vel super aliquam creaturam. Et Dulia, quæ debitam servitutem exhibet homini dominanti, alia virtus est à Latria, quæ exhibet debitam servitutem divino dominio. Et est quædam observantiæ species; quia per observantiam honoramus quascumque personas dignitate præcellentes: per Duliam autem propriè sumptam, servi dominos suos venerantur. Dulia enim græcè servitus dicitur.*

11. Ex hoc autem non valet inferri, quòd sicuti duplex admittitur adorationis species, ita & duplex sit admittenda *blasphemiæ* species, sed solùm, quòd dari possit vitium, quod sit Duliæ oppositum, distinctum à vitio, quod opponatur Latriæ. Ad eum planè modum, quo, etsi detur Dulia specie distincta à Latria, non ideò datur Religio, qua Sanctos veneramur, distincta specie à Religione, qua veneramur Deum; quia videlicet, quamvis Dulia respicere valeat excellentiam propriam Sanctorum, ut formale motivum, Religio nihilominùs semper debet respicere Deum sive in se ipso, sive in Sanctis, „ sicuti (ait ad intentum Ferrè *tract.*2. *de opposit. fidei q.*18. §.2. *num.*11.) „ tantùm datur Religio respectu „ Dei, vel respectu Sanctorum propter „ Deum, ita & datur *blasphemia* tantùm „ respectu Dei, & respectu Sanctorum pro- „ pter Deum: & sicut non valet, alius est „ cultus alietate specifica, quo Deus coli- „ tur, vel Sancti propter Deum, & alius est „ cultus, quo coluntur Sancti propter se, „ ergo datur duplex Religio, alia circa „ Deum, alia circa Sanctos: Ita non valet, „ datur duplex derogatio bonitatis, alia, „ qua divinæ bonitati derogatur, dum per „ falsam locutionem quis conviciatur, & „ execratur, & alia, qua bonitati Sanctorum derogatur, dum per falsam locutionem quis conviciatur Sanctis, & eos execratur, ergo datur duplex *blasphemiæ* species distincta, alia respectu Dei, alia respectu Sanctorum.„

12. Indè verò fit consequens, quòd quamvis dari queat convicium in Sanctos, quod non sit *blasphemia*, sed *inobservantia*, saltèm juxtà aliquorum Doctorum placitum, quod probabile esse tetigimus *art.*5. *num.*4. non ideò tamen dari potest convicium in Sanctos cum respectu ad Deum, & ob conjunctionem cum Deo, quod simul non sit *blasphemia*. Cùm itaque versemur in hypothesi, qua propositio indecens adstruens exhibere Sanctis majorem numerum lampadarum, quàm Eucharistiæ, *impia* sit habenda; ea certè non est ita explicanda, ut sensus sit, indecens id esse, sola excellentia Sanctorum inspecta absque ordine ad Deum; sic namque non *impia*, sed *pia* dici deberet, quòd Deo ratione sui majus obsequium tribuendum, quàm Sanctis absque respectu ad Deum, assereret. *Impia* itaque dicitur, quòd absolutè, & sub omni respectu indecens dictus lampadarum excessus pronuncietur, adeout neque ex conjunctione, quam Sancti dicunt cum Deo, neque quatenùs divina virtus in eis elucet beneficia nobis præstandi, cohonestari ille ullatenus possit. Sub qua ratione, sicuti *impia*, ita & *blasphema*, immò, cum per convicium hujusmodi inferri videatur, vel Deum honorari non posse in Sanctis, vel honorem exhibitum Deo in Sanctis, tendere in Dei præjudicium, utpote derogativum honoris ipsi essentialiter debiti, *hæreticaliter blasphema*, ex indicatis *num.*7. potest inscribi.

13. Inter has autem responsiones recenseri potest & tertia, quæ sit veluti media, & mihi magis arridet, dicendo, quòd propositio *impia* in Sanctos, de qua hactenùs, sit quidem *blasphema* ob indicatas inspectiones, non tamen *hæreticalis*; quòd non appareat fidei objectum esse habendam honestatem majoris numeri lampadarum ante Sanctos appensarum, quàm ante Eucharistiam. Extat quidem de hoc usus Ecclesiæ ob Romanorum Pontificum oculos servatus, quod sufficit, ut propositio indecens illud supponens, & *impia* habeatur, & *blasphema*; non tamen, ut sit fidei objectum, de quo nil explicitè in Scriptura, nihil ab Apostolica Sede, aut Conciliis, usque adhuc est definitum. Quod & sustinendum pariter censeo de propositione in Deum ipsum immediatè tendente, quòd videlicet esse possit *impia*, & *blasphema* non tamen *hæreticaliter blasphema*. Cujus

furfuris fortassis non improbabiliter videri poterit *propositio* 25. ex damnatis ab Alexandro VIII. *art*.5. *num*.5. extensa, nefas asserens *aeterni Patris simulacrum in Templo collocare*. Quia, etsi per eam impetatur *pietas* aeterno Patri debita ex receptissima Fidelium praxi, conviciumque efferatur in ipsum, è Calvinistis lycaeis prorsùs erutum, quasi quòd sub Senis specie adorari non debeat, usu Ecclesiae in contrarium non obstante: non ideò tamen ullum fidei objectum laeditur, cum adhùc de fide definitum non sit, posse praedictum simulacrum in Templo collocari, ut inter alios animadvertit Blasius à Purificatione in *suo tractatu de adoratione disp*.4. *de usu imag. dub*.2. §.1. & ante ipsum praeter alios Suarez *contra Regem Angliae lib*.2. *cap*.13. ubi ipsius objectionem referens, qua contendebat illicitum usum imaginum Dei; praemissa distinctione imaginis, quae sit Dei propria, ejus ad vivum exprimens naturam, & dici potest formalis imago; & quae sit metaphorica repraesentans per quamdam analogiam divinas proprietates, quas inter, ipsius aeternitas Senis imagine indicata, ad illud (*Dan*.7.9.) *Aspiciebam donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit*, juxta Areopagitae *cap*.10. *de divin, nominib*. interpretationem; *dierum Antiquus laudatur Deus, propter hoc, quòd omnium ipse est, & aevum, & tempus, & ante dies, & ante aevum, & tempus, & diem; sicut existens intransmutabilis, & immobilis; & in hoc, quòd semper movetur, manens in se ipso; & sicut avi, & temporis, & dierum causa*: Respondet, fide certò constare, propriam imaginem Dei illicitam esse, imò esse stultissimum conari talem Dei imaginem pingere, dicente *c*.40.18. Isaia: *Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam Imaginem ponetis ei?* „ De altero verò genere „ Imaginum Dei nihil hactenùs est certa „ Fide stabilitum, & consultò Concilium „ Tridentinum de imaginibus Christi, Deiparae, & Sanctorum agens, nihil de imaginibus Dei dixit; & Concilium Nicaenum secundum reprobando priores imagines Dei, de posterioribus tacuit &c. „

ARTICULUS XI.

Quale sit constitutivum Propositionis superstitiosae?

1. PAucis verbis absolvit resolutionem hujus quaestionis Cardinalis De Lugo *disp*.20. *de virt, fid. div. sect*.3 *num*.103. dicens esse illam „ quae nullum quidem errorem, sed *superstitionem* docet, „ subditque „ & ejusmodi propositiones prohiberi solent frequenter, & meritò ab Inquisitoribus fidei. „ Patet autem nimis mutilam per hujusmodi definitionem de propositione *superstitiosa* tradi notitiam, quae tota dependet à cognitione quidditatis, & specierum ipsius *superstitionis*. Non omisso, arduam difficultatem involvi in prioribus dictae definitionis particulis, quibus supponitur per *superstitiosam* propositionem nullum errorem doceri. Cùm enim ex Theologis passim Angelico 2.2.*q*.92.*art*.1.*in corp*. duce; *superstitio* sit: *vitium Religioni oppositum secundùm excessum, non quia plùs exhibeat cultum divinum, quàm vera Religio; sed quia exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet*: non video, quomodò per *superstitiosam* propositionem universaliter asseri queat non doceri errorem. Si namque per ipsam promoveatur cultus alteri à vero Deo exhibendus, non potest à falsitatis macula praescindere, quae Divinitatis rationem in creatura fingat. Si autem excessus erga verum Deum colendum versetur, etiamsi ex parte termini, & objecti cultus, falsitas non adsit, non propterea à propositione *superstitiosa* abesse eam simpliciter statuendum, ob modum cultus, qui, ut religiosus, & licitus per eam excitatur, cum tamen in se *superstitiosus* sit, & illicitus. Meliùs proindè inhaerendo Angelicae doctrinae explicari videtur propositio *superstitiosa*, quae aliquo modo *superstitionem* promovet, qua videlicet, vel exhibetur cultus, cui non debetur, vel eo modo, quo non debetur; quaeque semper committi dicitur per excessum, non quidem in formali cultus, quia sic quandoque est defectus, ut in exemplo oblationis vini absque aqua in Missa, de quo *n*.6. contingit; sed in materiali, qui consistit in multiplicandis, vel faciendis actionibus pro cultu aliàs ad cultum nullo modo deservientibus. Quo sensu, qui aquam vino non miscet in Missa, modos Deum colendi multiplicat, alium exercens ab eo, quem exercendum proponit Ecclesia.

2. Hoc posterius impugnavit olim Lactantius *lib*.4.*Inst. cap*.28. Ciceronem redarguens, eo quòd *superstitionem* in vera Religione admiserit: *Nam superstitio solùm est in cultu novorum, & falsorum Deorum, qui superstitio appellatus est, eò quòd homines relicto antiquo, & vero Deo superstitem suorum Deorum memoriam colere coeperint*. Cujus redargutionis ulterior ratio ex eo oritur, quòd in cultu veri

veri Dei nullus dabilis appareat excessus. Sicut namque est Deus super omnia amandus, ita est & super omnia colendus; & idcircò sicut nullus amor Dei esse potest, qui non sit ei debitus, sed nimius, ita nec ullus cultus, ad illud (*Ecclesl.43.33.*) *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes dominum exaltate illum quantùm potestis; major enim est omni laude. Exaltantes eum, replemini virtute, ne laboretis: non enim comprehendetis. Quis videbit eum, & narrabit? Quis magnificabit eum, sicut est ab initio? Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus. Omnia autem Dominus fecit, & piè agentibus dedit sapientiam*. Deceptus nihilominùs est laudatus Author, de quo meritò miratur Suarez *tom.1.de Relig.lib.2. de superst.cap.1.num.6.*, quòd, aliàs eruditus, scripserit: *Omninò quid colas interest, non quemadmodùm colas*. Supposita siquidem vera de Deo existimatione, adhuc error in materia cultus potest contingere: cùm, diversum quid sit, supremum Numen reputandum quolibet possibili honore dignum propter infinitatem suæ excellentiæ, & hanc, vel illam rem aptam esse, & idoneam ad exhibendum ipsi honorem debitum; & error haberi potest in præstando Deo cultum mediis rebus, quæ aptæ, & idoneæ non sunt ad illum exprimendum.

3. Hinc Aquinas *q.93.* de cultu veri Dei *duos articulos* instituit, in quorum primo quærens: *utrùm in cultu veri Dei possit esse aliquid perniciosum*? in altero verò: *Utrùm possit esse aliquid superfluum*? utrumque resolvit affirmativè. Perniciem probat ex Augustino *lib. de mendac. cap.4.* affirmante: *Mendacium maximè perniciosum est, quod fit in his, quæ ad Christianam Religionem pertinent*, quod subsumit intervenire, cùm per cultum exteriorem aliquid falsum significatur; sivè *ex parte rei significatæ, à qua discordat significatio cultus, & hoc modo, tempore novæ legis, peractis jam Christi mysteriis, perniciosum est uti caremoniis veteris legis, quibus Christi mysteria figurabantur futura, sicut etiam perniciosum esset, si quis non confiteretur Christum esse passum*. Sivè *ex parte colentis, & hoc præcipuè in cultu communi, qui per ministros exhibetur in persona totius Ecclesiæ. Sicut enim falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicujus, quæ non essent ei commissa, ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo contra modum divina authoritate ab Ecclesia constitutum, & in Ecclesia consuetum. Undè Ambrosius dicit*: Indignus est, qui aliter celebrat mysterium, quàm Christus tradidit. *Et propter hoc etiam Glossa dicit Colossen. 2., quòd* superstitio est, quando traditioni humanæ Religionis nomen *applicatur*. Superfluitatem verò evincit, quia licèt in divino cultu nil reperiri queat superfluum *secundùm absolutam quantitatem*, potest tamen superfluum esse *secundùm quantitatem proportionis, quia scilicet non est fini proportionatum. Finis autem divini cultus est, ut homo Deo det gloriam, & ei se subjiciat mente, & corpore, & ideò quicquid homo faciat, quod pertinet ad Dei gloriam, & ad hoc, quòd mens hominis Deo subjiciatur, & etiam corpus per moderatam refrenationem concupiscentiarum, secundùm Dei, & Ecclesiæ ordinationem, & consuetudinem eorum, quibus homo convivit, non est superfluum in divino cultu. Si autem aliquid fit, quod, quantùm est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc, quòd mens hominis feratur in Deum, aut quòd carnis concupiscentiæ moderatè refrænentur, aut etiam si fit præter Dei, & Ecclesiæ institutionem, vel contra consuetudinem communem, quæ secundùm Augustinum, pro lege habenda est, totum hoc reputandum est superfluum, & superstitiosum: quia in exterioribus solùm consistens, ad interiorem Dei cultum non pertinet. Undè Augustinus* in lib. de vera Religione, *inducit quod dicitur* (*Lucæ 17.21.*) Regnum Dei intra vos est: *loquitur contra superstitiosos, qui scilicet exterioribus principalem curam impendunt*.

4. Ex quibus ulteriùs est colligendum, quòd, ut habeatur *superstitio* circa cultum veri Dei, minimè opus sit, quòd verus Deus colatur sub omni proprietate veri Dei, juxtà quam à solis Catholicis colitur ipsum venerantibus in essentia Unum, in Personis Trinum; sed sufficit, quòd verus Deus in substantia colatur saltem confusè concepta, etiam si de illo pleraque ignorentur, vel etiam falsò affirmentur, aut negentur. Undè & *superstitio* ex parte modi reperiri potest in Gentilibus, de quibus ad (*Rom.1.21.*) *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, & in Judæis, de quibus ad (*Rom.10.2.*) *Testimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam*; & eatenus de his scripsit in *Ps.118.* D. Ambrosius: *Judæi habent zelum Dei, sed quia non habent secundùm scientiam, in ipso zelo ex timore, majorem contrahunt Divinitatis offensam*. Hi namque *superstitiosi* utique dicendi essent, si verum Deum colere intendentes vituli Sacrificium offerrent, quod, licèt quondam veri Sacrificii rationem haberet, ad præsens tamen Gratiæ lege vigente, in qua unius incruenti Sacrificii oblatione, quodlibet aliud

aliud irritum est effectum, ac nullum, *superstitiosum* quid est reputandum, & quidem etiamsi in Offerente supponi queat invincibilis ignorantia, quæ ipsum quidem à malitia, & formali *superstitiosi* denominatione eximere poterit, non tamen facere, quin opus in se revera *superstitiosum* non extet.

5. Deducendum itidem, quo sensu in qualibet *superstitione* contineatur aliqua falsitas, ut indè appareat, per propositionem *superstitiosam* aliqualem semper doceri errorem, ut *num*.1. insinuavimus. Quamvis namque Angelicus *superstitionem* diviserit in *perniciosam*, & *superfluam* ex nuper expensis, illamque definierit per falsitatem, & *mendacium*, quod continet; hanc verò per hoc quòd offerat Deo pro cultu, id quod nec ad gloriam Dei spectat, nec mentem, vel corpus hominis Deo subdit, ut convenit; sic indicans Deum colendum *in spiritu, & veritate* (*Jo*.4.23.) è quibus prima conditio deficit in *superflua*, secunda in *perniciosa*. Id tamen non ita accipiendum, ut in *superflua* nulla sit falsitas, ad quam habendam sufficit, ut per aliquem actum, quis significet se colere Deum, quem revera non colit, quod in quibuslibet *superstitionibus* patet contingere. Sed quòd *perniciosa* præter falsitatem, quæ omnibus *superstitionibus* est communis, aliam involvit ei specialiter competentem, non præcisè quia designet falsò cultum, & excellentiam supremi Numinis, sed quatenùs aliquam aliam significare supponitur. Sic Circumcisio e.g. ad præsens adhibita duplicem falsitatem importat, alteram sitam in cultus nullitate, qui per eam præstari prætenditur, alteram in eo, quòd adhibeatur ut signum futuræ gratiæ, nondùm exhibitæ, & proindè falsa est falsitate primævæ suæ institutioni repugnante. Ac idcircò quælibet *superstitio* dici potest falsa falsitate in *essendo*, non autem quælibet falsitate *in dicendo*, quæ *perniciosæ* solius est propria.

6. Sicut autem ob specialem falsitatem, & in significando, quæ inest *perniciosæ*, proprio hæc vocabulo à *superflua* secernitur; ita & ista, *superflua* appellatur, non quòd & *perniciosa* dici quoque *superflua* non debeat, aliàs non benè *superstitio* genericè sumpta ex Angelico *nu*.1.dicta esset vitium *per excessum*; sed quòd *superflua* totaliter committitur per excessum, absque ulterioris mendacii societate. Undè in *superstitione* perspici debet, an mendacium ullum contineat, seu falsitatem in dicendo, ac significando? & si illud reperiatur, erit *superstitio perniciosa*, sin autem, *superflua*. Nec minùs unum, quàm alterum *superstitionis* membrum verificatur in *superstitione*, quæ talis sit ex parte Colentis, quàm in *superstitione* ex parte rei significatæ. Ille namque qui colit Deum communi aliorum, & Ecclesiæ nomine, potest deficere in solo modo oblationis, quoties nimirùm verè ille Dei minister sit, & ad dictum ministerium deputatus, sed res oblata non est qualis esse debet, & qualis ab Ecclesia præscribitur, ut si Sacerdos in Missa vinum offerret absque ulla aquæ mixtione; *superstitionis* quidem fieret reus, dum sacrilegè præceptam aquæ mixtionem in oblatione non servaret, sed *superstitionis* dumtaxat *superfluæ* absque nimirùm falsitate ulla ex parte Colentis, qui verè Sacerdos supponitur, & deputatus ad ministerium illud Ecclesiæ nomine exercendum. Quòd si talis verè non esset, tunc *superstitio perniciosa* ex parte ipsius diceretur ob sacrilegam fictionem in legatione, qua alterius nomine fungitur, à quo constitutus non est, ut sese gessisse legimus 1.*Reg*.13. Saulem, qui summoperè Deo displicuit, quòd cum non esset Sacerdos, ausus est Sacrificium offerre.

7. An verò id ipsum locum habeat, cùm quis *superstitionem* committit in cultu, non alterius, sed proprio, & privato nomine, exhibito? affirmat Cajetanus ex verbis Angelici, qui dum asserit *præcipuè inveniri in cultu communi*, indicare videtur minùs propriè reperiri in cultu privato. Negat verò Suarez *lib*.2.*de superst.cap*.2.*num*.17. Tò *præcipuè* asserens non esse in rigore sumendum, sed largiùs, ut idem significet, quòd *maximè*, seu *principaliter*. Ac ad negativam responsionem non irrationabiliter *num*.15. movetur, quòd explicari commodè nequeat, in quo consistat hæc falsitas ex parte Colentis in cultu privato „ quia qui privatè colit, in sua „ propria Persona cultum exercet, & in „ hoc non mentitur, quia revera suo no„ mine offert, & non alterius, hoc est enim „ de ratione privati cultus; nec Cajetanus „ exponit quis aliùs modus falsitatis possit „ esse ex parte Operantis in cultu privato „ & proindè occurrit exemplis, quæ in contrarium ab ipso adducuntur, eorum videlicet, qui jejunant die Dominico contra Ecclesiæ prohibitionem; vel Dominicam orationem recitant privata intentione, excludendo ab illius participatione omnem Ecclesiam; vel falsas Reliquias proponunt, ut veras in venerationem Dei, & Sanctorum; Dicendo quod *superstitiosè* jejunans die Do-

Dominico, cum non in Persona Ecclesiæ jejunare se simulet, non mentitur mendacio ex parte Personæ se tenente, sed tantùm ex parte rei significatæ, per *superstitiosum* jejunium profitens cum Manichæis, & Priscillianistis colendam esse Christi resurrectionem, in cujus obsequium, & in signum lætitiæ fuit dictum jejunium vetitum.

8. Dominicam pariter orationem recitans privata intentione, peccat proculdubiò contra Charitatem per exclusionem Fidelium à participatione orationis ex parte eorum, pro quibus oratur; non tamen ex parte ipsius ulla *superstitio* habeteretur, quia oratio dicta, estò instituta sit, ut per eam pro tota oremus Ecclesia, non tamen ut per eam oremus in Persona Ecclesiæ; ideoque nulla haberetur simulatio, qua quis alterius vices gereret, & repræsentaret Personam. Immò etiam si quis illam nomine Ecclesiæ recitaret, qualiter revera recitāt Sacerdotes in Missa, & nihilominùs intenderet nō „ prodesse omnibus per illam, eset sibi tan„ tùm, non esset mendax in cultu externo, „ quia revera potest oratio totius Ecclesiæ „ pro uno privato fieri; esset ergo pravus „ in intentione contra charitatem com„ munem, & contra fidelitatem sui mune„ ris. Nullo ergo modo invenitur in illo „ actu falsitas ex parte Operantis. Neque „ etiam in tertio exemplo, nam qui falsas „ Reliquias proponit, non facit actum il„ lum in Persona Ecclesiæ, sed propria, ut „ constat, ideò enim cultus privatus dici„ tur; in eo ergo non mentitur, sed quia „ signum est falsum, & rei non existentis, „ ideò mentitur; falsitas autem illa non est „ ex parte Operantis, sed rei significatæ, ut „ notavit Toletus *in summ. lib. 4. c. 14.*

9. *Superflua* hæc *superstitio*, alia *turpis* nominari solet, alia *vana*, seu *levis*. Cùm enim coli intenditur Deus illismet actibus, qui ex natura sua sunt turpes, etiam si mendacia non sint, *superstitio* illa dicitur *turpis*, ob injuriam, quam in Deum continet, ut si quis ex injustè ablatis aliquid in divinum offerret obsequium, quæ oblatio *maculata* dicitur *Eccl. 34. 21.* In qua, si mendacium ullum interveniat; quòd hujusmodi actione Deum colens profiteri videatur, oblationem illam Deo fore gratam, & remuneratione dignam; attamen, quia hoc non sequitur ex vi significationis ipsius oblationis, sed per quamdam illationem ex intentione Operantis quodammodò erutam, se gerentis, ac habeat prædictam existimationem, quamvis facto vim illam minimè exprimat; falsitas propriè in significando non habebitur, sed in essendo solummodò. Quoties verò cultus hujusmodi *turpitudinem* non dicit, sed aliundè ineptus est ad finem, in quem adhibetur, *superflua superstitio levis*, & *vana* censebitur. Quam Moralistæ ex suo genere lethalem nequaquam putant, ut unanimiter existimant *turpem*, quia hæc eximi nequit à gravi in Deum injuria, à qua regulariter per se saltem eximitur illa, nisi vel ex contemptu committatur, vel fit contra Ecclesiæ præceptum in gravi materia, vel ex intentione indebitè introducendi novum aliquem in Catholicam Ecclesiam ritum promanet.

10. Hactenùs de *superstitione* circa veri Dei cultum modo indebito exercitum. De altera aliquid nunc enucleandum, quæ se tenet ex parte rei cultæ, & dirigitur ad cultum tribuendum falsoDeo. Circa quem, etsi Cicero *lib. 2. de Nat. Deor.* putaverit posse admitti *superstitionem* ex parte modi; id tamen dixit existimans cultum exhibitum suo Idolo juxta suas leges, & morem, esse legitimum, undè *superstitiosum* dumtaxat eum credidit, quoties dictus cultus exhiberetur ultra instituta suorum Majorum. Nos verò totum cultum talis Dei *superstitiosum* absolutè, & simpliciter tenemus, quicumque sit, parùm idcircò curantes de modo, quo præbetur. Habet autem, & hæc *superstitio* suas species, tresque enumerat *2. 2. q. 92. art. 2. in corp.* Angelicus: *Ordinatur enim primò divinus cultus ad reverentiam Deo exhibendam: & secundùm hoc, prima species hujus generis est idololatria, quia divinam reverentiam indebitè exhibet creaturæ. Secundò ordinatur ad hoc, quòd homo instruatur à Deo, quem colit, & ad hoc pertinet superstitio divinativa, quæ Dæmones consulit per aliqua pacta cum eis inita, vel tacita, vel expressa. Tertiò ordinatur divinus cultus ad quamdam directionem humanorum actuum secundùm instituta Dei, qui colitur; & ad hoc pertinet superstitio quarumdam observationū. Et hæc tria tangit August.* in 2. de doctr. Christ. *cap. 20. dicens*: superstitiosum esse quicquid institutum est ab hominibus ad facienda, & colenda idola pertinens: *& hoc pertinet ad primum: & postea subdit*; Vel ad consultationes, & pacta quædam significationum cum Dæmonibus placita, atque fœderata, *quod pertinet ad secundum: & post pauca subdit*: Ad hoc genus pertinent omnes legaturæ, & hujusmodi, *quod pertinet ad tertium*.

11. *Idololatria* itaque potissimum sibi vindicat locum, non quidem in sensu metaphorico accepta, quo D. Paulus *ad Ephes. 5. 5.* avari;

avaritiam appellavit *Idolorum servitutem*, & *ad Philipp.3. 19.* de hominibus crapulæ deditis dixit: *quorum Deus venter est*; sed in vero, ac proprio importante *Idolorum latriam*, de qua Augustinus *lib.2.de doctr.Christ.c.20.* nuper citatus, & ab eodem Angelico *q.94.art.1. in corp.* iterùm relatus, aliis particulis additis: *vel ad colendam, sicut Deum creaturam, partemve ullam creaturæ*. Hoc autem multipliciter contingere *ibid.* itidem ex Augustino tradit Aquinas, cui prorsùs nihil addendum, nihilque demendum: *Quidam per quamdam nefariam artem imagines quasdam construebant, quæ virtute Dæmonum aliquos certos effectus habebant, undè putabant in ipsis imaginibus esse aliquid Divinitatis, & per consequens quòd divinus cultus eis deberetur. Et hæc fuit opinio Hermetis Trismegisti, ut Augustinus dicit* in 8. de Civit. Dei. *Alii verò non exhibebant cultum Divinitatis ipsis imaginibus, sed creaturis, quarum erant imagines, & utrumque horum tangit Apostolus* ad Rom.1.23. *Nam quantùm ad primum dicit*: Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. *Quantùm autem ad secundum subdit*: Coluerunt, & servierunt potiùs creaturæ, quàm Creatori.

12. *Horum tamen fuit triplex opinio. Quidam enim æstimabant quosdam homines Deos fuisse, quos per eorum imagines colebant, sicut Jovem, Mercurium, & alios hujusmodi. Quidam verò æstimabant totum mundum esse unum Deum, non propter corporalem substantiam, sed propter animam, quam Deum esse credebant, dicentes Deum nihil aliud esse, quàm animam motu, & ratione mundum gubernantem: sicut homo dicitur sapiens propter animam, non propter corpus. Undè putabant toti mundo, & omnibus partibus ejus esse cultum Divinitatis exhibendum, cœlo, aeri, aquæ, & omnibus hujusmodi partibus; & ad hæc referebant nomina, & imagines suorum Deorum. Sicut Varro dicebat, ut narrat Augustinus* in 7. de Civit. Dei. *Alii verò scilicet Platonici posuerunt unum esse summum Deum causam omnium, post quem ponebant esse substantias quasdam spirituales à summo Deo creatas, quas Deos nominabant, participatione scilicet Divinitatis: nos autem eos Angelos dicimus, post quos ponebant animas cœlestium corporum, & sub his Dæmones, quos dicebant esse aërea quædam animalia, & sub his ponebant animas hominum, quas per virtutis meritum, ad Deorum, vel Dæmonum societatem assumi credebant, & his omnibus cultum Divinitatis exhibebant, ut Augustinus* narrat. in 18. de Civit. Dei. *Has autem duas ultimas opiniones, dicebant pertinere ad physicam Theologiam, quam Philosophi considerabant in mundo, & docebant in scholis. Aliam verò de cultu hominum, dicebant pertinere ad Theologiam fabularem, quæ secundùm figmenta Poëtarum repræsentabatur in theatris. Aliam verò opinionem de imaginibus dicebant pertinere ad civilem Theologiam, quæ per Pontifices celebrabatur in Templis*.

13. Ex his minimè quis inferat ad *Idololatriam* necessarium simpliciter esse, ut cultus feratur necessariò in imaginem aliquam aliquid verum, vel fictum repræsentantem, ad textum (*Sap.13.13.*) *& assimilat illud imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparat*, cui conformis est Doctoris Gentium authoritas *n.11.* in Aquinatis textu inserta. Ex cujus postremis verbis patet defectuosam, & mutilam esse Idoli definitionem, quam *li.8.ethimol.* tradidit Isidorus, dicens *Idolum esse simulacrum, quod humana effigie factum, & consecratum est*. Quamquàm namque hæc sit primæva *Idoli* significatio, extensum est nihilominùs nomen hujusmodi ad designandam quamlibet creaturam, quæ veluti Deus colatur, seu colenda proponatur supremo cultu, qui soli vero Deo debetur, etiamsi imago neutiquàm sit, nec ut imago alicujus falsi Dei adoretur, sed ut ipsemet falsus Deus. Cùm enim quælibet creaturæ adoratio, ipsi, ut Deo exhibita, *idololatria* sit, sivè in se, & propter se ea fiat, sivè ratione alterius falsi Dei per ipsam expressi, sequitur quamlibet etiam creaturam, cui *latriæ* honor impenditur, *Idolum* posse appellari, & sub hac ratione *Sap.14.21.* quoque dicitur: *Et incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt*, illa, tamquàm supremum venerantes Numen, in quo *latriæ* quidditas consistit, sivè actibus internis, per quos *Idololatria* interna perficitur, sivè externis designantibus *Idololatriam* externam, sivè utriusque generis actibus, quibus integra, & undequaque completa exurgit *Idololatria*.

14. Cujus originem, & initium *art.4.* expendit Aquinas, cui inhærens *lib.2.de superst.cap.4.* Suarez *Idololatriam* abstrahentem à sensibilitate *Idolorum*, & imaginum, ortam asserit ex ignorantia veri Dei, & imbecillitate humani discursus, adjuncta humana negligentia, & Dæmonum astutia, & deceptione, testante *Sap.13. 1.* Spiritu Sancto: *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, nec operibus attendentes agnoverunt, quis esset Artifex*. Illam verò, quæ fit cum cultu sensibilium simulacrorum, & imaginum, promanasse ex nimio

nimio erga homines defunctos affectu, & ardenti præsentiæ eorumdem desiderio ex (*Sap.14.15.*) *Acerbo luctu dolens Pater, citò sibi rapti filii fecit imaginem; & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra, & sacrificia. Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error, tamquam lex custoditus est, & Tyrannorum imperio colebantur figmenta*, & (*num.17.*) *ut illum, qui aberat, tamquàm præsentem coleret*, & (*num.21.*) *& hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui, aut Regibus servientes homines incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt*. Quo autem id evenerit tempore? Angelicus *in resp. ad 2.* sustinet, quòd in prima ætate non fuit *Idololatria* propter *recentem memoriam creationis mundi, ex qua adhuc vigebat cognitio Unius Dei*, & verisimile id esse perpendit *cap.5. num.8.* Suarez, qui *num.11.* ex illis *Sap.14. 12.* verbis; *Initium fornicationis est acquisitio Idolorum*, infert: *fornicationem*, seu *superstitionem* creaturas colendi divinis honoribus, publicam saltem, & communem per dedicationem Templorum, & oblationem Sacrificiorum, incœptam cum imaginibus fuisse, estò sine illis habita antea fortassis fuerit, de qua proindè locum habeat Eusebii Cæsariensis *lib.1. de præp. Evang.* opinio, qua refert *Ægyptios primos omnium Solem, & Lunam Deos putasse, quibus non sanguinem, aut nidorem offerebant, sed fruges terræ, quam etiam ipsam, ut Deum adorabant*, addens tunc temporis simulacrorum usum non adhuc introductum, *quia neque pingere, neque fingere, aut cælare, seu ædificare adhuc sciebant*, indeque concludens, *Quibus omnibus apertissimè liquet, non fuisse apud vel Græcos, vel Barbaros simulacrorum dedicationem*.

15. *Idololatriæ* succedit *Divinatio*, quæ *ex operatione Dæmonum provenit: vel quia expressè Dæmones invocantur ad futura manifestanda, vel quia Dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate*. De qua vanitate dicitur *Ps.39.5.* Non respexit in vanitatem, & insanias falsas. *Vana autem inquisitio futurorum est, quando aliquis futurum prænoscere tentat, undè prænosci non potest*, ut loquitur Angelicus *q.95. art.2.* probans *Divinationem esse superstitionis speciem*, ex quo per eam *aliquis assumit auxilium Dæmonum ad aliquid faciendum, vel cognoscendum*. Quod contingere potest, per se, & simpliciter à Dæmonibus, aut explicitè, ac expressè postulando certam cognitionem rerum per se occultarum, sive hæc Dæmonum vires penitùs excedat, per quod omnium *divinationum* species gravissima habebitur. Cujus generis erat illa, quam Reges Nabucdonosor, & Balthassar expetebant (*Daniel.4. & 5.*) à Magis, Chaldæis, Aruspicibus, ut interpretarentur eorumdem somnia; quorum dein cùm agnoscerent imbecillitatem, ac impotentiam, quòd Dæmonum vires optata interpretatio excederet, ad Danielem Prophetam Domini recursum habuerunt, *quia omnes Sapientes Regni mei non queunt solutionem edicere mihi; Tu autem potes, quia Spiritus Sanctorum Deorum est in Te*, sic Nabucdonosor Danieli locutus est *cap.4.15.* Nec aliter *cap.5. 14.* Balthassar; *Audivi de Te quoniam Spiritum Deorum habeas, & scientia, intelligentiaque, ac sapientia ampliores inventæ sunt in Te*; quamvis non eadem certitudine Danieli fidem præberent, dum Nabucdonosor absolutè Spiritum Sanctorum Deorum ei competere pronunciavit, nedum indicatis particulis, sed & præcedentibus (*cap.4.6.*) *Ego scio, quòd Spiritum Deorum habeas in Te, & omne Sacramentum non est impossibile Tibi*; Balthassar verò notitiam hujusmodi in aliorum relationem refudit, nonnisi sub conditione Danielem (*c.5.16.*) rogans: *Si ergo vales Scripturam legere* &c. Sive ipsis aliqualiter competat, Augustino *n.10.* universaliter dicente; *quicquid spectat ad consultationes, & pacta quædam significationum cum Dæmonibus placita, atque fæderata pertinere* ad *superstitionem* in eo sitam, quòd homo relicto Deo, ad Dæmonem recursum habeat, & ipsi se subjiciat, tamquàm indigens auxilio ejus, & in eo confidens etiam invito Deo, ac ipsi suum infensissimum hostem præferens, qui in omnibus obscurare contendit supremi Numinis gloriam, sibique illam pro viribus usurpare.

16. Aut tacitè, & implicitè, quod certè non eamdem malitiæ gravitatem continet, *multò enim gravius est*, inquit *art.3. in resp. ad 1.* Angelicus, *Dæmones invocare, quàm aliqua facere, quibus dignum sit, ut se Dæmones ingerant*, sic indicans per quid constituatur tacita, & implicita Dæmonum invocatio per hoc videlicet, quòd homo seriò, & deliberatè aliquibus ineptis utitur signis ad veritatem occultam per illa importatam inquirendam, cum animo adhibendi fidem talibus signis, & credendi rem, quæ per illam significatur. Qui enim sic operatur, clarum est non ponere in Domino Deo spem suam, nec fidem retinere divinæ innixam revelationi, undè non nisi in disciplina, & instructione Dæmonis illa fundari potest;

poteſt;quod eſt operari ex implicito Dæmonis pacto, ſi non prout pactum involvit mutuam promiſſionem, & obligationem, ſaltem prout ſumitur pro quacumque ſocietate, & deprecatione, ſeu petitione auxilii ad aliquid cognoſcendum, quæ extat, eo ipſo præcisè, quòd vanis hiſce inquiſitionibus animus applicetur ſpe firmiter concepta cognoſcendi occulta, aut futura, *quibus dignum ſit, ut Dæmones ſe ingerant*.

17. Sicut autem Dæmones expreſsè invocati ſolent occulta, & futura pronunciare variis modis, vel nempè *præſtigioſis quibuſdam apparitionibus ſe aſpectui, & auditui hominum ingerentes ad prænunciandum futura, & hæc ſpecies vocatur præſtigium, ex eo, quòd oculi hominum perſtringuntur. Vel per ſomnia, & hæc vocatur divinatio ſomniorum: Vel per mortuorum apparitionem, aut locutionem, & hæc ſpecies vocatur necromantia: Vel per homines vivos, ſicut in arreptitiis patet, & hæc eſt divinatio per Pythones: Vel per aliquas figuras, vel ſigna, quæ in rebus inanimatis apparent, quæ quidem, ſi appareant in aliquo corpore terreſtri, puta in ligno, vel ferro, vel lapide polito, vocatur geomantia: ſi autem in aqua, hydromantia: ſi autem in aëre, aeromantia, ſi autem in igne, pyromantia; ſi autem in viſceribus animalium immolatorum in aris Dæmonum, vocatur aruſpicium*. Ita pariter divinatio, quæ exercetur abſque expreſſa Dæmonum invocatione haberi poteſt, vel ex *conſideratione ſitus, & motus ſyderum*, quod pertinet *ad Aſtrologos, qui & Genetbliaci dicuntur, propter natalium conſiderationes dierum: Vel per motus, vel voces avium, ſeu quorumcumque animalium; ſivè per ſternutationes hominum, vel membrorum ſaltus, hoc pertinet generaliter ad augurium, quod dicitur à garritu avium, ſicut auſpicium ab inſpectione avium, quorum primum pertinet ad aures, ſecundum ad oculos; in avibus enim hujuſmodi præcipuè conſiderari ſolent. Si verò hujuſmodi conſideratio fiat circa verba hominum abſque intentione dicta, quæ quis retorquet ad futurum, quod vult prænoſcere, hoc vocatur omen. Et ſicut Valerius Maximus dicit*, (*lib.* 1. *cap.* 5. *in princ.*) Ominum obſervatio aliquo contractu Religioni annexa eſt; quoniam non fortuito motu, ſed divina Providentia conſtare creditur, quæ fecit: ut Romanis deliberantibus utrùm ad alium locum migrarent? fortè eo tempore Centurio quidam exclamavit: *Signifer ſtatue ſignum, hic optimè manebimus*: quam vocem auditam, pro omine acceperunt, tranſeundi conſilium omittentes. *Si autem conſiderentur aliquæ diſpoſitiones figurarum in aliquibus corporibus viſui occurrentes, erit alia divinationis ſpecies. Nam ex lineamentis manus conſideratio ſumpta, chiromantia vocatur, quaſi divinatio manus. Chiros enim græcè dicitur manus. Divinatio verò ex quibuſdam ſignis in ſpatulo alicujus animalis apparentibus ſpatulamantia vocatur*.

18. *Ad ſecundum autem divinationis genus, quod eſt ſine expreſſa Dæmonum invocatione, pertinet divinatio, quæ fit ex conſideratione eorum, quæ eveniunt, ex quibuſdam, quæ ab hominibus ſeriò fiunt ad aliquid occultum inquirendum: ſivè per protractionem punctorum, quod pertinet ad artem geomantiæ: ſivè per conſiderationem figurarum, quæ proveniunt ex plumbo liquefacto in aqua projecto, ſivè ex quibuſdam Schedulis ſcriptis, vel non ſcriptis in occulto repoſitis, dum conſideratur, quis quam accipiat, vel etiam ex feſtucis inæqualibus propoſitis quis majorem, vel minorem accipiat, vel taxillorum projectione, quis plura puncta projiciat, vel etiam dum conſideratur, quid aperienti librum occurrat, quæ omnia ſortium nomen habent. Sic ergo patet triplex divinationis genus, quorum primum eſt per manifeſtam Dæmonum invocationem, quæ pertinet ad necromanticos. Secundum autem eſt per ſolam conſiderationem diſpoſitionis, vel motus alterius rei, quod pertinet ad Augures. Tertium eſt dum facimus aliquid; ut nobis manifeſtetur aliquod occultum, quod pertinet ad Sortes*. Ita ratiocinatur nunquàm ſatis laudatus Angelicus *q.* 95. *art.* 3. *in corp.*, qui ſubſequenter ſingulas *divinationis* ſpecies expendit, illicita à licitis ſecernens, objectaque diluens, à quibus pertractandis abſtinemus, ne ab inſtituto plùs quàm æquum ſit, recedamus, ad quod hactenùs indicata, & mox indicanda abundè ſufficiunt pro cognoſcenda propoſitionis *ſuperſtitioſæ* natura, & quidditate, quam conſiſtere diximus in eo, quòd aliquid promoveatur, vi cujus divinus cultus, vel alteri à Deo aliquo modo, vel Deo ipſi, non ſervato debito modo, tribuitur.

19. Poſtrema *ſuperſtitionis* ſpecies in vanis *obſervantiis* conſiſtit, quas inter primo loco recenſet *q.* 96. *art.* 1. Aquinas *artem notoriam*, & licèt *in reſpon. ad* 3. ſentire videatur, in ea non intervenire ſocietatem initam cum Dæmone: quę ſocietas cum *Dæmone inita in propoſito non habet locum*, nihilominùs particulam illam negativam, *non*, erroneè textui inſertam rectè advertit Suarez *lib.* 2. *de ſuperſt. cap.* 15. *num.* 5., utpotè quæ ſit fini S. Doctoris repugnans ſolventis objectum ex eo firmatum, quòd non videatur *eſſe peccatum uti arte notoria, etiamſi per Dæmones ſortiatur effectum*, idque quia veritates ſcientia-

rum

rum Dæmones sciunt, undè per *notoriam artem* non exquiritur ab ipsis futurorum cognitio, quæ est characteristica Dei; quasi quòd hoc sit simpliciter necessarium, ut *divinatio*, cujus est futura perquirere, sit illicita. Quàm autem id sit falsum, S. Doctor ostendit, duplicem in *divinatione* malitiam agnoscens, scilicet, nedùm *propter hoc, quòd ipsi futura non cognoscunt, sed propter societatem cum eis initam*: indèque subjungens societatem prædictam in *arte notoria* intervenire, *quæ etiam in proposito habet locum*, ut *in corp.art.* jam probarat stabiliendo non solùm illicitam esse, *quia utitur quibusdam ad scientiam acquirendam, quæ non habent secundùm se virtutem causandi scientiam, sicut inspectione quarumdam figurarum, & prolatione quorumdam ignotorum verborum, & aliis hujusmodi: Et ideò hujusmodi ars non utitur his, ut causis, sed ut signis, non autem ut signis divinitùs institutis, sicut sunt Sacramentalia signa. Undè relinquitur, quòd sint supervacua signa, & per consequens pertinentia ad pacta quædam significationum cum Dæmonibus placita, atque fœderata, & ideò ars notoria penitùs est repudianda, & fugienda à Christiano, sicut & aliæ artes nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis*: Sed etiam inefficacem: *Cùm enim per hujusmodi artem non intendatur acquisitio scientiæ per modum homini connaturalem, scilicet adinveniendo, vel addiscendo, consequens est, quòd iste effectus, vel expectetur à Deo, vel à Dæmonibus*. At à Deo patet non haberi, cujus donum *Lucæ.21.* promissum, *ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes Adversarii vestri*, non omnibus indiscriminatim conceditur, sed ad Spiritus Sancti arbitrium, ac beneplacitum; nec semel concessum, indiget alicujus vanæ *observationis* consortio, qualis fieri solet in *arte notoria*, extraordinariam quamdam scientiæ, subitamque acquisitionem procurando per quædam inania jejunia, & orationes ad Deum, & figurarum inspectiones, & prolationes ignotorum verborum. Concludendum eatenùs haberi à Demone, cui illa utens, virtualiter saltem, tribuit facultatem infundendi scientiam, quod Dei solius est proprium.

20. A'qua tamen *superstitionis* denominatione eximendus videtur ille, qui ex ignorantia, & simplici intentione vellet à Deo ipsam infusam scientiam impetrare, non adhibendo *notoriæ artis* futiles *observationes*, sed media ordinaria, quæ religiosè adaptantur ad aliquod à supremo bonorū omnium Largitore obtinendum, orationes scilicet, jejunia, & cætera ejus generis modo convenienti exercita; estò reus habendus esset tentationis Dei, quem etiam improbè coleret, si id non faceret, sine instinctu speciali Spiritus S. & sine rationabili fundamento, omittendo industriam, & diligentiā, quam posset adhibere. Immò ratione periculi in *superstitionem* incidendi posset de *superstitionis* malitia fieri quadantenùs particeps, ut *cit. cap.* 15. *num.*6. notavit Suarez, qui *num.*7. optimè ad hanc *superstitionis* speciem reducendam ait, omnem artem addiscendi scientiam ope Dæmonum, quocumque modo intendatur. Quacumque enim ratione ineatur cum Dæmone societas, etiamsi nil postuletur expresse, vel tacitè, quod virtutem ejus naturalem superet, *superstitiosum* ex dictis est reputandum.

21. Secundo loco ponit *art. 2. in corp.* D. Thomas *observationes*, quæ sanitatum præcipuè inscribuntur, utpotè ad corporum immutationem ordinatæ. Pro quibus dignoscendis *considerandum est, utrùm naturaliter videantur posse tales effectus causare: sic enim non erit illicitum; licet enim causas naturales adhibere ad proprios effectus. Undè si naturaliter non videantur posse tales effectus causare, consequens est, quòd nec adhibeantur ad hos effectus causandos, tamquàm causæ, sed solùm quasi signa; & sic pertinent ad pacta significationum cum Dæmonibus inita. Undè Augustinus dicit*: (21. *de Civit. Dei*) Illiciuntur Dæmones per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit: delectabilibus pro sua diversitate diversis, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis: quæ cujusque delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, *carminum, rituum*. Tertiò loco *art.*3. *in corp.* recenset *observationes*, quæ ordinantur ad præcognoscendum aliqua fortunia, vel infortunia, quas homines *attendunt, non ut quasdam causas, sed ut signa quædam futurorum eventuum bonorum, vel malorum. Non observantur autem sicut signa à Deo tradita, cùm non sint introducta ex authoritate divina, sed magis ex vanitate humana, cooperante Dæmonum malitia, qui nituntur animos hominum hujusmodi vanitatibus implicare; & ideò manifestum est omnes hujusmodi observationes esse superstitiosas, & illicitas. Et videntur esse quædam reliquiæ Idololatriæ, secundùm quam observabantur auguria, & quidam dies fausti, vel infausti: quod quodammodò pertinet ad divinationem, quæ fit per astra, secundùm quæ diversificantur dies. Videtur ergo, quòd hujusmodi observationes sint sine ratione, & arte, undè sunt magis vanæ, & superstitiosæ*.

22. Denique sermonem instituit de suspensione

pensione divinorum verborum ad collum, in quibus, ut absque *superstitione* fiant, duo monet cavenda: *Primò quidem, quid sit, quod profertur, vel scribitur: quia si est aliquid ad invocationes Dæmonum pertinens, manifestè est superstitiosum, & illicitum. Similiter etiam videtur esse cavendum, si contineat ignota nomina: ne sub illis aliquid illicitum lateat. Unde Chrysost. dicit.* (*super Matt. hom.43. in op. imperf. à medio*) quòd Pharisæorum magnificantium fimbrias suas exemplo, nunc multi aliqua nomina hæbraica Angelorum confingunt, & scribunt, & alligant: quæ non intelligentibus metuenda videntur. *Est etiam cavendum, nè aliquid falsitatis contineat, quia sic ejus effectus non posset expectari à Deo, qui non est testis falsitatis. Deindè cavendum est secundò, nè cum verbis sacris contineantur aliqua vana, puta aliqui characteres inscripti, præter signum Crucis. Aut si spes habeatur in modo scribendi, aut ligandi, aut in quacumque hujusmodi vanitate, quæ ad divinam reverentiam non pertineat: quia hoc judicaretur superstitiosum; aliàs autem est licitum. Undè in* Decretis *dicitur:* (26. *qu.*5. *c.* Non liceat Christianis &c.) Nec in collectionibus herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas observationes, aut incantationes licet attendere, nisi tamen cum symbolo divino, aut dominica oratione, ut tantùm Creator, & Deus omnium adoretur, & honoretur.

23. Prædictas *superstitionis* species sub vitiosa *Magia* contineri laudatus Suarez observat, quam *cap.*14. *num.*4. definit artem, quæ ordinatur ad aliquid faciendum ultra humanas vires, & non virtute Dei, sed Dæmonis, ad *Magiæ* naturalis distinctionem, artis nimirùm factivæ aliquorum operum, verorum, aut apparentium, quæ, etsi hominibus mira videantur, non tamen simpliciter transcendunt causarum naturalium virtutem, sed applicando activa passivis cum plena cognitione virtutum, & dispositionum agentium, & patientium naturaliter resultant. Et de hac legi possunt Victoria *relect. de Magia n.*7. & 8. Medina 2. *paræn. cap.*7. Pererius *lib. de Magia cap.*3. Franciscus Picus. 7. *de lib.*3. *Salomonis cap.*23. & Philo *lib. de special. leg.* qui testatur primatios Principes in ea antiquitùs apprimè versatos fuisse: „ Veram, quidem illam *Magiam*, hoc est „ perspicuam scientiam, per quam naturæ „ opera cernuntur clariùs, ut honestam, „ expetendamque non Plebeji solùm se„ ctantur, sed etiam Reges Regum maxi„ mi, præsertim Persici tàm curiosi harum „ artium, ut regnare non liceat, nisi cum „ *Magis* versato familiariter „ Cujus generis fuisse *Magos, qui viderunt, & adoraverunt puerum Jesum in nullo ab humanæ infantiæ generalitate dissimilem*, ut loquitur Leo Papa *Serm.*4. *de Epiph.* verior sententia sustinet; licèt Augustinus contrarium senserit *serm.* 2. *de Epipb.* relatus 3. *p. q.*36. *art.*3. *ad* 2. ab Angelico; *Sicut prævalet imperitia in rusticitate Pastorum, ita prævalet impietas in sacrilegiis Magorum: Utrosque tamen Lapis ille angularis applicuit: quippè qui venit stulta eligere, ut confunderet sapientes, & non vocare justos, sed peccatores, ut nullus magnus superbiret, nullus infirmus desperaret. Quidam tamen dicunt, quòd isti Magi non fuerunt malefici, sed sapientes Astrologi, qui apud Persas, vel Chaldæos Magi vocantur.*

24. Vitiosam itaque *Magiam*, quam nimis impropriè *supernaturalem* non semel appellavit Dandinus *de susp. de hær. cap.*2. *sect.*2. *subsect.*1. & præsertim *num.*1. radicitùs evellendam indubitabile est, apud Catholicos præsertim, quibus satis notum est, quod S. Lucas narrat *Act.*19.18. de prædicatione Apostoli: *Multi Credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos: Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. Ita fortiter crescebat Verbum Dei, & confirmabatur.* Tantaque est ipsius malitia, ut ad tollendum quodlibet discrimen in eam declinandi, omnes libros, qui de naturali tractant, tamquam suspectos, & tamquàm periculosos Juvenibus vitandos scripserit Thomas del Bene *de Off. Inqu. p.*2. *dubit.*227. *sect.*1. *num.*5., postquàm *num. præc.* ostenderat facilitatem transitus ex naturali ad vitiosam, quia hominum ingenia rebus curiosis „ implicat, & „ sensum ad *magiam superstitiosam* dispo„ nit, cùm sub specie occulta operationis „ naturæ, Dæmon facilè se admisceat, & sic „ occultæ virtuti causæ naturalis tribuatur, „ quod ipsius Dæmonis opera, seu mini„ sterio efficitur. Undè & *Magi* quique „ magis volunt se judicari professores tan„ tum *magiæ* naturalis, & conantur omnia „ sua tegere imagine quadam occulta vir„ tutis naturæ. Licèt enim aliquando quas„ dam causas naturales adhibeant, hæ ta„ men nihil prorsùs ad effectum inten„ tum deserviunt, vel saltem insufficientes „ sunt, & sic quædam signa, quæ ad *magiam* „ *superstitiosam* pertineant, adjungere co„ guntur. Quare meritò S. Augustinus *lib.*8 „ *cap.*19. *de Civit. Dei*, ait: *Omnia miracula Magorum*

,, *gorum doctrinis fiunt, & operibus Dæmonum*; ,, & Apulejus apud eumdem Augusti- ,, num: *Ad Dæmones pertinent divinationes* ,, *Augurum, Aruspicum, Vatum, atque Somnio-* ,, *rum, ab his quoque sunt miracula Magorum*: ,, & Lactantius *lib.2. divin. instit. cap.17.* di- ,, cit: *Inventa Dæmonum sunt Astrologia, Aruf-* ,, *picina, & Auguratio, & ipsa, quæ dicun-* ,, *tur Oracula, & Necromantia, & Ars magi-* ,, *ca.* ,,

25. Quæ præ oculis habeant Qualificatores propositionum, ut vigiles esse queant in illis qualificandis, quarum pravitas *superstitiosa* sic tegi potest, ut videatur per eas approbari, quæ naturali virtute effici valent, cum revera vanis, & perniciosis *superstitionibus* aditum aperiant. Ac utinam non adsint inter ipsos Catholicos, qui sub variis fucatis prætextibus Origenis discipuli in re esse glorientur! in quorum perpetuum dedecus claudere libeat *articulum* egregia impugnatione, qua Origenem confutavit *epist.2. pasch.* Theophilus Alexandrinus: *Confundatur Origenes inter cætera flagitiorum genera, quæ confingit, magicis quoque artibus patrocinium tribuens, qui in tractatibus suis, his locutus est verbis*: Ars magica non mihi videtur alicujus rei subsistentis vocabulum, sed & si sit, non est operis mali, nec quod haberi possit contemptui. *Hæc dicens utique fautorem se esse demonstrat Elimæ Magi, qui Apostolis repugnavit. & Jamnæ atque Mambræ, qui Moysi magicis artibus restiterunt. Sed nullas Origenis patrocinium habebit vires, quia Christus Magorum præstigias suo delevit adventu. Respondeat novæ impietatis Assertor, imò aperit audiat, si non est malum Ars magica, non erit malum, & Idololatria, quæ Artis magicæ viribus nititur. Quòd si malum est Idololatria, malum erit & Ars magica, ex qua subsistit Idololatria. Cùm autem Idololatria Christi majestate deleta sit, indicat & parentem suam Artem magicam secum pariter dissolutam; Propheta super hoc liquidò proclamante*: Ità nunc incantationibus tuis, & multis veneficiis tuis, quæ didicisti ab adolescentia tua, si potuerint prodesse tibi. *Cùm igitur hæc Prophetarum Scripta testentur, & nullus unquam ausus sit memoriæ prodere, Magorum artes inter optima quæque numerandas; leges quoque publicæ Magos, & Maleficos puniant; scire non possum, qua ratione impulsus Origenes, qui Christianum se jactat, Sedecbiæ Pseudo-Prophetæ æmulator existens, cornua sibi ferrea fecerit, quibus contra dogmata veritatis, armatus incedat, nec sapiat quicquam de cœlesti Hierusalem, neque imitetur Moysen, & Danielem, Petrumque, & alios Sanctos, qui contra Magos, & Incantatores, quasi in acie stantes, indefesso certamine dimicarunt.*

ARTICULUS XII.

An, & quomodò propositio superstitiosa *sit separabilis ab* hæretica, hæreticaliter blasphema, & suspecta de hæresi?

1. Egimus *art.præc.* potiùs de factis *superstitiosis*, seu de *superstitionibus* ipsis, quæ in factis potissimùm consistunt, quàm de propositionibus; quamvis id ipsum in ordine ad dignoscenda harum naturam, constitutivum, & quidditatem, directum fuerit, ut propterea non mirum, si ea pro dignitate pertractata non appareant, ad quod integer ferè tomus necessarius foret, sed ad sufficientiam, pro intenti finis consecutione, ut indè regulas Qualificatores desumerent, quibus possent *superstitiosæ* nota propositiones ea dignas afficere. Immediatiùs nunc de propositione ipsa *superstitiosa* fit sermo, dùm discutienda proponitur propositionis *superstitiosæ* separabilitas ab *hæretica, hæreticaliter blasphema, & suspecta de hæresi*: non tamen independenter à *superstitionibus*, de quibus pleraque adhuc sunt obiter subnectenda ad *hujus* & *præcedentis articuli* resolutiones conducentia. Ac ut accuratiùs procedamus, agendum priùs ducimus de propositione *superstitiosa*, qua promovetur cultus falsi Numinis, dein de propositione *superstitiosa*, qua cultus veri Dei indebito modo exercendus inducitur, & excitatur. Appositè autem de *separabilitate* quæstio movetur, non de *distinctione*, quam dari inter prædictas propositiones ex earumdem natura facillimè colligi potest, applicando servata proportione, quæ diximus *art.6.* pro distinctione propositionis *hæreticaliter blasphemæ* ab *hæretica*. Sicuti namque hæc constituitur per præcisam oppositionem revelatis, præscindendo omninò ab eo, quòd convicium contineat, illa verò à ratione convicii suam quidditatem desumit, & eatenùs altera ab altera distinguitur; licèt, quia prior *hæresim* semper involvit, ut sic dici queat *hæreticaliter blasphema*, indè sequatur quamlibet *hæreticaliter blasphemam* objectivè *hæreticam* esse; non tamen è contra. Ita in præsenti, propositio *superstitiosa*, cùm in suo formali conceptu non habeat importare *hæresim*, nec *convicium hæreticale*, nec æquivocationem continere, qua constituitur *suspecta de* ha-

hæresi, à qualibet harum distingui debet, quod ex dicendis lucidiùs apparebit.

2. Loquendo itaque de propositione *superstitiosa*, quæ promovet cultum falsi Numinis, vitari in primis debet æquivocatio, quæ sumi potest ex confusione *superstitionis* cum *propositione superstitiosa*; cujus naturam etsi ex illa eruendam dixerimus, non ideò, quæ *superstitioni* competunt, *propositioni superstitiosæ* sunt adaptanda, nisi debita circumspectione adhibita. Undè in *Idololatria*, quæ est potissima *superstitionis* species, erga falsa Numina, malitia sita est in ipso adorationis actu *Idolis* præstito, cùm tamen *propositionis superstitiosæ* pravitas consistat in doctrina, aut assertione, quæ cultum *Idololatricum* promoveat, licitum e.g. illum adstruens. Ex quo ulteriùs deducitur, quòd non valeat illatio à *superstitione* ad *propositionem superstitiosam*, quasi quòd, si illa *hæresim* non involvat, nec ista, si saltem sensus sit de *hæresi* non objectivè accepta, sed subjectivè, (De *hæresi* ad præsens loquor, prout cum *infidelitate* confunditur, præscindendo ab eo, quòd in homine baptizato, aut catechumeno illa habeatur). Tripliciter siquidem potest cultus falso Numini exhiberi, per *Idololatriam*, primò videlicet verè credendo Dæmonem esse Deum, & in hac hypothesi, indubium est Adorantem Idola *infidelem* esse, & *hæreticum*, non virtute adorationis præcisè, sed adorationis ex *infidelitate* ortæ. De qua scripsit 2.2. *qu.*94. *art.*3. *ad* 1. Aquinas; *Idololatria præsupponit interiorem infidelitatem, & adjicit exteriùs indebitum cultum*. Utrùm verò *infidelitas* dicta, semper sit formaliter talis, & in toto rigore culpabilis, vel quandoque esse queat merè *materialis*, aut ad minùs non omninò, & cum tota gravitate culpabilis? ab illa quæstione dependet, an in errore, quo quis credit Deorum multiplicitatem, admitti possit ignorantia invincibilis?

3. Aliis simpliciter negantibus, quòd autument tale crimen apertè adeò lumini naturæ repugnans, ut nulla dabilis sit excusatio sufficiens, ne Committenti imputetur. Aliis verò affirmantibus D. Thomæ innixis 2.2. *q.* 10. *art.*1. universaliter *infidelitatem* admittenti *secundùm puram negationem in illis, qui nihil audierunt de fide*, coque dictis motivo, quòd licèt Deus, ejusque Unitas possit lumine naturæ agnosci, non tamen tanta cum facilitate, ut doctrina, vel inquisitio sufficiens non requiratur, quæ cum possint non haberi absque hominis culpa, *infidelitas* erit materialis. Aliis distinguentibus *infideles*, qui aliqua præhabita Unius veri Dei cognitione, nihilominùs errant putando esse alios Deos, quibus impendendus sit cultus, & hos asserunt non excusandos ab *infidelitate* formali, qui, ut loquitur (*ad Rom.*1. 21.) Apostolus, *Cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, ipsa namque Unius veri Dei existimatio sufficiens sui natura est ad deceptionem illam tollendam, & proindè ad infirmandam quamlibet vim excusationis; & *infideles* ignorantes omninò Deum verum, & Unitatem ejus, excellentiamque supremi Numinis, quos subdunt excusandos, vel à culpa, vel à tanta culpa colendi plures Deos; quia si illa ignorantia culpabilis sit, non excusabit quidem culpam, tamen quatenùs ignorantia est, aliquatenùs illam imminuet: si verò contingat ignorantiam esse invincibilem, excusabit omninò culpam, ut ratiocinatur Suarez *lib.*2. *de superst. cap.*6. *n.*2. se remittens ad *materiam de fide*, in qua id ipsum ex professo expenditur. Ex quibus patet propositionem, *superstitionem* hujus generis excitantem non posse objectivè non continere *hæresim*, etiamsi hæc per accidens Pronuncianti possit non imputari, nec non esse *blasphemam*, utpotè quæ *idololatriam* promovet, de qua *in resp. ad* 2. Angelicus; *Idololatria includit magnam blasphemiam, in quantùm Deo subtrahitur dominii singularitas, & fidem opere impugnat*.

4. Secundò, potest quis *Idololatriæ* reus effici plures colendo Deos absque ulla in intellectu *infidelitate*, cum affectu tamen tribuendi divinum obsequium, ac cultum alteri à verò Deo. In qua hypothesi, etsi præsumi vehementissimè deberet *infidelis*, non tamen talis revera esset, utpotè qui ex pravo affectu, non ex erroneo intellectus judicio peccaret, & quidem peccato, in aliquo sensu graviori, quàm si ex *infidelitate* ortum duceret, videlicet ob majorem contemptum, & perniciosius mendacium, quod adesse dignoscitur ratione certæ scientiæ, & cognitionis Dei, quæ præsupponitur. Ad eum planè modum, quo Angelicus 2.2. *q.* 10. *art.*6. dixit, quòd *Hæretici, qui profitentur fidem Evangelii, & ei renituntur eam corrumpentes, graviùs peccant, quàm Judæi, qui fidem Evangelii nunquam susceperunt*. Non sic autem discurrendum de propositione *superstitiosa* eorum, qui, ut idem Angelicus *quæst.*94. *art.*2. *in corp.* refert, *putaverunt, quòd offerre Sacrificium, & alia ad latriam pertinentia, non solùm summo Deo, sed & aliis supradictis esset debitum, & per se bonum, & quòd cuilibet Superiori Naturæ divinam reverentiam exhibendam putabant* quasi

quasi Deo propinquiori, quæ opinio nedùm *superstitiosa* quomodolibet est, sed *blasphema hæreticalis*, immò & *hæretica*, ut ex ipsis terminis patet, & proindè *superstitiosa hæreticalis* dici potest, quæ ab *hæresi* objectivè, ad minùs nullo modo potest præscindere.

5. Tertiò potest *Idololatria* committi absque erroneo intellectus judicio, & absque pravo voluntatis affectu colendi creaturam, ut Deum, ac cum animo exhibendi dumtaxat externum adorationis signum, finè ulla intentione cultus. Et in hac, quamvis non habeatur vera *infidelitatis* ratio, sed præsumptiva, ut tetigit Augustinus *lib.6. de Civit.Dei cap.10.* de Seneca tanti criminis, ut mox videbimus, reo, dùm *eò damnabiliùs colebat Idola, quò illa, quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret*; continetur nihilominùs manifesta præcepti confessionis fidei transgressio. Cum enim sit confessio alterius Dei licèt ficta, eodem modo per consequens est exclusio veri Dei, nam duo simul omninò repugnant. Nec fictio illa aliud præstat, quàm reddere exteriorem cultum perniciosum importantem mendacium. Nam, inquit, *ibid.* Angelicus: *cùm exterior cultus sit signum interioris cultus, sicut est perniciosum mendacium, si quis verbis asserat contrarium ejus, quod per veram fidem tenet in corde, ita etiam est perniciosa falsitas, si quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod sentit in mente*: ad quod olim respiciens sanctissimus ille senex Eleazarus *2. Mach.6. 24.* præmitti elegit se potiùs velle in infernum, quàm tàm horrendum scelus committere: *Non enim ætati nostræ dignum est*, inquit, *fingere: ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transiisse ad vitam alienigenarum; & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus, decipiantur, & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram*. De doctrina autem, quæ in hujusmodi pernicioso facti mendacio culpam non agnoscat, id ipsum proferendum, quod de *propositione superstitiosa*: *num. præc.* discussa asseruimus, ex quo nullum assignari queat discrimen, ob quod & *hæretica*, & *blasphema* non sit inscribenda, dicète adversùs eam (*Matt.10.32*) Christo Domino: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est*. Quòd verò aliqui fuerint pessima hac doctrina infecti, *ibid.* exponit Aquinas: *Alii verò æstimaverunt latriæ cultum exteriorem non esse Idolis exhibendum tamquàm per se bonum, aut opportunum, sed tamquam vulgari consuetudini consonum, ut Augustinus* in 6. de Civit. Dei, *introducit Senecam dicentem*: Sic, *inquit*, adorabimus, ut & meminerimus hujusmodi cultum magis ad morem, quàm ad rem pertinere. *Et in lib.* de vera Relig. *Augustinus dicit, non esse Religionem à Philosophis quærendam, qui eadem Sacra recipiebant cum populis, & de suorum Deorum natura, ac summo Bono diversas, contrariasque sententias in scholis personabant; & hunc etiam errorem secuti sunt quidam Hæretici asserentes non esse periculosum, si quis persecutionis tempore deprehensus, exteriùs idola colat, dum tamen fidem in mente servet*.

6. Nec diversimodè videtur discurrendum de aliis *superstitionis* speciebus ad cultum falsi Dei pertinentibus, servata semper debita proportione. Etenim, cùm nulla ipsarum esse queat, per quam Dæmoni non tribuatur, quod est Dei proprium, clarum fit non posse non continere transgressionē præcepti cōfessionis fidei, sivè ex *infidelitate*, ipsa ortum ducat, sivè ex quocumque alio motivo. Undè sequitur quamlibet propositionem *superstitiosam*, quæ alicui ex hujusmodi *superstitionibus* faveat, licitas quomodolibet eas designans, necessariò esse *hæreticam*, & *blasphemam*, dummodò revera circa *superstitiones* formetur, quæ naturam *superstitionis* retineant, concurrentibus ad eas illis conditionibus, quarum vi, dicto nomine indigitantur, quòd semper imbibant implicitum, aut explicitum cum Dæmone pactum; à quo præscindi nequit, quoties aliquod observatur, non ut effectus, aut causa, quæ in se sit talis, sed tamquam signum, non tamen, quod sit à Deo acceptum, seu inspiratum. Ex quo Theologi communiter eruunt, *superstitiones* ejusmodi non malas esse, quia prohibitas, sed prohibitas, quia malas, respuentes errorem Rabbi David Kimchi, qui, ut refert Abulensis *1. Reg. 14. q. 4.* discrimen agnovit inter *auguria*, quæ observantur in animalibus, & aliis similibus, quæ fassus est censenda semper illicita, & quæ sumuntur ex verbis humanis, quæ somniavit non semper illicita, nullam differentiæ rationem assignans, quòd revera nequaquàm assignabilis esset.

7. Ad quorum omnium, nec non & dicendorum pleniorem intelligentiam, animadvertenda est divisio, quæ tradi communiter solet *superstitionum* in *hæreticales*, quæ dicuntur *qualificatæ*, & *simplices*, quibus Torreblanca *de Mag. lib.3, cap.7. num.1.* addidit *hæreticas*. Ipsum tamen, & Martinum Del Rio *lib.5. disquis. sect.15.* idem distin-ctionis

ctionis membrum approbantem, rectè impugnat Dandinus *De susp. de hær. cap. 2. sect. 5. num. 3.*, quòd sit omninò ab extrinseco desumptum, ab intentione videlicet Operantis, utpotè qui verè credat Idolis e. g. sacrificia offerenda, ad indicata *num. 3.* Et quidèm si in *blasphemiis* non admittuntur, nisi *hæreticales*, & *simplices*, fortiùs rejicienda est quælibet alia divisio in *superstitionibus*; quæ, cùm potissimùm consistant in factis, minùs capaces redduntur denominationis *hæreticæ*, quæ propositionum est propria, ex firmatis *c. 2. art. 1.* ac idcircò in *blasphemiis*, utpotè consistentibus in verbis, non in factis, nisi minùs propriè, ut observavimus *c. 6. art. 5. n. 7. 8.* potest *hæresis* objectiva reperiri, quoties præsertim sunt indicativè formatæ, non verò ut plurimùm saltem in *superstitionibus*, quæ in factis regulariter sunt sitæ. Et nihilominus *blasphemiæ* non dicuntur *hæreticæ*, sed *hæreticales*, ad æquivocationem tollendam, quæ indè posset insurgere designandi per Tò *hæreticæ* Operantis animum verè *hæresi* infectum. Ac ulterior ratio esse potest, quòd *blasphemia* ex suo primario conceptu convicium importet, non verò difformitatem à Prima Veritate revelante, ob quod propositiones *hæreticas* distingui à *blasphemiis hæreticalibus* vidimus *c. 6. art. 6.* Cęterùm nulla in re de hoc esse potest quęstio, utpotè, quæ ex solo hominum usu pendeat, quibus si placeat *superstitiones hæreticas* dicere, quæ ex Operantis *infidelitate* ortum habent, neutiquàm in hujus assertionis impugnatione est immorandum, quæ aliàs cohærere potest iis, quæ innuimus *num. 2. & 3.*

8. *Superstitiones* itaque *hæreticales* definit laudatus Dandinus *num. 4.* quæ sapiunt *hæresim*, & è contra *non hæreticales*, quæ nullam sapiunt *hęresim*, illas subdens haberi, quoties, vel adest pactum expressum cum Dæmone, vel invocatur Dæmon ad ea, quæ solius Dei sunt propria, vel tribuitur Dæmoni latriæ, aut duliæ cultus, vel fiunt cum abusu Sacramentorum, & Sacramentalium. Has verò in cæteris vanis observantiis ad scienda futura, vel ex inspectione syderum, vel alio modo absque expressa Dæmonis invocatione, ac in quibuslibet rebus spiritualibus, oratione videlicet, abstinentia, jejunio &c. etiam ad effectum bonum adhibitis cum quibusdam vanis circumstantiis. Monere autem *num. 8.* non negligit ,, hoc unicum discrimen intercedere inter *superstitionem hæreticalem*, & *non hæreticalem*, quòd illa suspicionem vehementem, hæc verò levem inducit, sicut antea insinuavimus, & probat Bordonus *in Sac. Trib. cap. 18. à num. 24. & seqq.* & præcipuè *num. 27.* Ideoque quamvis *superstitionem* ex eo dici *hæreticalem*, quia inducit suspicionem *hæresis*, doceat Saura *in vot. Plat. de prop. hæret. cap. 6. fol. 15. versic.* propositio *suspecta de hæresi* ,, (ubi tamen de *superstitione* revera non agit, nec ad Dandini intentum loqui videtur) ,, & colligitur ex *cap.* Accusatus §. Ille *verò*, (*sanè*, dicendum videtur) *de hær. in 6.* hoc non ita intelligendum est, ut *superstitio*, quæ non est *hæreticalis*, non inducat *hæresis* suspicionem. Veritati enim nititur hæc sententia ad excludendum, quòd propositio *hæreticalis* (de qua ibi est sermo) continere debeat *hæresim formalem*, cùm etiam possit eam non continere, sed tantummodò ejus suspicionem, non autem ad excludendum, quòd quæ non est *hæreticalis*, non possit inducere suspicionem *hæresis* ,, An verò in toto hoc discursu, cohæreat ad invicem, quòd ex una parte *superstitiones hæreticales* definiendæ veniant, ,, quæ *nullam* sapiunt *hæresim* ,, non quæ vehementem dumtaxat non sapiunt *hæresim*, quodque ,, hodiè per *Bullam* Sixti V. *contra Sortilegos*, Inquisitores possunt procedere contra omnia genera *superstitionum* & *sortilegia*, in quibus *ut plurimùm* semper est admixtum aliquid *hæresim* sapiens: ,, ex altera verò hoc *unicum* discrimen sit admittendum inter *superstitionem hæreticalem*, & *non hæreticalem*, quòd illa vehementem, ista levem *hæresis* suspicionem inducat, aliis judicandum relinquimus.

9. In qualibet autem *superstitione* contineri *hæresis* suspicionem verè à Bordono docetur, nedùm *in Sac. Trib.*, sed & quòad *sortilegia* clariùs *in app. 2. posth. ad manual. Consult. cap. 8.* ubi *num. 1.* movetur præsertim, quòd nullum *sortilegium* esse queat, in quo Dæmon partem suam non habeat, undè *c.* Episcopi 12. *q.* 5. Episcopis imponitur *elaborare, ut perniciosam, & à Diabolo inventam sortilegam, & magicam artem ex Parochiis suis penitùs traducant*; & infra: *A' Diabolo captivi tenentur, qui relicto Creatore suo Diaboli suffragia quærunt*; & propè finem: *Qui talia, & his similia credit, fidem perdit, & qui fidem rectam in Domino non habet, hic non est ejus, sed illius, in quem credit, idest Diaboli*. Nec aliter (*c.* Nec mirum) loquitur Augustinus. *In quibus omnibus sortilegiis Ars Dæmonum est, ex quadam pestifera societate Hominum, & Angelorum malorum exorta*: ,, Nullus ergo, (subdit Bordonus) dubitare debet, quin omne *sortilegium* ad minus includat aliquam *hæresis* suspicionem,

„ nem, quando non constat de formali *heresis* contra fidem, ex quo *sortilegium* nuncupatur *hæreticale*, non *heresis* „ Accedente ad id comprobandum authoritate Alexandri IV. Rom. Pont. *num. præc.* indicata ex *cap.* Accusatus *de hær. in* 6. & *art.* 3. *num.* 2. extensa, statuentis, quòd Inquisitores de *divinationibus*, aut *sortilegiis* (nisi *heresim sapere manifestè*) intromittere se non debent, & consequenter innuentis, admittendas equidem *divinationes*, & *sortilegia*, quæ *manifestè*, & quæ non *manifestè* sapiunt *heresim*, non verò, quæ absolutè, & simpliciter omnem *heresis* suspicionem excludant.

10. Cohærenter autem ad doctrinam, qua conciliavimus oppositas opiniones quòad *blasphemias hereticales*, & *simplices*, admittendo in omnibus falsitatem, non tamen, quæ æquè, & semper inducat suspicionem *hæretici* Proferentis animi; possumus & ad præsens dissidentes sententias concordare, dicendo, quòd *superstitiones* ad falsi Dei cultum spectantes, de quibus hactenùs est habitus potissimùm sermo, aliæ sunt, quæ manifestè sapiunt *heresim*, aliæ, quæ non manifestè illam important, aliæ quæ nullam ingerunt. Per quam divisionem minimè significare intendimus, quòd dari re ipsa queat *superstitio* hujusmodi, in qua pactum explicitum, aut implicitum non interveniat, quod de ratione *superstitionis* cùm sit, non potest quidditas ipsius consistere, quin pactum illud intersit. Solùm idcircò insinuare volumus, quòd cum suspicio *heresis*, relativè ad Proferentem sit desumenda, dari re ipsa possit *superstitio*, quæ licèt in se societatem cum Dæmone involvat, non ideò tamen ingerit suspicionem de *hæretico* Patrantis animo.

11. Manifestè itaque *heresis* suspicionem inducunt, quæ vel expressè illam enunciant, vel tantam, adeòque claram, & evidentem deformitatem præseferunt, ut Patrans nulla queat tergiversatione excusari, nec per quemlibet protestationis prætextum credi, quòd illis inhærens, animum Catholicum verè retinuerit. Expressa autem enunciatio *heresis* habetur, quoties quis in *superstitionibus* adhibet verba, quæ *heresim* indicativè continent, qualem habet *in Sac. Trib. cap.* 18. *num.* 39. Bordonus, *superstitionem*, qua quis ægrotum aliquem curare tentaret, dicendo, *Si N. N. Sanctus est*, *vel Beatus*, *liberet Te Deus per illius intercessionem*; quia in hypothesi à nobis propugnata supra *c.* 2. *art.* 13. *à n.* 40. juxta quam loquitur, quod nempè fide divina credi debeat N. N. ritè canonizatum esse Sanctum, patet nonnisi ex hæretico animo ortum ducere dubietatem illam, *Si Sanctus est*, cùm constet ex traditis *c.* 4. *art.* 8. *à n.* 13. æquè *infidelem* esse, qui fidei objectum negat, ac qui de eo ullatenùs dubitat. Quod fortiùs verificaretur, si prædicta conditionalis formaretur contra aliquod mysterium ab universis Christi Fidelibus habitum, ut fide divina indubitanter tenendum, puta si quis diceret: *Si Deipara est Virgo, liberet Te Deus per illius intercessionem.*

12. Nec minùs evidens fit *heresis* suspicio, quoties actio ipsa *superstitiosa* talem deformitatem involvit, ut nonnisi ex *hæretico* corde putari queat rationabiliter eruta. Neque enim qui solis verbis indicat se Christum negare, *hereticus* est reputandus, sed, & qui factis id ipsum demonstrat, cùm præsertim ex circumstantiis constet facta illa posita esse tamquàm signa exprimentia intentionem, quæ intùs latet. Cujus generis sub Juliano Apostata erat immolatorum Diis manducatio, per quam impius Apostata Christi Asseclas ad *Idololatras* trahere conabatur, ut refert Nectarius Episcopus Constantinopolitanus *in oratione jejunii quadragesimalis*.

13. Manifestam hanc *heresis* suspicionem ex *ibidem* per Suarium, & Dandinum traditis inducit abusus Sacramentorum, & Sacramentalium. Cùm namque hæc specialiter sint à Christo Domino, vel Ecclesia per potestatem à Christo acceptam instituta ad supernaturalem hominis beatitudinem consequendam, & specialiter proindè consecrata, non videtur posse in contrarium omninò finem converti, quin id Faciens se reddat *heresis* latentis manifestè suspectum. Puta si quis baptizaret aliquod bapstismi incapax, equum, canem, lapidem &c. si in *sortilegio* adhiberet Hostiam consecratam, (quod & nonnulli extendunt ad non consecratam, sivè quia ad id sufficiens habeant illam esse institutam materiam Sacramenti Eucharistiæ, sivè ob Redemptoris imaginem in ea expressam, ut videre est apud Bordonum *cit. cap.* 8. *num.* 15.) vel Oleum sanctum, quod est materia Sacramenti Extremæ Unctionis per Episcopum jam benedicta, vel aliquid aliud simile, sivè ad Sacramenta constituenda sub aliqua saltem Sacerdotali benedictione concurrens, aut sub hujusmodi respectu expressè ad *superstitionem* adhibitum, sivè ad Sacramentalia spectans, quæ illo contenta versu: *Orans, Tingens, Edens, Confessio, Dans, Benedicens*, explicat idem Bordonus *in* 1. *app. ad manual.*

Consult.

Consult. de blasph. casu 28. *num.* 11., & in 2. *de fortil. cap.* 8. *à num.* 22., alia dein in eumdem finem extendens exempla. Ac idcircò nulla adhibenda fides Umberto Locato (*in prax. Inqu. verbo* Sacerdos) & Campegio *in add. ad Zanchinum cap.* 22. *litt. C. in verb.* Inquis. *verf.* Pro his intelligendis *in fine*, docentibus quòd *fortilegium*, in quo facrum Oleum mifcetur, non fapiat *hæresim*, nifi imploretur auxilium Dæmonis ad ea, quæ de fui natura facere non poteft. Ac jure meritò in eos infurgit Diana *p.* 4. *tract.* 8. *resol.* 13. cum communi DD. fententia, è quibus refert Riccium, Del Rium, Torreblancam, Pennam, Genuenfem Raphaelem De la Torre, & Authorem *Lucernæ Inquifitorum*, cujus etiam verba tranfcribit.

14. Sufpicionem verò non manifeftam fubjungit à *num.* 37. haberi in cæteris *fuperftitionibus*, aut *fortilegiis*, in quibus nec expreffa Dæmonis invocatio, nec ullus interveniat Sacramentorum, aut Sacramentalium, ipfifque affinium abufus; uti cum quis vel divinat per artem *Chyromantiæ* ex manuum lineamentis, vel imaginibus cereis, aut fimilis materiæ in maleficiis utitur, vel fanare curat morbos, aut vulnera cum offibus mortuorum, vel futura per *Aftrologiam* audet prædicere. Quæ aliaque hujus furfuris olim non fubdebantur Tribunali S. Inquifitionis ad præfcriptum Alexandri IV. de quo *num.* 8. & 9. relatè ad *art.* 3. *num.* 2. nunc verò ad illud prorsùs pertinent, ut *ibidem* ex Sixti V. *Conftitutione* indicavimus ampliantis Inquifitorum authoritatem ad omnes *divinationum*, & *fortilegiorum* fpecies. Quod adhuc an intelligi debeat de omnibus manifeftè, aut non manifeftè *hærefis* involventibus fufpicionem, vel etiam de omnibus nec quidem exclufis, quæ nullum important hujufmodi faporem? certa non extat Theologorum mens, dùm alii affirmativam, alii negativam tuentur.

15. Negativam propugnandam infinuat Suarez *lib.* 2. *de fuperft. cap.* 19. *num.* 11., dum poft factam mentionem ampliatæ jurifdictionis prædictæ per Sixtum V. ut procedere queant *etiam quoad cafus, in quibus antea procedere non valebant*, fubjungit „ Si „ verò fit pura *fuperftitio* finè expreffa fufpi„ cione *hærefis*, non pertinet ad Inquifito„ res, ut *cap.* Accufatus §. Sanè *de hær. in* „ 6. ordinatur, & tunc cenfetur commu„ niter effe mixti fori, nifi ratione Perfonæ „ ad Judicem tantùm Ecclefiafticum per„ tineat. „ Affirmativam fuftinet Dandinus *de fufp. de hær. cap.* 2. *Sect.* 5. *num.* 6. citans Mouram *cap.* 1. *fect.* 3. *num.* 7. *& feq.* fupponit inhærentem Suario, eumque ac Thomam del Bene malè opinatos affeirit, quin tamen proprium mentem nitidè omninò aperiat, ut fequentia expendenti facilè patebit: „ Qua propter malè opinatus „ eft Suarez, cui adftipulatur Del Bene, „ *fuperftitiones* fcilicet *fimplices*, & *non qua*„ *lificatas* non poffe cognofci à Sacra In„ quifitione. Etenim licèt de ipfis non „ cognofcant Inquifitores, quoties fint re„ vera *fimplices*, quod fummè rarò accidit, „ prout teftatur Moura *ibid. num.* 8. & ad„ notat Del Bene *de off. Inquif. p.* 2. *dub.* 195. „ *fect.* 70. *num.* 4. poffunt tamen de ipfis co„ gnofcere, quicquid dicat idem Moura „ *ibid.* Suarez opinioni fe fubfcribens in „ illis *fuperftitionibus* nullo modo fpecificè „ *hærefim* fapientibus; quoniam antiquitùs „ Inquifitores habebant jurifdictionem re„ ftrictam in *fuperftitione*, quæ *hærefim* ma„ nifeftè faperet; hodiè verò per *Bullam* „ Sixti V. *contra fortilegos*, Inquifitores pof„ funt procedere contra omnia genera *fu*„ *perftitionum*, & *fortilegiorum*, in quibus „ ut plurimùm femper eft admixtum ali„ quid *hærefim* fapiens. „ Si autem *contra omnia genera*, quomodò *de ipfis non cognofcunt Inquifitores, quoties fint revera fimplices*? At fortè fenfus ipfius eft, quòd cognofcere omnia quidem poffunt, non tamen punire, quoties repererint verè *fimplices*, fed puniendas remittere ad Judices competentes, vel cum monitionibus, & pœnitentiis falutaribus expedire, ut innuemus *num.* 17.

16. Benè autem refertur pro negativa Del Bene, qui tamen non omninò adftipulatur Suarez, quem fentire ex relatis verbis innuit Inquifitores nec poffe fe intromittere in *fuperftitionibus* non manifeftè *hærefim* fapientibus, quod certè meritò fupponit repugnans adductis *Sixtinæ Bullæ* particulis, fed folùm quoad *fuperftitiones* puras, quæ fcilicet nullo modo *hærefim* fapiant, licèt hæ rariffimæ fint. Quæ autem fit feligenda opinio? non ex alio deducendum capite efficaciùs, quàm ex praxi Supremæ Romanæ, & Univerfalis Inquifitionis, quam eas non cognofcere teftatur Cardinalis Albitius *de inconft. in fide p.* 1. *cap.* 32. *præfertim num.* 105.

17. Quinimò Author hic praxis prædictæ peritiffimus, ulteriùs videtur procedere. Præmiffo enim *num.* 95. quòd in Suprema Romana Inquifitione non admittatur alia diftinctio *fortilegiorum*, nifi quòd funt, aut *hæ-*

hæreticalia? id est *hæresim* sapientia, quæ *qualificata* vocamus, & non *hæreticalia*, idest nullam *hæresim* sapientia, quæ *simplicia* appellamus; dein *num*, 102. advertit Sacram Congregationem non solere (quamvis post vigore *Sixtinæ*) procedere contra *sortile*, *gos*, si *sortilegia simplicia* sint, & non *qualificata*, vel non sint commixta cum *qualificatis*: subditque sub *die* 28. *Novembris* 1595., nempè decem post annos ab emanatione *Bullæ Sixtinæ* scriptum fuisse Legato Avenionensi; „ Non placere Sanctissimo, quòd Inquisi„ tores procedant in causis *sortilegiorum*, „ nisi sapiant *hæresim manifestè* „ Quod, si ut jacet, verum esset, dicendum foret *Constitutionem* prædictam suum non fuisse effectum in actu secundo sortitam; cùm tamen constet, eam *Kalendis Aprilis* 1631. fuisse approbatam, confirmatam, & innovatam ab Urbano VIII. in sua *Constitut. incip. Inscrutabilis judiciorum Dei*; Ac propterea de aliqua æquivocatione latente in doctissimi viri testimonio valdè suspicor. Attento præcipuè, quòd *num*. 109. Judices sæculares moneat benè facere, si *simplicibus superstitionibus*, non se intromittant, cùm ferè nun„ quam sint immunes à suspicione *hæresis*, „ ob pactum saltem tacitum cum Dæmone, „ quod non potest cognosci, nisi ab Inqui„ sitoribus;„ & *n*. 196. prædictum *caput* concludat, „ Adverte tamen, ne decipiaris, „ quòd abjuratio de levi tunc datur, quan„ do *sortilegia* sunt talia, quæ licèt non sa„ piant *hæresim manifestè*, continent tamen „ aliquam suspicionem *hæresis*, saltem res„ pectu pacti impliciti cum Dæmone; aliàs, „ si essent *sortilegia* hujusmodi qualitate ca„ rentia, vel *simplices superstitiones*, tunc non „ indicitur abjuratio de levi, sed tales ex„ pediuntur cum monitionibus, & pœni„ tentiis salutaribus.„ Idcircò salvo Sapientiorum judicio, debitoque servato obsequio erga Sacrum Tribunal, cui totum opus, & me ipsum subjicio, fortè non improbabiliter dici posset, Tò sapere *hæresim manifestè*, post *Sixtinam Constitutionem* non in eodem sumi sensu, ac sumebatur ante illam. Adeout discrimen inter *Alexandrinam*, & *Sixtinam Sanctiones*, quatum prior Inquisitorum facultates perstringit, posterior ampliat, non tàm positum sit in denominatione *manifesti*, vel *non manifesti* saporis *hæresis*, quàm in eo, quòd post Sixtinam relatè ad ampliatā Inquisitorum jurisdictionem, pro *manifestè* sapientibus *hæresim* habeantur, quæ ante ipsam talia non censebantur. In qua hypothesi benè supponitur displicuisse Romano Pontifici, quòd Inquisitores procederent in iis, quæ *hæresim manifestè* non saperent, prout Tò *manifestè* ita sit exclusivum cujuslibet nedum expressi, sed & impliciti pacti cum Dæmone, ut nullum habeatur signum prudenter judicandi ex erroneo intellectus judicio ortum illa duxisse. Dubiumque mihi non manet, quòd si totum Sacræ Congregationis rescriptum retulisset Albicius, ex eo clarissimè deduceretur, quid præcisè sit in hac materia sentiendum? quæ ni fallor, distinctiùs interim discutitur per triplicem adhibitam *superstitionum* divisionem. E quibus:

18. Rarissimas sanè esse *superstitiones*, præsertim ad falsi Dei cultum ullo modo spectantes, quæ aliquam ad minùs suspicionem non inducant, optimè notatum à Del Bene, indicant, quæ tetigimus *art*. 3. *num*. 2. asserentes *nusquam*, *aut ferè nusquam* id in praxi contingere, juxtà quam restrictionem accipiendum, quod *ibid*. subjungimus, *semper* reperiri in ipsis aliquam fidei jacturam &c. Nec nisi cum difficultate dari potest universalis regula, qua dignosci queant puræ *superstitiones* absque suspicione *hæresis*, neque nempè manifesta, neque non manifesta. Illa enim, quam innuit Suarez *ibid*. relatus, videtur moderatione indigens, & maximè quoad illas particulas, *præsertim si pactum non sit expressum*, ac si dari queat *superstitio* pactum expressum cum Dæmone importans, in qua nihilominùs *cesset dicta suspicio*, quod non adeò facilè est admittendum. Ideòque per *superstitiones simplices*, nullamque importantes *hæresis* suspicionem, illas potiùs intelligendas ex nuper indicatis putarem, in quibus adeò latens habeatur venenum societatis cum Dæmone, ut formari non queat probabile judicium, quantumvis levis suspicionis *hæresis*, in Patrantes illas, aliis præsertim circumstantiis concurrentibus, quæ prædictos verè pios, sanæque mentis cogunt haberi. Et fortè à vero non aberraret, qui diceret *superstitiones simplices*, nullamque importantes *hæresis* suspicionem, eas esse, quæ quamquam ex sua natura possent *non manifestam* levem aliquam *suspicionem* inducere, nihilominùs attentis, & in contrarium prævalentibus Personarum, Loci, Temporis, & id genus affinibus conjecturis, levis illa *suspicio* penitùs extincta manet, æquè ac si in se nequaquàm adesset.

19. Quod longè potiori jure locum habet, quoties actio ipsa non ratione circumstantiarum præcisè, sed ex natura sua ha-

beat animi pervicaciam manifestare, ut evenit in omnium gravissima *superstitionum* specie, seu *Idololatria*, per quam Divinitas Dæmoni adscribitur. Et licèt dari ipsa queat solùm extrinsecè, & absque eò quòd Dæmonem Adorans credat in eo esse supremi Numinis notionem, non indè tamen sequitur, quòd sui natura *manifestè* non reddat sui Authorem de *hæresi*, seu *infidelitate* suspectum. Hoc solo discrimine, quòd, quandoque circumstantiæ suspicionem imminuere valent, ut vim illam non habeant, qua sui natura potiuntur, ad pravitatem interiorem inferendam: puta, si quis ad tantum patrandum scelus induceretur metu mortis, & pœnarum, ut propterea censeri possit *Idololatra* dumtaxat externus. Quod tamen non facere, ut inter *manifestè* suspectos *de hæresi* non sit recensendus, putat Bordonus *in 2.app.ad Manual.cap.1.de fortil. n.20. & 21.* motus, quia spontaneus *Idololatra*, qui scilicet nullo metu inductus Idolis sacrificat, non tàm suspectus *de hæresi*, quàm *formaliter* sit dicendus *hæreticus*. „Non enim „ aliud motivum intellectus Prudentis habere potest, nisi illationem *hæresis* formalis, ex quo spontè se immiscuit circa „ actus *superstitiosos* „ qui solam *hæresim* necessariò indicant. Coactus verò colere Idolum præsumitur vehementer suspectus de *hæresi*, non verò judicandus est *formaliter hæreticus*, quia actus *superstitiosi* ab eo perpetrati, censentur facti ad evitandam mortem, non verò ad adorandum Idolum, nec ad credendum illud esse verum Deum dicto Latriæ honore dignum.

20. Ad hujus autem generis *superstitiones*, *manifestam* nempè de *hæresi* suspicionem continentes dignoscendas, non parùm juvare possunt regulæ ex Suario excerptæ *art.3. n.2.* Nec non & quæ indicavimus ex Dandino *num.8.* quibuscum cohærens, non sine aliquali ampliatione Bordonus, expressam Dæmonis invocationem signum ad id sufficiens reputat *cap.8. à num.6.* etiamsi nullus in ea admixtus sit Dæmonis cultus, & etiamsi non indicativè, aut deprecativè, sed interveniat imperativè. Quod à plerisque negatur, putantibus invocationem Dæmonis imperativam non esse aptam ad *manifestam hæresis suspicionem*, quos tamen ipsemet rejicit *cap.3. sect.2.* pro se referens Farinacium *q.181.num.88.* Bartol. Spina *apolog.4. contr. Ponzibinium*, Dianam *par.4.tract.7.resol. 10.* Alberghinum *cap.18.sect.3.§.8.num.6.* Victoriam *relect. de Magia n.20.* Sanchez *lib.2. in Decal.cap.41.n.17., & cap.42.n.19.* Suarez *de superst, cap.18. num.8.* & Castropalaum *par.3. tract.17. disp.1.q.12. num.8.* qua tamen fide, ipse videat: neque enim ab aliquibus saltem, quos legi, aliud asseri videtur, quàm, quòd adjuratio imperativa sit illicita, de quo esse nequit controversia ulla. Non quidem, si ea fiat ab Ecclesiæ Ministris, arcendo Dæmones, tamquàm hostes, ne hominibus spiritualiter, aut corporaliter noceant. Indubium namque est Ecclesiam habere specialem potestatem à Christo datam in Dæmones ad imperandum illis, eosque coercendos, sivè expellendos, juxta illud (*Lucæ 10.17.*) *Domine etiam Dæmonia subjiciuntur nobis in Nomine tuo*, & (*Marc.ult.17.*) *In Nomine meo Dæmonia ejicient*, per quam idoneos ad hujusmodi imperium exercendum instituit exorcismos, quorum vim ab Hæterodoxorum calumniis tuentur Valentia *2.2. disp.6. q.8.punct.2.* Bellarminus *de Sacr. lib.1.c.25.in sexta cæremonia.* Suarez *tom.3.in 3.p.q.65.art.4 disp.15.sect.4.* Thyræus de Dæmoniacis *toto cap.33.* apud Sanchez *tom.1. in Decal. lib.2. cap.42. num.15.* ubi monet, quòd licèt per eos à Dæmone non petatur, ut exeat, vel nocere desinat in Dei gloriam, & ob ejus dominii obsequium, ac reverentiam, quod adjurationis ratio exigeret; adhùc adjurari dicuntur propter quamdam analogiam, in hoc sitam, quòd sicuti dum homines adjuramus, eos inducimus, ut in obsequium Divini Nominis aliquod efficiant, aut caveant, ita & Dæmones per Divinam virtutem, & potestatem sacris Ministris concessam recedere compelluntur. *Possumus ergo* inquit *2.2. q.90. art.2. in corp.* Angelicus, *Dæmones adjurando per virtutem Divini Nominis, tamquam inimicos repellere, ne nobis noceant spiritualiter, vel corporaliter, secundùm potestatem Divinam datam à Christo. Secundùm illud* (*Lucæ 10.19.*) Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra Serpentes, & Scorpiones, & supra omnem virtutem Inimici, & nihil vobis nocebit. Sed, si fiat seclusa penitùs Divina virtute.

21. Quoniam, ut expendit Suarez *cit. cap.18. num.8.* mortalis homo non potest cogere unum Dæmonem, nisi alterius ope, ac proindè non nisi per pactum cum alio Dæmone superiori, qui vires habet inferiorem cogendi; & eatenùs, non nisi per artem *magicam*, quæ licita esse neutiquam potest: *Non tamen*, subdit idcircò *ibid.* Angelicus, *licitum est eos adjurare ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum, quia hoc pertineret ad aliquam societatem cum ipsis habendam; nisi fortè ex speciali instin-*

instinctu, vel revelatione Divina, aliqui Sancti ad aliquos effectus, Dæmonum operatione utantur, sicut legitur de Beato Jacobo, quòd per Dæmonem fecit Hermogenem ad se adduci. Ex quo itidem infert *citatus* Bordonus *à num.*11. quòd adjuratio ipsa imperativa, palliata quidem est sub imperii nomine, cum revera sit deprecativa ,, Nam Dæmon juxta petitionem ,, imperativam, fingit se obedire, dum ,, servit homini, eo tantùm fine, ut illum ,, decipiat, ut benè D. Augustinus *tom.*5. ,, *lib.*2. *de Civ. Dei cap.*10. inquit, *qui huma-* ,, *nis erroribus gaudent, pro quibus etiam se co-* ,, *lendos mille nocendi, fallendique artibus in-* ,, *terponunt*: Idem ait, (*tom.*10. *Serm.*234. ,, *de temp.*) *Nemo est astutior Diabolo falsa cri-* ,, *mina ad confingendum*. Fingit ergo Dæ- ,, mon se hominis servum, & subditum, ,, non, ut illi obediat, sed ut per servitium ,, petitum decipiat, undè de *sortilego* im- ,, perante dici potest illud Evangelii *Matt.* ,, 20. 26. *Qui vult esse Dominus, sit servus*, ,, apud Chrysologum (*Serm.*114. *num.*15.) ,, Qui imperando Diabolo, de Domino fit ,, servus, & sic honorat, cui imperat, dum ,, ex servitio recepto obligatur, factus ser- ,, vus ex illo imperio ficto.

22. Clariusque id ipsum evincitur ex indicato pacto cum Dæmone superiori, respectu cujus non imperativè se gerit inferiores Dæmones Adjurans, sed deprecativè illius auxilium implicitè saltem postulando, ut eo fretus, possit cæteris imperare. Totum autem hoc non adeò clarè concludit *manifestam hæresis* suspicionem, de qua est sermo, nec evidentem reddit Bordoni illationem: (*num.*17.) *sapit manifestè hæresim, cùm virtualiter factum sit ex invocatione deprecativa*, quòd respondere quis posset, indè dumtaxat inferendam esse *Superstitionem* virtualiter *hæreticalem*, ad eum planè modum, quo *art.*8. *num.*6. ratiocinati sumus de *blasphemiis* imperativè, aut optativè prolatis, quæ licèt contineant falsitatem fidei contrariam, non ideò tamen sunt eo ipso *hæreticales*, nisi virtualiter; cum nempè taliter pronunciantur, ut ex circumstantiis deducendum veniat, ex prævio erroneo judicio originem ducere. Ac eatenùs non improbabiliter alii *manifestam hæresis* suspicionem adesse negant in adjuratione imperativa; quos inter Bordonus ipse recenset Pennam *p.*2. *com.*68. *vers.* verùm *plurimùm*. Riccium *p.*1. *resol.*434. *num.*11. Carenam *p.*2. *tit.*12. *num.*63. alios pro se referentem, qui apud eum percurri poterunt.

23. Deveniendo jam ad propositiones *superstitiosas*, pro quarum notitia hucusque expensa produximus, patet inseparabiles eas esse à nota *hæresis*, & *blasphemia*, quæ proindè *hæreticalis* inscribi debet. Sive enim modaliter concipiantur, honestum, & licitum asserendo explicatis *superstitionibus* uti, quæ à pacto cum Dæmone non possunt præscindere; sivè absolutè indicando in ipsis involvi virtutem præstandi effectus, qui totius naturæ vires excedant: sivè innuendo ad Dæmones recurri posse pro obtinendis effectibus intra eorumdem potentiæ limites contentis: semper extat in Creatorem injuria, dùm cultus ipsi debitus Dæmonibus tribuitur, & ideò propositio hujus furfuris semper erit *blasphema*. Nec poterit non esse *hæreticalis*, dum approbativa, ut minimùm supponitur, & quidem non per solius volũtatis affectum, sed per intellectus judicium, recursus habendi ad Dæmonem. In quo, apertum est discrimen inter *superstitionem* ipsam, & propositionem *superstitiosam*, quòd *superstitio* potest non designare *hæresim* manifestam, uti fi, ad probabiliter tradita *num. præc.* modo imperativo fieret adjuratio Dæmonum, per quem non indicatur clarè animus Adjurantis in toto rigore *hæreticus*, seu *infidelis*. Quicquid in contrarium habeat Diana meus sapientissimus concivis *p.*4. *tract.*7. *resol.*10. ridiculam appellans distinctionem invocationis Dæmonum deprecativæ, & imperativæ. Cùm, etiam transmisso id locum habere in ordine ad eximendam *superstitionem* à quacumque *hæreticali*, sivè propria ea sit, sivè minus rigorosa, denominatione, non tamen, ut excludatur solummodò manifestus *hæresis* sapor, evidensque suspicio. Ad hoc namque, cohærenter ad hucusque expensa, requiritur, nedùm, quòd ex *superstitione* possit quomodocumquè *hæreticus* Patrantis animus dignosci, sed quòd ità exprimatur sivè verbis, sivè factis, ut nullatenus valeat excusari: adeout, si talis non sit, id per accidens omninò contingeret, ex quo aliàs talis clarissimè demonstretur. Hanc esse opinionem communiùs receptam ostendunt Doctores, quos ipsemet pro ea citat, & fassus est Farinacius in retractatione, quam facit de dicta opinione in sui patrocinium à laudato Viro *ibid.* inserta, ex cujus verbis nec quidem manifesta *hæresis* suspicio stabilitur, sed qualitas *hæreticalis* simpliciter, quæ adhùc concessa, non omninò probabilitati nostri discursus repugnat. Quo admisso, non ideò potest eadem reflexio fieri de propositione *superstitiosa*, quæ vel per solam prædicti ad

Dæmonem recursus approbationem, innuit Approbantem ita revera sentire: & quamvis in re talis non sit ipsius intentio, talis nihilominùs esse ostenditur, quæ est sufficiens ratio, ut propositio *superstitiosa* sit *blasphema hæreticalis*, ac ut dicatur *hæretica* objectivè, si præsertim approbatio sit modalis, quod ad intentum est satis.

24. In cujus corroborationem faciunt verba *Apostol. liter.* Sixti IV. incipien.: *Nuntiatum est Nobis*, quæ habetur ad *calcem Directorii Inquisit.*, ex quibus etsi non defuerint, qui *hæreticum* minimè inferri posse dixerint eum, qui Dæmonum responsa expectat, sed *scandalosum* dumtaxat, seu generantem *scandala*, ut ex Farinacio *quæst.* 181. *num.*75. refert Bordonus *in 2. append. cap.3. sect.2. num.*30. *& seq.* Clara nihilominùs est illatio in oppositum, ut ipsemet notat, si advertatur, *scandala* exorta à Romano Pontifice affirmari, non ex eo, quòd ab aliquibus Dæmonum expectarentur responsa, sed ex assertione ipsa, qua dicebatur, *hæreticum* non esse Dæmonum expectare responsa; *Nuntiatum est Nobis Nonnullos asserere, non esse hæreticum, & à puritate fidei alienum, Dæmonum expectare responsa, ob quod adversùs ipsius fidei puritatem scandala multa exorta videntur. Nos id indignè ferentes, & de præmissis certam notitiam habentes &c.* Quin dicas id solum verificari, quoties expectatio ejusmodi fiat expressè, & manifestè, non quoties tacita est, & implicita, seu occulta. Non enim de factis meris loquitur Pontifex, sed de assertione, qua dicebatur, absque *hæresi* quempiam posse Dæmonum expectare responsa; ut proindè vis sita non sit in eo, quòd expressa sit vel tacita expectatio, sed in eo quòd eximatur *ab hæresi*, sustinere, quòd valeant expectari responsa. Hoc verò locum habet quomodocumque hæc expectentur, dummodò revera, quamvis implicitè, & tacitè expectentur. Quicquid sit de excusatione, quæ fieri queat quòad *hæreticum* Expectantis animū, ob ignorantiam, inadvertentiam, similemque aliam circumstantiam, quæ subjectivam denominationem, imminuere potest, non tamen *hæresis* notam propositioni objectivè debitam, de qua discursus procedit.

25. Qui æquè convincens est, si intelligatur de responsis Dæmonum, quæ expectentur in ordine ad illas res, quæ Dæmonis vires superant, & quæ intra limites sphæræ Dæmonis continentur; cum nulla in *Constitutione* appareat diversitas, & distinctio, & aliàs *hæresis* nota in assertione prædicta, deducta appareat præcisè ex responsorum expectatione, non ex rebus, circa quas responsa versantur. Quæ, si vires Dæmonis superant, gravior indè exurget in Creatorem injuria, fortiusque *hæreseos* argumentum: non tamen est unica, & præcisa ratio notæ hujusmodi assertioni tribuendæ, in eo posita, quòd ab *hæresi* eximeret Dæmonum quomodolibet Expectantem responsa. Neque in hunc finem minoris roboris est aurea Sixti V. *Constitutio* incipiens *Cæli, & Terræ Creator*, quam in fine *part.*4. unà cum plerisque aliis Pontificiis *Sanctionibus* ad hunc eumdem finem emanatis, extendit Diana. Cùm enim in ea, æquè ferè Sanctissimus ille Pontifex *de superstitionibus*, in quibus explicitum, aut implicitum involvitur Dæmonis pactum, loquatur, accuratè eas sic describens: *Sunt etiam inanes quidam homines, & curiosi, vel impii, & irreligiosi, qui futurarum, & occultarum aliarum rerum notitiam adeò anxiè habere student, ut ob eadem prænoscenda, & investiganda in Divinæ legis offensionem multipliciter incurrant. Alii enim Geomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, aliisque sortilegiis, & superstitionibus, non sinè Dæmonum, saltem occulta societate, aut tacita pactione operam dare, seu illis ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum jactu, uti non verentur,*

26. *Alii verò aliquas pristinæ, & antiquatæ, ac per Crucis victoriam prostratæ idololatriæ reliquias retinentes, quibusdam auguriis, auspiciis, similibusve signis, & vanis observationibus ad futurorum divinationem intendunt. Alii autem sunt, qui cum Morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum Inferno, qui similiter ad occultorum divinationem, ad inveniendos thesauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expressa cum Diabolo pactione facta, in manifestam suarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, instrumenta, & veneficia adhibent, circulos, & diabolicos characteres describunt, Dæmones invocant, aut consulunt, ab eis responsa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum suffimenta, seu fumigationes, aliaque Sacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus sacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus sacrilegè abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quævis alia impietatis obsequia præstant, cultum, venerationem retribuunt, aut annulum, vel speculum, aut parvas phialas sibi fabricant, aut fabricari curant ad Dæmones in eis alligandos, seu includendos, ut putant, ad responsa ab ipsis indè petenda, aut habenda: Alii præterea etiam in corporibus obsessis, vel sympaticis, & phantasticis mulieribus*

Dæmo-

Dæmones de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt, ut meritò ab his, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, varias, mendacesque referant responsiones. Alii quoque prestigiatores, frequentiùs verò Mulierculæ quædam superstitionibus deditæ, in phialis, seu vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo accensis candelis, etiam benedictis sub nomine Angeli Sancti, & Albi, Diabolum malorum omnium satorem supplices adorantes, vel in unguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis eumdem omnium fallaciarum Architectum orant, ut similiter futura, vel occulta quævis per spectra, & apparentes imagines, & phantasticas visiones sibi ostendat, aut ab eodem patre mendacii Diabolo, aliis incantationibus, aut variis superstitiosis observationibus, futurorum, & occultorum hujusmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicere contendunt.

27. Cùmque de omnibus æquè subjungat; *Quorum omnium, quos supra enumeravimus, consimilis impietas parem exitum habet, nimirùm, quòd Dæmonis præstigiis, ac dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt illusi, ac delusi miserrimè reperiuntur. Itaque cùm futuros eventus in se ipsis considerare, antequàm fiant, sit Dei proprium, illud necessariò consequitur, ut Astrologi, & Alii prædicti, qui hujusmodi futura prænuntiare, aut præcognoscere quocumque modo, nisi Deo revelante audent, injustè, ac imprudenter, quod Dei est, sibi assumant, usurpent. Sic fit, ut dum ab eis, quod solius est Creatoris, perperàm creaturis tribuitur, divina Majestas graviter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioso Christi Sanguine redemptis, pestis, atque exitium importetur:* Clarum redditur, quòd, si extra controversiam est, *hæresis* nota dignam habendam assertionem, quæ ullo modo promovet, & approbat *superstitiones* explicito pacto cum Dæmone affectas, *hæresis* itidem reputari debet configenda stigmate, quæ promovet, aut approbat cæteras, in quibus pactum illud tacitum, & implicitum est. Attento præsertim, quòd se declaret Pontifex, utrumque pactum è Christi Fidelium cætu evellere radicitùs intendere, *cupiens sanctam illam Christianæ Religionis simplicitatem, præsertim ubi agitur de summa Creatoris Dei Potestate, Sapientia, & Providentia, ab omnis erroris labe integram, atque incorruptam, ut par est, retineri.*

28. Firmum autem semper sit, hæc procedere semper in hypothesi pacti impliciti, aut expliciti cum Dæmone, quod aliquo modo promoveatur, ac approbetur. Quo præciso, sicut cessat in opere ipso *superstitionis* ratio, ita & in propositione illud approbante *hæresis* denominatio, quæ ex approbatione *superstitionis* solummodò exurgere potest. Undè, cùm non sit per se malum nec prohibitum conjectare ex astris e. g. effectus naturales per se promanantes ex influentiis cœlestibus, & ex ortu, occasu, aut concursu planetarum, ac astrorum, Angelico 2.2.q.96. *art.* 2. *ad* 1. dicente: *si simpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putatur naturalem habere virtutem, non est superstitiosum, vel illicitum*; neque asserere id licitè, & honestè fieri posse, ullam meretur censuræ, nedùm *hæresis* notam, ut liquet ex exceptione, quam posuit Sixtus V. damnans artes inventas ad prænoscendos futuros, & fortuitos eventus, *exceptis dumtaxat futuris eventibus ex naturalibus causis necessariò, vel frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent*; quòd nempè *Divinatio*, quamvis alioquin licita esse queat, ex indicandis *num. seq.* usu tamen invalescente semper in malam sumatur partem. Undè *infra* legem contra Judiciarios ferens, limitationem subnectit *præterquàm circa agriculturam, navigationem, & rem medicam*, quorum prætextu, utinam non essent, qui reprobatam *judiciariam* artem non tueantur, & foveant! Deficere nihilominùs potest quis in his naturalibus prædicendis effectibus, certiùs, quàm par sit, futuros eos asseverans: in quo tamen non *superstitiosè* ageret, quia nullum supponi posset explicitum, vel implicitum in dictis assertionibus pactum cum Dæmone initum; sed mendaciter, arroganter, & superbè, incertos eventus pro certis, & indubiis haberet. Et idcircò qui assereret ex astris posse eventus naturales certò deduci, non *superstitiosam* propositionem formaret, & consequenter nec ullam *hæresis* suspicionem ingereret, sed propositionem arrogantem, falsam, & mendacem, ut loquitur Suarez *lib.2. de superstit.cap.*11. *nu.*5. 6. 7.

29. Qui *num.*8. subdit quoque non per se malum esse, nec universaliter prohibitum ex stellarum constellatione observata pueri nativitate conjectare temperamentum ejus, & ex illo naturalem inclinationem futuram, & propensionem ad hæc, vel illa studia, hæc vel illa vitia; dummodò certa de eis, immò probabilis haud fiat prædictio, cùm præcipuè eorumdem exitus à libero pendeat arbitrio. In ordine ad quod præfatus Pontifex damnare se declaravit *facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus & aliquid affirma-re*

re audent, etiamsi non certò, sed probabiliter asfirmare asserant, aut protestentur, quo vitato scopulo hujusmodi prædictiones *superstitiosæ* carere possunt: *Corpora Cœlestia* inquit q. 95. *art.* 5. *in corp.* idem Angelicus, *non possunt esse per se causa operationum liberi arbitrii. Possunt tamen ad hoc dispositivè inclinare, inquantùm imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitivas, quæ sunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus. Quia tamen vires sensitivæ obediunt rationi, ut patet per Philosophum* in 3. de Anima, & 1. Ethic. *nulla necessitas ex hoc libero arbitrio imponitur, sed contra inclinationem cœlestium corporum homo potest per rationem operari. Si quis ergo consideratione Astrorum utatur ad præcognoscendos futuros casuales, vel fortuitos eventus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum, procedit hoc ex falsa, & vana opinione. Et sic operatio Dæmonis se immiscet, undè erit divinatio superstitiosa, & illicita. Si verò aliquis utatur consideratione astrorum ad præcognoscendum futura, quæ ex cœlestibus causantur corporibus, puta siccitates, & pluvias, & alia hujusmodi, non erit illicita divinatio, nec superstitiosa.*

30. Hinc autem sequitur posse in materiis his, & similibus formari propositiones de *hæresi* tantùm *suspectas*, ob sensum æquivocum in ipsis latentem, sensusque pravi prævalentiam, quam, ut propositio sit *suspecta de hæresi*, necessariam vidimus *cap.* 6. *art.* 2. Propositio namque ista: *Astra influunt in liberum hominis arbitrium*, potest quidem ad bonum sensum trahi, si intelligatur de influxu remoto tangente solùm hominis inclinationem, à qua fortè ducetur in actibus suis, absque ulla tamen prævia ad unum determinatione, sed per modum meræ dispositionis, cui si velit, possit resistere. Quia tamen primo aspectu delineari per eam videtur influxus immediatus, & proximus in liberum arbitrium, ac si hoc per illum determinetur, quod omninò aberrat à fide, dicente in ejus irrisionem *cap.* 10. 2. Hieremia: *A signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes, quia leges populorum vana sunt*; propositio præfata, inspecta duplicis sensus ipsi adaptabilis capacitate, pravique excessu, *suspecta de hæresi* potest inscribi. Non ita tamen ut *superstitiosa* taliter denominetur, sed quòd non certò *superstitiosa* cum sit, utpotè quæ sanè, quantùm est ex se, potest interpretari, *superstitionis* patrocinium nihilominùs potissimùm præseferat. Estò quandoque sanus sit pravo sensui præponendus, ad id nos cogentibus circumstantiis sano faventibus: ut si propositio proferretur à Viro perdocto, de cujus fidei puritate, & integritate nulla concipi valeat in contrarium suspicio, ad tradita *cap.* 6. *art.* 2. *num.* 12. ubi quòd hujusmodi explicatio sit propositioni extrinseca, & subjectivè ipsi adaptanda, non objectivè, quià sic non potest à suspicione præscindere, eò ipso, quòd sanè, & pravè interpretari absque impropriętate queat, sensusque pravus reverà præponderet.

31. De propositionibus *superstitiosis*, quæ *superstitiones* promovent circa cultum veri Dei versantes, aliqua jam sunt subjungenda ad *articuli* complementum. Attenta autem distinctione hujusmodi *superstitionum* in perniciosas, & *superfluas* de qua *art. præceden. num.* 5. dicendum in primis ducimus propositionibus *superstitiosis* promoventibus *superstitiones perniciosas* applicanda, quæ hactenùs de aliis faventibus *superstitionibus*, quæ ad falsi Dei cultum pertinent, sunt indicata. Cùm enim in *perniciosis superstitionibus* mendacium involvatur usurpatum ad colendum Deum per illud, non sine gravi in Deum ipsum injuria, non potest *propositio superstitiosa*, seu dictæ *superstitionis* approbativa à nota *blasphemæ* eximi, & liberari. Sicuti neque ab *hæresis* mixtione, quæ objectivè in ea insit, dum honestum, & licitum adstruitur in Dei obsequium, & venerationem dirigere aliquod intrinsecè malum, quale est quodlibet mendacium: quod estò possit leve reputari in se ipso, etiamsi in materia Religionis committatur, non potest non esse grave, si in doctrina Religionis formetur. Nec nisi quia *hæresim* importat, ob quam *lib. de mendac. cap.* 14. Augustinus dixit quodlibet ejusmodi *esse capitale*. Ut patet in eo, qui in Sacramentali confessione e. g. mentiretur circa peccata, quæ non necessariò sunt clavibus subjicienda, nec aperiuntur, tamquàm unica Sacramenti pœnitentiæ quasi materia, qui eatenùs non sacrilegii reus efficeretur, nec ullius lethalis culpæ, dummodò in reliquis adimpleta supponantur singula ad validitatem confessionis, fructusque ipsius confectionem indispensabiliter requisita. Cùm tamen, si assereret honestum prædictum mendacium, *hæreticus* prorsus foret habendus; immò ab hac nota, nec eximendus, adhùc, si simpliciter, & absque ad confessionem, vel ullum aliud Sacramentum respectu, affirmaret, licitè posse illud committi.

32. Prædicta autem reflexio militat nedùm, si *perniciosum* mendacium se teneat ex parte

parte rei significatæ; sed etiam, ex parte Colentis, ad insinuata *articulo præc. num.6.* Cùm namque non minùs in Divinam cedat injuriam, si in ipsius cultum offerantur, quæ in sua significatione mendacium involvunt, quale intervenire conspeximus in eo, qui puerum circumcideret ad designandum Christi adventum adhuc non habitum, sed futurum; quàm, si mendacium intersit respectu personæ Offerentis nomine Christi, & Ecclesiæ, cùm nec Christus, nec Ecclesia eum deputarint, ut suo nomine quidpiam offerret; puta, si quis fingens se Sacerdotem, Sacrificium perficeret, duplicisque proindè mendacii fieret reus, in re videlicet, dum verba proferret Corpus, & Sanguinem Christi designantia, cùm revera illa non exprimant, & in repræsentatione, gerendo se, tamquàm Christi Ministrum ab illo missum, & constitutum, ut nomine ipsius Deo immolet, cùm revera talis non sit. Quin & doctrinæ expensæ ampliationem faciendam censemus ad propositiones *superstitiosas*, quæ *superstitiones* in superfluo veri Dei cultu sitas excitant, & approbant, tamquàm Deo gratas, & in ejus obsequium, & reverentiam exhibendas.

33. Satis siquidem ex dictis liquet, non valere illationem à *superstitionibus* ad propositiones *superstitiosas*, & catenùs indubium est has esse posse *hæreticaliter blasphemas*, & *hæreticas*, etiamsi *superstitiones* per eas approbatæ majorem pravitatem non importent, quàm quòd in se ipsis inutiles, & inanes sint, & catenùs exerceri quandoque possint absque lethali culpa, sivè ratione levitatis materiæ, sivè quòd ritus ipsis contrarii ab Ecclesia non præcipiantur sub gravi. Ut proindè in unum veluti colligendo, quæ hucusquè sunt tradita; universaliter pro qualificandis propositionibus *superstitiosis* promoventibus *superstitiones* in quacumque materia, sivè ad falsi Dei cultum, sivè ad indebitum veri Dei obsequium, hæ sint directæ, inspiciendum videatur, an per illas, hæ tamquàm honestæ, Deoque gratæ approbentur, quæ in se tales non sunt, sivè id proveniat ob intrinsecam pravitatem, qua essentialiter inficiuntur, sivè ab extrinseco, quòd in his, vel illis circumstantiis ab Ecclesia alio modo fieri præscribantur? Sicque propositiones *superstitiosæ blasphemæ* semper haberi debent, & quandoque *hæreticales*, immò & objectivè *hæreticæ*.

34. *Blasphemas* semper esse, indè colligitur, quòd injuriam in Deum contineant, dum in ipsius obsequium promovetur, & excitatur, quod ei gratum, sub his saltem circumstantiis, esse non potest, quibus vigentibus meliùs simpliciter sit Deum non colere, quàm ex instituto sic colere. *Hæreticales* autem sunt solùm, cùm ex eis animus Proferentis colligi sufficienter potest *hæreticus*, & præsertim si *hæresim* objectivè exprimant, ob quam *hæreticæ* etiam dici valent. Quæ expressio contingere potest non solùm in propositionibus, quæ favent *superstitionibus* ad falsi Numinis cultum directis, aut aliis perniciosum involventibus mendacium, sed & in iis, quæ formantur circa *superstitiones* superfluitatem dumtaxat cultus importantes. Si enim quis e.g. affirmaret licitum non servare in Missæ Sacrificio ritus ab Ecclesia præceptos, estò non se se opponeret revelatis, quòd de nonnullis cæremoniis nihil eluceat in sacris Literis, nihilque ut fide divina tenendum hactenùs appareat definitum; adhùc nihilominùs animus Proferentis indicatur *hæresi* infectus, qua nostri temporis Hæterodoxi blaterant, vel Ecclesiam non habere potestatem instituendi cæremonias prædictas, vel illas omitti posse absque ulla culpa, quod utrumque hæreticum esse probat Bellarminus *de Sacr. lib.2. cap.31. propos.3. & 4.* advertens inter alia ob contemptum hujusmodi sacrorum rituum inter *hæreticos* numeratos Encratitas apud Epiphanium *hæresi 46.* & Augustinum *hæresi 23.* Manichæos apud Augustinum *lib.20. contra Faustum lib.3. & 4.* Eustatianos apud Socratem *lib.2. cap.23.* Aërianos apud Epiph. *hær.55.*, & Augustinum *hær.53.* Vigilantium apud Hieronymum *lib. contr. Vigilantium*. Claudium Taurinensem apud Jonam *in lib. tribus de sacr. imag.* Petrobusianos apud Bernardum *epist.240.* Waldenses apud Guidonem *in summ. de hæret.* Thaburitas apud Æneam Sylvium *lib. de Orig. Bohemorum cap.35.* Witclephum apud Thomam Waldensem *tom.3. de Sacramentalibus*.

35. Ad quod faciunt, quæ tetigimus *cap.3. art.13.* de propositionibus, quas aliquis sustinere tentaverit contra præscriptum Ecclesiæ, quamvis tale hoc non sit, ut ullum fidei objectum constituere valeat. Adeòque sicuti ibi *num.13. & 14.* relatè etiam ad *c.3. art.9. à num.11. & num.28.* defendentem aliquam ex assertionibus damnatis sub censura infra fidem, formaliter indicavimus *hæreticum* non esse, sed talem teneri posse, si ex circumstantiis convincatur pertinax in aliqua ex dictis assertionibus, quòd credat Romanum Pontificem non gaudere infallibilitatis privilegio in definitionibus mo-

morum. Ita in præsenti *superstitiosum* esse quempiam per se posse, non *hæreticalem* fatemur, si in cultu Dei deficiat non servando modum, non à Christo, sed ab Ecclesia per potestatem ipsi ab Unigenito Patris communicatam stabilitum; non tamen, si constet defectum illum ab eo comitti, quòd autumet modum dictum, vel non potuisse ab Ecclesia præscribi, vel præscriptum, in potestate cujuslibet esse illum contemnere. Quod totum importat propositio modalis, qua affirmatur absolutè licitum, honestum & Deo gratum cultum Deo oblatum modo indebito contra Ecclesiæ institutum, & fortiùs si pronunciaret, simpliciter in cultu Dei non esse servandas sacras cæremonias, sacrosque non exercendos ritus à Romanæ Cathedræ Moderatoribus pro universali Fidelium cœtu sancitos, & approbatos. Quòd si tàm patens, & clara propositio non sit, tunc inspiciendum, an æquivocatio in ea lateat? & si sensus *hæreticus* prævaleat, habenda ut *suspecta de hæresi* servatis servandis, applicando quæ innuimus *num.* 30. Ex quibus omnibus faciliè colligi potest integra *articuli* propositi resolutio, ad quam quoque conducent nonnulla, quæ *art. seq.* de propositionibus *Schismaticis* dicentur *superstitiosis* applicabilia. Pro quibus simul, non incongruum interim erit advertere, posse propositiones ejusmodi concipi, non ut formaliter, aut virtualiter approbativæ vel indebiti alicujus cultus, perniciosus ille sit, aut superfluus, erga falsum, aut verum Numen; vel inobedientiæ in Romanum Pontificem, separationisque ab ipso, & aliis membris tanto Capiti inhærentibus; sed suasivæ, aut inductivæ ad dictas operationes, modo, ut ità dicam, non speculativo, sed practico. Quo casu attendenda adhùc est quidditas earumdem, si talis sit, quæ sufficientia præbeat indicia inferendi *hæreticum* Suadentis, aut Inducentis animum? vel potiùs ipsum redarguendum solummodò ostendant *scandali* reum, juxta materiæ qualitatem, qualis indubiè est habendus quicumque impudenter excitat spiritualem proximorum ruinam, eique cooperatur.



ARTICULUS XIII.

Per quid constituantur, & ad invicem distinguantur propositiones Schismatica, Seditiosa, Rebellis, & Illusoria jurisdictionis Ecclesiasticæ?

1. PRædictas omnes propositiones unico duximus comprehendendas *articulo*, quòd quamdam inter se affinitatem habeant, & eatenus ne eadem pluriès repetantur, ab *articulorum* multiplicitate congruum visum est abstinere; quod, ne prolixiores, quàm par sit, efficiamur, in *sequentibus* servare curabimus. Præcipuè autem agendum est de propositione *schismatica*, quæ, sicuti graviorem reliquis præsefert censuræ speciem, ita & distinctiùs aliis est discutienda. Quamvis ab ejus resolutione paucis se expediant plerique Doctores, quos inter Cardinalis Brancatus *disp.16. de Pers. & Doctr. de hær. susp. art. 2. §.3. num.79. & seq.* notam *schismaticæ* doctrinæ consistere innuit in hoc, quòd aliquid insinuet, quod possit in Christianis recessum à Papæ obedientia, ac subjectione moliri; idque probat, & ratione, & exemplis. Ratio innititur c. Schisma 24. q.1. ex Pelagio 1. *ep.* 13. ubi quod *schisma græcum nomen est, scissuram* sonans, & eatenus doctrina *schismatica* ea esse debet, quæ ad dictam scissuram viam parat. Exempla, quorum aliqua ex ipso exscripsit Damianus *de susp. de hær. cap. ult. sect. 2. & subsect. 1. §.6. nu. 12.* sunt desumpta ex propositionibus damnatis contra Witcleph, *octava* videlicet: *Si Papa sit malus, non habet potestatem supra fideles*, & (*nona*) *Post Urbanum sextum nullus est recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis*: ac contra Hus, nimirùm (12.) *Nemo gerit vicem Christi, aut Petri, nisi sequatur eum in moribus* (13.) *Papa non est manifestus, & verus Successor Principis Apostolorum, si vivit moribus contrariis Petro.* (20.) *Si Papa est malus, præsertim si est præscitus, tunc ut Judas Apostolus est Diabolus, fur, & filius perditionis, & non est Caput Sanctæ Militantis Ecclesiæ, cùm non sit membrum ejus.* (24.) *Si Papa vivat Christo contrariè, etiamsi ascenderit ad veram, & legitimam electionem secundùm constitutionem humanam vulgatam, tamen aliundè ascenderet, quàm per Christum*; & (27.) *Non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse unum Caput in Spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militanti Ecclesia conversetur, & conservetur.*

Qui-

2. Quibus extensis rectè Eminentissimus Scriptor subjungit eas *hæreticas* esse, quatenùs autem reddunt Caput Ecclesiæ odiosum, & inutile ad regimen ejus, sunt etiam *schismaticæ*; nam abducere tentant fideles ab ejus subjectione, & obedientia. In quo tamen accuratior tradenda videbatur disquisitio, ut præsertim constare posset propositionis *Schismaticæ* ab *hæretica* separabilitas, præcisaque ratio, cur absque *hæresi* illa consistere valeat. Non quòd omninò adhærendum censeam Antonio Sauræ *in suo Plutonis voto de prop. damn. & expurg. c.7.* qui definiens *schismaticam* propositionem, quæ divisionem Ecclesiæ inducit, & separationem fidelium à suo Capite, cum quo communicare tenentur; adducensque in definitionis favorem Simancam *de inst. tit. 54.num.14.* Paramum *lib.3.§.de hæresi nu.3.* Theologosque, Jurisque Professores communiter, profitetur se non loqui de *schismate*, vi cujus ob conjunctionem inobedientię, & rebellionis cum falsa fide nolentis Ecclesiæ determinationibus assensum præbere, aliquis constituitur verus, & consumatus *hæreticus*. Sed quòd ita naturam *schismaticæ* propositionis autumem indagandam, ut nedùm clarum reddatur præcisum ejus constitutivum, & distinctivum, sed etiam appareat qualis inter *schismaticam*, & *hæreticam* habeatur connexio, de qua in præsenti agendum polliciti sumus *cap.2. art.3.nu.27.* postquàm ex Angelico comparationem gravitatis peccati inter *schisma*, & *hæresim* indicavimus, unà cum conjecturis, ob quas in veteri Lege *schisma* severiori punitione, quàm *Idololatria* plecteretur, & de eis legi potest idem S.Doctor *1.2.q.105.art.2.in resp. ad nonum.*

3. Sicuti autem *art. præcedentibus* propositiones *superstitiosas* secernendas à *superstitionibus* vidimus, illas relatè ad has explicantes; ita & nunc propositiones *schismaticas* ab ipsomet *schismate* sejungendas asserimus, eò per respectum, & ordinem ad *schisma*, earumdem natura, & quidditas sit dignoscenda. *Nomen* itaque *schismatis* inquit *2.2. q.39.art.1.in corp.* ex Isidoro *lib.8.æthimol.c.3.* Angelicus, *à scissura animorum vocatum est; scissio autem unitati opponitur. Undè peccatum schismatis dicitur, quod directè, & per se opponitur unitati. Sicut enim in rebus naturalibus, id, quod est per accidens, non constituit speciem, ita etiam nec in rebus moralibus, in quibus, id quod est intentum, est per se: quod autem sequitur præter intentionem, est quasi per accidens. Et ideò peccatum schismatis propriè est speciale peccatum ex eo, quod intendit se ab unitate separare, quam charitas facit, quæ non solùm alteram personam alteri unit spirituali dilectionis vinculo, sed etiam totam Ecclesiam in unitate Spiritus. Et ideò propriè Schismatici dicuntur, qui propria sponte, & intentione se ab unitate Ecclesiæ separant, quæ est unitas principalis. Nam unitas particularis aliquorum ad invicem ordinatur ad unitatem Ecclesię, sicut compositio singulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis unitatem. Ecclesiæ autem unitas in duobus attenditur, scilicet connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem, seu communicatione: & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesię ad unum Caput, secundùm illud ad* (Col.2.18.) Inflatus sensu carnis suæ, & non tenens Caput, ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones subministratum, & constructum, crescit in augmentum Dei. *Hoc autem Caput est ipse Christus, cujus vices in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Et ideò Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesię ei subjectis communicare recusant.* Et in *resp. ad 3.* cohærenter ad traditam doctrinam *schisma*, & *hæresim* distinguenda subnectit: *Nam hęresis per se opponitur fidei, schisma autem per se opponitur unitati ecclesiasticæ charitatis, & ideò sicut fides, & charitas sunt diversę virtutes, quamvis quicumque caret fide, careat charitate: ita etiam schisma, & hęresis sunt diversa vitia, quamvis quicumque est Hęreticus, sit etiam Schismaticus, sed non convertitur. Et hoc est, quod Hieronym. dicit* (in epist. ad Galat.) Inter *schisma*, & *hæresim* hoc interesse arbitror, quòd hæresis perversum dogma habet, *Schisma* ab Ecclesia separat.

4. Nec difficile esset pleraque exempla promere *schismatum* absque *hæresis* mixtione. Sufficiat nihilominùs illud Meletii, quem Epiphanius *secta 68.* quamvis indubitanter *Schismaticum*, quòd propriam congregationem faciens ab obedientia Petri Alexandrię Episcopi se diverteret: *rectæ fidei*, dixit: *non enim immutata est fides ipsius in aliquo tempore à Sancta Catholica Ecclesia*, quæ est ratio, quam universalioribus terminis *in lib. quæst. Evang. ex Matt. q.11.* expendit Augustinus: *solet quæri, Schismatici, quid ab Hęreticis distent? & hoc inveniri, quòd Schismaticos, non fides diversa faciat, sed communionis disruptę societas.* Quo sensu verum esse potest, quod de se protulisse Jacobum Angliæ Regem refert *lib.1.con. Angl. Reg. cap.21.nu.7.* Suarius: *Schismaticum me dicant, licèt, & à Romana Ecclesia defecisse; certè Hæreticus esse nullo modo possum*, quousque videlicet in fidei dogmatibus non dissentiret, quod tamen penitùs falsum probavit eventus. Sicuti pariter falsitatis

ipsum convincit ex Hieronymo præfatus Author *num.9.* in eo, quòd non dicens, *licèt Schismaticus sim*, sed *licèt dicant me esse Schismaticum*, idque non simpliciter, sed cum addito, quod adiungit, *& à Romana Ecclesia defecisse*, indicare videatur non fuisse verè *Schismatici* nota dignum, ac si separatio ab Ecclesia Romana ad *Schismaticum* quempiam constituendum nequaquam sit satis. Cùm revera in ea sita principaliter esse debeat *schismatis* quidditas, adeò ut per antonomasiam idem propemodùm sonet *Schismaticus*, ac qui subesse renuit Christi Vicario, & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusat, ut *num.3.* conspeximus Aquinatem locutum.

„ 5. Nam(arguit à fortiori Suarez)si verum est, quod Hieronymus dixit, *schisma* cõstitui per separationẽ abEcclesia *propter Episcopalem dissensionem*. Ergo *schisma* constitutum propter dissensionem à Summo Pontifice omnium Episcoporum Pastore, meritò dicetur non solùm simpliciter *schisma*, sed etiam ex suo genere maximum. „ Quod comprobat authoritatibus Bedæ *hom.de SS.Petro,&Paulo* affirmantis Petro *Principatum judiciariæ potestatis* communicatum, *ut omnes per orbem Credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei*, (per hæresim), *vel societatis illius*, (per schisma) *quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possint Regni Cœlestis ingredi*. Et Optati Milevitani *lib.1. cont. Parmen. column.5.* probantis Parmenianum fuisse *Schismaticum*, non verò Cæcilianum: *Non enim Cæcilianus exivit à Majorino avo tuo, sed Majorinus à Cæciliano; nec Cæcilianus recessit à Cathedra Petri, vel Cypriani, sed Majorinus, cujus Tu Cathedram sedes, quæ ante ipsum Majorinum originem non habebat*, „ Supponit ergo (subjungit idem Suarez) illum esse *Schismaticum*, qui recedit à Cathedra Petri; addit autem, vel *Cypriani*, quia interdum potest *schisma* fieri per separationem à proximo Episcopo novam Cathedram sine origine introducendo, & addit (quod præsenti instituto maximè servit) *cùm hæc ita gesta manifestè constet, & vos hæredes esse Traditorum, & Schismaticorum evidenter apparet*. Sic ergo nos ex facto Anglicano evidenter concludimus, Henricum VIII., qui Cathedram Petri deseruit, & novam sine origine erexit, *Schismaticum* fuisse, ejusque Hæredes eum imitantes in eodem *schismate* perseverare.

6. Et si verò ex his facilè deduci valeat, dari posse *schisma* absque *hæresi*, quòd se ab Ecclesia separans retinere queat integram fidem, cùm nempè separatio initium sumat, non ex mentis deceptione, sed ex alia qualibet turpi occasione, pravoque quovis motivo, quod extrinsecùs ita manifestetur, ut prudens non relinquatur signum inferendi erroneum intellectus judicium in sic Operante præexistens. Non tamen eadem videtur esse facilitas in propositionibus *schismaticis* ab *hæreticis* sejungendis, adeòut prior in ipsis absque posteriori denominatione persistat. Pro quarum idcircò uberiori notitia, distinctionem, quam dedimus ad *superstitiosarum* propositionum dignoscendam quidditatem, ac varietatem, servata proportione *schismaticis* applicando, has advertimus concipi posse, vel modaliter, vel absolutè. Modaliter concipiuntur, quotiès vel per eas honestum, & laudabile supponitur Summo Pontifici, relatè ad quem, ut tetigimus, præcipua *schismatis* habetur species, quæ *schismatis* nomen antonomasticè simpliciter obtinuit, obedientiam denegare, ipsumque declaretur non esse tenendum, ut Ecclesiæ Caput, & Christi Vicarium; vel ad minùs asseratur, potestatem in eo non adesse ferendi leges, quibus obtemperare fideles debeant, & præcipuè sub culpæ reatu. Absolutè, quoties, per eas Summo Pontifici denegatur obedientia, ejusque legibus observantia absque explicita mentione exclusiva Potestatis, quæ eidem est ab Vnigenito Patris in Petro communicata.

7. Prioris generis propositiones *schismatico-hæreticas* inscribi debere, ab iis dumtaxat negari potest, qui impii Jacobi Angliæ Regis terunt vestigia, de quo legendus Suarez *cont. Angl. Reg. lib.6. de forma juram. fidel. cap.10. & 11. de persecutione Anglicana*, ubi sacrilegam ipsius prætensionem expendit, qua se à Catholicis calumniatum non verebatur asserere, quòd Religionis persecutorem inscriberent: *Id constanter assevero*, sic loquitur *pag. 157.* præfatus Jacobus: *quod, & in apologia mea posui, hic neminem, sivè meis, sivè defunctæ Reginæ* Elisabethæ *temporibus, conscientiæ, & Religionis causa affectum esse supplicio*. Undè consequentèr quoscumque ab ipso, & ab Elisabetha diris afflictos cruciatibus, venerari ut Martyres posse negabat, multiplicis proindè criminis reus. Ac si videlicet, nec verè Martyr quis esse valeat, nisi pro neganda fide ad Martyrium subeundum cogatur, contra quod Patres, ac Theologi omnes unanimiter clamant,

quos

quos inter 2.2.q. 124. art.5. in corp. Angelicus: *Dicendum, quòd sicut dictum est, Martyres dicuntur, quasi Testes, quia scilicet corporalibus suis passionibus usque ad mortem testimonium perhibent veritati, non cuicumque, sed veritati, quæ secundùm pietatem est, quæ per Christum nobis innotuit. Undè & Martyres Christi dicuntur, quasi Testes ipsius. Hujusmodi autem est veritas fidei, & ideò cujuslibet martyrii causa est fidei veritas. Sed ad fidei veritatem non solùm pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio, quæ quidem fit non solùm per verba, quibus aliquis confitetur fidem, sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit secundùm illud* (Jacob.2.18.) Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Undè *& de quibusdam dicitur* (ad Titum 1.16.) Confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant. Et *ideò omnium virtutum opera secundùm quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quòd Deus hujusmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat, & secundùm hoc possunt esse martyrii causa. Undè & Beati Joannis Baptistæ martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit.*

8. Nec inter fidei dogmata fit recensenda suprema in Ecclesiam Romani Pontificis potestas, & jurisdictio, quam Jacobus intolerabili impudentia, & audacia sibi arrogaverat, legem sustinendo, de qua sub Henrico VIII. primario ipsius Authore interrogatus eximius Martyr Thomas Morus, *an probaret legem publicè latam, in qua omnis potestas Pontifici Romano abrogata, & summa Ecclesiæ gubernatio Regi concessa esset?* cùm priùs ita respondisset, ut neque fidem negare, neque temerè mortis periculo se se offerre videretur, tandem instante necessitate ad præsens intentum mirificè teste Polydoro Virgilio *in sua hist. fine*, sic est locutus: *Ego per Dei gratiam, semper Catholicus, nec unquàm à Pontificis Romani communione discedens, audiveram aliquando Romani Pontificis potestatem legitimam quidem, & laudabilem, sed tamen humani juris, non divinæ præscriptionis fuisse. Itaque cùm viderem statum hujus Regui eò ferri, ut necessariò investigandum esset, quæ ex origine Pontificis Romani potestas dimanaret, toto septennio hujus rei diligentissimè indagationi me dedi, & deprehendi potestatem Romani Pontificis, quam vos temerè, (ut nihil dicam gravius) abrogastis, non modò legitimam, laudabilem, & necessariam, verùm etiam divini juris, & præscriptionis esse. Hæc mea est sententia, hæc Fides, in qua per Dei gratiam moriar.*

9. Assertionem corroborat D. Hieronymus ex parte relatus *cap.2. art.3. num.27.* integrè verò hic Angelico textui *num.3.* insertus, eique cohærent *lib.2. Contr. Cresconium cap.9.* Augustinus: *hæresim esse* affirmans, *schisma inveteratum*, undè *epist.164. ad Emeritum* Novati Assectis alloquens; *Neque Vobis objicimus, nisi schismatis crimen, quod etiam hæresim malè perseverando fecistis.* Et Cyprianus nedùm verbis relatis *c.2. art.11. num.21.*, sed & aliis, quibus *ep.69.* asserit: *Congregationem perseverantem in schismate, intra breve tempus carere veris Episcopis, & Pastoribus, quia cessat vera origo, & successio, & ordinatio.* Nec nisi primò, quia perseverantes in *schismate*, naturali quodam veluti instinctu factum proprium excusare, ac tegere cupientes, illud non erubescunt honestare, „ vel „ laudando ut bonum, quod pravum est, „ vel negando esse faciendum, quod præ„ ceptum est, vel negando esse præceptum, „ quod ab Ecclesia Catholica traditum est. „ In quibus omnibus modis, & aliis similibus *hæresis* involvitur. Quia licèt operari „ malum, quod lex Christi prohibet, non „ fit *hæresis*, sentire tamen cum pertinacia „ non esse malum, quod fides docet esse „ prohibitum, *hæreticum* planè censendum „ est. „ Secundò, quia *schisma* tantam affinitatem cum *hæresi* habet, ut in hanc facilè transmutetur. Qua ratione Ambrosius *lib. de obitu Satyri* referens Satyrum post naufragium ad Ecclesiam rediisse, & advocasse ad se Episcopum, eumque interrogasse: *Utrùmnam cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conveniret?* subjungit, noluisse cum eo communicare, nec simul gratias agere pro liberatione, quam erat consecutus, quòd non putaret *fidem esse in schismate. Nam & si fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenebant, cujus patiebantur, velut quosdam artus, & membra lacerari. Etenim cùm propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christi fides, à quibus evacuatur Christi passio, corpusque distrahitur.* Sic indicans „ *Schismaticum* in principio agere contra fidem, „ quam Ecclesiæ debet, practicè, seu opere „ ipso, vel certè agere contra fidem, idest „ contra fidelitatem, & obedientiam, quam „ debet Ecclesiæ: postea verò, ut in suo „ *schismate* perseveret, etiam negare Eccle„ siæ illam fidem, quæ consistit in credendo ipsam Ecclesiam esse unicam Christi „ Sponsam, Columnam, & Firmamentum „ veritatis. Qui transitus facillimus est. „ Nam si Paulus *ad Tim.* scripsit *repellentes*

„ *bonam conscientiam,circa fidem naufragavisse*, „ quantò faciliùs est id accidere in pertinaci *schismate* contra Christi Ecclesiam? „ Meritò ergo timuit, vel non putavit Satyrus fidem esse in *schismate*,, Verba sunt Suarez *lib.1. Cont. Reg. Angl. cap.22. num.2.* æquè ac præcedentia.

10. Quæ aliquali fortè indigent mox innuenda distinctione, in eo quòd simul congerere videatur propositiones modales, de quibus hucusque, & absolutas, quas explicare aggredimur. Si namque per eas ità deneganda asseratur Romano Pontifici obedientia, quòd in evidens præjudicium tendat potestativæ ipsius jurisdictionis, ut videre est in omnibus ferè propositionibus Witcleph, & Hus *num.1.* extensis, de ipsis discurrendum æquè ac de modalibus ob evidentem rationis paritatem, quæ vel à cæcutientibus potest inspici. Si verò clarà non appareat indicati præjudicii expressio, adhuc considerari debet, an ita sint inductivæ inobedientiæ debitæ Christi Vicario, ut eluceat eas ortum ducere, vel ex pravo, ut supra, intellectus judicio, vel ex prava voluntatis passione, aut saltem dubium de hujusmodi origine habeatur? & juxta varietatem earumdem resolvendum respectivè erit eas esse *hæreticas*, vel saltem *hæreticales*, aut *suspectas de hæresi*, juxta regulas non semel expensas. Similique pariter modo animadvertendum censeo attendi in propositionibus debere, an universales sint in se ipsis, quibus videlicet denegetur in omnibus obedientia Romano Pontifici; an particulares,quibus circa hoc, vel illud, præceptum dicta inobedientia excitetur; & in his, an ratio motiva, etiam ad alia præcepta extendatur, vi cujus universalibus æquivaleant? an fundatæ dumtaxat in eo, quòd etiam supposita idonea obligandi sub culpa Fideles potestate, adhuc in hoc, vel illo casu supponatur non voluisse Pontificem eos obligare sub culpa? cùm non una pro singulis sit facilè alia assignabilis regula, quæ in rationem recessus ab obedientia Papæ *num.1.* insinuatam, servata proportione non refundatur.

11. Sicuti namque, non omnis præceptis Ecclesiæ inobediens habendus *Schismaticus* Aquinate *2.2.q.39. art.1. ad2.* dicente, *quòd non obedire præceptis cum rebellione quadam constituit schismatis rationem. Dico autèm cum rebellione, cùm & pertinaciter præcepta Ecclesiæ contemnit, & judicium ejus subire recusat, hoc autem non facit quilibet Peccator,undè non omne peccatum est schisma*; Ita non omnis propositio, qua hujusmodi inobedientia aliquo modo promovetur *schismatis* nota afficenda. Si enim non certò constet, vel adesse præceptum Ecclesiæ circa hoc, aut illud opus, vel illud esse dumtaxat obligans sub culpa, aut dumtaxat pœnale; propositio, qua, quis asserit, vel non adesse obligationem exequendi, quòd verè non constet esse præceptum; vel licitam ejus transgressionem, seu à culpa immunem, quòd verè probabile sit, præceptum dumtaxat esse pœnale, *schismatica* nequit inscribi, vim habente motivo debitè hic applicando, ob quod *hæreticam* haberi simpliciter, & absolutè non posse propositionem, per hoc quòd alteri opponatur, quam etsi Aliqui putent fidei objectum, Alii tamen id negent, tetigimus *cap.3, art.21. num.6.7.*

12. Requiritur propterea, ut propositio *schismatica* constituatur, quòd verè inobedientiam Christi Vicario debitam promoveat, avertendo fideles ab executione eorum, quæ patet ab ipso præcipi, sivè negando illa posse præcipi, saltem sub culpa, quod indubiam *hæresim* importat; dummodò certa fide constet,hunc numero præcipientem Pontificem esse Apostolorum Principis legitimum Successorem, quod evenire per Ecclesiæ acceptationem innuimus *cap.3, art.5. num.15.* indicantes ex Suarez ante eam,posse quidem sufficienter constare virtute canonicæ electionis, ut ex præcepto obedientiæ, & charitatis non possit quisquam ab illo sejungi sine *schismate*, non tamen ut simpliciter sit supernaturalis, divinæque fidei objectum. Sivè negando re. vera adesse præceptum illud, de cujus existentia prudens dubium adesse nequeat, aut asserendo pœnale, quod enitet esse obligativum sub culpa. Quibus in casibus ex natura rei *hæresim* non haberi firmat Cardenas (in *sua posth. Crisi theol. diss.32. cap.1.2.3. ad propositionem 52 ex damnatis ab Innocentio XI.*; *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, sepoŝito scandalo, si absit contemptus*) dum referens *num.29.* Suarez asserentem esse de fide dari in Ecclesia præceptum graviter obligans ad auditionem Missæ in diebus festis, ex quo fit consequens propositionem damnatam esse *hæreticam*; idque doceri à præfato Authore, observans, quòd censeat fidei objectum esse propositionem, quæ infertur ex una de fide, & altera evidenti: subdit non *hæreticam* æstimandam eam esse, sed tantùm *erroneam*, utpotè oppositam conclusioni theologicæ, quæ ex majori de fide. *Ecclesia habet potestatem imponendi gravem* obli-

obligationem servandi festa, & minori naturaliter nota: *Sed de facto illam imposuit*, (sequitur; *ergo imposita est talis obligatio*,,, Cujus ,, (subdit) syllogismi conclusio evidenter ,, infertur ex præmissis. Nam licèt syllo- ,, gismus non servet formam Aristoteli- ,, cam, tamen conclusio ex necessaria, & ,, metaphysica connexione antecedentis ,, cum consequenti evidenter infertur. De- ,, inde propositio major est de fide, & mi- ,, nor est evidens, ea ergo est conclusio theo- ,, logica, sed propositio damnata negat, ,, quod ea conclusio theologica affirmat, ,, ergo illi contradicit,,

13. Qui tamen discursus estò admitti possit considerando conclusionem prædictam sub ratione conclusionis; ac ut ex forma syllogistica dependentem, ad stabilita *cap.3. art.19.* cohærensque appareat doctrinæ prædicti Authoris relatæ *cap.3. art.13. num.17.* obnoxius nihilominùs est impugnationi *ibidem* legendæ. Nec adeò facilè Cardenas ab inconstantia se eximet, si inspiciatur altera ejus opinio, qua *differt* 14. *c.6. ad prop.21. num.92. & 93.* approbat sententiam Cardinalis De Lugo sustinentis, fidei objectum esse, respectu Parochi baptizantis puerum, certòque scientis esse ritè baptizatum, quòd hujusmodi *infans sit à peccato originali immunis*. Idque nonnisi, quia dicta propositio: *Hic infans est immunis à peccato originali*, sit habenda veluti particularis contenta sub universali de fide: *Omnis infans ritè baptizatus accipit justificationis gratiam*. Quin obsit, quòd minor subjungenda, nonnisi evidentia naturali constet, qua Parochus est redditus certus, quòd *hic puer sit ritè baptizatus*. Quod tamen ad hominem sit dictum, cùm aliàs infantis ritè baptizati exemplum ad reddendum fidei objectum, quod *hic infans sit immunis ab originali*, ineptum habuerimus *cap.3. art.5. à num.9.* regulam assignantes, quandonam particularis propositio haberi debeat contenta sub universali revelata, & proinde censeri, ut partiale fidei objectum ab ipsamet universali, ut revelata enunciatum. Ex qua, & ex pluriès firmatis, ac præsertim *cap.3. art.13. à num.14., & art.14 à n.18.* firmissimè tenendum putamus, quòd supposito, fidei objectum esse, uti revera est, majorem illam propositionem: *Ecclesia habet potestatem imponendi gravem obligationem servandi festa*. Suppositoque, quòd certò constet *Ecclesiam imposuisse hoc præceptum*, fidei objectum esse debeat, *dictam præceptum obligare sub culpa*, & catenùs *hæreticum* id negare, non quidem vi syllogistica attenta, ut influente in propositionem prædictam, sed ut quid præsuppositivum ad ipsam. Sub qua inspectione ipsemet Cardenas ex iis, quæ supponit *diss.1. proem. cap.8. art.1.* non negaret fidei objectum esse aliquam propositionem, quam Romanus Pontifex fide divina credendam ex Cathedra proponeret, non obstante, quòd de ea argumentum idem, quo ipsum usum paulò ante conspeximus, formari posset, ut expendimus *cap.3. art. 13. nu.17.*

14. Undè ab *hæresi* formali solùm liberari valeret, qui negaret præceptum illud obligatorium sub culpa esse, quòd de ejus existentia, quamvis irrationabiliter certus non esset, quia sic non veritati revelatæ, quà tali pertinaciter resisteret. Quamvis fortè *hæreticus* præsumi quandoque posset non concurrentibus conditionibus indicatis *cap.3. art.19. num.6.* relatè ad *cap.3. art.5. num.8., & ad art. 18. num.1.* si præsertim in eo qualitates non eluceant, quæ sunt necessariæ, ut de illo haberi nequeat fundata de *hæresi*, vel levis suspicio. Quibus Authores *propositionis damnatæ* prædictos fuisse minimè ambigimus, licèt arundineo, nec dubitamus affirmare eos innixos motivo, quo videlicet putabant, nullum esse peccatum mortale, nisi quod opponitur charitati Dei, vel Proximi, si fit absque contemptu. Ac si Ecclesia præcipere non valeat, nisi quæ præcepta aliàs sunt lege naturali, aut divina,,, Etenim, (ar- ,, guit Cardenas *cap.3. num.21.*) omne ,, peccatum, quod est formaliter contra ,, charitatem Dei, & proximi militat con- ,, tra jus divinum, & naturale, quia hoc ,, jure interdicitur quicquid est contra cha- ,, ritatem Dei, & proximi. Ergo si Eccle- ,, sia non potest interdicere sub mortali, ,, nisi quæ sunt contra charitatem Dei, & ,, proximi, non potest interdicere sub mor- ,, tali, nisi quæ jure divino, & naturali ,, interdicuntur,, Quod, idem Author postquam incohærentiam Authorum *propositionis damnatæ* ostendit, qui particulis illis, *Si absit contemptus*, velint, nolint, fateri coguntur violationem legis cujuslibet ex contemptu esse lethale peccatum, quin tamen contemptus hujusmodi vel charitatis Dei, & proximi per se sit læsivus, vel formalem importet divinæ, ac naturalis legis transgressionem; quia, sicuti non servare legem humanam, solùm est violatio legis humanæ, ita & contemnere illam, non aliam per se involvit injuriam, quàm in legem humanam; quàm sit absurdum.

Solidè

15. Solidè demonstrat ex Tridentino Concilio *seß.7.de bapt.can.8.&seß.24.de Matr. can.4.* anathematizante non minùs eum, qui *dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint*; quàm, qui *dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonii dirimentia, vel in eis constituendis errasse*. Clarum siquidem cùm sit, inter impedimenta dirimentia pleraque numerari, quæ non sunt juris naturalis, aut divini positivi; plurimaque inter Ecclesiæ præcepta, quæ jure itidem naturali, aut divino minimè præscribuntur; evidenter sequitur, quòd dum anathemate feriuntur, qui sustinent, vel fideles non esse adstrictos ad servanda præcepta, vel impedimenta, per quæ irritum fit matrimonium, non esse legitimè constituta, id proveniat ob oppositionem, quæ in ipsis supponitur detrahendi Ecclesiæ authoritati, qua potest fideles sub culpa obligare, etiam quoad ea, quæ aliàs permittuntur jure naturali, aut divino. Quorum proinde transgressio etsi non repugnet charitati Dei, ac proximi objectivè, repugnat ipsi nihilominùs subjectivè, quatenùs charitas, & quodlibet lethale peccatum à Subjecto sese perpetuò expellunt; ob incompatibilitatem, quam important ad invicem.

16. Ad quorum omnium coronidem non omittenda divisio *Schismaticorum*, quæ à Theologis tradi solet, quorum aliqui pertinaciter negant Caput in Ecclesia militanti visibile, cui omnia Christi membra, idest Fideles adhærere debeant, ac obedire, & isti nedùm sunt formales *Schismatici*, sed & formales *Hæretici*, utpotè qui nedùm repugnant virtuti charitatis, *propria sponte*, & *intentione se ab unitate Ecclesiæ* separantes, *quæ est virtus principalis*, se seque subjicere renuentes Summo Pontifici, membrisque ei subjectis, qua talibus communicare recusantes: sed apertissimè non minùs contradicunt manifesto supernaturalis Fidei objecto, quale *cap.2.art.12.* vidimus esse divinam institutionem, qua Petro æquè, ac suis ad consummationem sæculi futuris Successoribus Claves regni cœlorum sunt concreditæ, totiusque militantis Ecclesiæ collatum gubernium. Alii, qui confitentes supremum visibile Ecclesiæ Caput, cui omnes, ac singuli Fideles inhærere tenentur, in casibus nihilominùs particularibus debitam obedientiam ei præstare pervicaciter detrectant acceptare sub fucatis prætextibus, nolentes leges ab eo in bonum Ecclesiæ latas; sed eas *cum rebellione quadam*, & pertinaciter contemnentes. Et hi, *Schismatici* quidem in re saltem sunt, ac hostes unitatis *Ecclesiasticæ charitatis*, non tamen formales *Hæretici*, usque dum fidei integritatem servant, confitentes Apostolicam Christi Vicarii authoritatem, legitimamque B. Petri in supremo Navis Ecclesiæ regimine successionem.

17. Alii denique, qui & confitentur Unigeniti Patris Vices-gerentis principatum, & obedientiam ipsi parati sunt exhibere, sed errant in dignoscenda particulari Persona, in qua Authoritas revera resideat. Non quidem aliquem admittendo in Pastorem, qui talis conformiter ad divinam ejus institutionem esse non potest, ut contigit in Anglicano *schismate*, cujus impium Caput Jacobus *in sua præf. pag.14.* effutire non erubuit: *Pontifices per ambitiosam tyrrannidem sibi in temporalium Regum jura authoritatem injustè usurpasse*, & (*pag.22.*) *Hanc in Reges potestatem à Pontificibus iniquè usurpatam*; cùm de Regibus temporalibus *pag. 2.* dixisset: *Quos Deus in altissimo dignitatis gradu, quasi suos Vicarios, & Legatos ad exercenda judicia in suo solio collocavit*, & (*pag.10.*) *Quos Deus præcipuos sibi in terris Vicarios in administratione justitiæ esse jussit*; & de propria particulari persona (*pag.5.*) *Neque me Pontifice ulla ex parte inferiorem esse credam*. Patet namque hujus generis *schisma* apertam involvere *hæresim*, de qua *num. præc.* relatè *ad cap.2. art.12.* Sed quòd non adhùc habita communi Ecclesiæ acceptatione hujus numero individui in Romanum Pontificem ex pluribus, qui ad ejusmodi munus se contendant vocatos, non plenè eniteat, quinam sit præferendus? Catholicorum aliquibus alterum venerantibus, alterum aliis, ut contigit in Constantiensi schismate indicato *cap.3. art.11.*, cujus tempore licèt evidens in Ecclesia *Schisma* esset, non tamen dignosci clarè poterat, qui nam dicendi essent formaliter *Schismatici*, quòd nusquam constiterit, cui nam absolutè deberetur obedientia? quod necessarium est, ut quis formali ejusmodi nota sit afficiendus in facie Ecclesiæ, estò coram Deo potuerit esse talis, qui aliquem ex dubiis Pontificibus, ut certum indubitanter tenens, adhùc obedientiam ipsi pertinaciter negabat.

18. Ex hac verò *Schismaticorum* divisione, de qua legendus Cardinalis Turrecremata *in summ. de Ecclesia p.1. lib.4. cap. præsertim.14.* facilè deducenda venit diversitas, quæ potest contingere in propositionibus ipsis

ipsis *schismaticis* objectivè consideratis, ad varietatem modorum, quibus concipi possunt, & maximè si ex ipsis inferri intendatur animus Proferentium, absque eò quod ampliùs immoremur in harum propositionum indaganda natura, quæ ad intentum videtur abundè explicata. Qua ratione abstinendum pariter opportunum videtur à prolixa propositionis *rebellis* investigatione, de qua satis est innuere, quòd nullum aliud à *schismatica* importet discrimen, nisi quòd hæc adversùs Ecclesiasticam Fidelium unitatem dirigatur, utpote quæ populos removet ab obedientia suorum Pastorum, & præsertim Romani Pontificis, qui est supremus eorumdem Pastorum Pastor; Illa verò inobedientiam fovet, quam Populi Regibus, & Principibus temporalibus debent; undè ea non præstita *rebelles* dicuntur (1.*Esdr*. 4.19.) *Civitas illa à diebus antiquis adversùs Reges rebellat* (*lib.*2. *cap.*2.19.) *Quæ est hæc res, quam facitis? numquid contra Regem vos rebellatis?* & in aliis Sacrarum Literarum locis sæpissimè, ut propterea nihil de ea dicendum supersit, nisi quòd hucusque expensa de propositione *schismatica*, debita servata proportione *rebelli* adaptentur.

19. Post *schismaticam* ponit Dandinus *de susp. de hæres. cap. ult. sect.* 2. *subsect.* 1. §. 7. *n.* 13. propositionem *seditiosam*, quam, ait importare doctrinam incitantem subditos contra Superiores, subdens, quòd talis propositio, nisi opponatur aliundè doctrinæ fidei, non apparet digna censura theologica, licèt meritò Ecclesia hujusmodi propositiones prohibeat, v.g. *Jus est in armis. Inimici sunt occidendi. Quisque potest sibi justitiam facere. Resistendum est Superiori.* Aliter verò dicendum de propositionibus *seditiosis* tangentibus Ecclesiæ hierarchiam, quales sunt illæ Witcleph, Hus, & Lutheri: *Obedientia Ecclesiastica est adinventum Sacerdotum Ecclesiæ. Per censuras Ecclesiasticas Clerus populum sibi suppeditat. Nullus Prælatus, vel Princeps civilis est Dominus, quando est in peccato. Populares possunt ad arbitrium suum corrigere Dominos delinquentes*. Hæc citatus Author, quem prævivit Antonius Saura *in suo Platonis votò de prop. damn. & expurg. cap.* 7. *de propos. seditiosis, schism. &c.* quòad exclusionem rationis censuræ theologicæ, dum ait. „ Propositiones illæ, quæ „ *seditionem* causant in rebus fidem non tan„ gentibus, ratione censuræ theologicæ ad „ judicium Inquisitionis non spectant, nisi „ quando lege aliqua Apostolica Sancto „ Officio committuntur „

20. Verùm, præterquàm quòd limitatio ad materiam fidei perstricta plùs æquo appareat, ac si censuræ theologicæ adaptari propositionibus ad mores spectantibus per se nequeant. His & similibus applicandum videtur, quod in fine *art.* 12. de *superstitiosis*, & *schismaticis* indicavimus. Non enim de *seditionibus* ad præsens est sermo, sed de propositionibus *seditiosis*, quæ doctrinam continent, non quæ suasivæ præcisè, aut hortativæ sunt ad *seditionem*. Hæ quidem non censura theologica, sed sola Principis, sivè Ecclesiastici, sivè Temporalis pro materiæ, & Personarum varietate in Authores punitione indigent; Illæ verò etiam censuræ theologicæ sunt capaces, cùm præsertim possint objectivè dumtaxat inspici, non attento ullo ad Proferentem respectu: Undè *in instructione eorum, qui libris tùm prohibendis, tùm expurgandis, tùm etiam imprimendis diligentem, ac fidelem (ut par sit) operam sunt daturi*, quæ ad *calcem Tridentini* servanda proponitur, de *seditiosæ* nota, æquè ac de aliis fit mentio, dum expurgandæ præscribuntur *propositiones hæreticæ, erroneæ, hæresim sapientes, scandalosæ, piarum aurium offensivæ, temerariæ, schismaticæ, seditiosæ, blasphemæ*. Quod est conforme Constitutioni Pauli III. incipienti: *Apostolici culminis*, in qua laudatus Pontifex plectendos ab Inquisitoribus statuit Concionatores effundentes *satyras mendaces, & seditiosas propositiones*.

21. Ac propterea *seditiosis* proportionaliter applicanda sunt, quæ de *superstitiosis*, ac *schismaticis* expendimus; solùmque inter eas est in præsenti assignanda varietas, non aliundè desumenda, quàm ex natura ipsiusmet *seditionis*, & *schismatis*, ex eis inferendo propositionum quidditatem, & differentiam. *Seditio* autem ex Angelico (2.2.q.42. *art*. 1. *ad* 2.) *differt à schismate in duobus. Primò quidem, quia schisma opponitur spirituali unitati multitudinis, scilicèt unitati ecclesiasticæ; seditio autem opponitur temporali, vel sæculari multitudinis unitati, puta civitatis, vel regni. Secundò quia schisma non importat aliquam præparationem ad pugnam corporalem, sed solùm importat dissensionem spiritualem. Seditio autem importat præparationem ad pugnam corporalem*. Utraque itaque ex Aquinate propositio, *schismatica*, & *seditiosa*, destructionem unitatis promovere habet, sed *schismatica* tendit adversùs unitatem Ecclesiasticam; *seditio* adversùs sæcularem, vel temporalem. Illa non importat sui natura, nisi solam dissentionem spiritualem, hæc verò dirigitur ad præparandam etiam corporalem pugnam in civitatis, vel regni alicujus præjudi-

judicium. Sicque etiam in duobus ex eodem Angelico *ibid. in corp.* discriminatur à bello, vel rixa: *Primò quidem quia bellum, & rixa important mutuam impugnationem in actu, sed seditio potest dici, sivè fiat hujusmodi impugnatio in actu, sivè sit preparatio ad talem impugnationem. Undè Glos.2.ad cor.12. dicit*, quòd seditiones sunt tumultus ad pugnam, *cum scilicet aliqui se preparant, & intendunt pugnare. Secundò differunt, quia bellum propriè est contra extraneos, & hostes, quasi multitudinis ad multitudinem. Rixa autem est unius ad unum, vel paucorum ad paucos. Seditio autem propriè est inter partes unius multitudinis inter se dissentientes, puta cum una pars civitatis excitatur in tumultum contra aliam. Et ideò quia seditio habet speciale bonum, cui opponitur, scilicet unitatem, & pacem multitudinis, ideò est speciale peccatum.*

22. Differt itidem à *rebelli seditiosa*, quòd *rebellis* semper habeat respicere discordiam, & scissuram relatè ad inobedientiam adversùs Principes temporales, æquè ac *schismatica* importat ordinem ad inobedientiam in Pastores Ecclesiæ, & præcipuè in Romanum Pontificem: *seditiosa* verò ex suo conceptu temporalem scissuram solummodò importat Civium à Concivibus, motivo inobedientiæ in Principes non attento; esto si illud interveniat possit simul esse *seditiosa*, & *rebellis*, puta si simul promoveret, & inobedientiam in Principes, & esset dispositiva, ac excitativa præparationis ad pugnam inter unam partem multitudinis,& alteram, uti *Numer.26.9.* contigisse legimus: *Datan, & Abiron, qui surrexerunt contra Moysen in seditione Core quando adversùs Dominum rebellaverunt*. Sicuti pariter posset esse simul *seditiosa*, & *schismatica*, quoties nimirùm ita promoveretur inobedientia in Romanum Pontificem, ut pariter excitaretur temporale dissidium inter hæc, & illa membra, quæ ipsi tamquam supremo inhærent Capiti. Quòd enim *schisma* supponatur oppositum *spirituali unitati multitudinis, scilicet unitat. Ecclesiasticæ, seditio autem temporali, vel sæculari multitudinis unitati, puta Civitatis, vel regni*, non est intelligendum exclusivè; ac si, ubi intervenit repugnantia cum spirituali unitate haberi nequeat *seditio*, & ubi intercedit scissura unitatis temporalis interesse non valeat *schisma*: sed quòd *schisma* per repugnantiam, & contrarietatem cum spirituali unitate constituatur, *seditio* verò per repugnantiam cum temporali. Quæ contrarietates si in unum coalescant, & *schisma* haberi poterit, & *seditio*. Et proindè si propositio ulla ita concipiatur, ut simul excitativa sit, & scissionis membrorum à spirituali Capite Romano Pontifice, & præparationis ad temporalem pugnam inter hæc, & illa membra eidem Capiti subjecta, erit simul, & *schismatica*, & *seditiosa*. Undè, si quis assereret e. g. *posse fideles, se à communione Fidelium separare ratione obedientiæ, quam hi præstant Romano Pontifici existenti in statu peccati lethalis, etiam ineundo pugnam in ipsos*; propositionem *schismaticam* indubiè proferret, inobedientiam promovendo in Christi Vicarium, qui talis certissimè perseverat etiam in sensu composito peccati lethalis, quod saltem non sit *hæresis*, & *infidelitatis*; & etiam *seditiosam*, quia excitativam præparationis ad pugnam inter unam, & alteram multitudinis partem, quæ non potest non parere scissuram temporalis unitatis, quamtumvis orta supponatur ex motivo prætensæ scissionis unitatis spiritualis. Ad quod fortè motivum respexit Cardinalis Brancatus *disp.16. de perf. ac. doctor. de hær. susp. art.2. §. 3.* propositiones *schismaticas*, ac *seditiosas* non servato terminorum rigore recensens tamquàm synonimas,

23. Pro quarum completa notitia duo subjungenda censemus. Alterum quoàd *seditiosas*, quæ suapte natura in abstracto, & objectivè sunt tales, juxta quam proprietatem de ipsis hucusque factus est sermo; & quæ tales quandoque inscribuntur, non ex intrinseca ipsarum natura, sed ex circumstantiis extrinsecis *seditiosas* eas reddentibus veluti *subjectivè*, idest vel ex Proferentium *seditiosè* se gerentium qualitatibus: vel ab effectibus; non ex quidditate, qua constituuntur, sed earundem occasione insurgentibus, ad ipsas indè *seditionis* denominatione translata. Sic *Actor.15.1.* docentibus quibusdam Fratribus de Judęa descendentibus, *quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysis, non potestis salvari*, mota mox *seditio* subnectitur: *Facta ergo seditione non minima Paulo, & Barnabæ adversùs illos*, vi cujus doctrina illa potuit *seditiosa* inscribi, non quòd designaret, aut promoveret ex intrinsecis suis *seditionem*, sed quòd ejus occasione orta revera *seditio* fuerit. Hujusque generis quandoque esse possunt propositiones, quarum attento tenore nulla essent afficiendæ censura theologica, & nihilominùs proscribendæ veniunt, seu veriùs suspendendæ, quòd contentiones, & *seditiones* earum prætextu futuræ prævideantur. Ac de his propemodùm verificari potest, quod

quod habet Saura *num.*19. relatus, *instructionem* Clementis VIII., de qua *num.*20., extendens ad propositiones *seditiosas*, quæ aliàs censuram non merentur theologicam: Illas enim, quæ sui natura *seditionem* promovent, censura theologica affici posse, tamquam à veris morum regulis aberrantes *ibid.* insinuavimus, ipsarumque ratione Alexander IV. *constit.* VIII., *de anno* 1256. *edita*, cujus initium: *Romanus Pontifex*, prohibuit, præter alia motiva, *librum de periculis noviss. temp.* qui incipit: *Ecce videntes clamabant*, quia nempè *interserit odia, rancores ingerit, livores accendit, movet lites, jurgia suscitat, contentiones irritat, promit seditiones, dissentiones procurat*.

24. Alterum quòad *schismaticas*, quarum confusio vitanda est cum propositionibus *illusoriis jurisdictionis Ecclesiasticæ*, de quibus *cap.*9. Saura eas asserens indicatas in *instruct. Pontif.* Clementis VIII. verbis illis; *Expurgandæ sunt propositiones, quæ sunt contra libertatem, immunitatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam*. Dupliciter autem *Ecclesiasticæ jurisdictioni* illudi potest, negativè videlicet, & positivè. Negativè habetur *illusio*, quoties sub fucatis prætextibus inobedientia excitatur in Prælatos Ecclesiasticos, quà tales, & in hoc præcisè sensu non est improbabilis, & omninò illegitima confusio *schismaticæ* cum *illusoria*, dum utraque habeat inobedientiam prædictam promovere, & aliàs per accidens penitùs est, si id apertè fiat, vel clanculariè, seu sophisticis mediis artificiis, dummodò finis per eas intentus sit sejungere fideles à subjectione suis Pastoribus, & præcipuè Romano Pontifici debita. Positivè verò jurisdictionem Ecclesiæ aliis ab ipsius Rectoribus tribuendo, sivè id fiat privativè, asserendo videlicet ad laicos Principes, e. g. dumtaxat spectare, quod ad Tribunal solius Ecclesiæ pertinet; sivè cumulativè communem reddendo jurisdictionem Ecclesiæ characteristicam, Potestatibus sæcularibus. Pro utriusque *illusoriæ* exemplis valent sacrilegæ assertiones Regis Angliæ, de quibus *num.*17., quæque proindè, sicut & cæteræ similis furfuris, nedum *schismaticæ*, sed & *illusoriæ* sunt dicendæ. *Schismatica* verò privativè haberi potest illa, qua usurpatam à Regibus effutiit potestatem Principi Apostolorum, & ejus legitimis successoribus impertitam. Cumulativè, illa altera, qua se Pontifice nulla parte somniabat inferiorem. Ex quo fit consequens, quòd licèt omnis *illusoria* in se sit *schismatica*, sivè explicitè, & fomaliter, sivè ut minimùm virtualiter, & illativè, non tamen omnis *schismatica* est *illusoria*, quia non omnis inobedientiæ in Pastores Ecclesiasticos excitatio importat translationem jurisdictionis in laicos, in qua sita est *illusoriæ positivæ*, (quæ simpliciter hoc intitulatur nomine,) quidditas.

25. Non proindè admittenda plenè videtur descriptio, qua ab Antonio Saura *illusoria* dicitur „ Doctrina, quæ manifesto, „ vel occulto, & sophistico artificio enervat vim sacrorum Canonum, vel quæ „ potestatem, & jurisdictionem Ecclesiæ, & „ Pastorum ejus contra communem, & „ saniorem sensum eludit „ exactior quippè esset, & mox insinuatis cohærentior, si exprimeretur: Doctrina, quæ potestatem, & jurisdictionem Ecclesiæ propriam infringit, vel imminuit, in laicas Personas sub fucatis præsertim, ac artificiosis prætextibus eam transferens, vel ipsis communem efficiens. *Illusoriis* autem, & *schismaticis* propositionibus scatens rectè subdit esse, *Viridarii Somnium de potestate Papæ, & Principum secularium*; quod itidem excusum extat sub titulo: *Somnii Viridarii Auctore Achillino Philoteo*, nec non & sub altero: *Dialogus inter Clericum, & militem*. E quibus apud ipsum indicatis, *Illusoriæ* privativæ natura summoperè redolet *caput.*14. *lib.*1. *Somnii Viridarii*, in quo Author intolerabili impudentia nititur præcipuam juridicam cognitionem adimere Ecclesiasticis Præsulibus quòad duellum, usuram, perjurium, & alia crimina politicæ vitæ annexa, deducens tamquam inconveniens, ac absurdum, quòd si propter peccati nexum Ecclesiastici de hujusmodi sceleribus cognoscant, non superest, nisi tribunalia temporalium Potestatum claudere, seculares leges, & decreta Principum destruere &c. „ Quoniam verò (Sau„ ræ usurpantes monitum *articulo* finem „ imponimus) timendum valdè est circa „ prædictas theses jurisdictionis aberrare, „ legantur ea, quæ Joannes Ludovicus „ Vivaldus de Monteregali scripsit *lib. de* „ *persecut. Eccl. persecut.*4. cujus verba hæc „ sunt: [Quidam præsumptores Principes, „ varios, ac rabidos insultus fecerunt con„ tra Summum Pontificem, & cæteros „ Prælatos, ut patrimonium, jura, red„ ditus, ac obedientiam Ecclesiæ ab eis tol„ lerent] paulò post addit: [communi pro„ verbio dicitur: Nunquam vidi Alchi„ mistam divitem, neque Incantatorem „ benè morientem, neque Rebellem Eccle„ siæ diù prosperantem] Plurimis exem-

 plis

„ plis illustrat hanc veritatem commemora-
„ tis nominibus similium Principum, qui
„ funestis, & subitis casibus perierunt, ip-
„ sorum regnis, & ditionibus in summa
„ miseria derelictis.„

ARTICULUS XIV.

Quænam sit quidditas, ac distinctio propositionum Decolorativæ candoris Ecclesiæ? Subsannativæ, *seu* Denigrativæ puritatis fidei: *&* Aversivæ à Religione catholica suscipienda, *aut* Diversivæ à suscepta?

1. E Suprema totius Ecclesiæ Capitis ratione Romano Pontifici divina institutione concessa, vi cujus, ut abundè indicavimus cap.2.*art.*12.*à n.*8. Fideles omnes nedùm singillatim, & seorsim inspecti, sed & collectivè cosiderati, sivè in Concilio generali in unum repræsentati, sivè extra illud per orbem universum diffusi, semper ut membra haberi debent visibili Capiti pro Christo in Terris Vicesgerenti cohærentia, ipsique subjecta, indubium manet, ac inconcussum, Unigeniti Patris Vicarium auctoritate sibi communicata potiri ad condèdum, mutandum, infringendum, dispensandum, & abrogandum quaslibet Ecclesiæ leges, nedùm per solos suos Prædecessores editas, sed & in Conciliis ipsis œcumenicis pro totius christiani cætus regimine formatas. Quæ, cùm à principio validius non habuerint robur, nec majorem sortita fuerint firmitatem, nisi ad Apostolicæ confirmationis, qua fuere munitæ, mensuram; sequitur, quòd non minùs, ac reliquæ à Romanis Pontificibus extra Concilia promulgatæ, ipsismet sint adscribendæ; qui sicuti, propria potestate has immediatè condiderunt, ita & illas, suas fecerunt Pontificio corroborando munimine. Nihil autem in jure usitatius, quàm, quòd *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, ut propterea mirum propemodùm videatur, quòd adhùc inter Catholicos reperiantur, qui Pontificiam authoritatem sacrorum Canonum limitibus ita censeant coarctatam, ut ipsius usus non nisi per Conciliares sanctiones sit necessariò moderandus.

2. Quod, cùm olim, ut habetur, *cap.* Significasti *de electione, & electi potest.* Paschali Papæ I. (juxta opinionem, quam novissimè tuetur Emmanuel Gonzalez dictum *cap.* explicans post Vincentium Litara *in orat. de Primate Ecclesiæ Panormitanæ*, & Rocchum Pirrum *tom.*1. *Sicil. in notit. Eccl. Pan. fol.*77. vel secundo ad placitum Cardinalis Baronii ad *ann.*1117. quem secuti sunt Piccolus 2. *p. hist. cap.*17. & Petrus de Marcha *lib.*6. *Concord. sac. & Imp. cap.*7. *ad finem*, ob conditionem illam, quæ ab Apocrisiariis Apostolicæ Sedis expetebatur, pallium Archiepiscopo Panormitano exhibentibus: *Si Sacramentum, quod à Nobis scriptum detulerant, jurares*) objiceretur, egregiè à prælaudato Pontifice rejectum legimus; *Ajunt Reges tui*, quo nomine Præfectum Panormitanum tunc temporis insignitum ex Litara innuit cit. Gonzalez, *in Conciliis statutum non inveniri; quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, cùm omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ authoritatem, & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romana pateater exceipiatur authoritas.* Pro qua in hoc puncto egregiam præ cæteris innumeris navarunt operam, Cardinalis de Aguirre *in Defens. Cath. S. Petri* sub titulo; *Auctoritas infall. & summ. Cath. S. Petri* præsertim *tract.*3. *disp.*34. *sect.*4., *& disp.*37. *per totam*. Cardinalis Sfondratus in *suo Regali Sacerdotio* sub Eugenii Lombardi nomine edito, & piissimus Antonius Charlas Gallus in *opere* cunctis fœculis memorando *De libert. Eccl. Gallic.* pariter absque ipsius Nominis designatione impresso. Non quòd sapientissimi Viri ignorarent Patrum Tridentinorum prohibitionem *sess.*4. *in decr. de edit. & usu sacr. lib.* quosvis libros typis edendi *sine nomine Auctoris*, sed quod optimè scirent, interdictum id non esse, quoties debita cum Superiorum licentia, justisq; concurrentibus causis fieret; ob quarum interventum, non reprehensione, sed æterno dignum encomio ejusmodi habendum silentium, & à sacris veteribus Patribus usitatum: *Non enim omnes libros, qui nomen Auctoris non preferunt, damnandos putarunt, quandoquidem sæpè Viros doctos, ac Sanctos novimus, ut Christiana quidem Republica ex eorum vigiliis fructum caperet, ipsi verò inanem gloriam evitarent, libros optimos sine nomine edidisse: sed eos tantùm, qui aut liquidò pravam, aut dubiam fidei doctrinam, sivè moribus perniciosam continent;* ut monemur *in præfat. in Indic. lib. prohib. ad Trid. Concil. calcem appos.*

3. Supremam autem hanc Romani Pontificis authoritatem, non proindè ab eo arbitrariè, & pro libito exercendam quis dixerit, ne quod ei ad Ecclesiæ ædificationem est concessum, in Ecclesiæ præjudicium, fideliumque cedat perniciem. Potestatem siquidem totius Christi Gregis Pastoris

ftoris in iis, quæ pro Ecclesiastica disciplina sunt condita, tuemur, potestatis abusum improbamus, Deique innixi providentiæ à Pontificio regimine alienum perpetuò futurum confidimus; sicuti hactenùs experientia comprobante didicimus ab eo semper Christi Vicarios adeò abhorruisse, ut per excessum quandoque se se impotentes appellare non dubitaverint ad aliquid contra Canones statuendum, etiamsi illud intra limites propriæ jurisdictionis comprehensum ipsis abundè constaret; eo solùm ducti motivo, quòd licitum Pontificiæ Potestatis exercitium, justa, & rationabili causa non habita, adversùs Prædecessorum, aut Conciliorum leges, minimè arbitrarentur, utpotè quibus notum esset ita Canonum dispensationem ipsis commissam, ut nullo in casu desinerent Canonum esse Custodes. Quales certè nequaquam inscriberentur, si promiscuè, & in quibuslibet occasionibus, absque matura causarum, & circumstantiarum ponderatione Ecclesiasticum irrationabiliter relaxarent rigorem. Cùm contra, à Canonum custodia haud quaquam se elongat, qui, quoties in Ecclesiæ, vel Fidelium bonum, utilitatemque cessuram putaverit rigoris moderationem, & temperantiam, præ oculis habens, quòd finis, ob quem rigor fuit inductus, in his, vel illis casibus minimè præponderet, Apostolica illam authoritate impertiatur.

4. Totum hoc paucis complexus est Seraphicum Minoritici Cœli Sidus S. Bonaventura in 4.*d.*19.*in exposit. tex. Mag. Sent. dub.*6.inquiens: *Dominus Papa non est subjectus Constitutionibus Patrum, sed super omnes est, ideò potest in eis dispensare, & tunc benè facit, quando necessitas, vel utilitas hoc requirit .... Dispensatio est juris relaxatio facta cum causæ cognitione ab eo, qui habet jus dispensandi. Undè dispensare dicitur, quasi diversa pensare, & ideò in eis, quæ statum Ecclesiæ decolorant, dispensandum non est cum eis, qui nituntur jus infringere: & hoc est, quando multis conceditur, quod paucis esset concedendum.* Ex quibus verbis notam propositionis *decolorativæ candoris Ecclesiæ* desumpsit Antonius Saura *in suo Plat. vot. de exam. prop. cap.* 14. illam in eo sitam autumans, ut *doceatur abusus potestatis Ecclesiæ, & Regalis*. Quæ ultima particula extensivè videtur addita, in ordine videlicet ad civilem, & politicam jurisdictionem, ampliando doctrinam, quam hactenùs insinuavimus relatè ad Ecclesiasticam potestatem. Quod fortè contigit, sivè quia etiam in Principibus Catholicis propriæ potestatis abusus *decolorativus* visus esset *Ecclesiæ candoris*, cujus nitiditas nedùm in Romanis Pontificibus, sed & in Temporalibus Potestatibus sub Christi militantibus vexillo debet suo modo splendescere; sivè quia etsi abusus Regalis jurisdictionis, non sit per se saltem *decolorativus candoris Ecclesiæ*, propositio nihilominùs dictum abusum promovens *decolorativa* inscribi debeat, quòd ad *Ecclesiæ candorem* pertineat quamlibet doctrinam à Sacris Doctoribus eliminare, quæ ipsius Sanctitatis *nitori* umbram, maculamque vel levem potest inspergere.

5. Rationabilior proindè extensio esset, si ex Romanis Pontificibus transitus fieret ad reliquos quosque, qui de eadem authoritate aliqualitèr participant, sivè jure delegato, sivè etiam ordinario, & præsertim ad eos, quos Spiritus Sanctus Episcopos posuit regere Ecclesiam Dei. Sicuti namque sunt in partem Pontificiæ solicitudinis vocati, ita & justum est, ut ita facultatibus sibi respectivè commissis utantur, quòd nulla ex earum usu insurgat *candoris Ecclesiæ* obnubilatio, seu *decoloratio*. Ac eatenùs propositiones omnes, quæ abusum hujusmodi aptæ sunt promovere, & excitare *decolorativæ candoris Ecclesiæ* nota sunt afficiendæ, præter alias, quas juxta materiæ qualitatem possunt merere. Esto non æquè principaliter his dicta nota competat, ac præcedentibus abusui exercitii Apostolicæ authoritatis faventibus. Sic autem explicata *candoris Ecclesiæ decoloratio* posset talis inscribi *per excessum*, quia ex multiplicatione exercitii jurisdictionis Ecclesiæ exurgit, multis concedentis, quod paucis esset impertiendum. Qui *excessus* posset pariter committi ab inferioribus Prælatis ex parte ipsius potestatis, eam ampliantibus ad casus, ad quos de jure extendi nullatenùs deberet. Dum, v.g., „ per
„ Epykias, vel ratihabitiones, aut absol-
„ vunt, aut interpretantur, aut dispensant
„ inferiores Prælati, & Sacerdotes: dum
„ ad libitum docent in pluribus casibus
„ non potuisse limitari potestatem, nisi
„ cum Animarum destructione, & plura
„ alia hujus generis,„ ut loquitur præfatus Saura, qui tamen de *decoloratione*, veluti in abstracto loquitur, non distinguens inter *decolorationem*, quæ sit *per excessum*, & aliam, quæ sit *per defectum* mox recensendam. Immò ad hanc tacitè spectare intendit posteriorem hunc explicatum *excessum*, connectens eum cum exemplo, quod pro explicanda *decoloratione per defectum* ex D. Bonaventura adducemus. Nec omninò irratio-

nabiliter, si ulterior reflexio fiat, quòd ipsemet inferiorum Prælatorum *excessus* debitæ potestatis, hujus in eis *defectum*, carentiamque supponat, cum non aliunde *excessus* denominetur, nisi quòd importet exercitium jurisdictionis, qua, sivè ex natura rei, sivè ex Romani Pontificis, cui eorumdem authoritas jurisdictionalis est plenè subordinata, limitatione nequaquam fruuntur.

6. *Decolorativam* itaque *candoris Ecclesiæ per defectum* vocare placet, eam, quæ favet abusui Potestatis Ecclesiasticæ coarctantis propriæ jurisdictionis exercitium in Animarum perniciem. Hujus generis erat olim nonnullorum opinio, quam impugnare aggreditur idem Seraphicus Doctor in *opusculo* inscripto: *Quare Fratres Minores prædicent, & confessiones audiant?* dubitantium, & quærentium, *cum non habeamus curam Animarum ordinariè Nobis commissam, qua ratione, vel qua authoritate, vel qua forma prædicemus, vel confessiones in populo audiamus?* & proinde perstringentium ejusmodi facultates ad solos Parochos, curamque Animarum habentes, in apertum æternæ earumdem salutis dispendium, ut ad oculum S. Doctor toto prædicto *opusculo* ostendit, inquiens inter alia, quòd *in his novissimis temporibus, de quibus prædixit Apostolus, quòd instabunt tempora periculosa ex multiplicatione peccatorum, & numerositate rudium populorum, & seductione hæreticorum, & raritate bonorum, & difficultate regendi, & insufficientia Prælatorum, & perplexitate casuum emergentium, & aliorum periculorum Ecclesiæ imminentium ex variis eventibus, providit Sedes Apostolica ad obviandum præfatis periculis quibuscumque remedium subventionis Animabus pereuntibus, quòd divina ordinatione quosdam Religiosorum Ordines instituit, qui officio prædicationis, & confessionis sibi commisso subveniant indigentiæ populorum, & insufficientiæ Clericorum, & obsistant versutiis hæreticorum, & hoc in solatium, & sublevamen oneris, non in præjudicium Plebanorum. Non enim præjudicat eis, si Dominus Papa, vel Episcopi eorum, de officio suo solliciti, quod personaliter implere non valent, aliis loco suo implendum committunt. Sicut nec hoc præjudicaret eis, si vellent personaliter in Parochiis eorum prædicare, vel confessiones audire; ità quòd ipsi confessi non tenerentur tunc iteratò Plebanis suis confiteri, cum ipsi Plebani sint Vicarii Episcoporum in suis Parochiis, sicut Episcopi Summi Pontificis in officiis sibi commissis, quia non in diminutionem potestatis, sed in adjutorium sustentandi oneris, sunt inferiores Pastores superioribus subrogati.*

7. Utriusque verò generis *decoloratio*, per *excessum* scilicet, & per *defectum* contingere potest, in propositionibus, quæ non minùs ad forum externum pertinent, quàm ad internum. Circa quod, tàm per *excessum*, quàm per *defectum* formari possunt propositiones *decolorativæ candoris Ecclesiæ*, in materia v. g. Indulgentiarum. Si quidem propositio per *excessum decolorativa* esset, per quam usus concessionis earumdem ita promoveretur, ut ex eo disciplinæ Ecclesiasticæ enervatio oriri posset; monentibus ad hoc inconveniens vitandum *sess. 25. in decr. de Indulgen.* Tridentinis Patribus: *In his tamen concedendis moderationem juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur.* Quod antea innuerat Angelicus in fine *num.* 10. adducendus. Cùm contra *decolorativa candoris Ecclesiæ per defectum* mihi videtur propositio, quæ ab aliquibus Recentioribus sustinetur (nisi sanè explicetur, prout explicari eam non dubito à probatæ doctrinæ Catholicis) autumantibus in earumdem concessione „ haberi debere „ (Juenini sunt verba *tom.* 1 *instit. theolog. edit. Venet. pag.* 446. quod opus suspensum ab Emo Archiepiscopo Parisiensi, & à Romana Inquisitione fortè interdicendum notavi *c.* 4. *art.* 5. *n.* 1. nunc verò absolutè, & meritissimè sub quacumque editione jam prohibitum 9. Octobr. 1708.) assero, „ rationem con-
„ tritionis, ac laborum hominis pœniten-
„ tis. Neque Majores nostri eas largieban-
„ tur hominibus lapsis, nisi intensam con-
„ tritionem probassent pœnitentiæ labori-
„ bus, aut saltem nisi proportionatam pec-
„ catis pœnam, & suscipere, & exequi pa-
„ rati essent, quamvis aut præ infirmitate,
„ qua detinebantur, aut propter instans
„ mortis periculum proportionatam suis
„ peccatis pœnam subire non possint „

8. Locus hic non est, omnem, quam meretur, propositio hæc, censuram examinandi, attento præsertim, quòd *part.* 8. *diss.* 9. iterum eam stabilire curans, conclusionem illam firmet; *Indulgentiæ quantumcumque plenariæ supponantur, lapsos à satisfactionis debito non eximunt.* Judicium hoc Lectoribus remittimus eruendum, tùm ex interrogatione, quam inter alias faciendam præcepit cuilibet è suspectis de erroribus Vuitcleph, & Hus, in *sua Const.* Inter cunctas Martinus V. *Utrùm credat, quod Papa omnibus Christianis verè contritis, & confessis ex causa pia, & justa possit concedere Indulgentias in remissionem peccatorum, maximè pia loca visitantibus?* tùm ex verbis *Apostolicæ epistolæ*, de

qua

qua *num. seq.* Contenti obiter indicare coarctationem hujusmodi Pontificiæ Potestatis summoperè ad minùs *decolorativam* esse *candoris Ecclesiæ*, dum in maximum Animarum præjudicium limitatur, ac perstringitur exercenda dumtaxat favore eorum, qui aut intensam contritionem habent probatam *pænitentiæ laboribus*, aut præ infirmitate, seu propter instans mortis periculum *proportionatam suis peccatis pænam subire non possunt*. Quod, quàm sit absonum, evidenter demonstrat indicata *encyclica epistola* S. Cōgregationis particularis per fel. re. Innocentium XII. deputatæ, quæ ab ipso in omnibus, & singulis Pontificio fuit robore munita, ac de ejus mandato ad Episcopos totius orbis transmissa, ut Fideles ad consecutionem Indulgentiarum Anni Sancti excitarentur, seseque pro viribus disponerent. In quem finem inter alia hæc italico sermone leguntur attentè ponderanda.

9. *Per accendere ne cuori il pio desiderio di conseguire il Santo Giubileo..... premeranno, che con somma carità, e pazienza restino i popoli istruiti, che quantunque nel Sacramento della Penitenza ci sia concessa la remission delle colpe, e delle pene eterne, nulla di meno doppo il perdono de falli restando ordinariamente per mancanza del perfetto dolore*, (non ergo intensio contritionis ad largitionem Indulgentiarum attendenda, quæ necessitatem earumdem immuneret potiùs, quàm inferret) *delle colpe, il debito della pena temporale, rimane in noi il gravissimo peso della sodisfazione, che pagar si dovrebbe con abondanti limosine, con digiuni, con altre lunghe, e severe penitenze, quali costumavansi ne fervorosi tempi dell' antica Chiesa severissime, secondo il prescritto de Sacri Canoni penitentiali, e con atrocissime pene da soffrirsi nel Purgatorio, Ma riuscendo quelli per la fiacchezza* (non ob infirmitatem, vel instans mortis periculum) *umana difficili à praticarsi, queste asprissime à sopportarsi, il Supremo Vicario del nostro pietosissimo Redentore, come universal dispensatore delle ricchezze spirituali n'hà facilitato*, (non ergo prævia ad Indulgentias asseri debet contritionis intensio *probata pænitentiæ laboribus*) *il modo di sodisfare col mezzo dell' Indulgenza dell' Anno Santo*.

10. Moderationem itaque Tridentinum commendat ex veteri, & probata Ecclesiæ consuetudine, non tamen negat regulandam pariter ex temporum, locorum, ac Personarum qualitatibus, quibus attentis, sicuti perdurante Catholicorum ardenti fervore utile videbatur Indulgentias rariùs, præsertim plenarias, impertiri; ita & nostra ætate, charitate refrigescente, expediens judicatur largiùs illas concedere. Et ratio ulterior est desumenda ab Angelico *in suppl. q. 25. art. 2. in corp.* asserente, *quòd quantitas remissionis Indulgentiæ non est mensuranda ex causa, quæ facit aliquem indulgentia dignum. Et ideò aliter dicendum est, quòd quantitas effectus sequitur quantitatem suæ causæ, causa autem remissionis pœnæ in indulgentiis non est, nisi abundantia meritorum Ecclesiæ, quæ se habet sufficienter ad totam pœnam expiandam, non autem causa remissionis effectiva est, vel devotio, vel labor, vel datum Recipientis indulgentiam, aut causa, pro qua fit indulgentia. Vidè non oportet ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiæ, quæ semper superabundant, & ideò secundùm quòd applicatur ad istum, secundùm hoc remissionem consequitur. Ad hoc autem, quòd applicentur isti, requiritur auctoritas dispensandi hujusmodi thesaurum, & unio ejus, cui dispensatur ad eum, qui merebatur, (quod fit per charitatem), & ratio dispensationis, secundùm quam salvetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt, fecerunt enim ad honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ in generali. Vndè quæcumque causa adsit, quæ in utilitatem Ecclesiæ, & honorem Dei vergat, sufficiens est ratio indulgentias faciendi. Et ideò secundùm alios dicendum, quòd indulgentiæ simpliciter tantùm valent, quantùm prædicantur, dummodò ex parte Dantis sit auctoritas, & ex parte Recipientis charitas, & ex parte causæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei, & proximi utilitatem. Nec in hoc fit nimis magnum forum de misericordia Dei*, (*ut quidam dicunt*) *nec divinæ justitiæ derogatur, quia nihil de pœna dimittitur, sed unius pœna alteri computatur*, & *in resp. ad* 1. attestante, quòd etsi in concessione Indulgentiarum *inordinatio* haberi possit, ea tamen nullum præjudicium inferet illi, qui pro ejus consecutione præscripta opera exequitur; tantùm abest, ut probabile ex ejus principiis esse queat, quòd Indulgentiæ plenariæ à debito satisfactionis non eximunt: *Si tamen inordinatè remittat, ita quòd homines, quasi pro nihilo ab operibus pænitentiæ revocentur, peccat faciens tales indulgentias, nihilominùs quis plenam indulgentiam consequitur.* Quòd si de inordinatè concessis Indulgentiis, hoc verificari asserit Angelicus, quodnam, putamus, judicium ab eo efformatum fuisset de universali illa Jueninî propositione, quòd Indulgentiæ quantumcumque plenariæ supponantur, lapsos à satisfactionis debito non eximunt?

11. *Decoloratio* autem hujusmodi *candoris Ecclesiæ* posset proculdubiò, & *puritatis fidei denigratio* inscribi, ac catenùs proposi-

tiones

tiones *decolorativæ* denominari itidem, *denigrativæ puritatis fidei*. Quatenùs nempè ad hanc spectat quoque præscribere, ut supernaturaliter communicatæ Ecclesiæ Catholicæ facultates, debitè, id est absque vel imprudenti excessu, vel vitioso defectu exerceantur, ne indè occasio præbeatur refundendi in Fidei, quam tenemus, vitium, quod, non nisi malè illis utentium culpæ est tribuendum. In hoc tamen sensu non sumitur à Theologis *puritatis fidei denigratio* gradum specificum censuræ à præcedenti distinctum constituens, propositionis scilicet *denigrativæ puritatis fidei*. De qua præ aliis ex professo Antonius Saura *in suo Plat. voto de exam. prop. cap.10.* indicans, de ea mentionem fieri in desuper laudata Martini V. *Const. ad fin. Conc. Constant.* & in re non distingui ab altera, quæ habetur in Concilio Romano sub Gelasio Papa *c.* Sancta R. E. *dist.* 15. sub nomine *subsannativæ* insinuata in eo, quòd Pontifex pleraque Sanctorum gesta *singulari cautela in S. R. E.* ait non legi, *quia & eorum, qui conscripsere nomina penitùs ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis superflua, aut minùs apta, quàm rei ordo fuerit, scripta esse putantur: sicuti cujusdam Quirici, & Julitæ; sicut Georgii, aliorumque ejusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur conscriptæ. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio in S. R. E. non leguntur*.

12. Definiri propterea potest propositio *denigrativa puritatis fidei*, quæ in Fidei, Religionisque prætensum augmentum, falsa pronuncians, vel vera falsis permiscens, argumenta, quibus illa fulcitur, ac stabilitur, debilia reddit, ac infirma, dignaque ut ab Infidelibus irrideantur, ac subsannentur. Cujusmodi erat olim opinio nonnullorum, qui sustinebant Indulgentias non tantùm valere, quantùm sonant, Ecclesia earumdem valorem ampliante, ac exagerante, ut homines ad pia opera alliciat: *Quidam dicunt*, ait *cit. quæst.25. art.2. in corp.* Angelicus, *quòd hujusmodi indulgentiæ non tantùm valent, quantùm prædicantur, sed unicuique tantum valent, quantùm fides, & devotio sua exigit. Sed dicunt, quòd Ecclesia, ad hoc ita pronuntiat, ut quadam pia fraude homines ad benefaciendum alliciat. Sicut mater, quæ promittens filio pomum, ipsum ad ambulandum provocat. Sed hoc videtur valdè periculosum dicere: sicut enim dicit Aug.* (in *epist. ad Hiero.*) *si in Sacra Scriptura deprehenditur aliquid falsitatis, jam robur auctoritatis Sacræ Scripturæ perit: & similiter si in prædicatione Ecclesiæ aliqua falsitas deprehenderetur, non essent documenta Ecclesiæ alicujus auctoritatis ad roborandam fidem. Et ideò alii dixerunt, quòd tantùm valent, quantùm pronunciantur, secundùm justam æstimationem, non tamen Dantis indulgentiam: qui nimis fortè æstimat, quod dat: aut secundùm æstimationem Recipientis, qui nimis parùm æstimare potest, quod datur. Sed secundùm justam æstimationem, quæ justa est secundùm judicium bonorum, pensata conditione personæ, & utilitate, & necessitate Ecclesiæ: quia uno tempore Ecclesia plus indiget, quàm alio*.

13. Ad quam cohærenter doctrinam Saura notat, quòd cùm prophetiæ, revelationes, miracula, gesta Sanctorum, martyria, sint efficacissima argumenta, quibus munitur fides, non potest non dici *denigrativa fidei*, quælibet doctrina, (sicuti servata proportione quodlibet factum) qua aliquid ejusmodi adulteratur, aut fingitur, ob periculum indè imminens, quòd manifestata eorumdem falsitate, (quod facilè contingere potest, cùm præsertim, quæ sic finguntur, inverisimilia esse soleant, & creditu difficilia) vera indè miracula, martyria, revelationes &c. infamantur, ac consimili falsitati redduntur obnoxia, & idcircò apud Infideles, & imperitos irrisione reddantur digna, cachinnoque, à quo *lib.1. contr. Celsum* Origenes plurimùm abhorrebat; *Multa enim talia vidimus, quæ, si memorantur, dumtaxat gesta in vestra præsentia, cachinnum tollerent Infideles, nisi nos quoque, sicut illos fingere rati: testis est Deus nostræ conscientiæ, conari me, non falsis narratiunculis, sed veris exemplis commendare Jesu doctrinam*; pervicacia præsertim *hæreticorum* inspecta in evidentia ipsa, nullique dubietati obnoxia miracula furentium, falsa ea deprædicando, & inania, ut de Jacobo Angliæ Rege constat, qui, ut videre est apud Suarez *contr. Reg. Angl lib.5. de Antichristo cap.19.* Romanam Ecclesiam impiè blaterans repræsentatam per *bestiam*, quam Joannes *Apoc.13.11.* vidit *ascendentem de terra, quæ habet cornua duo, similia agni, & loquebatur sicut Draco..... & fecit signa magna* &c. per hæc effutiit designata, quæ in illa sunt patrata miracula, quæ vocat *falsa, & portenta mendacia* ad conciliandam Romano Pontifici authoritatem adinventa, Christi promissiones sic eludens indefinitè *Marc. ult.* dicentis: *signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in Nomine meo dæmonia ejicient* &c. Non adeò eatenus accuratè Cajetanus ad *superstitionem* reduxit peccatum Concionatorum, & Doctorum, qui falsis miraculorum narrationibus fidem confirmant; ut enim notat *lib.2. de superstit. cap.2.* Suarez, illa

„ illa actio non videtur ad cultum pertine-
„ re, sed ad doctrinam, & fidei confessio-
„ nem, & persuasionem, & ideo videtur
„ magis peccatum illud esse, vel contra
„ ipsam fidem, seu fidei confessionem, vel
„ contra charitatem „, ob ruinam videlicet spiritualem, quæ resultare potest ex hujusmodi falsitatibus.

14. Prædicta utraque propositio *Aversiva* dici posset à *Religione Catholica* suscipienda, vel *diversiva* à suscepta, ex quo, ut indicavit Angelicus mox laudatus, clarum apparet, quòd Infideles, qui ad illam amplectendam hortantur, vel recenter sacro Christi baptismate reperiuntur initiati, aut ab hæresi in R.E. gremium adscripti, odium in eam, & *aversionem* concipiunt, si semel conspexerint, vel dubitationibus exposita pleraque ex argumentis, quibus Catholica Religio credibilior aliis quibuslibet sectis solet suaderi, & ostendi; vel potestatem à Christo Romano Pontifici, aliisque dependenter ab ipso Ecclesiasticis Patribus collatam dispensandi in sacris Canonibus, Indulgentias elargiendi, pœnas relaxandi &c. in perniciosum abusum conversam, reddi tamque, doctrinarum vigore, illam plùs æquo, aut irrationabiliter ampliantibus, aut imprudenter coarctantibus. Nihilominùs diversa itidem censuræ species hæc est, illi adaptanda doctrinæ, aut propositioni, quæ sui natura immediatè catholicam Religionem odiosam habet reddere, & proindè ab ea animos, vel *avertere*, ne adhæreant, vel *divertere*, ut se elongent ad pristinos errores redeuntes. Distinguitur eatenùs à *Decolorativa candoris Ecclesiæ*, quòd hæc solùm jurisdictionis Ecclesiasticæ limites impetat, illa ad concitandum odium in totam Religionem catholicam dirigatur. A *denigrativa* verò *puritatis fidei*, quòd hæc apparenter saltèm potiùs fidei augmentum intendat, licèt ipsam revera *denigret*, ob media, quæ eligit diminutionem indirectè, saltim non augmentum inducentia. *Aversiva* verò, vel *Diversiva* per se, & ex sui natura animos habet reddere ipsimet catholicæ Religioni infensos, & ab ea alienos.

15. Hac nota dignos fuisse monet *in suo Plat. voto* Antonius Saura sæpè laudatus, & laudandus *de exam. prop. cap.* 10. plures *tractatus*, quos post Concilium Florentinum sub Eugenio IV. Marcus Ephesinus, & alii Episcopi per universas Orientales Provincias sparserunt, imponentes Ecclesiæ Occidentali sævitiam in judicando, avaritiam in exigendo, & pleraque alia, quæ aptissima erant ad concitandam ab ea animorum *aversionem*. Sunt etiam plerique alii editi contra noviter conversos à Mahumetanismo, vel Judaismo, adversùs quos ex instituto exaggeratur, non sincerè fidem amplexos fuisse, nec idcircò esse illis fidendum, quæ & similia universaliter, & absque distinctione, & cautela prolata pudorem, & tristitiam Neophitis causantia, eos ad reditum in pristinam sectam possunt incitare, à *suscepta* Religione catholica *divertendo*, in qua se obstrictos judicant vivere in continua amaritudine, & dedecore, cæterosque omnes *avertendo* ab ea profitenda, ne prædicto infamiæ, & tristitiæ periculo sese subjiciant, & exponant. Ac hujus generis subdit esse duo volumina, quorum alterum inscribitur: *Discursus adversùs Judæos*, priùs idiomate Lusitano, dein in Castellanum conversum, editumque *anno* 1631. Alterum: *Funda David*, idest *Conciones quinque, aut lapides emissi ad defensionem Sanctissimæ Eucharistiæ*, eodem itidem *anno* impressum Barchinonæ vulgari lingua Castellana. Quænam autem sint propositiones, quibus utrumque scatet volumen, *Aversivæ à Religione suscipienda*, & *Diversivæ à suscepta*, percurri apud ipsum poterunt, qui in fine animadvertere non negligit, quòd ad tantum malum vitandum „ Sancti Pontifices, & Patres per
„ mansuetudinem, & lenitatem prædictos
„ homines Christo acquirendos existima-
„ bant. S. Gregorius *lib.* 4. *ep.* 6. scribit Cy-
„ priano Diacono, ut siquis Judæus con-
„ versus fuerit, ei tributa relaxentur, ex qua
„ liberalitate ait se sperare veram hujus
„ Gentis ad Christum conversionem his
„ verbis: *Nec hoc inutiliter facimus, si pro le-*
„ *vandis pensionum oneribus eos ad Christi gra-*
„ *tiam perducimus, quia etsi ipsi minùs fide-*
„ *liter veniunt, si tamen, qui de eis nati fue-*
„ *rint, jam fideliùs baptizantur, aut ipsos ergo,*
„ *aut filios eorum lucramur*. Ita experientia
„ comparatum est, ut quæ Provinciæ Ca-
„ tholicæ, Gentiles, aut Judæos ad fidem
„ conversos, & illorum filios, & nepotes
„ mansuetè, pacificè, & urbanè tractant,
„ tandem ab illis hæreditarios errores radi-
„ citùs evellant, neque tantùm possint,
„ qui fervore, & Zelo aliam viam rigidio-
„ rem ineunt. „

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

Varias continens Censurarum species, quibus inuri possunt pleræque propositiones rectis morum regulis universaliùs repugnantes.



THEOLOGICAS Virtutes hactenùs propugnavimus; ipsisque affinem Religionem, notas tradentes, quibus propositiones, doctrinæque illas quomodolibet impetentes, sunt proscribendæ. Universaliorem nunc Virtutum defensionem suscipimus, propositiones, doctrinasque impugnaturi, rectis morum regulis contrarias, & præsertim quæ Cardinalibus, seu, quod idem est, principalibus, repugnant virtutibus *propter principalitatem materiæ* sic dictis, ut loquitur 1.2. *q.*61. *art.*3. *in corp.* Angelicus, *puta, quòd prudentia dicatur, quæ præceptiva est: justitia, quæ est circa actiones debitas inter æquales: temperantia, quæ reprimit concupiscentiam delectationum tactus: fortitudo, quæ firmat contra pericula mortis.* Quarum tamen specialium formalium rationum rigorem non omninò servandum præfigimus, in doctrinis eas infringentibus rejiciendis, utpotè qui non earumdem naturam, sed pravitatem noxiarum doctrinarum præcipuè intendimus investigare, attento maximè, quòd *secundùm communes rationes formales* ex eodem Angelico (*ibidem*) *principales etiam dictæ Virtutes dicuntur, quæ generales ad omnes virtutes, ut putà, quòd omnis virtus, quæ facit bonum in consideratione rationis, dicatur prudentia: & quòd omnis virtus, quæ facit bonum debiti, & recti in operationibus, dicatur justitia: & omnis virtus, quæ cohibet passiones, & deprimit, dicatur temperantia: & omnis virtus, quæ facit firmitatem animi contra quascumque passiones dicatur fortitudo*; juxtà quam universaliorem acceptionem *multi loquuntur de istis virtutibus tàm Sacri Doctores, quàm etiam Philosophi, & sic aliæ virtutes sub ipsis continentur.*

***

ARTICULUS I.

In quo sita sit quidditas Propositionis Eversivæ Regnorum?

1. Dupliciter considerari potest *Regnorum eversio*, physicè videlicet, & moraliter. Physicè namque dicitur *Regnum everti*, quoties materialis ejus structura diruitur, quo sensu Plinius (*lib.*5.) *eversa est Urbs*. Moraliter verò, quoties ejus gubernium veluti in nihilum redigitur, boni] reginimis regulis omninò posthabitis, & veluti profligatis. Sub hac consideratione, juxtà quam Cicero (*de Senectute*) *Hinc Rerum publicarum eversiones*, potissimùm ad præsens, instituendus est sermo, licèt & ad priorem veniat extendendus, quòd hæc, ex illa persæpè profluat, & dependeat. Nomine proindè propositionis *eversivæ Regnorum* ea intelligi debet assertio, quæ sui natura *Regnorum eversionem* inducit, & promovet. Quamvis verò causari & hujusmodi *eversio* possit ex *rebellionibus, seditionibus &c.* Non ideò tamen confundenda propositio *eversiva Regnorum*, cum *rebellibus*, & *seditiosis*. Cum enim hæ subditorum solummodò excitent inobedientiam, & dissidia, nullatenùs impetendo Principum dominium, & regimen, quo subditos compescere valeant; *eversionem Regnorum*, formaliter, & per se ac directè minimè fovent, estò per accidens sequi hæc queat, ob Principum videlicet impotentiam, vires idoneas, & sufficientes non habentium ad Vassallorum contumaciam infringendam.

2. Quidditatem ideò propositionis *eversiva Regnorum* in eo, quòd publicum religionis cultum, publicumque usum justitiæ deprætiet, vilipendat, & dissipet, consistere dicimus, cum Antonio Saura *in suo Platonis voto*

voto de exam. prop. cap. 14. notante hujus furfuris assertiones in Pontificia *instructione* Clementis VIII. appellari *bonis moribus, & Christianæ disciplinæ contrarias*, ac etiam, *quæ tyrannicam potentiam fovent, vel rationem status ab Evangelica, & Christiana Religione abhorrentem*. Duo siquidem sunt veluti fulcra Regnorum, publica Religio, publicaque Justitia, quæ si nutent, consequens fit, ut illa pariter evertantur. Indè enim patet insurgere facillimè posse *rebelliones, seditiones*; veluti effectus ex læsione justitiæ pullulantes. Quin tamen ullum sequatur distinctioni dictarum censurarum præjudicium, quam non quælibet connexio tollit, sed formalium rationum identitas. Cùm præsertim, etiam transmisso propositionem *eversivam Regnorum* causare *rebelliones*, ac *seditiones*, non tamen ideò propositio quælibet *seditiosa*, aut *rebellis*, per se causabit *eversionem Regnorum*, si saltem ut mox indicavimus, in Principibus, ac Rectoribus, unà cum *Religionis cultus* studio, rectaque *Justitiæ* administratione, vires vigeant illas compescendi.

3. Quoad Religionem, adeò patens est hæc veritas, ut nec ipsemet Macchiavellus *lib.* 1. *de Rep. c.* 12. boni publici infensissimus hostis, negare ausus fuerit: „Quicumque „Principes (inquiens) atque Respublicæ „semetipsas conservare cupiunt, in id „unum præ cæteris incumbere debent, ut „verum Religionis cultum rectè instituant, & venerentur. Nec certius indicium de Regionis alicujus ruina, atque „interitu umquàm habere poteris, quàm „si in ea divinum cultum despectui haberi, ac sperni cognoveris.„ Cùm autem prædicti Religionis cultus fundamentum sit Fides, evidens redditur nullum majus indicium haberi posse *eversionis Regnorum*, quàm in eis *hæreses* grassantes impunè conspicere. Ac idcircò nulli assertioni magis competens erit nota *eversivæ Regnorum*, quàm illi, quæ *hæreses, hæreticos*que nulla urgente necessitate permittendos adstruit, quæque fidelium cum hæreticis communionem promiscuè approbat tolerandam.„ Totius illius Reipublicæ status (ad intentum perbellè Penna *par.* 2. *direc. comm.* 26. *vers.* Dicam semel.) „& forma, „in qua *hæreses*, aut oriri permittuntur, aut „fortè foventur, nec protinùs extirpantur, „in pejus commutatur, & tandem in totum etiam quandoque subvertitur, & „aboletur. Hæc omnia ita esse Veterum testantur historiæ, præsentia quoque de„monstrant tempora, in quibus videmus „florentissima Regna, & Provincias ob „*hæreses*, in maximas calamitates, & mi„serrima pericula incidisse.„ Nec dissentit Eminentiss. annalium Parens *ad ann.* 445. *num.* 6. de Constantinopolitana Civitate scribens: „Ex quo exorta ibi est Nestorii *hæresis*, & ab ejus studiosis foveri (vel sal„tem occultè) non destitit, florentissimus „ille status, cum Civitatis illius, tum to„tius Orientalis Imperii in deterrimum „planè, omniumque miserrimum mu„tatus est.„ Hac nota eatenùs dignæ sunt assertiones quælibet, quibus absque restrictione ulla, honestum, & licitum supponetur, cum *hæreticis* contractus inire, conversiones, fœdera, pacta &c., à quibus cavendum (*Exod.* 34. 12.) hortamur: *cave ne unquam cum Habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam*; & (*Deuter.* 7. 3.) *Non inibis cum eis fœdus, neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat Diis alienis*.

4. Illæ itidem, & potiori jure, quæ conscientiæ libertatem tuentur, quam adeò *hæretici* expetunt, ut in Anonymi *libello*, cujus titulus: *Fœderatorum inferioris Germaniæ defensio tertia contra calumniam pacis perturbatæ, & penitùs rejectæ* apud Becanum *in appendice ad opusculum de fide Hæreticis servanda*, Catholici Turcis deteriores dicuntur, itaut melius sit, pacem cum Turcis, quàm cum Catholicis concordare, inter alia motiva: *quia nolunt concedere libertatem Religionis*. In pervicacia sua siquidem obcæcati, agnoscere non valent, quòd ubi est animorum dissentio, & quidem summa, qualis nempè obstinatissimè viget, ubi Sectæ, Schismata, & divortia sunt Doctrinarum, ibi pax esse nequeat. Quamnam enim & in rebus politicis unionem possumus sperare ab iis, si elati & superbi„ à nobis dissident in Sacramento„rum administratione, si templa, & mo„nasteria nostra evertunt, si altaria, & ima„gines destruunt, si Episcopis, & Clero „illudunt, si ritus, & cæremonias con„temnunt, si Sacrificia, & jejunia, & dies fe„stos execrantur? „Absit ab Ecclesia Dei tam execrabile malum, immò & omnium malorum seminarium, quod attentè perscrutans Jovianus à Militibus Imperator postulatus, tum demùm oblatum Imperium se suscepturum affirmabat, ubi omnes, qui ipsi, atque Imperio Romano militarent, unius catholicæ Fidei professores se esse

testarentur. Et de Sigismundo itidem Imperatore affirmat ad *annum* 1420. Bzovius à P. Thoma Schiara Ord. Clericor. Regular. Theatinorum Sacræ Congregationis Indicis Consultoribus, Sanctique Officii Qualificatoribus à Santissimo Domino nostro adnumerato in *sua Theologia Bellica lib.* 1. *diffic.*5.*n.*11. relatus, quòd quamvis ab Hussitis,immanibus acceptis cladibus premeretur, negavit tamen ipsis Religionis libertatem; undè & à Deo Regnum Boëmiæ in remunerationem obtinuit.

5. Hinc,cùm Imperator Valentinianus à Matre Justina Arianæ *hæresis* labe contaminata persuasus, Divo Ambrosio Mediolanensi Antistiti mandaret, ut templum Arianis permitteret, quodnam sanctissimus ille unitatis fidei acerrimus Defensor responsum dederit, observemus; *Convenior ipse à Comitibus, & Tribunis, ut Basilica fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem suo jure uti, & quòd in potestate ejus essent omnia. Respondeo, si à me peteret, quod meum esset, idest fundum meum, argentum meum, me non refragaturum; verùm ea, quæ divina sunt, imperatoriæ potestati non esse subjecta.* Et denuò; *Mandatur: trade Basilicam. Respondeo; Nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere Imperator expedit; domum privati nullo potes jure temerare, domum Dei existimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo: Noli Te gravare Imperator,ut putesTe in ea,quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli Te extollere; sed si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus.* Segnior nec fuit Chrysostomi constantia, de quo *lib.*5. *cap.*32. Theodoretus, quòd cum *Gainas Scitha genere, animo barbaro, insolentia planè tyrannica* ab Imperatore sibi,& cæteris Arianis concedi templum exposceret Imperatoris nomine: *Magnus Joannes respondet exadversò, non licere Imperatori, qui pietatem colere instituat, aliquid contra res sacras temerè moliri. Cui quidem dicenti: Templum sibi dare oportere. Respondet Joannes: Templum sacrum apertum esse, neminemque eum prohibere, quò minùs in eo, si libeat, Deo preces fundat. Tùm Gainas: At ego, inquit, alterius sectæ sum, & cum hominibus ejus sectæ, unum sanctum templum habere postulo. Atqui istud quidem non immeritò postulo, quippè qui multa certamina pro Romanis confecerim. At præmia, inquit Joannes,Tibi propterea tributa,labores tuos longè superant . . . Hac oratione habita Joannes celebris totius orbis terrarum Doctor os obturavit Gainæ, atque adeò obmutescere coëgit.*

6. Recensere hic possemus complurium Imperatorum exempla ab insinuatis Joviani, & Sigismundi non discrepantia, quibus constat,similes in unitate Religionis tuenda fuisse, Gratianum,utrumque Theodosium, Marcianum, Justinum, Justinianum, Carolum Magnum, & alios; sicut & Patrum innumeras authoritates, quibus possent,& Religionis libertas explodi, & doctrina quælibet ipsi favens in nihilum redigi. Attamen,cùm ad propositæ resolutionis munimen, necessaria hujusmodi ampliatio minimè videatur, legendum ex aliis plurimis,Lectoribus solummodò innuimus Sanctum Leonem Papam, qui *epist.*76. objurgat Anatholium Episcopum Constantinopolitanum, quòd Catholicis permixtos sinat vivere eos, qui aliam, quàm unam Catholicam profitentur Religionem, his aureis verbis; *Illud sanè plurimùm mihi displicere significo, quòd inter dilectionis tuæ Clericos, quidam esse dicuntur, qui Adversariorum conniveant pravitati, & vasa iræ vasis misericordiæ misceantur. Quibus investigandis, & severitate congrua coërcendis,debet diligentia tua vigilanter insistere; ita ut his, quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abscissio.Oportet etenim Nos Evangelici meminisse mandati, quod ab ipsa Veritate præcipitur, ut si Nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizaverit, manus à compage corporis auferatur; quia melius sit,his in Ecclesia carere membris, quàm cum ipsis in æterna ire supplicia. Nam superfluò extrà Ecclesiam positis resistimus, si ab his, qui intùs sunt, in eis, quos decipiunt, vulneramur. Abjicienda prorsùs pestifera hac à Sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit. Sicut Heli quondam Sacerdos filiorum suorum delicta tolerando, cum ipsis divinæ justitiæ sententiam meruit experiri; quia segni indiligentia dissimulavit plectere peccatores.* Et Sanctum Augustinum, qui *epist.*129. Olimpium Comitem exhortatur,ut Imperatoris leges in Donatistas *hæreticos* constitutas celeriter evulget, sicque *noverint inimici Ecclesiæ leges illas, quæ de Idolis confringendis, & Hæreticis corrigendis vivo Stilicone in Africam missæ sunt, ex voluntate Imperatoris piissimi, & fidelissimi constitutas; quo nesciente, vel nolente factum, sivè dolosè jactant, sivè libenter putant, atque hinc animos imperitorum turbulentissimos reddunt, nobisque periculosè, ac vehementer infestos.*

7. Non ita tamen doctrinas libertati conscientiæ, & Religioni faventes *eversivas Regnorum* habendas quis accipiat, ut nulla in hypothesi esse queant à censura immunes, uti proculdubio censeri deberent, si libertatem prædictam, non propter libertatem tuerentur, sed ad majus vitandum ma-

lum,

lum, ex vulgari illo principio: *ex duobus malis, minus est eligendum*, dirigerentur. Habendo siquidem præ oculis Angelici 2. 2. q. 10. *art.* 11. *in corp.* doctrinam, qua statuit: *Quòd humanum regimen derivatur à divino regimine, & ipsum debet imitari. Deus autem quamvis sit omnipotens, & summè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quæ prohibere posset, ne iis sublatis majora bona tollerentur, vel etiam majora mala sequerentur. Sic ergo & in regimine humano, Illi, qui præsunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur, sicut Augustinus dicit* (*in libro de ordine*): Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. *Sic ergo quamvis Infideles in suis ritibus peccent, tolerari possunt, vel propter aliquod bonum, quod ex eis provenit, vel propter aliquod malum, quod vitatur. Ex hoc autem, quòd Judæi ritus suos observant, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei, quam tenemus, hoc bonum provenit, quòd testimonium fidei nostræ habemus ab Hostibus, & quasi in figura à nobis repræsentatur, quod credimus, & ideò in suis ritibus tolerantur. Aliorum verò infidelium ritus, qui nihil veritatis, aut utilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi, nisi fortè ad aliquod malum vitandum, scilicet ad vitandum scandalum, vel dissidium, quod ex hoc posset provenire, vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim sic tolerati convertuntur ad fidem. Propter hoc enim etiam Hæreticorum, & Paganorum ritus aliquando Ecclesia toleravit, quando erat magna infidelium multitudo:*

8. Dubitari nequit locum eam habere, & quoad libertatis Religionis permissionem, cui applicare possumus quod *in c.* 40. *Job* scripsit Magnus Gregorius *cap. Nervi dist.* 13. relatus: *est tamen, quod ad destruendas Beemoth versutias subtiliter fiat, ut dum mens inter minora, & maxima peccata constringitur, si omninò nullus sine peccato evadendi aditus pateat, minora semper eligantur: quia, & qui murorum undique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur.* Non proscribenda itaque doctrina, sed admittenda, quæ permissionem indicatam approbat, quoties sine majori ipsiusmet Religionis detrimento, & præjudicio impediri non potest, utpote quæ Christi Domini sententiæ innititur *Matth.* 13. Patremfamilias commendantis, qui interrogantibus servis (*verſ.* 29.) *Vis imus, & colligimus ea?* Respondit: *Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis, & triticum.* Quæ verba pulcrè explicans Maldonatus, intentum Christi fuisse probat significare *Hæreticos* per *zizania* expressos, aliquando tolerandos esse in medio Catholicorum, quotiès periculum est, ne si eradicentur *Hæretici*, simul evellantur, & Catholici, per *triticum* designati. Legantur Cajetanus *in citatum locum Angelici*, Gregorius de Valentia *tom.* 3. *disp.* 1. q. 1. p. 7. Molina *tract.* 2. *de justitia, & jure disp.* 335. Becanus *opusc. de Fide Hæreticis servanda*, ubi, sicuti pacta honestè cum *Hæreticis* inita, debitis videlicet concurrentibus circumstantiis, servanda probat, mirabile illud factum ex Georgio Scheidio *in suis ad Tarnovianam disp. notis* recensens Uladislai Poloniæ, & Hungariæ Regis inducias cum Amurate Turcarum Imperatore pactas, & juramento firmatas frangentis, à quo cum premi se & constringi videret Amurates, in has voces erupisse fertur: *Christe, si Deus es, ut Christiani tui Te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui contra pacta jurata bello me invadunt.* Quibus prolatis alea prælii mutari visa mox est, & Uladislaus equo excussus, capiteque truncatus: Ita & cum debitis cautelis servandam concludit Religionis libertatem promissam honestè, & licitè, quòd sine majori Religionis pernicie impediri nequierit.

9. Cùm præsertim initum de ea sit legitimum pactum ex Romani Pontificis expressa, vel tacita permissione, sine qua non posse illam à Principibus laicis concedi, quacumque non obstante, quæ pro ea vigeat, necessitate, contra Vadingum è Societate Jesu *tract. de contract. disp.* 5. *dub.* 13. *num.* 1. sustinet laudatus Schiara *citata difficul.* 5. *lib.* 1. *Theol. Bellica* pro se referens De Lugo *disp.* 19. *de Fide, sectionibus* 2. 3. & 4. *num.* 124. Tanccredum *tom.* 3. *disp.* 1. *de fide quest.* 9. *dub.* 3. *num.* 101. Maldonatum *in Matth. cap.* 3. *num.* 26. Petrum Hurtadum de Mendosa *vol.* 1. *de fide disp.* 79. *num.* 1. *sect.* 5. 46. §§. 32. 33. & Coninchium *disp.* 18. *de infidelitate dub.* 12. *num.* 186. & ad casum pro Vadingi opinione *num.* 7. insinuatum Honorii piissimi Imperatoris, qui ex Baronio *ad annum* 410. *num.* 47. cùm Attalus Tyrannus invasisset Imperium, & jam Africam esset tentaturus, leges adversùs Donatistas datas silere jussit; Respondet conclusioni indicatæ, non obstare factum illud „ Quia Honorius nedum erat Bello „ pressus, sed rationabiliter dubitabat, Atta„ lum Arianum Africam quoque subjuga„ turum: quare cùm in tanto periculo A„ frica reperiretur, ut Ariano Imperatori „ subjicienda esset, sub quo Fides catholica „ evidenter periclitaretur, justè ac pruden„ ter Honorius leges contra Donatistas si-

„ lere jussit. Fatemur etiam & nos posse „ Principem concedere Hæreticis libertatem „ conscientiæ, quando periculum morali- „ ter certum perversionis immineret, nec „ alia via posset Animarum ruina, & Fidei „ detrimentum evitari; tunc enim esset to- „ lerare minus malum ad evitandum ma- „ jus. „ Quæ tamen ratio, cum sub his terminis adducatur etiam à contrariæ sententiæ Patronis, qui non nisi in prædicti periculi hypothesi, laicis Principibus facultatem tribuunt Religionis libertatem *Hæreticis* permittendi, explicanda est ex particulis conclusionis, quam Schiara defendit, ut nempè vim desumat ex *tacito* Romani Pontificis *consensu*, de quo in dictis circumstantiis dubitari non potest; & maximè si adeò imminens fortassis supponebatur periculum, ut commodè, prudenterque responsum Pontificium expectari nequiverit.

10. Publicæ justitiæ exercitium, post Religionis cultum, est essentiale Regnorum conservationi, & proindè quaslibet assertiones, aut doctrinas, quæ ipsam impetunt, eadem *eversivæ Regnorum* nota pro fligandas statuimus, ad illud (*Eccl.* 10. 7.) *execrabilis omnis iniquitas Gentium: Regnum à Gente in Gentem transfertur, propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.* Siquidem à Regnis ablata justitia, quæ ex Ambrosio *in* 1. *de Offic.* apud Sanctum Thomam 2.2. *quæst.* 58. *art.* 11. §. Sed contra: *Unicuique, quod suum est, tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat*, aufertur & ordo, & ubi ordo non habetur, consequens est ut habeatur confusio, & quæ ex ea oritur desolatio. Inter ordinem enim, & justitiam ea est connexio, & dependentia, qualis inter effectum, & causam, ut ex ordine, qui in Regnis, Familiis, & Civitatibus enitet, justitia Rectorum, & Gubernantium à posteriori optimè inferatur, imò & in unico Orbis totius ordine summa ipsius Dei justitia splendeat: *Sicut ordo congruus familiæ*, aptè 1. *p. quæst.* 21. *art.* 1. *in corpor.* Angelicus, *vel cujuscumque multitudinis gubernatæ demonstrat hujusmodi justitiam in Gubernante: ita ordo universi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quàm in rebus voluntariis, demonstrat Dei justitiam. Undè dicit Dionysius* (c. 8. *de Divinis nominibus*:) Oportet videre in hoc veram esse Dei justitiam, quòd omnibus tribuit propria secundùm uniuscujusque existentiam, dignitatem, & uniuscujusque naturam in proprio salvat ordine, & virtute.

11. De *justitia* proindè sermo est, quæ generalis dicitur, seu legalis, utpotè ad bonum commune ordinata. Cùm enim ad legem pertineat *ordinare ad bonum commune, indè est, ut talis justitia generalis, dicitur justitia legalis, quia scilicet per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum ad bonum commune*, ex eodem Angelico 2.2. *quæst.* 58. *art.* 5. *in corpor.*, qui proindè *quæst.* 68. *art.* 12. *in corp.* eam asserit præclariorem *inter omnes virtutes morales, in quantùm bonum commune præminet bono singulari unius personæ, & secundùm hoc Philosophus* 5. *ethicor. dicit, quòd*: Præclarissima virtutum videtur esse justitia, & neque est hesperus, neque lucifer ita *admirabilis*. Aptissimè itaque *eversiva Regnorum* inscribenda venit ea doctrina, & assertio, quæ *justitiæ* detrahit, in quacumque specie ea sit sita, (commutativæ videlicet, vel distributivæ) in boni publici evidens præjudicium, ac *eversionem*. Tantaque pravitate infecta proculdubio erat propositio *sextadecima* inter damnatas Wicclephi à Constantiensi Concilio (*sess.* 8.) *Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia possessionatis habitualiter delinquentibus*. Quamvis & *ad eversivas* primi generis possit quoque reduci, attento præcipuè, quòd *Religio, per quam redditur debitum Deo, Personisque Deo dicatis propter Deum, ad justitiam pertinere videatur*, ex eodem Angelico 1.2. *quæst.* 60. *art.* 3. *in corpor.*

12. Alia in hunc finem promit *num.* 2. citatus Saura exempla apud eum percurrenda, quorum primum super propositione illa efformatur, quam postea damnavit Innoc. XI. *in suo Decreto* Sanctissimus *sub die* 3. *Martii* 1679. unà cum aliis 64. in quarum ordine est *secunda* in hanc formam concepta: *Probabiliter existimo Judicem posse judicare, juxta opinionem etiam minùs probabilem*, quæ si cum aliquali formidine efformata *probabiliter existimo*, proscriptionem meruit, longè potiori jure profliganda fuisset absolutè prolata, ut à Saura tamquam *eversiva Regnorum* rejicitur: *Judex potest determinare, & sententiare per opinionem minùs probabilem relicta probabiliori*. Actum certè esset de publico bono, si doctrina hæc in sua saltem universalitate, & absque ulla limitatione ad praxim reduceretur. Ac propterea cùm ipsius conservatio Principibus, ac Judicibus sit commissa, non ad probabilitatem in judiciis, sed ad veritatem debent respicere, Ambrosio eos *in Psal.* 118. *serm.* 20. *vers.* 4. monente: *discite Judices sæculi, quem in judicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Sicut audio, inquit Christus, judi-*

judico. Hoc est: non ex mea potestate decerno, quod libitum, sed ex judicandi religione, quod est; & ideo judicium meum verum, quia non voluntati meæ indulgeo, sed æquitati . . . Audite quæ verus Judex loquatur; non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. *Quasi Homo loquitur, quasi Judex docet. Quoniam qui judicat, non voluntati tuæ obtemperare debet, sed tenere, quod legum est.* Et de antiquis Judicibus *in l.* Rem non novam 12. *C. de Judiciis*, testatum in idipsum reliquit Imperator Justinianus: *Antiquos Judices non aliter judicialem calculum accepisse, nisi priùs Sacramentum præstitissent omnimodò se cum veritate, & legum observatione judicium dispositures.*

ARTICULUS II.

Per quid constituantur, ac ab invicem distinguantur propositiones, Scandalosa, Perniciosa, & in moribus Periculosa?

1. Propositiones *Perniciosam*, *Periculosam*, & *Scandalosam* confundit Cardinalis Brancatus *disp.* 16. *de Person. ac doctr. de hær. susp. art.* 2. §. 3. *num.* 95., *& seq.*; & post ipsum Dandinus *de susp. de hær. cap. ult. sect.* 2. *subsect.* 2. §. 6. *num.* 19. *& seq.* Et meritò quidem quoad *perniciosam*, & *scandalosam*, ut ex dicendis facilè deduci poterit. Quoad verò *periculosam*, juxta latiorem præsertim acceptionem comprehendentem, tùm materiam fidei, tùm morum, non omninò indicatam confusionem possumus amplecti, si cohærenter loqui volumus ad tradita *cap.* 6. *art.* 4. ubi licèt viderimus *n.* 2. illam non irrationabilem esse, attenta vocum proprietate, quia tamen nota *periculosa in fide* numeratur quandoque, ut formaliter distincta à *scandali* censura, conclusimus, *periculosam in fide*, habendam propositionem, quæ ex Audientium, aut Legentium defectu potest interpretari in sensu *hæretico* prolata, licèt reverà illi sensus *hæreticus* minimè congruat, inde assignantes inter *periculosam in fide*, & *scandalosam* discrimen, quòd hujus quidditas in ordine ad spiritualem proximorum ruinam desumi debeat, quæ ad naturam *periculosæ* non spectat, cùm etiamsi ex ipsa oriatur, non se habet nisi, ut quid ad eam consequens, & in suo esse constitutam supponens. Quæ differentia etiam locum habet inter *scandalosam*, & *periculosam in moribus*, quæ ex insinuatis *ibidem*, *à periculosa in fide* materialem solummodò distinctionem importat, quatenus *periculosa in fide* circa credibilia, *periculosa* verò *in moribus*, formatur circa agibilia. Nec propterea in hoc diutiùs immorandum, utpote quòd à multiplici vocum acceptione ducat originem.

2. Congruentiorem autem innuimus *perniciosæ*, & *scandalosæ* confusionem. Quamvis namque, & hæ possent ad invicem distingui, asserendo *scandalosam* constitui per hoc, quòd præbeat proximo spiritualem ruinam: *perniciosam* verò per hoc, quòd ei causet ruinam pariter temporalem, ut observari potest in exemplis propositionum, quas pro *perniciosis* affert Brancatus, è damnatis contra Witchephum desumptarum *num.* 96. nempe 16. quam habes *art. præc. num.* 11. (18.) *Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & Parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum auferre eis* (32.) *Ditare Clerum est contra Regulam Christi*, (34.) *Dantes eleemosynam Mendicantibus sunt excommunicati*, & (39.) *Imperator & Domini sæculares seducti sunt à Diabolo, ut Ecclesiam donarent bonis temporalibus*. Attamen, cùm de censuris theologicis discurrere debeamus ex *Constitutionibus* Conciliorum, ac Summorum Pontificum, videtur ruina temporalis (quæ aliàs non nisi ob connexionem cum spirituali, quam semper involvit, à Theologis debet considerari) nullatenùs attendenda, de qua nulla in illis per se emicat mentio, sed de *perniciosa* fit sermo, relatè semper ad spiritualem ruinam, æquè ac habetur de *scandalosa*. Siquidem *cap.* Perniciosus *de celebrat. Miss.* Honorius III. prædicta nota afficit abusum, qui inoleverat in Archiepiscopatu Upsalensi, *quòd in majori quantitate aqua ponitur in sacrificio, quàm de vino*; & nihilominùs nulla ex dicto abusu promanare poterat temporalis ruina, benè tamen spiritualis, quia ob dubietatem validitatis, cui subjacebat modus præfatus consecrationis, Fideles exponebantur discrimini privationis corporis Christi, & etiam idololatriam saltem materialem committendi.

3. Clariùs idipsum ostenditur, tùm ex verbis *præf. in ind. lib. prohibit.* relatis *artic. praeced. num.* 2. exprimentibus eos sine Authoris nomine potissimùm interdictos libros, qui *aut dubiam fidei doctrinam, sivè moribus perniciosam* continent; Tùm & præcipuè ex novissimis *Sanctionibus* Alexandri VII., & Innocentii XI., plerasque propositiones damnantium, *ut minimùm tamquam scandalosas*, simul eas indicando *perniciosas*, & quidem cum expressione ruinæ spiritualis, quæ dictæ denominationis appareat radix, *Sanctissimus*

ſimus Dominus Noſter, incipit decretum Alexandri, *audivit non ſine magno animi ſui mærore, complures opiniones chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes*. Nec diverſimodè concipitur aliud Innocentii ſtatuentis: *ſequentes propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimùm tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas eſſe damnandas, & probibendas*. Omnibus, & ſingulis proindè adaptatur nota *pernicioſæ*, nec niſi quia ſunt *animarum perniciem inferentes*, dum evidenter elucet, complures ex ipſis eſſe, ex quibus nulla in proximos eruitur temporalis ruina, quales e. g. è damnatis ab Alexandro, intèr alias ſunt (14.) *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*, & (5.) *Pænitens propria authoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pænitentiam adimpleat*, & è damnatis ab Innocentio XI.(83) *ſatisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui duas ejus partes, imò qui quatuor ſimul à diverſis Celebrantibus audit*, & (54.) *Qui non poteſt recitare Matutinum, & laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit minorem*. Optimè idcircò Didacus de la Fuente Hurtadus *in ſua Theol. reform. diſſert. proëm. quæſt.1. num.4.* ait „ cenſura illa „ propoſitionis *pernicioſæ in praxi* ſolùm vi„ detur major explicatio cauſæ, ſeu moti„ vi, cujus gratia tales propoſitiones *ſcan„ daloſæ* dicuntur, nimirùm, quia deducunt „ ad viam latam, *per quam itur ad perditio„ nem*„ & (*quæſt.3. n.15.*)„ Haud immeritò „ quiſpiam dixerit juxta Alexandri, atque „ Innocentii mentem, ideò has opiniones „ *in praxi pernicioſas*, quia deducunt ad „ viam latam, quæ non eſt via, aut ſemita „ recta, ſed obliqua, per quam ad perdi„ tionem, & interitum devenitur.

4. Pro una itaque, eademque cenſuræ ſpecie, ſumentes *pernicioſæ*, & *ſcandaloſæ* notam, ad ipſius dignoſcendam naturam præmittimus cum Angelico 2. 2. *q.43. art.1. in corp.* ex D. Hieronymo ſuper illud (*Matt.15. 12.*) *Judæi audito hoc ſcandalizati ſunt*, vocem *ſcandali* græcam eſſe, *quam nos offenſionem, vel ruinam, & impactionem pedis poſſumus dicere; contingit enim, quòd quandoque aliquis obex ponitur alicui in via corporali, cui impingens diſponitur ad ruinam, & talis obex dicitur ſcandalum. Et ſimiliter in proceſſu viæ ſpiritualis contingit aliquem diſponi ad ruinam ſpiritualem per dictum, vel factum alterius, in quantùm ſcilicet aliquis ſua admonitione, vel inductione, aut exemplo alterum trahit ad peccandum, & hoc propriè dicitur ſcandalum*; quod, etſi *articulo 3. in corp.* aſſerat *oppoſitum directè correctioni fraternæ*, cohærenter ad id, quòd *in proem. quæſt.* innuerat, quòd nempe *contra charitatem, ſcandalum eſſe videtur*; adhuc nihilominùs *in eodem proem.* vitium *beneficentiæ* oppoſitum ſupponit, & etiam *juſtitiæ*, quatenùs per illud *aliquis injuſtè proximum lædit*. Sicut quoque inſpici poteſt, ut oppoſitum *prudentiæ*, ad quam pertinet circumſpectio, vi cujus *homo, id, quod ordinatur in finem, comparat etiam cum his, quæ circumſtant*; & cautio, quæ facit, *ut ſic accipiantur bona, quòd vitentur mala*, ex eodem *art.7.*, *& 8. in corpore*.

5. Notiſſima autem eſt *ſcandali* diviſio in activum, & paſſivum, ut enim idem S. Doctor *art.1. ad 4.* docet: *dictum, vel factum alterius poteſt eſſe dupliciter alteri cauſa peccandi; uno modo per ſe, alio modo per accidens. Per ſe quidem quando aliquis ſuo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere, vel etiamſi ipſe hoc non intendat, & ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet, quòd ſit inductivum ad peccandum; puta, cum aliquis publicè facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati. Et tunc ille, qui hujuſmodi actum facit, propriè dat occaſionem ruinæ, undè vocatur ſcandalum activum. Per accidens autem aliquod verbum, vel factum unius eſt alteri cauſa peccandi, quando etiam præter intentionem Operantis, & præter conditionem operis, aliquis malè diſpoſitus ex hujuſmodi opere inducitur ad peccandum; puta cum aliquis invidet bonis aliorum; & tunc ille, qui facit hujuſmodi actum rectum non dat occaſionem, quantùm in ſe eſt, ſed alius ſumit occaſionem; ſecundùm illud* ad Rom. 7. Occaſione autem accepta &c. *Et ideò hoc eſt ſcandalum paſſivum ſine activo, quia ille, qui rectè agit, quantùm eſt de ſe, non dat occaſionem ruinæ, quam alter patitur. Quandoque ergo contingit, quòd etiam ſit ſimul ſcandalum activum in uno, & paſſivum in altero, puta, cum ad inductionem unius, alius peccat: quandoque verò eſt ſcandalum activum ſine paſſivo, puta, cum aliquis inducit verbo, vel facto alium ad peccandum, & ille non conſentit; quandoque verò eſt ſcandalum paſſivum ſine activo, ſicut jam dictum eſt*. Juxta quam diviſionem conſiderando pariter propoſitiones, ac doctrinas, poſſunt & iſtæ *ſcandaloſæ* inſcribi activè, & paſſivè; per *ſcandaloſas* activè ſumendo eas, quæ ſui natura, & per ſe habent generare ſpiritualem ruinam in proximum; per *ſcandaloſas* verò paſſivè, eas, ex quibus proximus per accidens ob propriã fragilitatem, quę cauſat *ſcandalum*, quod dicitur puſillorum, aut malitiam, quæ gignit *ſcandalum* Phariſæorum, poteſt deſumere occaſionem ſpiritualis ruinæ.

Pro-

6. Propriè tamen non nisi primi generis propositionibus competit dictæ notæ denominatio, in quibus revera residet pravitas, quæ in passivè *scandalosis* in rigore non extat, cùm earumdem occasione ad pravas operationes quis per accidens inducatur. Utraque verò propositio, aut doctrina, sive nempe activè, sive passivè *scandalosa* attenditur hic objectivè, & in se ipsa, non subjectivè, & relatè ad Proferentem. Quamquàm enim in ordine ad imputationem peccati *scandali* inspicienda veniat Operantis intentio, ratione cujus solùm *scandalum* activè sumptum habet constituere speciale peccatum directè, ut diximus, correctioni fraternæ oppositum, *quando aliquis suo inordinato dicto, vel facto intendit alium trahere ad peccandum, & sic ex intentione specialis finis sortitur rationem specialis peccati; finis enim dat speciem in moralibus*, non verò passivum, *quia ex dicto, vel facto alterius, aliquem ruere contingit secundùm quodcunque genus peccati; nec, hoc ipsum, quod est occasionem peccandi sumere ex dicto, vel facto alterius, specialem rationem peccati constituit, quia non importat specialem deformitatem speciali virtuti oppositam*, ut ratiocinatur Angelicus *cit. art. 3. in corp.* Attamen ut nota *scandali* propositioni, aut doctrinæ adaptetur, non dependet ex Proferentium intentione, sed vel ex earumdem intrinseca natura, quæ est inductiva ruinæ spiritualis in Audientes, aut Legentes, vel ex fragilitate, aut malitia non Proferentium, sed ipsorummet Audientium, aut Legentium, ratione cujus ex dicendis, quandoque suspenditur assertio, quæ aliàs incapax esset, ut ulla theologica afficeretur censura. Aliàs vel numquam, vel rarò possent propositiones, ac doctrinæ tamquam *scandalosæ* proscribi, quoties præsertim à catholicis sustinentur Doctoribus, de quibus prava ejusmodi intentio minimè est præsumenda.

7. Ex quo itidem patet censuram *scandali* propriè, & per se non competere nisi propositionibus, ac doctrinis, spiritualem proximorum ruinam activè promoventibus, ac inducentibus, quales propemodùm esse omnes, uti tales in Pontificiis *Diplomatibus* Alexandri VII. & Innocentii XI. declaratas, rectè animadvertit Cardenas *in sua posthuma crisi theol. diss. 1. proem. cap. 9. à num. 149.* id solidè probans ex particulis utriusque Alexandrini, videlicet, & Innocentiani decreti, quarum aliquas dedimus *num. 3.* ipsisque cohærent ceteræ, quibus Alexander testatur, modum opinandi inductum in Ecclesia Dei *alienum omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela*; Innocentius verò se prosequi velle affirmat *salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis à fel. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum*. Quæ loquendi formulæ propositionibus activè *scandalosis* dumtaxat applicari valent, quæ solæ in rigore *noxiæ* denominari possunt, *animarum perniciem inferentes*, & *christianæ vitæ corruptelam* causantes; talesque eas habendas, vel ex sola earumdem lectione clarissimè colligitur ab eo saltem, qui alienus *omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina* esse noluerit, ut propterea ab illis in particulari adducendis supersedendum judicemus.

8. Non omninò cum Cardenas concordat post Raymundum Lumbier *in obser. theol. mor. in docum. gener. num. 3.* Didacus de la Fuente Hurtadus *in sua theologia refor. diss. proem. q. 4.* ob adverbium, *tamquam*, in utroque Pontificio decreto, extans, quod æquivocum sui natura cum sit, æque, ac aliæ consimiles particulæ *ut, quasi* &c. licèt quandoque habeat denotare veritatem rei, persæpè nihilominùs solam similitudinem ipsius designat. Unde ex eo Innocentius III. *cap. Solitæ de major., & obed.* illud Petri 2. 13. expendens, *sive Regi tamquam præcellenti*, argumentum efformavit, quo Imperatori Constantinopolitano ostenderet, non esse tantam ejus præcellentiam, quantam dictis verbis innixus, sibi arrogabat, *licèt non simpliciter dictum fuerit*: Subditi estote, *sed additum fuerit*: propter Deum; *nec purè sit subscriptum* Regi præcellenti, *sed interpositum forsan fuit non sine causa*, tamquam. Non videtur idcircò absolutè asseri posse propositiones prædictas declaratas revera fuisse *scandalosas*, cùm non constet, si particula *tamquam* apposita sit ad veritatem, aut ad similitudinem exprimendam, cùm præsertim similitudo magis, quàm veritas per eam designetur, testante Barbosa *tr. de dict. usu freq. dict. 403.* tale adverbium „ regulariter de sui natura „ denotare impropríetatem, & fictionem„ Dubius propterea ad minùs habendus sensus à Pontificibus intentus, an videlicet ad veram *scandali* rationem fuerit directus, vel ad æquiparationem cùm *scandalo*„ Et cùm „ *scandalum* duplex sit; aliud datum, aliud „ acceptum; aliud activum, aliud passivum, „ illudque propriè sit tale, hoc verò minimè, incertum sit propter eam vocem, „ quo sensu doctrinæ istæ *scandalosæ* vocentur,

„ tur, quia ad prohibendas illas, satis erat, „ quòd multi exindè sumerent occasionem „ ruendi, vivendique licenter, quamvis „ doctrina ipsa illam non daret, cum sui „ praxim, aut executionem non suaderet; „ eò vel maximè, quia abverbium *tamquam* „ non incongruè constitui, atque conjungi „ potest cum verbo, *damnat, & prohibet*, „ ut sensus sit, illas damnari, & prohiberi, „ sicuti *scandalosæ* damnantur, ac prohiben- „ tur. Quo pacto Pontifex nihil positivè „ decerneret de earum *scandalo*, ac *pernicie*, „ sicut nil declarat, aut decernit de earum „ veritate, aut falsitate, sed solùm de modo „ condemnandi, atque prohibendi ipsas, & „ tota vis comparativa, quam importat „ dictio *tamquam* ad modum condemnandi, „ atque prohibendi referenda esset, ut so- „ lùm denotaret illas damnandas, ac pro- „ hibendas esse ad instar, seu ad eum mo- „ dum, quo *scandalosæ* damnantur.

9. Hac nihilominùs ingeniosa non obstante reflexione, recedendùm non est à tradita *num. præc.* explicatione, cui tandem ipsemet Hurtadus consentit in modesta protestatione, quam subdit „ sed hæc judicio „ potiùs summi Præsulis, quàm tenui meo „ decidenda erunt, ac interim satiùs erit „ vulgari terminorum apprehensioni stare, „ ac censere, ut ego censeo omnibus de- „ creti circumstantiis inspectis, vocem „ *tamquam* non esse in præsenti notam ul- „ lius improprietatis, sed theses esse verè, ac „ propriè *scandalosas*, & hac ratione prohi- „ bitas. „ Omissa namque alibi discutienda paritate, quam facit circa veritatem, aut falsitatem damnatarum propositionum, de quibus est sermo, adverbium *tamquam* positum non ad meram similitudinem, sed ad veritatem *scandali* exprimendam satis evincunt, tum aliæ particulæ indicatæ *n.3. & 6.*, quibus damnatæ propositiones affirmantur *pascua noxia, Christianæ disciplinæ relaxativæ, Animarum perniciem inferentes*, quæ influxum activum indicant earumdem propositionum; Tùm prohibitionis modus per verba *damnandas, damnat*, quæ, ut notat Cardenas *cap.7. num.* 124. æquivalent in materia doctrinæ verbis *definiendas, definit*, „ nam „ hoc, quod est damnare doctrinam *tam-* „ *quam certò scandalosam*, idem est quòd de- „ cidere, & declarare eam *scandalosam* esse „ Tum denique, quia adverbium *tamquam*, vel *utì*, appositum videtur ex stylo, & praxi, ut observari potest in *Diplomate* Innocentii X. inserto *Constitutioni* Ad *Sanctam* Alexandri VII. contra propositiones Jansenii, quæ priùs declarantur *impiæ, blasphemæ, hæreticæ* &c. & deindè unaquæque respectivè subjungitur *utì talem damnamus*. Itidem in decreto Alexandri VIII. *sub die 21. Augusti* 1690. interdicentis duas theses de peccato philosophico, & quidem *primam thesim, seu propositionem declaravit hæreticam, & utì talem damnandam, & probibendam esse, sicut damnat, & probibet ..... secundam thesim, seu propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & utì talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & probibet*, & in *decreto sub die 7. Decemb. ejusdem anni*, quo idem Sanctissimus *statuit, & decrevit 31. propositiones tamquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, & hæreticas respectivè esse damnandas, & probibendas, sicut eas damnat, & probibet*.

10. Non ideò inficiamur, posse quandoque interdici propositiones, & doctrinas ob *scandalum* merè *passivum*, dummodò id fiat cum debita circumspectione, habendo in primis præ oculis indicatam *nu.5.* distinctionem *scandali* pharisaici, & pusillorum, juxta quam *2.2.q.43.art.7. in corp.* quærens Angelicus *utrùm bona spiritualia sint propter scandalum dimittenda*? post negativam adhibitam resolutionem quoàd *scandalum* activum, circa quod *quæstio ista non habet locum, quia cum scandalum sit dictum, vel factum minùs rectum, nihil est cum scandalo activo faciendum*, quoàd passivum sequenti ratiocinio ad rem nostram applicando, respondet: *Habet autem locum quæstio, si intelligatur de scandalo passivo. Considerandum est ergo quid sit dimittendum, ne alius scandalizetur. Est autem in spiritualibus bonis distinguendum; nam quædam horum sunt de necessitate salutis, quæ prætermitti non possunt, sine peccato mortali. Manifestum est autem, quòd nullus debet mortaliter peccare, ut alterius peccatum impediat, quia secundùm ordinem charitatis, plùs debet homo suam salutem spiritualem, quàm alterius diligere; & ideò ea, quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum. In his autem spiritualibus bonis, quæ non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum, quia scandalum, quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit, cum scilicet aliqui volunt impedire hujusmodi spiritualia bona, scandala concitando, & hoc est scandalum Pharisæorum, qui de doctrina Domini scandalizabantur, quod esse contemnendum Dominus dicit* (*Matt.15.*) *Quandoque verò scandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia, & hujusmodi est scandalum pusillorum, propter quod sunt spi-*

ritualia

ritualia bona, vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione hujusmodi scandalum cesset. Si autem post redditam rationem scandalum hujusmodi duret, jam videtur ex malitia esse; & sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia opera dimittenda.

11. Vel itaque doctrina talis est, ut ob eam ruinę spiritualis occasio desumi valeat ex malitia Audientium, aut Legentium, ad quos illa dirigitur, & non debet ea prohiberi ob *scandalum*, quod inde exurgeret *Pharisæorum*; sed hoc contempto, si præsertim doctrina, vel necessaria sit, vel utilis ad fidei mysteria enucleanda, rectosque mores componendos, sustineri, ac defendi, dum. modò in ea tradenda prudens adhibeatur cautio, ne evadere sui natura possit communis Personis simplicibus, & indoctis ab ejus proindè lectione, vel auditione arcendis. Quæ fuit ratio, qua Abulensis *in fine primæ partis Defensorii* solvit objectum, quo impetebatur, quòd *scandalosè* scripsisset: *Istud scandalum, aut erat Literatorum, aut Ignorantium? Si Literatorum, non stat, quia conclusio est vera, & in terminis propriissimis; ideò nullus vir literatus debet scandalizari, sed potiùs gaudere de veritate posita in terminis propriis. Si autem Ignorantes scandalizantur, ego non præstiti causam, quia ego non ivi ad prædicandum populo rudi in lingua italica, vel hispanica, sed ivi ad disputandum cum viris doctissimis, qui de talibus non scandalizarentur. Si autem viri rudes velint legere conclusiones meas, vel audire dicta in disputatione, & ex hoc propter ignorantiam suam scandalizentur; ex hoc ipsi sunt in culpa, quia se miscent illi rei, quæ ad eos non pertinet. Ita enim scandalizarentur, si legerent ea, quæ ponit B. Paulus* ad Rom.9. *de prædestinatione, & præscientia, & quæ habentur in aliis locis Scripturæ. Similiter si audierint mysteria, quæ loquuntur Doctores de Trinitate, & Incarnatione, & Eucharistia, & in aliis materiis altissimis, turbabuntur; & tamen propter hoc, non debent Doctores cessare à doctrina, & à Scriptura, sed potiùs Simplices arcendi sunt, ne ista audiant, quia* non oportet eos sapere plusquàm oportet, sed sapere ad sobrietatem, *secundùm conditionem suam.*

12. In cujus responsi confirmationem facit vetus Hebræorum usus, quos, D. Hieronymo *epist. ad Eustoch. Virg. de comment. in Ezechiel. dedicatione*, teste, constat arcuisse juvenes ante annum ætatis trigesimum à lectione *Canticorum* Salomonis, & quarumdam aliarum Scripturæ partium, quòd posset ea lectio perniciosior illis esse, quàm fructuosior; si cortici nimirùm inhærentes, ad medullam nequaquam pervaderent. *Aggrediar*, ecce Hieronymi verba, *Ezechiel Prophetã, cujus difficultatem Hebræorum probat traditio. Nam nisi quis apud eos ætatem sacerdotalis Ministerii, idest trigesimum annum impleverit, nec principia Geneseos, nec Canticum Canticorum, nec hujus voluminis exordium, & finem legere permittitur, ut ad perfectam scientiam, & mysticos intellectus, plenum humanæ naturæ tempus accedat.* Cui consonat Gregorius Nazianzenus *Apolog.1.* eadem ferè formula. Ad juvenes erat proinde prohibitio directa, non in sacram ipsam Scripturam, quæ non continet, nisi Dei ipsius ad mortales, literas, juxtà Augustini phrasim *in psal.131. ad vers.14.* ulla facta suspensio. Quin tamen hoc retorquere quis audeat adversùs *regulam quartam Indicis*, his conceptam verbis: *Cùm experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quàm utilitatis oriri; hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi, vel Confessarii Bibliorum à Catholicis Auctoribus versorum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint, ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant*; ipsiusque *observationem* ad Tridentini calcem unà cum ea extensam: *Animadvertendum est circa supradictam quartam regulam Indicis fœlic. rec. Pii P. IV. nullam per hanc impressionem, & editionem de novo tribui facultatem Episcopis, vel Inquisitoribus, aut Regularium Superioribus concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita; cùm hactenùs, mandato, & usu Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias Sacræ Scripturæ, tàm novi, quàm veteris Testamenti partes, quavis vulgari lingua edita: ac insuper summaria, & compendia etiam historica eorumdem Bibliorum, seu librorum Sacræ Scripturæ, quocumque vulgari idiomate conscripta; quod quidem inviolatè servandum est.*

13. Quamquàm enim universalis sit ejusmodi prohibitio, ea tamen non est de Sacra Scriptura simpliciter, sed de Sacra Scriptura *vulgari lingua* formata, ut propterea illatio non valeat, qua falsum putetur, quod dictum est, non debere sanam prohiberi doctrinam propter *scandalum* Pharisæorum, quale insinuari videtur in indicata *Indicis regula* prohibitionis motivum *ex temeritate*, non ex sola imbecillitate Lectorum desumptum. Diversum siquidem

quid est, quòd Sacra Doctrina divinitùs inspirata absolutè ob hominum *temeritatem* interdicatur, quod fieri non debere meritò asseruimus; & quòd interdicatur hoc, vel illo idiomate. Quo casu, cùm illa, in suo maneat nitore, & robore, prohibitio non ipsam respicit, sed versionem, quæ nec necessaria est, nec utilis. Undè & in summam Romanæ Ecclesiæ providentiam est refundendum, quod etiam *scandalo* Pharisæorum quandoque remedium præbeat, viam quamlibet ita præcludendo, nedùm ut nullum in Sacras Literas præjudicium resultet, sed potiùs earumdem consulatur dignitati, & majestati, ob quam de Missalibus in linguam vulgarem absque Sedis Apostolicæ facultate versis, *in decret. Alexandri VII. sub die* 12. *Januarii* jure meritò vocatur *temerarius conatus, quo Sacrosancti ritus majestas latinis vocibus comprehensa dejicitur, atque proteritur, & Sacrorum Mysteriorum dignitas vulgo exponitur.* Quibus terminis longè ante usus est Gregorius VII. Duci Bohemo facultatem expetenti celebrandi Divinum Officium lingua Sclavonica, respondens: *Quia Nobilitas tua postulavit, quòd secundùm Sclavonicam linguam apud Vos Divinum celebrari annueremus Officium: Scias Nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere. Undè ne id fiat, quod à vestris imprudenter exposcitur, authoritate B. Petri inhibemus. Teque ad honorem Omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis resistere præcipimus.* ex Baronio *ad ann.* 1080.

14. Attento etiam, quòd etsi ex hominum *temeritate* eruta sit ratio dictæ regulæ, non tamen detrimentum indè exurgens respectu eorum dumtaxat exponitur, sed universaliùs ex hominum *temeritate* asseritur oriturum; *plùs indè ob hominum temeritatem detrimenti, quàm utilitatis oriri.* Undè *Temeritas* quidem hominum causa est, sed *scandalum* non merè pharisaicum, sed etiam pusillorum ex ea sequitur, dum *temerarii* homines ex vulgari idiomate ansam arripiunt pusillos, & simplices seducendi, & spiritualem eorumdem ruinam procurandi. Quod, ne contingat, vulgaris versio interdicitur, militante contra eam Angelici doctrina quoad partem posteriorem præfinientem, quod ad evitandum *scandalum* pusillorum *sunt spiritualia bona, vel occultanda, vel etiam interdùm differenda.* Inter quæ non hæsitandum recenseri debere propositiones, ac doctrinas de mysteriis divinis, sacrisque rebus, quas proindè, dummodò non sint de necessariis essentialiter ad salutem, quandoque juvat, vel omninò silentio obducere in circumstantiis, sub quibus spiritualis simplicium prævidetur imminens ruina; vel sub hac, aut illa forma, hoc, vel illo idiomate interdicere, quoties opportunum indè resultet remedium, quo *scandali* removeatur periculum. Cùm præsertim eo moderamine id fiat, quod in dicta *Indicis regula* elucet, dum præcipitur, ut hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, quibus liceat cum consilio Parochi, & Confessarii licentiam impertiri Sacram Scripturam in vulgarem sermonem versam illis, quos prævident benè ea usuros, uberesque ex ipsius lectione salutis fructus collecturos.

15. Vani propterea, futilesque habendi conatus quorumdam Jansenistarum, qui in hujusmodi prohibitionem, adhuc in dies non desistunt suos latratus effundere, è quibus unum, vel alterum hic obiter placeat referre. Andreas Vander Schuren præ aliis ex professo egit de hac materia plures evulgando libellos, è quibus excerptos apud me habeo nonnullos textus latino donatos idiomate, quorum aliquos subdam. In *libello* sub titulo: *Sanctum apertum simplicibus pag.* 50. legitur: „ Abusus Sacræ Scripturæ inter „ Fideles in punctis Fidei ab Ecclesia in„ structos, perparùm deinceps timendus est, „ adeoque præceptum memoratæ Con„ gregationis (Indicis) non habet ampliùs „ locum nostris temporibus „ In altero inscripto: *Ulterior informatio pro simplicibus circa lect. Sac. Scripturæ in lingua vulgari pag.* 13. „ Istud igitur famosum præceptum, „ quo divinorum librorum lectio in lin„ gua vulgari non pro semper, sed pro ali„ quo tempore, non prohibetur, sed so„ lùm cum facultate permittitur, non est „ statutum jussu, nec approbatum autho„ ritate Concilii Tridentini, sed solùm „ mandato, & authoritate Pontificis Pii „ IV. ob rationes, quæ aliàs occurrebant, „ nunc autem ampliùs locum non habent „ (& *pag.* 50.) Nunquid res absona, & de„ ploranda non est, quòd unanimes omni„ um Ecclesiæ Patrum monitiones reji„ ciantur; prætextu legum, quæ locum „ ampliùs non habent?„ In altero: *Defensa libertas Simplicium Catholicorum in legenda Sacra Scriptura contra P. Harners Dominicanum* sequens *epist.* 10. est scopus: *Variæ conclusiones invictè demonstrantes, quòd mandatum Indicis librorum non ampliùs locum habeat hoc tempore.* & *pag.* 52. „ Omnes Defensores Verbi „ Dei in hoc conveniunt, & uno ore susti„ nent, præceptum illud locum ampliùs „ non habere. Hoc dicunt apertè, & unani„ mi voce „

Hæc

16. Hæc quoàd infringendam vim Apostolici *decreti* relatè ad hanc nostram ætatem, sed numquid de *scandalosis* hisce dicteriis contentam Jansenistarum putabimus audaciam? Nequaquam. Arnaldum audiamus in *difficultat. contra D. Steyaert par.4. pag.*141.„ Vidimus jam, quòd Sancti Patres nos moneant esse Diabolum, „ qui avertit Christianos à lectione Scripturæ Sacræ, & quòd nemo præter illum „ possit hanc ipsis cogitationem injicere: „ *non esse Secularium illam legere.* Item *part.8. pag.*13.„ Alia veritas probata est *in hac* 57. *difficultate*, Nempè quòd in præsenti „ rerum statu hæc regula (quarta Indicis) non modò desierit esse utilis, sed „ etiam, quòd sit *perniciosa*, & quòd illius „ executio urgeri non possit absque ingenti Religionis, & Ecclesiæ *injuria*.„ Audiamus Authorem *libelli* sub titulo: *Brevis, & necessaria instructio omnibus Belgii Catholicis circa lectionem Sacræ Scripturæ*.„ Numquam „ Ecclesia (*pag.* 18.) Sacræ Scripturæ lectionem in vulgaribus linguis plebi prohibuit.„ *pag.*22.„ Episcopus, qui plebi prohibet lectionem Sacræ Scripturæ in lingua vulgari, non est Pater, nec Pastor, „ sed potiùs Tyrannus adimens populo libertatem à Deo concessam. (*pag.*26.) Virtutis est non obedire talibus Superioribus: „ qualis enim foret ista obedientia? Non „ absimili Nestorius, Julianus, Sergius, & „ plures alij hæretici Episcopi plurimos „ simplices homines suis *heresibus* implicuerunt, & ad inferos pertraxerunt.„ „ *pag.*28.„ *Hæresis* dicenda est docere, non „ esse laudabile, & utile omnibus Christianis promiscuè Sacram Scripturam legere „ etiam in lingua vulgari.„

17. Ex impurissimis hisce, aliisque fœcum plenis fontibus proculdubiò venenatas tres hausit *conclusiones* Gaspar Jueninus *tom.*1. *instit. theol. Prolegom. dissert.* 4. §. 5. *fol.*120, *edit. Venet. de anno* 1704. quarum prima: „ Omnibus nec jussum, nec prohibitum est „ catholicas Bibliorum vernaculas lectiones *legere*,„ firmare convincitur *Regulam quartam Indicis* natura sua universalem, nec pro Occidentali Ecclesia esse, attento maximè, quòd in conclusionis probationem subnectit: „ *Præterea* ad hoc usque sæculum „ Ecclesia non aliarum, quàm factarum „ ab Hæreticis versionum, Vualdensibus „ scilicet Vuiclephistis, Lutheranis, & „ Calvinistis generatim *prohibuit*.„ Secunda: *Ecclesia* potest ratione circumstantiarum loci, temporis, Personarum, Nonnullis vernacularum etiam catholicarum versionum lectionem *interdicere*.„ Non itaque potest Ecclesia condere de hoc legem cunctos Catholicos obligantem, sivè ad eam moveatur ob Sacrarum Literarum majestatem tuendam, sivè ob iniquorum infringendam temeritatem, sivè ob pusillos arcendos ab errorum vorticibus. His quidem dirigendam quandoque prohibitionem non negat Author iste *teneris, imbellibus, & pusillis*, negat tamen & ratione ipsorum ad alios legem extendi posse, ac si legis motivum æquè universale omnes, & singulos afficere debeat, ac ipsa lex, nec valeat hæc universalis concipi ad plurimorum vitanda pericula. Negat & posse condi, sivè ad retundendam petulantem ingeniorum vafritiem, sivè ad Majestatis sacris Voluminibus, reverentiæque erga illa debitæ conservandæ munimen. Tertia: „ *Quibusdam* in locis sub fine elapsi proximè „ sæculi Biblia vernaculè conversa cuique „ passim, & sine discrimine legere non *licebat*,„ Quæ autem essent loca mox explicat: „*Ea* verò loca erant, in quibus promulgatum fuerat Tridentinum, & in quibus vim obtinebat, nec abierat in desuetudinem *Regula quarta Indicis*.„ Jam ergo omnibus, & singulis licebit promiscuè eam legere, & quidem cunctis in locis, dum particulæ præteriti temporis, *non licebat, obtinebat, abierat*, non obscurè insinuant exceptionem ampliùs non vigere.

18. Video tamen adversùs dicta præsertim *num.*12. nescio quem, propriæ temeritatis præsidium desumere tentantem, tùm ex decreto Lateranensis Concilii sub Innocentio III. quod habetur in *Decretalibus de off. Jud. Ordin. cap:* Quoniam *in plerisque partibus intra eamdem Civitatem, atquè Diœcesim permixti sunt popul: diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus, & mores, districtè præcipimus, ut Pontifices hujus Civitatis, sivè Diœcesis eisdem provideant viros idoneos, qui secundùm diversitates rituum, & linguarum divina officia illis celebrent, & ecclesiastica Sacramenta ministrent instruendo eos verbo pariter, & exemplo*. Tùm ex historia super ritu Gothico præ Romano in Hispaniis olim servando, quam ex Alphonso de Castro *cap.* 4. *art.*1. *num.*6. exscripsimus. At, ultra quòd jam præventivè diximus, loqui nos de vulgaribus, tam nempè de doctis, quàm idiotis, & imperitis, communibus versionibus, præsertim in Latina Ecclesia, factis absque Apostolicæ Sedis facultate, & consensu; prudentissimè dictam sanctionem condidit

Innocentius III. tùm ob motivum *num.seq.* innuendum, tùm quòd tunc temporis capta Constantinopoli, cùm Græci Latinis essent passim permixti, illorum saluti necessarium agnosceret, in propriis ritibus, ut instruerentur curare, ne indè occasionem arriperent se disjungendi à Romanæ Ecclesiæ jurisdictione, & regimine. In quem, similemque finem nec inficiamur posse Romanos Pontifices indulta concedere, ut Missa, & Officia, alio à latino celebrentur idiomate, quinimmò fatemur id non semel contigisse, maximis suadentibus causis, ob quas Ritum Mosparabum à S. Idelphonso in Hispaniam invectum pariter constat. Quæque cùm fortè adhùc sub Alphonso Rege vigerent, sibi placitam dicti ritus continuationem ostendere Deus est dignatus, dum projectis inter flammas duobus libris, quorum alter Romanum, alter Mosparabum contineret, ille, quantumvis in se ipso, Mosparabo, & aliis quibuslibet proculdubiò præferendus, quia tamen in illius temporis circumstantiis, minùs fortassis proficuus, saltu quodam ex igne resiliit, hic inter flammas mansit illæsus. Si tamen revera relationi huic præstanda sit fides, cùm aliàs aliqualem falsitatem redolere videatur, & proindè in solam Lectorum curiositatis gratiam, *citato articulo* fuerit à nobis inserta, non quòd illa ab omni suspicionis falsitatis nævo, in singulis saltem suis partibus censeremus immunem.

19. Nec omittenda ratio, quam tangit Pœnitentiarius Apostolicus, & Concionator Regius Franciscus Carriere Minorita *in suo fidei Cath. digesto. p.2. pag.*142. disparitatem assignans inter Græcam, aliasque linguas Occidentales:,, Nam græcè apud Græ-,, cos divina Mysteria celebrantur, non ut ,, vulgus intelligat, quæ geruntur, sed ,, propter diversos ritus harum Ecclesia-,, rum, quæ sicuti cæremoniis discretæ ,, sunt, ita diversas habent linguas, non ,, modò vernaculas, sed etiam communes, ,, quibus non plebs in suis congressibus, sed ,, eruditi utuntur ,, quod quoque latiùs animadverterat Bellarminus *lib.2.de Sacr.in gen.cap.*21., asserens quòad prædictam prohibitionem ,, Nos loqui de Ecclesia Latina, ,, nam in Ecclesia Græca rectè faciunt, ,, cum græca lingua utuntur, & in Ecclesiis ,, Syriæ cum utuntur lingua Chaldaica. ,, Nam requiritur ad ministerium Sacra-,, mentorum lingua non vulgaris, sed quæ ,, tamen non sit omninò incognita saltem ,, doctis; alioquin non invenirentur Pasto-,, res, & Ministri necessarii. Tales autem ,, sunt lingua græca, chaldaica, & latina: ,, nulla enim est vulgaris, & tamen quasi-,, bet est communis, & nota peritis in suis ,, regionibus. Idem ferè dici potest de A-,, rabica, quæ nunc est communis multis ,, Orientalibus, sed alia est Arabica vulga-,, ris, alia Arabica, qua utuntur in Sa-,, cris.,,

20. Scandalosis denique hujusmodi passivè propositionibus potiori jure adaptanda videtur distinctio, quam *seditiosis* dedimus *cap.præc.art.*13.*num.*23.; in eas videlicet, quæ tales sunt subjectivè, & objectivè, ex quo longè faciliùs videatur, quod ex acriori, & imprudenti defensione alterius doctrinæ, quæ aliàs probabilis sit, nullius que capax censuræ, *scandala* oriantur, quàm *seditiones*, ad quæ cavenda doctrina ipsa prohibetur, seu veriùs suspenditur, ne saltem publicè doceatur, imprimatur, aut disputetur, quin ulla in ipsam in se inspectam censuræ nota resultet. De quo recens habemus exemplum *Constitutionis* incipientis: *Redemptoris, ac Domini nostri*, quam ex prævia Sacræ Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consultatione edidit fœl. rec. Innocentius XII. ad *scandala* ab Ecclesia Dei evellenda, quæ in dies oriebantur ex nimis constanti contradictoriarum opinionum tutela ab alterutrius Doctoribus suscepta, super antiquitate, & origine Ordinis Fratrum B.M.V. de Monte Carmelo, cui proindè silentium perpetuum indixit, utramque relinquendo in se ipsa sub eodem statu, sub quo reperiebatur, ante editam *Constitutionem*, quæ *articuli* huius dilucidationi finem imponat: *Redemptoris, ac Domini nostri Jesu Christi, qui Charitas est, & Deus pacis, vices licèt immeriti gerentes in terris, Christifidelium quorumcumque, potissimùm verò divinis obsequiis sub suavi religionis jugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus adspirante superni favoris aura proferre jugiter satagentium quieti, & religiosæ tranquillitati, sublatis jurgiis, atque altercationibus, quæ fraternæ charitatis serenitatem obnubilare possent, quantùm Nobis ex alto conceditur, consulere, commissæque Nobis à Domino potestatis partes desuper interponere studemus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis salubriter expedire in Domino arbitramur. Cùm itaque sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus, ex acribus super primæva institutione Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, illiusque successione à Sanctis Prophetis Elia, & Elisæo dudùm enatis contentionibus, ma-*

gnum

gnum Christi fidelium ejusmodi minùs necessarias quæstiones, utpotè de rebus ad Fidei veritatem, seu morum disciplinam minimè pertinentibus, præsertim inter Religiosos Viros, quos vota sua Altissimo in Sanctitate, & justitia, paceque fraterna reddere decet, summoperè improbantium, scandalum obvenerit, illudque, ob quamplures libros, ac libellos acerbiori stylo desuper hinc indè conscriptos in dies plurimùm augeatur. Hinc est, quòd Nos ex injuncto Nobis divinitùs pastoralis solicitudinis munere seriò considerantes, in quantam malorum segetem ejusmodi dissidiorum zizania succrescere possint, nisi providè ex agro Domini evellantur, ac proindè gravioribus perturbationibus, quæ præmissorum occasione in dies oriri possent, omnem ansam præcidere, & opportunum jam exortis remedium adhibere cupientes, habita super iisdem præmissis cum Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus, qui rem maturè discusserunt, diligenti deliberatione, de illorum consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, super præfata quæstione de primæva institutione, ac successione Ordinis supradicti à Prophetis Elia, & Elisæo, perpetuum silentium tenore præsentium imponimus; illudque à Defensoribus utriusque sententiæ, nec non ab omnibus, & quibuscumque aliis cujuslibet gradus, status, conditionis, Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni, tam in scriptis, dissertationibus, & libris in posterùm typis edendis, quàm in publicis disputationibus, ac thesibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per Contrafacientes ipso facto incurrenda, perpetuò servandum esse decernimus, & ordinamus. Præterea libros, theses, seu scripta quæcumque contra eorumdem præsentium formam in posterùm edenda motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, harum serie prohibemus sub pœnis, & censuris, in regulis Indicis librorum prohibitorum contentis, illaque eò ipso absque alia declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus, & mandamus. Non intendimus tamen per præsentia hujusmodi impositionem uni, seu alteri ex dictis sibi adversantibus sententiis ullum majus pondus adjungere, sed utramque manere volumus in statu, & terminis, quibus de præsenti reperitur, donec aliter Nobis, & Sedi Apostolicæ visum fuerit determinare &c.



ARTICULUS III.

Quodnam sit constitutivum propositionis malè sonantis, & piarum aurium offensivæ? *& quænam inter ipsas sit admittenda distinctio?*

1. UNam eamdemque censuræ speciem esse *malè sonantem*, & *piarum aurium offensivam* graves Doctores sustinent, Canus *lib.12.de loc.cap.*11. Simanchas *tit.*54.*num.*10. & ex Turrecremata, Albertino, Alphonso de Castro, aliisque, Paramus *lib.*3. §. De hæresi *num.*109. quos citat & sequitur Antonius Saura *in suo Plat.voto de prop.dama.& expurg.cap.*10.*de hæret.erron.&c.* addens, quòd, cùm hic gradus ex parte comprehendat censuram *scandali*, & offensionis, necesse est, ut plura, quæ de propositionibus *scandalosis* dicuntur, conveniant *malè sonantibus*, *piarumque aurium offensivis*, & quæ de iis asseruntur, etiam *scandalosis* applicentur. Ac idcircò sicut pro *scandalosis*, ita & pro *malè sonantibus*, *piarumque aurium offensivis* adducit, quæ *art. præc.* in comprobationem *scandalosarum* passivè retulimus de Sacris Bibliis, vulgari exaratis idiomate, cæterisque doctrinis, ex quibus ob dictum, simileque motivum, ac occasionem, *ruinam spiritualem*, non verò profectum Legentes desumunt. Pro omnimoda item identitate *malè sonantium*, & *pias aures offendentium*, pugnat expressè Cardinalis Brancatus *disp.16.de Pers.ac doctr.de hær.susp.art.2.§.3.à num.76.* eam firmans, tùm quòd Concilium Constantiense, ex quo præcipuè desumenda est notitia quidditatis, & distinctionis censurarum theologicarum, etsi asserat plerosque ex articulis Witcleph, & Hus *piarum aurium offensivos*, nullam tamen mentionem facit de *malè sonantibus*. Sicuti neque has nominat Pius V., & Gregorius XIII. in proscriptione *articulorum* Baji, quorum nonnullos pariter affirmant *in pias aures offensionem immittentes*, quod sufficiens signum videtur judicandi, eos nullam differentiam *malè sonantiæ* ab *offensione piarum aurium* agnovisse.

2. Tum quòd nil assignari valeat *malè sonans*, quod *pias aures* non *offendat*. Siquidem si quis non ad injuriam, sed alio motivo diceret: *Ora pro me S. Maria uxor fabri*, vel *Sancta Maria Magdalena meretrix*, vel *Sancte Petre perjure*, vel *Sancte Matthæe Teloneariè*, profert verba *malè sonantia*, & *aurium piarum*, idest

idest Religioni adhærentium *offensiva*. Quamquàm enim ea omnia vera olim fuerint, ad præsens nihilominùs quamdam irreligiositatem *sonant*. Hacque subdit censura, inter alias etiam graviores, quas merentur, notari posse plerasque Witcleph, & Hus propositiones, e.g. 10. Witcleph: *Est contra Sacram Scripturam, quòd Viri Ecclesiastici habeant possessiones* (21.) *Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, tàm possessionatorum, quàm mendicantium redditur ineptior, & inhabilior ad observationem mandatorum Dei* (32.) *Ditare Clerum est contra regulam Christi* (33.) *Silvester Papa, & Constantinus Imperator erraverunt Ecclesiam ditando* (39.) *Imperator, & Domini sæculares sunt seducti à Diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.*

3. Contra Eminentissimum Scriptorem novissimè scripsit Dandinus *de susp. de hær. cap. ult. sect. 2. subs. 1. §. 6. à num. 2.* eo præcipuè ductus motivo, quòd ipsius argumentum erutum ex authoritate negativa urgere non videatur; cùm constet plerasque censurarum species admitti à Theologis, quæ nec a Concilio Constantiensi contra Witclephum, & Hus, nec à Pio, & Gregorio Pontificibus summis contra Bajum recensentur. Attento maximè, quòd quamvis propositio *scandalosa*, & *sapiens hæresim* in lata significatione *malè sonent*, distinguuntur hoc non obstante per respectum ad diversa connotata, quod sufficit, ut censurarum diversæ constituantur species. Meliùs proindè autumat definiendam *malè sonantem*, vel cum Sousa in *Aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 7. num. 11.* quòd nempè sit illa, quæ in aliquo sensu proprio est *hæretica*, & in aliquo etiam est catholica. Vel quòd sit illa, quæ habet sensum congruentem fidei, verba autem incongrua; aut sub aliis terminis, quòd sit illa quæ non dat Audientibus fundamentum judicandi, vel suspicandi, quòd Proferens habeat in corde suo *hæresim*, vel errorem aliquem circa fidem, sed solùm peccat in abusu vocum diversarum ab usu communi. Præmissaque divisione *malè sonantis* in eam, quæ ab intrinseco sit talis, quæ videlicet ab intrinseco *malè sonat*, sive quia significatio *hæretica* sit magis usitata, & propria, & constituit primum veluti *malè sonantis* gradum, sive quia utraque significatio sit æquè propria, & usitata, & constituit secundum gradum, sive quia significatio catholica sit magis usitata, & propria, & constituens tertium, & infimum gradum; & quæ ab extrinseco, ex qua solummodò propter circumstantias Personarum, loci, temporis &c. *malus sonus*, aut suspicio oritur.

4. Duo *malè sonantis* acceptæ juxta secundam definitionem desuper indicatam ponit exempla, quorum primum, de eo nempè, qui diceret, *in Deo sunt tres essentiæ relativæ*, quæ propositio nullam habet *hæresis suspicionem* in Proferente catholico, omnes enim credent eum non asserere esse in Deo tres essentias, sed solùm tres substantias, seu subsistentias relativas, quas tamen non deberet significare nomine essentiæ relativæ, quia nomen essentiæ à Catholicis usurpatur ad id solùm significandum, quod commune est toti Trinitati, undè sequitur propositionem dictam verbis *malè sonantibus* esse compactam. Secundum; „ si quis „ diceret, *Filius est aliud à Patre*, catholicè „ loquitur, quia solùm significat distin„ ctionem in Persona. Si autem quis ita lo„ quatur: *Filius est Suppositum, & aliud à Pa„ tre*, occultat *hæresim*, significans Filium „ esse aliud à Patre absolutè loquendo, „ quod est significare distinctionem in Per„ sona non solùm, sed etiam in essentia „ In qua tamen loquendi formula cautus sit Lector, ne quod ex Typographi incuria falsitatis, ac improprietatis inest, Authori tribuatur. Ac propterea cùm conspicit catholicam locutionem: *Filius est aliud à Patre*, non *aliud* à Dandino scriptum patet, sed *alius* ad textum *cap. Damnamus de summ. Trin.* quo definitur, quòd *licèt alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud, sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus, idem omninò*. Ex quo ulteriùs sequitur in sequenti exemplo, non ad necessitatem appositum esse totum illud complexum; *Filius est suppositum, & aliud à Patre*, sed ad uberiorem quamdam explicationem, cùm aliàs ad intentum abundè sufficeret, si tantùm diceretur, *Filius est aliud à Patre*.

5. Procedens indè ad explicandam quidditatem propositionis *offensivæ piarum aurium*, asserit esse illam, in qua profertur aliquid indecens, & indignum in materia Religionis, vel indecorum Deo, aut Sanctis, non tamen falsum asseritur. Ut, si actiones humanæ Christi omni homini necessariæ explicentur obscænis nominibus; aut si de Sanctis, sacris cæremoniis &c. proferantur, quæ sine rubore non possunt audiri. Per *aures* verò *pias* subjungit intelligendas *aures* etiam *doctas*, non verò imprudentium, & imperitorum. Ac denique differentiam assignans

signans inter *malè sonantem*, & *aurium piarum offensivam*, quòd illa abutitur vocibus extra communem significationem, eas applicando ad minùs usitatam; hæc verò usurpat voces in sua usitata, & vera significatione, advertit duplicem distinguendam propositionem *piarum aurium offensivam*, alteram videlicet, quæ talis naturæ sit ex re ipsa, quæ per eam designatur, quæque etsi vera sit, propter humanam infirmitatem, non auditur sine *offensione*, v. g. si quis cum fundamento putans debere è Breviario expungi aliquam narrationem, diceret, Ecclesiam nobis fabulas, & apocrypha proponere. Alteram, quæ talis sit ex modo, quo pronunciatur, ut videre est in exemplis *num.* 2. relatis. Sicque ante ipsum, tàm quoàd distinctionem *malè sonantis à piarum aurium offensiva*, quàm quoàd multiplicem hujus acceptionem, discurrit pariter Cardinalis De Lugo *de virt. fid. divi. disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 94. & 95. postquam *nu.* 91. impugnarat Lorcam confundentem *malè sonantem*, & *piarum aurium offensivam* cum *scandalosa*, cujus opinionis est etiam Thomas del Bene *de loc. theol. dubitat.* 268. *num.* 11. nec non & alios *malè sonantem*, *piarumque aurium offensivam* non distinguentes ab *hæresim sapiente*, quòd in Constantiensi Concilio, & in Bullis Pii V., & Gregorii XIII. contra Bajum, tamquàm distinctæ, & diversæ enumerentur.

6. In hac opinionum varietate, sicuti ad mox dicendorum tenorem hanc ultimam Lugi impugnationem ad tuendam distinctionem *scandalosæ à sapiente hæresim*, ac à *malè sonante*, *piarumque aurium offensiva*, & quidem ob paritatem rationis cohærenter ad stabilitam *cap.* 6. *art.* 4. *num.* 2. distinctionem *scandalosæ à periculosa in fide*, & *moribus*, libenter amplectimur, ut aditus præcludatur simili aliarum censurarum confusioni, quæ facilè sustineri posset, si semel diversa de eis facta mentio in *sanctionibus* Pontificiis, & Conciliaribus absque ullo, quod in contrarium cogat, indicio autumandi earũ aliquam non esse, nisi vel clariorem repetitionem, vel explicationem alterius, insufficiens esset ad fundandam distinctionẽ, quam aliàs in Constantiensi Concilio firmat modus penitùs divisivus particulis illis conceptus: *plures, alios, quosdam, nonnullos*. Ita & è contra probabile habemus argumentum Brancati *n.* 1. indicatum pro identitate *malè sonantis*, & *piarum aurium offensivæ*, dummodò ita corroboretur, ut ipsius vis, non ex solis pendeat Constantiensi Concilio, & Piana, ac Gregoriana *Constitutionibus*, sed à quibuslibet similibus Conciliaribus, aut Pontificiis *Diplomatibus*, nec non & à Patrum, quatenùs ad rem extent, locutionibus, in quibus de prædictis censuris, ita sit fermo, ut quoties *malè sonantis* nota exprimitur, toties altera *piarum aurium offensivæ* silentio obducitur, & è contra. Sub qua inspectione eodem ratiocinio usi nos sumus *cap.* 6. *art.* 1. *num.* 7. ad stabiliendam indistinctionem inter propositionem *suspectam de hæresi*, & *hæresim sapientem*, eo ducti principio, quòd in causis præcisis sicuti affirmatio affirmationis est causa, ita & negatio negationis, si debita, & plena, singulosque comprehendens casus, fiat inductio, vi cujus pateat non esse universaliter verum, quòd argumentum ab authoritate negativa non sit convincens. Cùm præsertim ad præsens neque vocabulorum proprietas distinctioni prædictarum censurarum favens ullatenùs appareat, quòd non minùs una, quàm altera in ordine ad *aurium* organum per nobilem metaphoram concipiatur.

7. Quin obstent desuper indicatæ differentiæ, traditaque in ipsarum munimen exempla; in quibus, cùm semper aliqua dignoscatur æquivocatio, facilis ex ea desumi potest quidditas utriusque. Quæ nempè consistat in eo, quòd aliqua propositio ita formetur, ut quamvis in bonum sensum valeat explicari, nihilominùs pravus ipsius sensus, sivè ex intrinseca natura, sivè ex circumstantiis extrinsecis sano præponderans *aures pias offendat*, *malumque sonum* præseferat. Ad eum planè modum, quo de propositione *sapiente hæresim*, aut *suspecta de hæresi* locuti sumus *cit. art.* 1. *cap.* 6. hoc solo discrimine hic præ oculis habito, quòd *suspecta de hæresi*, aut *hæresim sapiens* materiam respiciat credibilium, circa quam sensus prævalens sit penitùs *hæreticus*, *malè sonans* verò, aut *piarum aurium offensiva*, afficit, vel materiam agibilium, vel, si materiam credibilium, non ita, ut sensus prævalens sit simpliciter *hæreticus*, sed aliqua infra *hæresim* pravitate infectus, quod sufficit, ut inter unam, & aliam admittatur distinctio. Quæ sic concepta, ab inspectione propositionum pro *malè sonante*, & *piarum aurium offensiva* adducibilium, accipit firmitatem, & robur, si tamen sint firmatæ ad explicationis nuper expensæ tenorem. Duas namque illas *num.* 4. positas graviori censura censemus, posteriorem ob indicatam Apostolicam definitionem *hæreticam* habentes, aut ad minùs *hæresim sapientem*, æquè ac priorem. In nihilo, pro ista, obstante reflexione

Lugi

Lugi, & Dandini ex Hurtado asserentium omnes credituros Proferentem non ponere tres essentias in Deo, sed tres subsistentias. Hoc namque per accidens evenit, & ab extrinseco, quia nempè à Catholico supponatur prolata, de cujus sana mente non extat ambigendi locus. Attenta tamen propositionis natura negari non potest nomen essentiæ ad quidditatem posse se extendere, quinimmò, & quidditatis designationem, ut ipsimet fatentur, validiùs præsferre ex recepto saltem Theologorum usu, quod satis est, ut propositio objectivè considerata *sapiens hæresim* judicetur.

8. Nec plenè approbare possumus, quòd *malè sonantes*, aut *piarum aurium offensivæ* æstimentur propositiones de Christo, & Sanctis, sacrisque rebus conceptæ, ut sine rubore audiri non possint. *Malè* procul dubiò enunciationes hujusmodi *sonant*, *piasque* offendunt *aures*, sed non hæc est propria earumdem nota, ut ab aliis majoris ponderis sccernitur. *Blasphemas* siquidem eas vidimus *cap.6. art.5. num. præsertim.7.* talesque habet *cap.1. sect.1. n.20.* Dandinus; & in præsenti propositiones *nu.1.* ex Brancato indicatas: *Magdalena meretrix &c.* vix umquam sine *blasphemia* non *hæreticali* proferri posse testatur De Lugo, dicta exceptione fortè innuens, quòd Brancatus illis pro *malè sonantibus* utens indicavit per limitationem, qua exegit, ut non ad injuriam, sed alio motivo pronuncientur, de quo tamen vide, quæ innuimus *cit. cap.6. art.5. num.3.4.* Pariformiter non specificè *malè sonantes*, aut *aurium piarum offensivæ*, ni fallor, putandæ assertiones, quibus, (quolibet cum fundamento dicatur) *Ecclesiam nobis fabulas, & Apocrypha narrare dicitur*, vel ex de Lugo *Indulgentias* etiam in hypothesi, quòd sint sine causa concessæ, *ridiculas esse*, *& fabulas aniles pueris solis proponendas*, vel ex eodem *Ecclesiam colere Martyrem excommunicatum*, cum nempè priusquàm martyrium subiret, erat vinculo excommunicationis innodatus, nec adhuc absolutus, licèt per contritionem, & martyrium abundè justificatus. Præter enim convicium ex eis in Ecclesiam resultans, primam, & tertiam propositionem puto *denigrativas puritatis fidei*, per quas nimis vilipenditur Ecclesiæ dignitas, & authoritas in proponendis martyriis, & miraculis Sanctorum, & consequenter occasio Infidelibus, & hæreticis præbetur irridendi, quælibet alia, quæ ab Ecclesia in fidei confirmationem affirmantur. Secundam *candoris Ecclesiæ decolorativam* autumo, utpotè quæ, licèt non tueatur abusum Ecclesiæ jurisdictionis, illum tamen in actu secundo supponit adesse in exercitio illiùs. Quo adhùc dato, non verò admisso ex indicatis *c.6. art.14. num.10.* adhùc Indulgentias sic concessas immeritò ridiculas, & fabulosas inscribi, ex Angelici authoritate *ibid.* relata sustinentis adhuc eas effectu suo minimè frustrari, convincenter deducitur.

9. Quòd si prædictæ propositiones, vel aliqua ipsarum ita accipiantur, ut duplex sensus congruere eis valeat, pravus, scilicet & sanus, illo huic præponderante, qui ad *hæresis* non perveniat rationem, nequaquam intendimus repugnare denominationi *malè sonantis*, aut *piarum aurium offensivæ*, quibus plures, vel aliquas affici queant. Placet nihilominùs ad unum, aut alterum exemplum recursum habere, quæ ex Pontificiis diplomatibus sint eruta. Primum sit ex 20. *propositione* inter damnatas ab Alexandro VIII. *Confessiones apud Religiosos factæ, pleraque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ*. Originem hæc propositio ducit ex doctrina, quam *decolorativam candoris Ecclesiæ* per defectum vidimus *c.6. art.14. num. 6.* Ut autem jacet, verum utcumque in facto potest habere sensum; quænam enim repugnantia in hoc, quòd pleræque confessiones apud Religiosos fiant sacrilegè, & invalidè? *malè* nihilominùs *sonat*, *offenditque* indubiè *pias aures*, dum sacrilegium, & invaliditas refundi videtur in ipsos Religiosos, ac si earumdem radix sit unicè, quòd non fiant apud Parochos, aut Sacerdotes sęculares. Circa quod, animus non est excludendi graviorem censuræ gradum, quo posset inuri, & maximè, si in eo sumatur sensu, quòd Regulares jurisdictione careant, quasi quòd summus Pontifex, vel Episcopi facultatem ejusmodi eis delegando, nedùm propria abutantur potestate *candorem Ecclesiæ decolorando*, ut mox innuimus; sed absolutè irritum, nulliusque valoris actum faciant, contra Tridentini mentem *sess.23. de ref. cap.15.* innumerasque Pontificias declarationes extensas pariter in ordine ad plenam, ac integram satisfactionem præcepti annuæ confessionis, quas indicatas vide apud Bonuccium *in vindic. decr. Alexandri VIII. sect. 20. num. 186.* Solummodò proindè assero *malè sonantis* notam, quæ unà cum aliis (*offensivæ piarum aurium* excepta, quòd à *malè sonante* sit indistincta) exprimitur in Alexandrino *decreto*, posse dictæ propositioni adaptari; etiamsi in mitiori sumatur acceptione, quòd videlicet confessiones prædictæ invalidæ,

lidæ, & sacrilegæ sæpè habeantur ex alio quovis imprudenti motivo Regularibus quidem infenso, non tamen quod per se alicui fidei opponatur objecto.

10. Secundum desumi potest ex 25. *articulo* inter proscriptos à Constantiensi Concilio *sess.8.* contra Vuitcleph mentionem faciente de *piarum aurium offensiva*, silentio obducta *malè sonantis* expressione: *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus*, qui posset ad sanum sensum trahi, si de temporalibus subventionibus intelligatur, quæ dentur in pretium orationis, ut est, vel impetratoria, vel satisfactoria, vel meritoria de congruo pro eo, pro quo funditur. Sub his namque inspectionibus res merè spiritualis est, nam & à divina gratia procedit, & in sua utilitate, & efficacia, illi omninò innititur, & ad effectum spiritualem pertinentem ad bonum Animæ ordinatur. Nihilominùs propositio *aures pias offendit* in sua universalitate, utpotè quæ avertit fideles à piis operibus, benefacientes videlicet, ne indigentibus subveniant, indigentes verò ne se ad orandum pro Benefactoribus obligent, etiam si non per modum pretii dicta subventio habeatur, sed per modum eleemosynæ, vel etiam stipendii, & præsertim quoties oratio sit diuturna, ut passim loquuntur Theologi cum Angelico (2.2.q.100. *art.3.* ad 2.) *Illi, qui dant eleemosynas pauperibus, ut orationum ab ipsis suffragia impetrent, non eo tenore dant, quasi intendentes orationes emere: sed per gratuitam beneficentiam pauperum animos provocant ad hoc, quòd pro eis gratis, & ex charitate orent.*

11. Objicere quis hic posset Constitutionem. *Licèt ea*, quam Sixtus IV. edidit super damnatione propositionum Petri de Osma, quarum examen demandatum priùs est Alphonso Archiepiscopo Toletano, qui eas declaravit *scandalosas, falsas, hæreticas*, ac *malè sonantes*. Taleque judicium approbavit præfatus Pontifex (§.5.) & *pro potioris cautelæ suffragio omnes, & singulas propositiones prædictas falsas, Sanctæ Catholicæ fidei contrarias, erroneas, ac scandalosas, & ab Evangelica veritate penitùs alienas, Sanctorum quoque Patrum decretis, & aliis Apostolicis Constitutionibus contrarias fore, ac manifestam hæresim continere dicta authoritate declaramus* (§.6.) Si autem omnes, & singulæ declarantur manifestam *hæresim* continentes, & nihilominùs asseruntur *malè sonantes*; igitur neque de ratione *malè sonantis* est, quòd indicet pravitatem infra *hæresim*, neque quòd propositioni adaptetur, quæ alicujus sensus boni sit capax: nec enim manifestè *hæretica* esse potest propositio, quæ sanè potest interpretari, ut tetigimus *cap.6. art.2. num.6.* Verùm objectio hæc non minùs nostram explicationem impetit, quàm cæteras Aliorum, ut eas observanti facilè constabit.

12. Ejus autem solutionem ex *Constitutionis* contextu deducentes, advertimus pluriès in ea fieri mentionem de censurarum gradibus, quibus Osmæ propositiones infringi debent, nempè §.1. in quo refert Pontifex habitam denunciationem, quòd in universitate Salmaticensi reperirentur nonnulli iniquitatis filii, qui quasdam *falsas, sanctæ catholicæ fidei contrarias, erroneas, scandalosas, & malè sonantes propositiones, præsertim circa peccatorum confessionem, & Ecclesiastica Sacramenta in Studio hujusmodi, & in frequentissimo hominum cœtu, veras esse publicè affirmare, & pertinacissimè sustentare, ac defendere, apertissimas Sacræ Scripturæ auctoritates eorum erroribus repugnantes, illarum rectum, clarum, & apertum sensum falsis eorum interpretationibus impudenter violando refellere; hujusmodi quoque eorum falsa dogmata manifestè hæreticæ pravitatis labem continentia, in aliorum mentes inserere, & simplicium animas illaqueare, & ut illa in plurium notitiam pervenirent, & in perpetuum de illis memoria haberetur, libros componere, & in publicum, ut illos legendi omnibus esset facultas, tradere præsumpserant eatenùs, & præsumebant.* Item §.2. tùm in commissione Archiepiscopo facta, *ut assumptis secum aliquibus in Theologia Magistris, & aliis Viris literatis, vocatis iis, qui propositiones ipsas veras esse affirmare nixi erant, & nitebantur in dies, & auditis, quæ ipsi pro illarum veritate, & alii Christifideles ad dilucidandum earum falsitatem deducere vellent, an quæ in propositionibus hujusmodi continebantur falsa, & fidei præfatæ contraria, erronea, & malè sonantia existerent, auctoritate nostra decideret, & declararet.* Tùm in præcepto, quod eidem injunxit, ut adversùs eos procederet, qui juxta faciendam *declarationem suam tales propositiones esse scandalosas, falsas, & hæreticas, ac malè sonantes fateri, & desuper confectum librum hujusmodi retractare, & cum effectu refutare recusarent, & in illis, eorumque erroribus pertinaciter insistere vellent, hæreticos, ac censuris, & pœnis in tales à jure promulgatis irretitos esse decerneret, plena sibi desuper auctoritate concessa, prout in nostris indè tunc confectis literis pleniùs continetur.* Pariter §.3. in relatione definitionis, quam protulit Archiepiscopus pronuncians *propositiones falsas, sanctæ catho-*

licæ fidei contrarias, erroneas, & scandalosas, ac à fidei veritate alienas, ac Sanctorum Patrum decretis, & Apostolicis Constitutionibus contrarias fore, manifestam hæresim continere. Et denique §.6. quo Christi Vicarius suam addit Apostolicam decisionem *num. præc.* extensam. Undè de *malè sonantis* nota, mentio dumtaxat apparet in §.1. & in sola delationis ad Sanctam Sedem relatione, non autem in Archiepiscopi resolutione, nec in Pontificia vel confirmatione, vel finali definitione, quæ unicè attendi debent ad qualitatem propositionum proscriptarum dignoscendam. Non omisso, quòd in dicta *Bulla* Pontifex non omnes Petri de Osma propositiones exprimit, ducens prætereundas silentio alias *propter earum enormitatem, ut illi, qui de eis notitiam habent, obliviscantur earum, & qui de eis notitiam non habent, ex præsentibus non instruantur in eis*. Ac propterea non improbabile est, aliquas harum *malè sonantes* fuisse, & ut tales denunciatas. Cùm enim gravior censuræ gradus minimè detur *manifesta hæresi*, qua sunt prohibitæ propositiones in *Constitutione* insertæ, sequitur *per enormitatem*, ob quam cæteræ non designantur, non indigitari, nisi materiæ qualitatem, circa quam cupit Pontifex, ut non edoceantur ignari, quòdque per oblivionem ignaris æquiparentur instructi.

13. Ne autem jejuni maneant Lectores super propositionibus in dicta *Constitutione* extensis, liceat veluti per transitum hic eas inserere, quibus Petrus præfatus, ejusque sequaces affirmare *non verebantur*. 1. *Confessionem peccatorum in specie ex universalis Ecclesiæ realiter statuto, non divino jure compertam fore*. 2. *Et peccata mortalia quoad culpam, & pœnam alterius sæculi absque confessione, sola cordis contritione, pravas verò cogitationes sola displicentia deleri*. 3. *Et quòd Confessio secreta sit, necessariò non exigi*. 4. *Et non peracta pœnitentia confitentes absolvi non debere*. 5. *Et Romanum Pontificem purgatorii pœnam remittere, & super his, quæ universalis Ecclesia statuit, dispensare non posse*. 6. *Sacramentum quoque pœnitentiæ, quantùm ad collationem gratiæ, naturæ, non autem institutionis novi, aut veteris Testamenti existere*. Indeque obiter quisque colligat, quanta audacia, & temeritate annis elapsis aliqui suscitaverint, *quartam*, docentes: *ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei idipsum quodammodò dictante. Et per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus*, ut in non semel memorato Alexandri VIII. *decreto* damnantis 31. *propositiones* clarissimè elucet *prop.* 16. & 17.

14. Identitati *malè sonantis*, & *piarum aurium offensivæ* non magis officit, quòd hæc necessarium involvat respectum ad *aures* prudentes, & doctas, cùm tamen de *malè sonante* sit observatum, quòd verificari queat per merum respectum ad extrinsecas circumstantias Personarum, loci, & temporis. Apud me enim nulla est efficax ratio, quæ in *piarum aurium offensiva* necessitatem dicti respectus ad aures doctas, & prudentes stabiliat. Cùm non videam, cur quod de *scandalosis* passivè sumptis diximus *art.* 2. *num.* 10. proportione servata applicare nequeamus, non minùs *malè sonantibus*, quàm *aurium piarum offensivis*, è quibus aliquæ esse valeant, quæ etsi à Personis doctis, & prudentibus eas in proprio, & vero intelligentibus sensu, auditæ, nullam pariant *aurium offensionem*; sint nihilominùs tegendæ silentio, &, si opus sit, suspendendæ, ut proferantur coram *piis* Personis, quarum *aures* ob earumdem imperitiam offenderentur. In qua hypothesi etiamsi æquivocatio in propositione revera formaliter non esset, ea reperiretur æquivalenter, & ab extrinseco, ex quo à *piis* licèt imperitis Audientibus, aut Legentibus recta earumdem non penetraretur significatio; & propterea quoties coram ipsis de eis fieri sermo debeat, concipiendus sub tali forma hic est, ut *offensio* dicta pro viribus vitetur. In cujus reflexionis munimen adduci potest *Constitutio* incip. *Exurge Domine* Leonis X. contra *articulos* Lutheri, qui §.3. eos enuncians priùs præter aliàs notas, *piarum & simplicium mentium seductivos*, dein verò §.4. damnans *tanquàm respectivè hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos, & veritati Catholicæ obviantes*, non obscurè innuit attendendam quandoque in propositionum proscriptione *pietatem* Audientium, ac Legentium cum simplicitate conjunctam, ne *mentes piæ, & simplices* seducantur. Neque separatio, quæ in damnatione facta videtur per particulas illas, *aut piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos*, obstat conjunctioni antecedenter expressæ, *piarum, & simplicium mentium seductivi*: Aliud namque non fuisse apparet Romani Pontificis Leonis intentum, nisi ostendere, quòd ex Lutheri *articulis*, aliqui essent, qui *pias aures*, si doctæ essent, *offenderent*, si simplices etiam *seducerent*.

15. Quòd si, his non obstantibus, alicui arri-

arrideat *malè sonantes* propositiones à *piarum aurium offensivis* distinguere, fortè non improbabiliter posset distinctionem in eo fundare, quòd *malè sonantes* universaliorem importent extensionem, quàm *piarum aurium offensiva*, intelligendo per *aures pias*, eas, quæ sunt pietati intentæ, sumpta *pietate* juxta explicationes traditas *c.6.art.9.n.1. & 2.* Adeò ut, sicuti propositio, quæ *pietatis* opera excludit, ac apertè deprætiat, *impia* est dicenda, ita & ea, quæ non adeò manifestam continet *pravitatem*, ut sensus alicujus utcumque sani non sit capax, *aurium piarum offensiva* dici queat, seu *malè sonans* in determinata materia: quod sufficiens esse posset, ut altera distinguatur ab altera. Ad eum planè modum, quo *cap.6. art.5. num.5.* notavimus propositionem *blasphemam* non esse, nisi *injuriosam* in Deum, & Sanctos, indè sub aliqua probabilitate inferentes propositionem *blasphemam*, qua vana adstruebatur laus delata Mariæ, ut Mariæ, ab Alexandro VIII. damnatam, præter alias, sub nota *injuriosæ*, non prout hæc constituit specificum censuræ gradum à *blasphema* distinctum, sed prout qualslibet *injurias* designat latas, in quoscumque istæ ferantur. Ex quo itidem sequitur, quòd sub eadem prorsùs inspectione dicta propositio censeri valeat inter *malè sonantes* à prælaudato Pontifice numerata. Etsi enim *ibidem* dixerimus à propositionis Authoribus non fuisse directam in Mariam, quòad esse ipsius physicum absque ullo ad Deum respectu acceptum, sed tantùm ut exclusivum solius divinæ Maternitatis, nihilominùs, cum objectivè considerata posset utcumque restringi ad merum esse physicum, *malè sonans* haberi valet in determinata materia *pietati* Virgini debitæ repugnante, quod idem est, ac *piarum aurium offensiva*. An autem modus hic discurrendi omninò cohæreat intentioni, qua *malè sonans*, & *piarum aurium offensiva* à Conciliis, ac à Pontificibus usurpatur? prævio examine super ratione, ob quam *aures pias* appellant, & denominant, æquus Lector sit Judex.

16. Dum nos multiplicem *pietatis* acceptionem inspicientes animadvertere non omittimus, quòd si ea accipiatur in largiori illa significatione, qua ex Augustino Angelicus *cap.6.art.9.num.1.* relatus, ad opera Misericordiæ nomen hoc notavit extendi posse, indè eruens rationem, cui innititur consuetudo, qua Deus *pius* inscribitur, posset & sub hac inspectione alius censuræ gradus admitti, qui consistat in eo, quòd aliqua propositio sit *divinæ pietatis derogativa*. Et quidem non omninò irrationabiliter, & arbitrariè, sed cohærenter ad usum Apostolicæ Sedis, qui in hac materia præcipuè est, ut non semel advertimus, attendendus. In *Constitutione* enim Innocentii X. incip. *Cum occasione* adversùs *quinque propositiones* Jansenii, *quinta*, qua *Semipelagianum* asserebatur *dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, nedùm damnatur, ut *falsa*; *temeraria*, & *scandalosa*, sed etiam *intellecta in eo sensu*, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, *impia*, *blasphema*, *contumeliosa*, *divinæ pietati derogans*, & *hæretica*.

17. Clarum autem est non in eodem sensu assertum dici *impium*, ac *pietati divinæ derogans*, dùm præterquam quòd, non immediatè hi gradus ponuntur, ut possit unus haberi explicativus alterius; constat *impium* inscribi, quòd deroget *pietati*, non divinæ erga homines, sed hominum erga Deum. Adeòut ipsamet *derogatio divinæ pietatis* sit potiùs causa, undè oritur imminutio obsequii Deo benefacienti debiti, per quam propositio constituitur *impia*, non verò est ratio formalis notæ *impietatis*. Quam tamen distinctionem non cogimur eodem modo admittere inter notam *blasphemiæ*, & *divinæ pietatis derogativæ*; ex quo, attenta, & immediata enunciatione: *blasphemæ*, *contumeliosæ*, & *divinæ pietatis derogativæ*, & univoca horum graduum ad præsens intentum significatione, vim non habent conjecturæ hactenùs indicatæ pro distinctione notæ *impietatis*, & *divinæ pietatis derogationis*. Idque nitidiùs apparebit, si ad memoriam revocemus notæ *blasphemiæ* quidditatem in eo sitam, quòd doctrina sic affecta importet *quamdam derogationem alicujus excellentis bonitatis*, & *præcipuè divinæ*, ut loquitur Angelicus *2.2. q.13. art.1. in corp.* Hoc autem æquè verificatur, sivè derogatio habeatur in ordine ad unum, sive in ordine ad aliud ex Attributis divinis, quæ pariformiter designantur per particulas *bonitatis divinæ*, in sua universalitate se se extendentes ad omnia, & singula prædicata Deo competentia, quorum quodlibet *à divina bonitate* sic sumpta non differt, nisi per modum partis ab aliquo toto, ut non obscurè innuit idem S. Doctor ex D. Dionysii *cap.1. de divin. nomin.* authoritate: *Deus est ipsa Essentia veræ bonitatis*, inferens: *Undè quicquid Deo convenit, pertinet ad bonitatem ipsius*, & *quicquid ad ipsum non pertinet, longè est à ratione perfectæ bonitatis, quæ est ejus Essentia*.

18. Cùm igitur per notam *blasphemæ* jam exprimatur derogatio in *divinam bonitatem*, quam continet *Janseniana propositio*, consequens videtur, ut cùm dicitur illam esse *divinæ pietatis derogativam*, nil aliud intendatur, quàm explicatio *derogationis* in *divinam bonitatem*, & ad particulare Dei prædicatum applicatio; ac eatenùs non novus gradus censuræ denotatur, sed idem ad determinatam materiam adaptatur. Ad eum planè modum, quo hæ propositiones: *Deus est injustus*, *Deus non est immensus*, sunt æquè proculdubiò *blasphemæ*, dum per primam affirmatur de Deo, quod ipsi repugnat; per secundam negatur, quod ei essentialiter convenit; quin propterea alteram ab altera diversa affectam censuræ specie quis dicere possit, quòd illa dici queat *derogativa justitiæ*, hæc *derogativa divinæ immensitatis*. Nec nisi quia hæ explicationes censentur materiæ particularis, circa quam versatur nota *blasphemiæ*, & *derogatio divinæ bonitatis* per eam designatæ, ut per accidens omninò se se habeat, si ea impetat *divinam justitiam*, ac *divinam immensitatem*, vel etiam *pietatem*, quæ unà cum cæteris cujuslibet generis Attributis, sub *divina bonitate* comprehenduntur.

19. Quod fortiùs dicimus de nota *contumeliosæ*, qua *Janseniana propositio* itidem declaratur, non quidem genericè, sed in Unigenitum Patris, qui non pro omnibus mortuus, sed pro solis Prædestinatis supponitur. Nulla namque diversitas fieri ad præsens debet inter *convicium*, & *contumeliam*, sed tamquam synonima usurpantur, ac uti talibus nos usi his vocibus sumus *cap.6.art.5.num.6.* Unde Angelicus *2.2.q.72. art.1. ad 3.* postquam discrimen assignat inter convicium, improperium, & contumeliam, *quia per hæc omnia repræsentatur aliquis defectus alicujus in detrimentum honoris ipsius. Hujusmodi autem defectus est triplex, scilicet defectus culpæ, qui repræsentatur per verba contumeliosa, & defectus generaliter culpæ, & pœnæ, qui repræsentatur per convicium, quia vitium consuevit dici non solùm animæ, sed etiam corporis. Undè si quis alicui injuriosè dicat, eum esse cæcum, convicium quidem dicit, sed non contumeliam; si quis autem dicat alteri, quòd sit fur, non solùm convicium, sed etiam contumeliam infert. Quandoque verò repræsentat aliquis alicui defectum minorationis, sive indigentiæ, qui etiam derogat honori consequenti quamcumque excellentiam, & hoc fit per verbum improperii, quod propriè est, quando aliquis injuriosè alteri ad memoriam reducit auxilium, quod contulit ei necessitatem patienti. Unde dicitur* (*Eccles.20.15.*) Exigua dabit, & multa improperabit; rectè concludit, *quandoque tamen unum istorum pro alio ponitur*; undè & *sequentem articulum* concipit, *utrùm contumelia, seu convicium sit peccatum mortale?* per adverbium, *seu*, contumeliam cum convicio plenè confundens.

20. *Contumeliosa* idcircò *Janseniana propositio* in Deum, ob gravissimum, quod ipsi infert, *convicium*, ejus in omnes, & singulos homines, pro quibus nemine excluso est mortuus, diffusam misericordiam, ad solos Prædestinatos coarctans, quæ est ratio, cur & *blasphema* indigitatur, designatione adjecta qualitatis convicii spiritualem expri-mentis defectum, non corporale aliquod vitium. Quin ex hoc ratiocinio locus ulli detur, ut quis me redarguere contendat, quòd pluriès distinctionem censurarum eruerim ex diversa earumdem enumeratione in Conciliaribus, ac Pontificiis *sanctionibus*, si tamen attentè, quod nuper *n.6.* innuimus, iterùm advertatur, hujusmodi, nempè argumentum usurparum dumtaxat, quoties vel modus enumerationis varietatem graduum censurarum indicat, vel unius significatum ad Conciliorum, & Pontificum mentem, alteri minimè congruat. Neutram autem considerationem nos cogere ad specificam distinctionem fundandam inter *blasphemam*, *contumeliosam*, & *divinæ pietatis derogativam*, hactenùs insinuata comprobant, ex quibus præcluditur via multiplicandi censuras ad multiplicationem divinorum Attributorum, juxta quæ aliàs quis illas posset non irrationabiliter dividere, in *derogativam divinæ* Justitiæ, Sapientiæ, Omnipotentiæ, Immensitatis &c. quod falsum innuimus *num.18.*

ARTICULUS IV.

Per quid constituantur propositiones Injuriosa, Contumeliosa, Maledica, Detractiva, Satyrica, *&* Acerba? *ac an ab invicem sint distinguendæ?*

1. EX indicatis *art. præc. nu.15.* & *nu.19.* liquidò constat *injuriosæ*, & *contumeliosæ* notam, de qua hic instituitur sermo, sumendam non esse, nec in sensu quodam generico, prout quaslibet propositiones *injuriam* inferentes, sivè in Deum, sivè in Sanctos, sivè in homines &c. comprehendit, nec quatenùs ad propositiones, quæ in Deum

Deum dumtaxat, vel Sanctos concipiuntur, restringitur. Quinimò prout proprium censuræ gradum *injuriosa*, ac *contumeliosa* constituit, excludit prorsùs prædictas propositiones adversùs Deum, vel Sanctos directas, ut sic distingui valeat à *blasphema*. Undè Angelicus 2.2. q.73. art.3. objecto, quo detractio gravior omnibus peccatis, quæ in proximum committuntur, contendebatur, *quia super illud* (*ps*.108.4.) Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi, *dicit Glossa*. Plùs nocent in membris detrahentes Christo, (quia Animas Creditorum interficiunt) quàm qui ejus carnem mox resurrecturam *peremerunt*, respondet, *quòd illi, qui detrahunt Christo impedientes fidem membrorum ipsius, derogant Divinitati ejus, undè non est simplex detractio, sed blasphemia*. Adhùc tamen per modum unius de *injuriosa*, & *contumeliosa* loquimur, quòd certè uti *ibid.* notavimus, nulla fit ratio, ob quam altera ab altera fit sejungenda. Easque ut synonimas habet expressè Antonius Saura idipsum de *maledica* sentiens *in suo Platonis voto cap.7. de propositionibus schismaticis, seditiosis, injuriosis, maledicis*, & *contumeliosis*. Nec quidem absque fundamento:

2. Quamvis namque *maledicere* diversi modè sumi possit, juxta triplicem videlicet respectum, quem importat ipsum *dicere*, adeòut sicuti hoc quandoque *se habet ad id, quod dicitur per modum causæ*, sicque *principaliter competit Deo, qui omnia Verbo suo fecit secundùm illud* (*Ps*.32.9.) Dixit & facta sunt, *consequenter autem hominibus, qui verbo suo alios monent per imperium ad aliquid faciendum. Et ad hoc instituta sunt verba imperativi modi*. Quandoque verò *ad id, quod dicitur, quasi expressio quædam affectus desiderantis id, quod verbo exprimitur*. Et *ad hoc instituta sunt verba optativi modi*. Ita pariter & *maledicere* potest concipi, *per modum imperantis, vel per modum optantis*, ut advertit Angelicus 2.2.q.76. *art.1.in corp.* regulas subnectens, quandonam sit licitum, vel illicitum imperare, vel optare alteri malum, *si enim*, inquiens, *aliquis imperet, vel optet malum alterius, in quantùm est malum, quasi ipsum malum intendens, sic maledicere utroque modo erit illicitum, & hoc est maledicere per se loquendo. Si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum, nec erit maledictio per se loquendo, sed per accidens, quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Contingit autem malum aliquod dici imperando, vel optando sub ratione duplicis boni. Quandoque quidem sub ratione justi, & sic judex licitè maledicit illum, cui præcipit justam pœnam inferri. Et sic etiam Ecclesia maledicit anathematizando; sicut & Prophetæ in Scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatem suam divinæ justitiæ, licèt hæ imprecationes possint etiam per modum prænuntiationis intelligi. Quandoque verò dicitur aliquod malum sub ratione utilis, puta cùm aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipse melior efficiatur, vel ut saltèm ab aliorum nocumento cesset*.

3. Neutra tamen ex dictis explicationibus quantumvis mox adducenda potioribus, & magis propriis attendenda videtur in præsenti ad quidditatem propositionis *maledicæ* dignoscendam, sed altera, quæ reliquas apud Angelicum præcedit, quatenùs nempè *dicere* sumitur *per modum enunciationis, sicut aliquid exprimitur modo indicativo, & sic maledicere nihil aliud est, quàm malum alterius referre, quod pertinet ad detractionem. Undè quicumque maledici detractores dicuntur*. Et quamvis non omnes *detractores* dici, & *contumeliosi* valeant, hoc tamen non provenit ex essentiali discrimine, quod ex intrinseca natura enunciationis *detractivæ*, aut *contumeliosæ* oriatur, sed potiùs ab extrinseco, & ratione modi, quo *detractio*, vel *contumelia* infertur. Undè idem Angelicus *quæstionem* 72. instituens de *injuriis verborum*, easque in quatuor veluti gradus sub *injuriæ* ratione contentas dividens, *contumeliam* scilicet, *detractionem, susurrationem, maledictionem*, nullam inter eas differentiam ponit, ex qua alia censuræ species possit erui, quarum quælibet ita singulis adaptetur propositionibus ad alterum dictorum graduum pertinentibus, quæ propositionibus sub alio gradu designatis adaptari minimè valeat. Cùm præsertim nota *injuriosa*, prout hic accipitur, non habeat per se respicere, nisi propositiones objectivè inspectas, sivè videlicet manifestè, sivè occultè proferantur, sivè honori, sivè famæ derogent, sivè coram eo, de quo dicuntur, sivè eo ignorante, & absente, sivè per falsam imputationem, sivè per veram, dummodò occultam, quæ quoàd juris læsionem, quod competit occultè delinquenti ferè æquiparatur falsæ. Quæ siquidem differentiæ plurimùm proculdubio inserviunt ad peccati qualitatem, gravitatemque intimiùs ponderandam, ac etiam ex dicendis, ut clarè eluceat, an & quando propositiones ejusmodi interdicendæ veniant, ac prohibendæ, aut potiùs in bonum aliquem finem, & utilitatem permittendæ, & quandoque etiam appro-

approbandæ, quòd revera *maledictiones, convicia, injurias*, prout de his in præsenti agimus, haud quaquam involvunt. At non ad varias quidditativè secernendas censurarum species, quarum una alicui assertioni adaptanda, adaptari jure nequeat & alteri.

4. Diversimodè non videtur loquendum de propositione *satyrica*, si in malam hæc sumatur partem, communi jam sic usu invalescente, quatenùs per eam non vitia in abstracto impetuntur, quod esset commendatione, & encomio dignum, sed sub vitiorum prætextu Personæ, Dignitates, Status vilipenduntur. Ut proindè omnes prædictas nomenclaturas ejusdem speciei censuræ expressivas indubium videatur fuisse comprehensas à *Clemente VIII. in instr. de corr. lib. ad Trid. calcem apposita*, sub illa prohibitione, qua mandat expungi, *quæ famæ proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum, & Principum detrahunt, bonisque moribus, & christianæ disciplinæ sunt contraria*, nec non & repudiari *facetias, aut dicteria in perniciem, aut præjudicium famæ, & existimationis aliorum jactata*, quod ultimum *satyricas* propositiones propiùs tangit, attenta dictæ vocis proprietate à Satyrorum desumpta natura, quorum est ludere, & lascivire. Inscribuntur itidem & hujusmodi propositiones *acerbæ*, prout *acerbitas* cum *injuria* ferè convertitur juxta Ciceronem (*lib.6. ep.10. ad Trebatium*) *spondeo tibi istam acerbitatem, & injuriam non diuturnam fore*, & Suetonium *de illust. grammatic. cap.9.* Orbilium *naturæ acerbæ* vocantem, *non modò in Antisophistas, quos omni Sermone laceravit, sed etiam in discipulos, ut Horatius significat, plagiosum eum appellans. Ac ne Principum quidem virorum insectatione abstinuit*. Quæ omnia dicta accipiantur ad inutilem censurarum essentialem multiplicationem vitandam, ad quam nec Conciliares, nec Pontificiæ Constitutiones nos excitant. Cæterùm si in propositionibus particularibus qualificandis, velit quis ad differentias quantumvis in hac materia accidentales accuratiori quodam attendere stylo, *Injuriosæ, Maledicæ, Detractivæ, Contumeliosæ, Acerbæ* vocabula usurpando, juxta circumstantiarum varietatem, non vituperatione, sed laude potiùs prosequendus.

5. Patet autem ex hucusque expensis, non omnes propositiones *injuriosas, contumeliosas, satyricas*, quatenùs his nominibus censuræ, de qua loquimur, indigitantur notā, inscribendas, quæ convicia continent, nisi hæc vel injustam honoris, vel famæ læsionem involvunt, vel aliquo modo *bonis moribus, & christianæ disciplinæ sunt contraria*. Qualia certè neutiquam sunt, nedùm quæ, ut innuimus, in vitia ipsa, sed & quæ adversùs eorum Authores, sivè ad eorumdem correctionem, sivè ad petulantiam coercendam, sivè etiam ad publicam aliorum utilitatem, debita cum circumspectione promuntur. Immeritò catenùs D.Hieronymus *satyricus in prosa Scriptor* à Ruffino est dictus, quòd ejus sermo asper appareat, & aculeatus in Adversarios fidei, veritatisque, & Evangelicæ perfectionis hostes, de quo tamen ipsemet S.Doctor *lib.1. Apol.n.41.* obsecrat, *ut si mordaciùs quicquam scripsero, non tam meæ putetis austeritatis esse, quàm morbi. Putridæ carnes ferro curantur, & cauterio venena serpentina pelluntur antidoto*. Et (*epist. ad Bonosum*) *Medici, quos vocant Chirurgicos, crudeles putantur, & miseri sunt. An non est miseria alienis non dolere vulneribus, & mortuas carnes inclementi secare ferro? Non horrere curantem, quod horret ipse, qui patitur, & inimicum putari? Ita se natura habet, ut amara sit veritas, blanda vitia existimentur . . . Unde non mirum est, si & nos ipsi vitiis detrahentes, offendimus plurimos. Disposui nasum secare fœtentem, timeat qui strumosus est. Volo corniculæ detrahere garrienti, rancidulam se intelligat cornix*.

6. Asperi in hoc sensu passim fuere, & alii Patres in criminosos, & præsertim in *hæreticos*, quos sæpissimè cum Ignatio *epist. ad Trallianos* appellant: *Diaboli propagines*: cum Ireneo (*lib.5. cap.20.*) *blasphemos, & imprudentes Sophistas, ac Satanæ organa*, (*c.26.*) cum Clemente (*6.Constit.cap.10.*) *Diaboli instrumenta*: cum Epiphanio (*hær.69.*) *Diabolos*: cum Basilio (*epis.141.*) *Progenies Satanæ, & ingratas creaturas*: cum Nazianzeno (*orat.28.*) *fures, & latrones*: cum Cypriano (*de unit.Eccl.*) *pestes, & lues fidei*; cum Leone (*serm.18. de Pass.*) *solo nomine Christianos*: cum Ephrem (*de virt.cap.8.*) *leprosos*; cum Lucifero Calaritano (*lib.1.pro S.Athanasio*) *Filios pestilentiæ, tenebrarum fontes, gurgites omnium malorum, templa omnium Dæmoniorum*; cum Ambrosio (*lib.2.de fid.cap.1.*) *non homines, sed humana adopertos facie, intùs autem dementiæ bestiales*. In quibus *acerbis* titulis ad dogmatum, quæ tuebantur defensionem conducentibus imitati planè sunt ipsos Canonicos Scriptores, qui Spiritu Sancto afflante non dissimilibus phrasibus impiissimos Nebulones sunt insectati.

7. Apostolorum siquidem Princeps *ep.2.1.2.* eos dicit *Magistros mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos*, Domi-

Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem, & multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur (num. 10.) *Post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes*, & (num. 12.) *Velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & in perniciem in his, quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt*. Doctor itidem Gentium 2. ad. Tim. 3. instantia prænunciat *tempora periculosa, in quibus erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis, quàm Dei; habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*. Judas pariter in (*sua epist. num. 7.*) *sicut Sodoma, & Gomhorra & finitimæ Civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter, & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant*. (nu. 10.) *muta animalia*, (nu. 11.) *Abeuntes in via Cain, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt*. (nu. 12.) *in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ eradicatæ*. (num. 15.) *contra Deum peccatores impii*, & (num. 16.) *hi sunt murmuratores, querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa*.

8. Hæ itaque, similesque acerbitates ulla censura dignæ, ut innuimus, nequaquàm habendæ, utpotè quæ non in alium finem prolatæ, quàm veritatis tuendæ, & petulantiæ retundendæ eorum, qui cunctis, vel levibus rationibus destituti falsa adstruere dogmata, ac perniciosissimas spargere opiniones student, catholicos Scriptores calumniis, dicteriis, improperiis lacessendo. Rogati sitis, ajebat propterea, *in præf. Panarii* Epiphanius *pro indulgentia veniæ, si alicubi reperiretis, nos aliquos impetere, aut cavillis incessere, cùm aliàs hunc morem non habeamus. Itaque si alicubi propter zelum adversùs hæreses, & ad avertendos Lectores exacerbati dixerimus aliquos deceptores, aut circumlatores, aut miseros homines, ignoscite. Ipsa enim necessitas adversùs hujus certaminis doctrinas instans talem nobis sudorem efficit, & ut Lectores avertantur, & ut ostendamus penitùs interdictas à nostra doctrina illorum operas, mysteriaque, & doctrinas. Quò etiam perorationis, & contradictionis nostræ vehementiam, libertatem nostram ostendamus, & quò etiam aliquos ex ipsis per graviores putatos sermones effugiamus*: Et iterùm *ad calcem Panarii in compend. fid. expos. num.* 19. in eumdem scopum: *Qui hæc lecturi estis, rogo, ut veniam detis meæ humilitati, ac debilitati, & meatis meæ tenuitati, quæ à multo hæreseon veneno obstupuit, & hiat instar nauseantis, & revomentis propter austera verba, per quæ contra quosdam commota, invecta est, dum aliquos scelestos, aut impostores, aut erroneos, aut deceptores appellavit. Nam propter multam veneni molestiam, ac vexationem, (Quamvis hic non noster mos sit, ut aliquos libenter sugillemus) coacti fuimus talibus ipsos impetere verbis, quò mentem quorumdam averteremus, ne fortè putent nos ex eo, si displicentiam nostram non publicassemus in revelando ea, quæ ab ipsis dicuntur, aut fiunt, partem habere mentis assentientis pravæ uniuscujusque hæresis opinioni*.

9. At si non ad divinorum mysteriorum munimen, non ad pervicaciam fidei hostium infringendam, non in Lectorum præservationem ne inficiantur, non in alium quemlibet in Dei gloriam, ac Fidelium profectum tendentem finem, sed vel ad ostentationem ingenii, ad obstinatam alicujus opinionis defensionem, ad propriam tegendam vafritiem, & maximè ad deturpandam proximorum famam, honoremque denigrandum, prolata convincantur scommata, dicteria, acerbitates, imposturæ, in innocuos, in Catholicos, & maximè in Principes, sivè Ecclesiasticos, sivè Seculares, Collegia, Universitates, Societates, Communitates, quæ præsertim sint ab Apostolica Sede approbatæ, obliteranda ea esse, expungenda, flammisque tradenda controverti non potest, ob evidentissimam, quam olim expendit, rationem Andronicus Imperator Paleologus *orat. adversùs infamatores historicos* tanti criminis persæpè reos, apud Nicephorum Gregoram *propè ab initio lib. 1. hist. Rom.* in qua hæc inter alia: *Sæpè mecum ipse miratus sum, qui fieret, cùm plerisque mortalium quietam, & tranquillam prorsùs agere vitam liceret, ac plurimos habere, quibus admirationi essent, nullos verò penitùs, ut ipsi ad quosvis proscindendos propensi, linguas improbas, futiles, & contumeliosas, ultrò exacuerint. Idque nulla sæpè occasione data, quæ ad hujusmodi maledicentiam jure illos incenderet. Illos verò magis etiam sum miratus, qui Imperatores, simul & Patriarchas falsis maledictis incessere, ac impudenter proscindere audent. Sed hi me admiratione omnium maxima affecerunt, qui tam falsa maledicta sua mandare literis non dubitarunt. Nam convicia,*

convicia, quæ lingua proferuntur, statim auræ dissipat; quæ verò scribuntur, & libris imprimuntur, diutiùs, & graviùs eos, quos læsere, injuria premunt; authoritate à Scriptura petita, & longo tempore se jactante. Ignoro autem utrùm, nec scio, qua gratia hæc facere studeant, aut cujus lucri spe in talia præcipitia incurrant, nam sivè ut singularem suam improbitatem expleant, adeò falsa maledicta congerunt, malè faciunt, ac turpiter admodùm, suoque, quod ajunt, capiti nocent. Nam improbitatis suæ monumentum Rostris produnt, quòd cùm benedicendo, & celebranda veritate innotescere Auditoribus licuisset, plaustris conviciorum in Innocentes effundendis semetipsos traducere publicè maluerunt. Haud secùs ac si is, cui liceret in terra continente beatè, securèque vivere, in Atlantici maris tempestates, ac fluctus ultrò se conjiceret.

10. Meritò autem specialis facta est mentio de Imperatoribus, sub quibus, ut innuimus, & alii Principes servata proportione comprehenduntur, ac Patriarchis, cæterisque Præsulibus, Romanoque præ cunctis Pontifice, scriptionibus injuriosis lacessitis, quò enim altior Personarum gradus, quòque sanctior status, eò enormiora, & in Religionis Catholicæ perniciem, publicique gubernii exitium atrociora convicia. Contra quæ olim scripta adversùs Cornelium Papam, quid in *ep.42.* ad ipsum Cornelium directa Cyprianus senserit, perlegamus: *Honoris etiam communis memores, & gravitatis sacerdotalis, ac sanctitatis respectum tenentes, ea quæ ex diverso in librum ad nos transmissum congesta fuerant, acerbationibus criminosis respuimus, considerantes pariter, & ponderantes, quòd in tanto fratrum, religiosoque conventu, considentibus Dei Sacerdotibus, & altari posito, nec legi debeant, nec audiri. Neque enim facilè promenda sunt, & incautè, ac temerè publicanda, quæ discordioso stylo scripta audientibus scandalum moveant, & fratres longè positos, ac trans mare constitutos incerta opinione confundant. Viderint, qui vel furori suo, vel libidini servientes, & divinæ legis, ac sanctitatis immemores, jactitare interim gestiunt, quæ probare non possunt, & cùm innocentiam destruere, atque expugnare non valeant, satìs habent fama mendaci, & falso rumore maculas inspergere. Certè quod Præpositis, & Sacerdotibus congruit, danda opera est, ut talia, cum à quibusdam scribuntur, per nos respuantur. Ubi enim erit quod discimus, ac docemus scriptum esse*; Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur insidiosè? *Item alibi*: Os tuum abundavit malitia, & lingua tua complectebatur insidias: sedens adversùs fratrem tuum detrahebas, & adversùs filium matris tuæ ponebas scandalum.

11. Non minùs elucet impudentia talium conviciorum, si in Religiosos Ordines, quos Deus singulari sua Providentia in Fidelium ædificationem, ac adversùs Hæterodoxos veluti instructum armamentarium in Catholica dignatus est ponere Ecclesia, insolentissimè effutiantur. Ob hoc motivum præsertim damnatum ab Alexandro V. scimus *tractatum de periculis novissimorum temporum*, de quo *c.6.art.13.n.23.* à Gulielmo de S. Amore editum, qui quoque S. Ludovici Regis authoritate fuit in flammas injectus. Ipsique in nihilo dissimile opus Gullielmi per defensorem Gyraldum compactum, & à Seraphico Doctore S. Bonaventura *in Apolog. Pauperum* egregiè rejectum. Sicque contra Sacros Regulares Ordines nullus ignorat, perpetuò locutos fuisse Hæterodoxos quoslibet, in id viribus totis incumbentes, ut quos maximè strenuos viderint rei Catholicæ curatores, *contumeliosis* criminationibus inquinent. De Witcleph *in pref.lib.2.tom.1.* in *hujus*, & *præc.num.* confirmationem hoc testatum reliquit Valdensis „ Quis sic Draco flumina scandalorum, „ post pennatam mulierem evomebat Ec„ clesiam? legite Christi Sacerdotes, qui „ mihi non creditis, vos ipsi legite in libris „ ejus [Antichristianos Papas, Pseudo Car„ dinales, Cæsareos Clericos, Pontifices, „ & Prælatos Filios Diaboli, & Diabolos „ incarnatos, Diabolos larvatos, Diabolos „ non domesticandos in Filios] Legite in „ libris Witcleph mendacia Fratrum, & „ Necromantica Monacorum. Legite ibi „ petulcos Clericos, & lascivos, armige„ ros, Luciferianas fraudes, & instinctus „ Diaboli, glomerationes, & fædera, mer„ das, & stercora. Breviter; nusquam lege„ tis Gentilis, & Saraceni, vel fabulantis „ Judæi Thalmud, aut alicujus execrabilis „ Scriptoris volumina cum tanta nausea, „ horrore, vel cholera.„

12. Witclepho in impietate non inferior Lutherus, quis recensere poterit quot scommata, quot probra in *opere contra falsò nominatum Ecclesiasticum Ordinem Episcoporum* in Sacras Personas evomuerit? quis petulantiam exprimere, qua in *libro contra Sicarium Dresdensem* propriam excusat, immò veriùs manifestat malignitatem? „ Nihil „ curo (inquiens) quòd queritur nominari „ in meo libro ferè mera maledicta, atque „ Diabolos. Hæc debet esse mea gloria, „ meusque honor. Sic & habere volo, ut

dein

„ deinceps dicatur de me, quòd plenus „ sum maledicentiæ, criminationis, & „ execrationis in Papistas. Volo & de cæ„ tero me adversùs Nebulones ipsos exer„ citare execrationibus, & maledictis us„ que ad sepulturam meam, nec ullum „ verbum bonum ampliùs ex me audient. „ Ego meis tonitruis, ac fulminationibus „ sic eos ad sepulturam compulsabo. „ Ut proindè non mirum, si ex *acerbissimis* ejusmodi calamis prodierint *propositiones* illæ, quæ inter damnatas à Constantiensi Concilio contra Wiclephum, & à Leone X. contra Lutherum non sine horrore præsertim adversùs Ordines Regulares leguntur. Nempè 21. Wicleph. *Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, tam Possessionatorum, quam Mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad observationem mandatorum Dei.* (22.) *Sancti instituentes Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.* (23.) *Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana.* (31.) *Peccant fundantes claustra, & ingredientes sunt viri diabolici.* (34.) *Omnes de Ordine Mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosynam sunt excommunicati.* (35.) *Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eò ipso inhabiles sunt ad observanda divina præcepta, & per consequens ad perveniendum ad Regnum Cælorum, nisi apostataverint ab eisdem.* (44.) *Augustinus, Benedictus, & Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc, quòd habuerunt possessiones, & instituerunt, & intraverunt Religiones, & sic à Papa usque ad ultimum Religiosum omnes sunt hæretici.* (45.) *Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt à Diabolo*, nec non & (44.) Lutheri. *Prælati Ecclesiastici, & Principes sæculares non malè facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.*

13. Quoniam verò propositionibus *injuriosis, maledicis, satyricis, detractivis*, solent præ aliis obnoxii fieri Historici, & Concionatores; placet compendiosè hic inserere, quæ cohærenter ad desuper expensa fusiori calamo promit Antonius Saura, ut instructos Qualificatores reddat, quandonam eas censura afficere, quando à qualibet nota valeant reddere immunes. Et quoad historias animadvertit in primis, licitum esse „ pro bono communi, quod ex historiis „ resultat, Historiographis scribere, quod „ ad infamiam aliquorum, de quibus scri„ bunt, posterorumque ipsorum spectat, „ quod non alioquin illis liceret „ Immò & utile quandoque id esse communi Reipublicæ bono, videlicet ex eodem Molina *disp.* 28. „ Tum ut notitia rerum gestarum „ historiis habeatur: Tum etiam, ut homi„ nes spe famæ comparandæ, quæ historiis „ æternitati mandetur, timoreque infamiæ „ incurrendæ, cujus similiter historiis per„ petua sit memoria, alliciantur ad res præ„ claras gerendas, ad turpiaque, atque in„ decora magis fugienda, ac vitanda. „ Varias indè expendit regulas, è quibus facilè poterit in casibus particularibus judicium rectum proferri super earumdem propositionum proscriptione, aut permissione. Quarum

14. *Prima* in eo consistit, quòd, si historiæ infamaverint illos, quorum æterna damnatio est indubia, tunc admittenda sit Molinæ *ead. disp.* 28. doctrina statuentis, non adesse obligationem restituendi damnum in fama defuncti injustè datum, quòd non habendus sit, tamquam noster proximus, sed ut hostis Dei, & omnium nostrum; quod subdit intelligendum, dummodò infamatio ad Viventes ullo modo nequaquam se extendat. *Secunda*: Expurgandos Historiographos esse, quoties aliquos, vel aliquem in re præsertim gravis momenti infamant. *Tertia*: Generales, seu universales detractiones in historiis positas adversùs Nationes, & Provincias, aut Status nonnullos, permitti ut plurimùm posse, ex quo non lædant, aut offendant determinatas Personas, aut Familias; si saltem nullus indè exurgat in Ecclesiam, ac Ecclesiasticos contemptus. *Quarta*: Non improbanda, quæ in historiis extant circa delicta Antiquorum, quantumvis Principum, sivè temporalium, sivè ecclesiasticorum, si ob temporis diuturnitatem jam vires amiserint, adeòut nec in ipsismet Conjunctis, Descendentibus, & Affinibus, ulla timeatur læsio, quæ ex justitiæ, charitatis, aut alio quovis religioso motivo vitari debeat. *Quinta*: Historias evulgantes Principum delicta, etiam vera, *impias* esse, utpotè adversùs communes Reipublicæ Patres formatas. *Sexta*: Pleraque permitti in scriptis, aut impressis judicialibus literis, quæ inseri in libris venalibus sunt prohibenda, cessante in his ratione illa imbuendi Judicum animos, ob quam dicta permissio honesta supponitur. *Septima*: Plures esse historias, quæ, si ad rectum finem colligantur, evulgari possunt, licèt indè Antiquorum memoria diffametur, si tamen ad deprimendos, & dehonorandos Vivos imprimantur, expurgari, ac obliterari penitùs debent. Ut, si quis exempla omnium Ethnicorum, vel Hæreticorum, vel Judæorum congereret,

qui post conversionem ad catholicam fidem ab ea defecerunt, ut inferat nullam Neophitis, aut Neophitorum filiis fidem præbendam.

15. Quoad Conciones autem, post varias, quas præmittit suppositiones, quinque firmat conclusiones. In quibus *primò* statuit, tunc solùm Concionatoribus ordinariis, seu nulla Episcopali, aut quasi Episcopali dignitate conspicuis, nec ullo Prophetiæ spiritu præditis, licere objurgationes publicas contra Catholicos è sacro pulpito ob scandalosa, notoriaque delicta effundere, cum in illis obstinati conspiciuntur, spreta qualibet in contrarium habita correctione, tam privatim, & fraterna, quàm authoritativa Episcoporum, aut etiam sæcularium Potestatum juxta materiæ qualitatem, nullaque, vel ferè nulla spes extet profectus, & fructus obtinendi per media leviora; contra verò adsit sufficiens conjectura, & probabilitas, quòd objurgatio è suggestu habenda, vel ipsis sit delinquentibus profutura, vel saltem cæteris, ne eorum criminibus illaqueentur. *Secundò*: Illicitas æstimandas objurgationes prædictas adversùs Prælatos Catholicos, ac Principes, & Magistratus, etiamsi præcedentes conditiones concurrant, absque Spiritu prophetico, vel prævia Sedis Apostolicæ consultatione ad *sanctionis* tenorem Concilii Lateranensis sub Leone X. (*sess.* 11.) *Cæterùm, si quibusdam eorum* (Prædicatorum) *Dominus futura quædam in Dei Ecclesia inspiratione quapiam revelaverit, ut per Amos Prophetam ipse promittit, & Paulus Apostolus inquit*, Prophetiam nolite spernere, &c. *hos aliorum fabulosorum, & mendacium gregi connumerari, vel aliter impediri minimè volumus. Et quoniam res magni momenti est, eò quòd non de facili credendum sit omni spiritui, sed sint probandi spiritus, an ex Deo proveniant, volumus ut lege ordinaria tales assertæ inspirationes antequàm publicentur, aut populo prædicentur, ex nunc Apostolicæ Sedis examini reservatæ intelligantur. Quòd si sine moræ periculo id fieri non valeret, aut urgens necessitas aliud suaderet, tunc eodem ordine servato, Ordinario loci notificetur, ut ille adhibitis secum tribus, aut quatuor doctis, & gravibus viris, & hujusmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt, super quo eorum conscientias oneramus, licentiam concedere possint*, & Clementinæ de *privilegiis* incip. *Religiosi*, qua Religiosis Concionatoribus *sub intermi.natione maledictionis æternæ, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant, districtè* inhibetur. *Tertiò*: Adeò rarum, & insolitum casum esse, quo ordinarius Concionator licitè valeat determinatas familias, ecclesiasticas personas, immò & sæculares quantumvis privatas, objurgare, ut propterea Concilia, & Doctores, quos indicatos vide apud ipsum, cum de raris eventibus nulla ferè habenda sit ratio, absolutè, & absque limitatione id facere penitùs illicitum asserant, æquè ac universaliter asseri solet, nulli personæ privatæ fas esse aliquem occidere; quamquàm in rarissimo casu justæ defensionis occisionem à peccato immunem esse non dubitetur, si fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. *Quartò*: Si jam emendata sint scandala, aut brevi corrigenda, vel punienda credantur à legitimis Superioribus, & maximè si spes resipiscentiæ effulgeat, nulla in publicis concionibus facienda objurgatio, quæ determinatas Personas afficiat. *Quintò*: Illicitam potissimùm eam esse, si personæ catholicæ infamentur de *hæresi*, *apostasia*, aut simulata *religione*. Quòd si aliter se gererent Concionatores, puniendos eos esse tribus aliis *conclusionibus* subdit tamquam Authores disseminantes propositiones *scandalosas*, *eversivas provinciarum*, *seditiosas*, *pietati*, *ac bonis moribus contrarias* juxta Sacrorum *Canonum*, & Apostolicarum *Sanctionum* rigorem.

16. Animadvertant hæc, velim, Doctores, quicumque fuerint, *propositionum ex damnatis* ab Alexandro VIII. (29.) quam dedimus *art.* 3. *num.* 9. ob æquivocationem, qua apparet concepta, tamquàm *malè sonantem*, & (21.) contra quam calamum acuit novissimè Francolinus in Romano Collegio Doctor apprimè notus, ac affectati, & imprudentis rigorismi acerrimus Impugnator, *in suo opusc. sub titulo*: Præsentis Ecclesiæ benignitas in administrando Sacramento pœnitentiæ à Rigidiorum quorumdam calumniis vindicata; *Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis*. Neque enim excogitari potest alius finis intentus ab ipsis per universale hoc assertum, nisi, quòd à Regularibus, quo ad Hæreticorum exemplum, infenso prosequuntur odio, Fideles abstrahantur, ne ampliùs ad eos pro conscientiarum exoneratione recursum habeant; nisi fortè, ne dicta prorsùs sacrilega suspicio in ipsis locum habeat, ab eleemosynis in eorum sublevamen, qui in Animabus curandis portant pondus diei, & æstus, elargiendis, prævię penitùs abstineant. Apparens hi qui-

quidem autumabant habere fundamentum, cui inniterentur, ut ad prædictam suspicionem formandam pœnitentes quoslibet inducerent, in Concilio videlicet Tridentino *sess.14. cap.8. de satisf. necess.* & *fructu* tradente, quòd debeant *Sacerdotes Domini, quantùm spiritus, & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, & pænitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere: ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pænitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Nam claves sacerdotibus, non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent: nec propterea existimarunt, Sacramentum Pænitentiæ esse forum iræ, vel pœnarum: & sicut nemo unquam catholicus sensit ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti; & satisfactionis Domini Nostri Jesu Christi, vel obscurari, vel aliqua ex parte imminui: quod dum Novatores intelligere nolunt, ita optimam pænitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim, & usum tollant.* & (*cap.19.*) *Docet præterea, tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solùm pænis spontè à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.*

17. Verùm ponderare haudquaquàm curantes particulas illas, *quantùm spiritus, & prudentia suggesserit*, aliasque *pro pænitentium facultate*, quibus modus præscribitur, quo *Sacerdotis arbitrium* reguletur; quod satiùs ille Cœtus docuit, ne Confessarii, *peccatis* conniventes, & *indulgentiùs*, quàm prudentia suggereret *cum pænitentibus* agentes *levissima quædam opera* nullo ad id rationabili ducti motivo *pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes* efficerentur; servandum adamussim contendunt cum omnibus, & singulis pœnitentibus, sivè divites hi sint, sivè pauperes, sivè debiles, sivè fortes, sivè fragiles, sivè ferventes, sivè proprii, sivè alieni juris, adeout eò ipso, quòd quis pro sceleribus enormibus sibi audierit à Confessariis Mendicantibus imponi leves pęnitentias, suspicari mox licitè valeat, id factum *ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis*, etiamsi non solùm hoc nec ab ipsis extorqueatur, aut confessionis prætextu exquiratur, nec à pœnitentibus, cis præberi soleat, sed vel quæstoribus in dictum finem ad Religiosæ paupertatis conservationem destinatis, vel Superioribus pro communi singulorum Fratrum sustentatione, non autem ad Sacramenti Pœnitentiæ Ministrorum delicias.

18. Quòd si in his aliqua excogitari quandoque, vel irrationabiliter, queat spes lucri temporalis consequendi à Pænitentibus, absque ullo prorsùs vitiosæ suasionis influxu in gratam suorum laborum recognitionem, quænam ratio suadet, ut indè colligi queat detestabilis illa suspicio, qua credatur, ob spem illam immemores fieri propriæ, non minùs, quàm proximorum salutis, levissimarum pœnitentiarum impositione conniventes eorumdem peccatis, & alienorum delictorum fæcibus se se inquinantes? Non ab aliis, ni mea me fallat opinio, fieri hæc potest illatio, nisi ab iis, qui *in victu, & habitu habentes formam pietatis, sed virtutem ejus abnegantes, eò decepisse plurimos, quò transfigurarunt se in Angelos lucis, cùm essent Satanæ*, ut olim locutum D. Bernardum contra Abailardum, & Arnaldum Brixiensem constat *epist.189. num.7.* Ac utinam sub exotici rigoris larva, quandoque non latęat venenum eò perniciosius, quò occultius! Utinam & de aliquo ex ipsis, locum non habeat tùm monitum, quod de hæterodoxis *hom.1. in Ezech.* prodidit Origenes: *Multò nocentior est hęreticus bonæ vitæ, & plùs in doctrina sua habet authoritatis eo, qui doctrinam conversatione commaculat . . . Idcircò caveamus hæreticos, qui conversationis optimę sunt, quorum fortè vitam non tàm Deus, quàm Diabolus instruxit*: tùm Ambrosii *lib.2. de pœn. cap.7. &* 8. in rigidos Censores, de eo obmurmurantes, quòd *facilis esset ad indulgentiam*, ut loquitur Baronius ad *ann.375.* meritissima redargutio: *Vos indignamini . . . . quia videtis mortuos in Ecclesia reviviscere, & peccatores indulta venia resuscitari. Itaque quod in verbis est, per invidiam rursùs vultis interficere suscitatos!*

19. Utrumque eatenùs, juxta vulgare proloquium: *In medio consistit virtus*, ad rem nostram, extremum vitandum; & sicut *abjicienda prorsùs pestifera à pastorali vigore patientia, quæ sibimet peccatis aliorum parcendo, non parcit*, ex Magno Leone (*ep.78.*), *impia* proindè *pietas* à Petro Damiano *in suo Gomorrhiano cap.2.* vocata, utpotè quæ *non vulnus amputat, sed ut augeatur, fomitem subministrat; non perpetrati illiciti actus prohibet ama*-

 situ-

ritudinem, ſed perpetrandi potiùs tribuit liberta- tem; ita & ad Eccleſiaſtes *cap.7.17.* monitum: *Juſtus perit in juſtitia ſua ...... noli eſſe juſtus multùm, neque plus ſapias, quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas*, incuſandus rigoris exceſſus ad extinguendas potiùs charitatis ſcintillas, quæ ſint in pœnitentibus, non ad eas ſuccendendas idoneus, juxta Angelici phraſim *quodl.3.q.13. art.1.* ſic diſcurrentis: *Videtur ſatìs conveniens, quòd Sacerdos non oneret pœnitentem gravi pondere ſatisfactionis, quia ſicut parvus ignis à multis lignis ſuperpoſitis de facili extinguitur, ita poſſet contingere, quòd parvus affectus contritionis in pœnitente nuper excitatus, propter grave onus ſatisfactionis extingueretur, peccatore totaliter deſperante. Undè melius eſt, quòd Sacerdos pœnitenti indicet, quanta pœnitentia eſſet ſibi pro peccatis injungenda, & injungat ſibi nihilominùs aliquid, quod pœnitens tolerabiliter ferat, ex cujus impletione aſſueſiat, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos ſibi injungere non attentaſſet, & hæc, quæ præter injunctionem expreſſam facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ ex illa generali injunctione, qua Sacerdos dicit:* Quicquid boni feceris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, &(*in 4.diſt. 20.q.1.art.2.quæſtiunc.2.ad 3.*) *Sacerdos minorem condigno pœnitentiam injungens, non ſemper peccat, tùm quia non poteſt determinatè quantitatem pœnæ debitæ cognoſcere, quamvis aliquid propriè conſideratis regulis Patrum determinare poſſit: tùm quia quandoque etiam ex induſtria minorem pœnitentiam imponens, plùs prodeſt pœnitenti, quàm noceat, qui fortè magnitudine pœnæ poſſet à pœnitentia peraʒ[illegible]s impediri propter debilitatem virtutis adhuc in eo de novo recuperatæ, & ideò negliget minus damnum, ut majus evitet: & iterum paulatim confortatus in eo divinus amor ad plura pœnitentiæ opera peragenda ipſum invitabit propria ſponte, quàm Sacerdos eidem ſecundùm quantitatem peccatorum injungere potuiſſet.*

20. Undè fit conſequens, quòd ſi Confeſſarii Regulares, leves, non tamen extra prudentiæ fines, pro gravibus criminibus pœnitentias imponant, non ideò, ut diximus, licitum mox eſſe debeat Parochianis ſuſpicari, prædictam praxim inductam *ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis*, non ſine in ſacros Regulares Miniſtros turpiſſima *contumeliis*, ſed potiùs de eis ferendum judicium, quòd miſericorditer ſe gerant, Sanctorum ſic terentes veſtigia, è quibus ſequentes *concluſiones* firmat S. Joannes de Capiſtrano in ſuo *tract. de Pœnitentia virtute, & Sacramento diſp.8. quæſt.2. art.1.* juxta noſtram coordinationem ex obedientia preparatam: *Tertia concluſio, quòd Pœnitentia debet imponi plùs, vel minùs aſpera, ſecundùm qualitatem delicti, & delinquentis, ut in prædictis juribus*; & *de Pœnit.diſt.1.cap.* Menſuram. *Quia apud Deum* non tàm valet menſura tẽporis, quàm doloris, *verba ſunt Hieron. qui dicit etiam id relinquendum arbitrio Sacerdotis.* Et(*art.2.*) *Quarta concluſio eſt, quòd hodiè pœnitentia Sacramentalis reſidet in arbitrio Sacerdotis, qui diſcretè moderare debet quantitatem exceſſus, contritionem pœnitentis, qualitatem perſonæ, & alias circumſtantias peccatoris, & peccati, ut in cap.* Deus qui: *extra de Pœnit. & Remiſſ. & in cap.* Quæſitum *in fin. eod. tit. & in juribus ſupra proximè allegatis*, Ac potiſſimùm ne digni reddantur increpationis D. Joannis Chryſoſtomi in illud (*Matt.23.4.*) *Alligant onera gravia, & importabilia* explicantis: *Tales ſunt Sacerdotes, qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt ... Sicut enim ſi faſcem ſuper humeros adoleſcentis, quem non poteſt bajulare, poſueris, neceſſe habet, ut aut faſcem rejiciat, aut ſub pondere confringatur; ſic & homini, cui grave pondus pœnitentiæ imponis, neceſſe eſt, ut aut pœnitentiam tuam rejiciat, aut ſuſcipiens, dum ſufferre non poteſt, ſcandalizatus ampliùs peccet. Deindè & ſi erramus, modicam pœnitentiam imponentes; nonne melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? Ubi enim Paterfamilias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax. Si Deus benignus eſt, ut quid Sacerdos ejus auſterus vult apparere?* Legatur quoque Bonuccius *in Vindic. Decreti Alexandri VIII. ſect.21. per totam.*

21. Non incongruum tandem videtur ex deſuper expenſis inferri meritiſſimè in *damnatione* Innocentii XI. *propoſitiones 43. & 44.* comprehenſas fuiſſe, quarum prima ſupponebatur *veniale detrahentis authoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere.* Secunda aſſerebatur *probabile non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat. Etſi hoc non eſt probabile, vix erit opinio probabilis.* Nullum namque in ipſis elucet motivum ex recenſitis, quo ullatenùs valeant cohoneſtari. In utraque enim ſermo fit de crimine falsò impoſito, ac mendacium continente, quod eſt intrinſecè malum, veram, rigoroſamque importans calumniam. Quæ eſt ratio, cur Angelicus 2.2. *qu.69. art.2. in corp.* reo accuſato *calumnioſè ſe defendere* illicitum aſſeruit: *Non autem licet ei, vel falſitatem dicere, vel veritatem tacere, quam confiteri tenetur*, quod tamen poſterius majori videtur indigens diſcuſſione, quæ ad *propoſitionum*, quas expendimus, rejectionem, non eſt ne-

est necessaria: *Neque etiam aliquam fraudem, vel dolum adhibere, quia fraus, & dolus vim mendacii habent. Et hoc est calumniosè se defendere*, & universaliùs paulò ante dixerat; *falsitatem tamen proponere in nullo casu licet.*

22. Quamvis verò inde non inferatur præcisè *propositionum* proscriptarum pravitas, quia per ipsas non affirmatur id facere licitum, sed *veniale*, seu *non mortale*, quod sufficit ut inhonestum quid constituatur. Adhùc nihilominùs gravitate materiæ inspecta clarum redditur, falsum crimen alteri imponere lethalem malitiam involvere, & de hac proculdubiò loquitur laudatus Aquinas. Quin obsit, quòd id fieri asseratur in propriam defensionem, cùm immeritò defensionis pallio operiatur vindicta, quæ privato homini competere nequit: Defensio namque sui natura exposcit fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, quod moderamen in *propositionum* prædictarum hypothesi non invenitur, dum, ut habeatur, debet illud medium, & ad effectum, ob quem adhibetur esse efficax, atque unicum. Impositio autem falsi criminis, nec unicum censendum, cum persæpè non desint alia media apta, ac idonea; nec efficax, cum non semel contingat dictam impositionem non attendi, quòd reputetur effectus vindictæ, iracundiæ, & furoris hominis patientis injuriam, seu detractionem. Ac quatenùs esset, & unicum, & efficax, adhùc ad moderamen inculpatę tutelę ineptum, pro quo essentialiter requiritur, ut à turpitudine, quam aliàs dicit, depurari ex circumstantiis valeat; quod de mendacio, & maximè in re gravi nequit verificari.

23. Hoc propterea medio utuntur itidem Hæretici, imponendo Conciliis, & Pontificibus calumniosè *sanctiones*, & *decreta* rectis morum regulis repugnantia, non alio fine, nisi ut eludant pro viribus eorumdem authoritatem, quam impiis suis dogmatibus experiuntur contrariam. Uti proculdubiò fecisse dignoscitur Batavus ille Calvinista, contra quem *quæstiones miscellaneas* compilavit Becanus, ubi de eo referens, quòd Catholicis impingat doctrinam sustinentem, non esse Lutheranis quantumvis licitè præstitam fidem servandam, hoc ratiocinio contentam: *Hæreticis non est servanda fides: sed Evangelici, idest Lutherani, ac Calvinistæ sunt hæretici: Ergo Evangelicis, idest Lutheranis, & Calvinistis non est servanda fides*, subdit majorem propositionem, de cujus falsitate egimus *cap.7. art.1. num.8.* ab impio Calumniatore deduci ex variis *decretis* Conciliorum, Lateranensis præsertim sub Innocentio III. Constantiensis, & Tridentini, & Romanorum Pontificum Urbani II. Gregorii IX. Sixti V. Gregorii XIV. & Pauli V., quos proinde adeò turpi contumelia afficit, ut Catholicos omnes reddat odibiles, quorum est Conciliares, & Pontificias *sanctiones* obsequentissima veneratione complecti. Quàm tamen futiliter, & mendaciter, observari potest apud eumdem Becanum, qui evidenter ipsum falsitatis convincit ostendens remotissimos Christi Vicarios, Conciliorumque Patres perpetuò fuisse ab asserto prædicto in ea universalitate, & sensu accepto, quo à Batavo evangelico nequissimè sumitur.

24. Summoperè proindè cavendum Catholicis Doctoribus, ne in minimo adeò detestabilem imitentur Hæterodoxorum impudentiam, cujus quandoque, vel invitus, quis particeps redditur, cùm nempè vel non attentè considerando Authorum opiniones, earumque contextus, vel non legendo totam alicujus quæstionis seriem, vel non ponderando, an ex Typographorum incuria desit aliqua particula, cujus defectus contrarium reddat sensum, alienumque à Scribentis mente, eis imponit pravas opiniones, non sine æstimationis, in qua habebantur, manifestissimo præjudicio, apud ignaros ad minùs, qui verum putantes, quod legunt, non curant nec leviter illos percurrere, ut immunes à seductione reddantur. *Oro vos*, (ajebat propterea *lib. de Synodis propè initium* S. Hilarius) *per Domini misericordiam, ut quia nihil ad vos de divinis, ut voluistis, rebus, & de Fidei nostræ intemerata conscientia, erit per has literas sermo; ne quisquam de me ante sermonis consummationè per literarum exordia existimet judicandum. Iniquum est enim, nisi comperta usque ad finem ratione dictorum, præjudicatam sententiam ex initiis, quorum causa adhùc ignoretur, afferre: cùm non de inchoatis ad cognoscendum, sed de absolutis ad cognitionem sit judicandum. Est enim mihi non de vobis, ut Dominus sensui meo conscius est, sed de quibusdam nimiùm apud se cautis, & prudentibus metus, non intelligentibus per Beatum Apostolum sibi, ne superspaperent præceptum: quos vereor nolle omnia ea, quorum absolutio à me in consummatione erit præstanda cognosci; dum verum intelligi ex iis, quæ absolveatur, evitant. Sed quisquis hæc legenda, & cognoscenda susceperit, modum sibi, atque mihi patientiæ fidelis indulgeat, & usque ad absolutionem universa percenseat.*

AR-

ARTICULUS V.

In quo sita sit quidditas propositionis imprudentis, temerariæ, & stultæ? *& an sit confundenda cum* propositione Improbabili?

1. VAriæ planè sunt voces, quibus indigitatur propositio, quæ in præsenti discutienda proponitur, non tamen varias importantes censuras, sed unam, eamdemque diversis nominibus designatam. E quibus quamvis potissimum sibi vindicet locum *temeritas*, aliæ nihilominùs intimiùs inspectæ eamdem ad intentum significationem important. De imprudentia agit Angelicus *2.2.q.53. per plures articulos*, in quorum 1. eam dupliciter accipiendam monet. Privativè videlicet, *in quantùm aliquis caret prudentia, quam quis nactus est, & debet habere.* Et contrariè: *secundùm quòd ratio contrario modo movetur, vel agit prudentiæ, puta si recta ratio prudentiæ agit consiliando, imprudens consilium spernit, & sic de aliis, quæ in actu prudentiæ consideranda sunt.* Indicatque in utraque haberi posse peccatum, in illa *ratione negligentiæ, qua quis non adhibet studium ad prudentiam habendam*: in ista, quia contra prudentiam agere nequit, *nisi divertens à regulis, quibus ratio prudentiæ rectificatur*. Firmat deindè (*art.2.*) *imprudentiam esse generale peccatum, secundùm participationem quidem respectu omnium peccatorum; secundùm prædicationem verò respectu certarum specierum prudentiæ oppositarum*, distinctè enucleans quot modis vitium, vel peccatum dici valeat generale.

2. His explicatis prosequitur ad varios modos recensendos, quibus *imprudentia* committitur, videlicet (*art.3.*) per *præcipitationem*, qua *quis per impetus voluntatis, vel passionis, gradibus prudentiæ contemptis, in ruinam labitur*: subdens, quòd gradus, *per quos oportet ordinatè descendere, sunt memoria præteritorum, intelligentia præsentium, solertia in considerandis futuris eventibus, ratiocinatio conferens unum alteri, docilitas, per quam aliquis acquiescit sententiis Majorum, per quos quidem gradus aliquis ordinatè descendit rectè consiliando. Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis, vel passionis, pertransitis hujusmodi gradibus, erit præcipitatio. Cùm ergo inordinatio consilii ad imprudentiam pertineat, manifestum est, quòd vitium præcipitationis sub imprudentia continetur*. Per *inconsiderationem* (*art.4.*) *qua quis contemnit, vel negligit ea, ex quibus rectum judicium procedit*. Sicut namque *consideratio maximè pertinet ad judicium; ita & defectus recti judicii ad vitium inconsiderationis pertinet, prout scilicet aliquis in rectè judicando deficit ex hoc, quòd contemnit, vel negligit attendere ea, ex quibus rectum judicium procedit*. Et denique (*art.5.*) per *inconstantiam*, qua *quis contemnit præcipere ea, quæ secundùm rectam rationem ante erant judicata, & proposita*. Cùm enim contemptus hujusmodi importet recessum *à bono proposito diffinito*, qui *non consummatur, nisi per defectum rationis, quæ fallitur in hoc, quòd repudiat id, quod rectè acceptaverat*; clarum fit, quòd *inconstantia quantùm ad sui consummationem pertinet ad defectum rationis. Sicut autem omnis rectitudo rationis practicæ pertinet aliqualiter ad prudentiam, ita omnis defectus ejusdem pertinet ad imprudentiam: Et ideò inconstantia secundùm sui consumationem ad imprudentiam pertinet. Et sicut præcipitatio est ex defectu circa actum consilii, & inconsideratio circa actum judicii: ita inconstantia circa actum præcepti. Ex hoc enim dicitur aliquis esse inconstans, quòd ratio deficit in præcipiendo ea, quæ sunt consiliata, & judicata.*

3. Ex his autem elucet *imprudentiæ* vocabulum ad omnes illas resolutiones se se extendere, quæ à *prudentiæ* regulis distant, ratione, vel rejectionis mediorum, per quæ illæ essent dirigendæ, sivè hæc ortum ducat *ex impetu voluntatis*, vel *passionis*, quod magis propriè dicitur *præcipitatio*; sivè ex *contemptu regulæ dirigentis*, quem *propriè importat temeritas*; vel *recti judicii defectus*, qui parit *inconsiderationem*; vel *debilitatis* Operantis, *quæ non tenet se firmiter in bono proposito concepto*, in quo consistit *inconstantia*. Quæ omnes differentiæ in ordine ad censurarum theologicarum notitiam nequaquàm solent attendi, ut propterea quælibet propositio, aut doctrina *præcipitanter, inconsideratè, inconstanter*, sine rationabili fundamento authoritatis, vel rationis asserta, *temeraria* inscribatur, *imprudens*, & *stulta*, seu, quod idem est, ex eodem Angelico (*q.46. art.1. ad 5.*) *insipiens*. Quæ tamen sit in materia theologica, nam si ad hanc pertineat, estò *temeritatis* valeat indigitari vocabulo, non tamen quæ sit theologica nota. Quod maximè animadvertendum docuit Aquinas *opusc.10.* cum interrogatus à præclarissimi sui Ordinis Magistro Fratre Joanne Vercellensi super *articulis 42.*, eorum resolutioni protestationem præmisit, *quòd plures horum articulorum ad Fidei doctrinam non pertinent, sed magis ad Philosophorum dogmata*, ex Augustino egregiè subdens, quòd si eorumdem pla- * non

cita,

cita, quæ ad facram doctrinam nullo modo conducunt, veluti pertinentia ad ipsam tradantur, in maximum fidei præjudicium tendat, nec ullo modo à *subsannationis* censura esse queat immune, *Multùm autem nocent talia, quæ ad pietatis doctrinam non spectant, vel asserere, vel negare, quasi pertinentia ad sacram doctrinam. Dicit enim Augustinus (in 5. Confess.)* Cum audio Christianum aliquem ista, scilicet quæ Philosophi de cœlo, aut stellis, aut de solis, & lunæ motibus dixerunt nescientem, & aliud pro alio sentientem, patienter intueor opinantem hominem, nec illi obesse video, cum de te Domine Creator omnium nostrum non credat indigna, si fortè situs, & habitus creaturæ corporalis ignoret. Obest autem, si hæc ad ipsam pietatis doctrinam pertinere arbitretur, & pertinaciùs affirmare audeat, quod ignorat. *Quod autem obsit, manifestat Augustinus (lib. 1. super Genesis ad literam cap. 19.)* Turpe est, *inquit*, nimis, & perniciosum, ac maximè cavendum, ut Christianum, de his rebus quasi secundùm Christianas literas loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodùm dicitur, toto cœlo errare conspiciens, risum tenere vix possit. Et non tam molestum est, quòd errans homo derideretur, sed quòd Authores nostri ab eis, qui foris sunt, talia sensisse creduntur, & cum magno eorum exitio, de quorum salute satagimus, tamquàm indocti reprehenduntur, atque respuuntur. *Undè mihi videtur tutius esse, ut hæc, quæ Philosophi communes senserunt, & nostræ fidei non repugnant, neque sic esse asserenda, ut dogmata fidei, licèt aliquando sub nomine Philosophorum introducantur, neque sic esse neganda, tamquam fidei contraria, ne Sapientibus hujus mundi contemnendi doctrinam fidei occasio præbeatur.*

4. Ut sit autem materia theologica ad rem præsentem sufficit quælibet connexio cum mysteriis fidei, nec non, & quælibet de ea in sacris literis mentio, vel probabilis ex eis illatio, & deductio, per quam non ampliùs consideratur, ut ad philosophiam dumtaxat spectans, sed ut à Spiritu Sancto ad supernaturalem finem intenta. Qualis certè censeri debet terræ immobilitas, quæ licèt philosophicè cognosci queat, naturalibusque ratiociniis comprobari, adhùc tamen tanta firmitate tenenda, ut oppositum nedùm *temerarium* haberi debeat, sed & catholicæ veritati contrarium, Sacræque Scripturæ testanti: (*Ps. 92. 1.*) *firmavit Deus orbem terræ, qui non commovebitur*, & (*Ps. 103. 5.*) *fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi.* (*Ecclesiast. 1. 4.*) *Terra autem in æternum stat*, & (*Paralip. lib. 1. cap. 16. 30.*) *Deus fundavit orbem immobilem*, omninò repugnans; quale revera definitum à Paulo V. Copernici opinionem damnante refert Dominicus à SS. Trinitate *in sua Bibl. theol. tom. 3. lib. 3. sect. 7. cap. 8. num. 4.* præcisis his verbis: *Et quia etiam ad notitiam præfatæ Sanctæ Congregationis pervenit, falsam illam doctrinam Pythagoricam, divinæque Scripturæ omninò adversantem de mobilitate terræ, & immobilitate solis, quam Nicolaus Copernicus de revolutionibus orbium cælestium, & Didacus Astunica in Job, etiam docent, jam divulgari, & à multis recipi, sicuti videre est ex quadam epistola impressa cujusdam Patris Carmelitæ, cujus titulus*, Lettera del R. P. Maestro Paolo Antonio Fascarini Carmelitano, sopra l'opinione de Pitagorici, e del Copernico della mobilità della terra, e stabilità del Sole, e novo Pitagorico sistema del mondo, in Napoli per Lazzaro Scoriggio 1605. *In qua dictus Pater ostendere conatur præfatam doctrinam de immobilitate solis in centro mundi, & mobilitate terræ, consonam esse veritati, & non adversari Sacræ Scripturæ. Ideò ne ulteriùs hujusmodi opinio in perniciem Catholicæ veritatis serpat, censuit dictos Nicolaum Copernicum de revolutionibus orbium, & Didacum Astunica in Job suspendendos esse, donec corrigantur. Librum verò P. Pauli Fascarini Carmelitæ omninò prohibendum, atque omnes alios libros idem pariter docentes prohibendos, prout in præsenti decreto omnes, prohibet, damnat, atque suspendit &c.*

5. Quin, & reflexè materia theologica dici potest, quæ sui natura talis non est, nec de ea quidpiam appareat in Sacra Scriptura, si tamen tamquam materia theologica pertractetur. In qua hypothesi, potest censuræ theologicæ fieri capax materia hujusmodi non in se ipsa, sed in modo, quo propugnatur, ac defenditur. Adeout si vel asseratur certa, certitudine aut fidei, aut theologica &c., vel rejiciatur tamquàm Fidei, ac Theologicæ conclusioni repugnans, modus hujusmodi defensionis, aut impugnationis proscribendus veniat, opinione ipsa in re non theologica in suo statu relicta. Sicuti contigisse *c. 3. art. 20. n. 7.* eadem authoritate Aquinatis indicata vidimus Hieronymo Pragensi, qui cùm accusaretur, quòd theologica nota affecisset quamdam de universalibus doctrinam, propriam illi præferens, ac si esset *fidei scutum*, coactus est illatam censuram abjurare anathematizando *omnem hæresim, præcipuè eam, de qua hactenùs infamatus fui*, ut credere est ob nimiam, pertinacemque

que asseverantiam, qua præfatam rejiciebat sententiam, cùm alias pro *hæresi* haberi non posse, *hæreticam* opinionem probabilem in quavis materia, pronunciare, *ibid.* sit abundè probatum.

6. In materia itaque theologica evidens ex dictis sequitur, *temeritatis*, *imprudentiæ*, & *stultitiæ* notam quibuslibet generatim propositionibus posse adaptari, quæ sub alia quavis censura prohibentur. Neque enim contingere potest, ut doctrina aliqua sit *hæretica*, *erronea &c.* quæ simul non sit *temeraria*, si in se ipsa consideretur; esto ex parte illam Proferentis possit fortè quandoque talis non dici, quòd ignorans deliquerit, putando in ejus discussione se adhibuisse media necessaria ad optimam efformandam resolutionem, quæ revera nequaquam investigavit. Ac propterea, non mirum, si persæpè apud Patres, & Sacros Doctores propositiones nonnullæ rejectæ videantur, veluti *stultæ*, & *temerariæ*, quæ tamen graviorem mereantur censuram, non enim *stultas*, & *temerarias* exclusivè vocant, sed cumulativè generali utentes vocabulo, quod singulis noxiis doctrinis est adaptabile. Quo sensu, propositionem illam, quam *decoloratıvam candoris Ecclesiæ* vidimus *cap.6. art.14.* ex Seraphico Doctore, S. Thomas *stultam* appellat 2.2.*q.*187.*art.*1. *in corp.*, etiam quatenùs execrabili motivo innitebatur, *quòd per hoc, quòd aliquis in sanctitate promovetur, efficitur minùs idoneus ad spiritualia officia exercenda: & ideò stulta est quorumdam opinio dicentium, quòd ipse status Religionis impedimentum affert talia exequendi*, rationemque *stultitiæ*, & *temeritatis* subnectit, *erroneam* simul illam indicans, *quorum errorem Bonifacius Papa rationibus supradictis excludit dicens, ut habetur* (16.*q.*1.) Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimo quidem zelo magis amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, asserentes monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo vivunt, Sacerdotalis officii potestate indignos: sed omninò labuntur.

7. Quidditas nihilominùs *temeritatis*, quà talis, cuivis ea propositioni adaptetur, in indicato authoritatis, & rationis, quo laborat, defectu consistit, ut eruditè comprobat Cardinalis Brancatus *disp.*16. *de Perf. ac doctr. de hær. susp. art.*2. §.3. *num.*67.68. dum authoritatibus fretus (*Ecclesiastes* 5.1.) *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum verbum, idcircò sint pauci sermones tui* (*Ecclesiastici* 9.25.) *Temerarius in verbo suo odibilis erit*; pluriumque Sacrorum Canonum, ex quibus liquet *Temerarium* dici, qui scienter facit, aut dicit aliquid sibi prohibitum *c.* Si decreta *dist.*20. *c.* Is qui *de sent. ex. com. in* 6. & *cap. fin. de foro comp. in* 6., qui subitò, & absque deliberatione operatur *cap.*1. *de Relig. dom. in* 6., qui absque licentia Superioris propria authoritate facit, quod requirebat eam licentiam *c.* Temerarium 11.*q.*3. cujusmodi vidimus esse conatum, quo Sacræ Scripturæ, Sacrorumque Mysteriorum dignitas vulgari idiomate vilipenditur *art.*2. *num.*13. & 14. ex ipsis infert, *temerariam* dicendam fore propositionem, quæ in materiis theologicis sine fundamento, vel authoritatis, vel rationis arbitrariè asseritur, uti *si quis annum, vel diem finis mundi, seu judicii certum doceret. Si gradum gloriæ, aut gratiæ alicui Sancto assignaret*; & aliahis affinia proferret, quę nullus antea dixerit.

8. Quod adhuc dupliciter posse contingere advertunt hic non pauci Theologi, *positivè* videlicet, & *privativè*. Quoties namque assertum repugnet contra receptam sententiam, vel Patrum, vel Scholasticorum, itaut omnes, vel ferè omnes conveniant in illa, etiamsi non asserant esse fide divina certam, (de quo egimus *cap.*3. *art.*16. & 17.) sed vel simpliciter veram, vel omninò probabiliorem, quia hoc attento vix fieri potest, ut secundùm rationis dictamen queat aliquis tantæ authoritati opponi, quòd credibile non appareat tot Patres, & Doctores sine urgenti motivo, vel testimonio in eam sententiam concorditer conspirasse; toties assertum *positivè*, & *contrariè temerarium* habendum. *Privativè* verò quoties assertum fuerit solo proprio judicio, & sine sufficienti fundamento excogitatum. Nam sic etiam, ait Suarez *disp.*19. *de infid. apost. &c. sect.*2. *quot sint gradus damn. prop. n.*20. „ deficit à recta regula rationis, & aliquid „ habet præsumptionis, ac proindè in ma„ teria theologica, & supernaturali non „ caret *temeritate*, quamvis minori, quàm „ in priori gradu, (scilicet *positivo*) invenia„ tur. „ In quo tamen discrepat Hurtadus apud Lugum *disp.*20. *de virt. fid. div. sect.*3. *num.*98. *temeritatis* notam perstringens ad *positivum* gradum, quòd censeat propositionem *temerariam privativam* dici potiùs debere *improbabilem*, de qua denominatione infrà habebitur sermo: Utramque nihilominùs opinionem conciliare nititur Cardinalis laudatus, & quidem satis fundatè, ex quo illæmet propositiones *temerariæ privativè* semper aliquid involvant de *positivo*, licèt ab aliis in hoc differant, „ quod Patres, „ & Doctores de iis explicitè, & in parti-culari

,, culari locuti non fuerint, sicut de reliquis, sed solùm implicitè, & in communi, v.g: quòd *aliquis Sanctus fuerit conceptus sine peccato originali* præter Deiparam, quod exemplum affert Suarez. Nam licèt de illo Sancto non fuerint Doctores locuti, posuerunt tamen propositiones universales illum Sanctum comprehendentes, & omnes alios, in quibus non inveniantur rationes adeò efficaces ad hanc exceptionem, quales reperiuntur in Deipara, immò hæc assertio graviori censura digna videtur. Hùc etiam spectat illud aliud exemplum, quod affert, de affirmante sine revelatione, ut certum, quòd *dies judicii erit intra centum annos*. Nam hoc etiam affirmare ex propria ratione, & discursu, ut certum, videtur esse contra regulam generalem, & sensum communem, quòd Deus voluerit arcanum illud esse occultum, nec posse à nobis ex principiis aliis, sine revelatione divina certò cognosci. Itaque optima regula ad dignoscendum, an propositio aliqua sit *temeraria* quamvis de ea explicitè Patres, vel Doctores non sint locuti, hæc esse potest. Nimirum attendere, quid dixissent Patres, vel Doctores interrogati de hac propositione in particulari, quantum ex reliqua eorum doctrina colligere possumus. Si enim certum est, eos, licèt de facto propositionem hanc non expressserint, negaturos tamen illam fore, si eis proponeretur, hoc sufficit, ut censeatur *temeraria*, cùm sit contra habitualem saltem Patrum, & Doctorum sensum, qui ita fuerunt, & sunt habitualiter dispositi, ut interrogati, ita formaliter dicerent, & exprimerent. Quando verò manemus verè dubii, & ancipites, quid dixissent, vel dicturi sint, si hoc explicitè proponatur, non debet censeri *temeraria*, licèt non habeat positivè pro se communem sensum, quia nec à formali, nec ab habituali Doctorum sensu recedit.

9. Quòd si *temeritatis* inurendus sit nota, qui in materia theologica tradit, quod vel expressè SS. Patrum menti repugnat, vel etiam generalibus eorumdem doctrinis implicitè adversatur, fortiùs eadem, ut minimùm, censura retorquenda videtur in eum, qui Sanctos eosdem Patres, nimis in proprio abundans sensu, ea inurere non erubuerit. Ac propterea Daniel Papebrochius notissimus Societatis historicus impetitus à nescio, quo hispano Thesista, quòd in continuatione *operis* incredibilis prorsùs laboris, & eruditionis à Bollando sub titulo: *Acta Sanctorum* incœpti, *tom. 3. martii pag. 10. num. 2.* Joannis Bessoni, & Possini opinionem propugnans statuentium carnalem Christi genealogiam à Luca non à Matthæo descriptam, de Patribus communissimè opposítum supponentibus scripserit, ,, Plerique eorum *temerè* Africanum ,, secuti, à quo alioquin in utriusque lineæ ,, conjunctione desciscunt, nec rationi, nec ,, Scripturis satis conformiter, videntur ,, adscripsisse Matthæo ejus, quæ secun- ,, dùm naturam est, generationis seriem, ,, Lucæ verò alterius, quæ secundùm le- ,, gem, successionis ,, Ac si his verbis asseruerit ;,, quosdam *temerarios* Patres absque ,, fundamento in ratione, aut Scriptura fir- ,, mato, quando soluturi dubia in Christi ,, genealogia occurrentia sequuntur Ju- ,, lium Africanum ,, jure meritò totis viribus nititur ab hujusmodi macula se se reddere immunem, ac Thesistæ appellanti assertum prædictum *blasphemum*, *impium*, & *erroneum*, vices rependens, ipsum vocat *infælicem*, *insufficientem*, & *malè coctum grammaticum*.

10. Non tamen, meo videri, ea fœlicitate, quam sibimet pollicetur. In eo siquidem tota responsionis ex P. Jordi mutuatæ vis sita est, *par. 2. resp. ad art. 25.* quòd adverbium *temerè* æquivocum in se sit, sumique proinde valeat, & quatenùs *temeritatem* designat, & quatenùs exprimat pluralitatem, cujus vi idem omninò habendum veniat *temerè*, ac *ferè*, seu *ut plurimùm*, ut testantur Laurentius Valla *elegant. ling. lat. lib. 2. c. 49.* ,, Pro ,, *ferè* accipitur *temerè* apud omnes post Ci- ,, ceronem natos ,, & Nicolaus Perottus in ,, (*Cornucop. lingu. lat. col. 651.*) *Temerè* omnes, ,, qui post Ciceronē fuere, pro *ferè* usi sunt,, Quo posito Thesistæ imputandum calumniæ, quòd à Papebrochio in primo, non in secundo sensu præfatum sit usurpatum adverbium, cùm revera in secundo ab eo acceptum nitidè eluceat ex contextu, ob quem nec *malè sonantiam* retinet, quam aliàs ob sui æquivocationem parere posset. ,, In- ,, telligat ergo, quando Papebrochius di- ,, xit de aliquibus Sanctis Patribus, quòd ,, *temerè Africanum* secuti sunt, non dixit, ,, quòd eum sint secuti *temerariò*, sed quòd ,, *ferè* omnes, aut major eorum pars secuti ,, sint,, Verùm hæc reflexio etsi mentem Papebrochii in Patres non *injuriosam* constituat, phrasim ipsius nihilominùs plenè approbandam non reddit. Sivè enim inspiciatur Tò *plerique*, sivè aliæ particulæ *nec rationi*,

ni, nec Scripturis Sacris conformiter, impropriè Tò *temerè* accipi potest pro *ferè*, seu *ut plurimùm*: sensus namque esset. *Plerique, ferè omnes*, & *ut plurimùm* Africanum secuti, quod certè non redolet magnam Papebrochii latinitatem, qui proindè in Patribus potiùs quamdam *inconsiderationem*,& *præcipitantiam* supponit, quos ait Africanum secutos *nec rationi*, *nec Scripturis satìs conformiter*. Non equidem absoluta ista prolatio est, at non eatenùs intra eos modestiæ fines contenta, quòd *maximæ moderationis* laus ei adaptari valeat, ut ex Jordi contendit Papebrochius, indè Adversarium Thesistam redarguens: *Poteratne sensum suum explicare modestiùs? Ubi est ergo præsumpta temeritas?* Quinimmò cùm agatur de interpretatione Sacræ Scripturæ, quam ex Patribus mutuandam nullus ignorat, arcenda certissimè est à Catholicis Doctoribus loquendi formula, qua indicetur, quòd Patres videantur *nec rationi, nec Scripturis conformiter* aliquam, à quovis ea tradatur, explicationem amplecti, cùm præsertim non unus, aut alter, contradicentibus cæteris,sed in ea tradenda, ac propugnanda tot gravitate, ac numero sint, quot adesse conspicimus quòad carnalem genealogiam Christi, Matthæo, non Lucæ, tribuendam, ut distinctiùs videbitur *seq.art.7*.

11. Interim occurrit discutiendum, quid revera haberi probabilius debeat circa *improbabilitatem* alicujus opinionis, quam *num*.8. cum *temeraria* privativè confundi innuimus ab Hurtado, censente insuper eam nequaquam inter censuras theologicas numerandam, ut videre est apud eumdem De Lugo *num*.104.Quod posterius etiam,& à nobis videtur approbatum *c.1.art.7.nu.*11. ubi indicavimus *improbabilitatem*, vel non esse notam theologicam, vel à *temeritate* non esse distinguendam. Hac disjunctione sufficienter insinuantes, quòd si *improbabilitas* ad eum perveniat gradum, ut *temeraria* dici valeat, ab hac, solo nomine discreper, & propterea æquè ac ipsam recensendam inter theologicas notas, estò non semper ejusdem sit tenoris, & gravitatis, juxta fundatam conciliationem oppositarum opinionum *Ibid*. ex De Lugo recensitam. Cum qua cohæret, quod dicto *cap*.1.*art*.7.*num*.11. tetigimus, toties *improbabilitatem*,tamquam censuram theologicam reputari non posse, quoties alicui opinioni applicatur ex privata cujusvis Doctoris mente sententis, illam levibus inniti motivis, & ad fundandam veram *probabilitatem* insufficientibus, ac ineptis, exemplo id corroborantes opinionis requirentis ad validitatem absolutionis sacramentalis in Pœnitente dispositionem doloris eliciti ex motivo amoris Dei super omnia diligendi, quam etiam post Innocentii XI. præceptum Catholicis Doctoribus impositum, ne ampliùs censuram theologicam inferre audeant opinionibus ab Apostolica Sede non hactenùs definitis, non dubitant plerique asserere *improbabilem*, oppositam de Attritionis sufficientia indubiam ad absolutionis validitatem, & *practicè certam* putantes. Indèque eruentes solutionem adhibendam *propositioni primæ* ex *damnatis* à laudato Pontifice, illicitum prorsùs declarante inSacramentis conferendis sequi opinionem *probabilem* tutiori relicta.

12. Si semel enim verè *probabilis* putetur necessitas actus amoris Dei super omnia, ut quis justificationis fructum consequi queat ex Pœnitentiæ Sacramento, clarum fit in praxi non posse aliquem ad illud accedere, cum solius attritionis dispositione, ne Sacramentum exponat nullitatis discrimini, quod potissimùm ab Ecclesia Dei eliminare intendit Apostolica Sedes relatæ *propositionis* proscriptione. Ac eatenùs non alio medio tantùm inconveniens aptiùs vitari potest, nisi habendo *attritionem* soli pœnarum motivo innixam *certò sufficientem*, prætensam verò amoris Dei super omnia necessitatem, vera destitutam *probabilitate*, quod in idem recidit, ac quòd sit *improbabilis* practicè ad minùs. Quicquid dici valeat de speculativa *probabilitate*, quæ quatenùs dictæ sententiæ queat adaptari, attendenda non est, cum de licita, vel illicita agitur operatione, & maximè, quæ ad Sacramenti validitatem pertineat, Qua ratione, etsi speculativè *probabile* adhuc sit,validum fore baptisma collatum sub forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab Utroque*; est tamen practicè *improbabile* ob invaliditatis periculum, cui per ipsius usum exponeretur baptisma, qui proindè sub Pontificia *damnatione* comprehenditur.

13. Ad practicam autem præfatæ opinionis certitudinem stabiliendam innumera promunt ipsius Patroni argumenta, ex Conciliis, ex Patribus, ex Theologis in eam conspirantibus. Quæ tamen adhùc nequaquàm habent sufficientia, ut contraria opinio *temeraria* sit inscribenda. Sivè quia ad *temeritatis* exclusionem concurrat expressa Alexandri VII. prohibitio in *decreto* super hac re inferiùs recensendo, in quo utramque sententiam defendi posse permittit.

titisi tamen revera de sententia necessitatem amoris Dei super omnia adstruente in eo sit sermo, & non verius de altera necessitati *aliqualis dilectionis* solummodò favente, quæ à perfectione dictæ prælationis longissimè distat. Quamque idcirco defendens Cardinalis Pallavicinus *lib.7.de virt.& sacr. pœn.cap.12.à num.*140. cui *dicti decreti* publicatio potissimùm adscribitur, dolorem nihilominùs ex amore Dei super omnia ortum per se justificantem cum solo Sacramenti Pœnitentiæ voto supponit. Tradens namque distinctionem inter attritionem charitatis motivum involventem, & contritionem, duobus modis, ait, posse quem velle amicitiam Dei efficaciter „ primò appretiando Deum secundùm ipsum affectivè super omnia alia bona possibilia; secundò appretiando quidem valdè ipsum Deum secundùm ipsum, & ex alia parte parvi appretiando omnia alia bona Deo opposita, quatenùs hæc omnia habent admixtam magnam malitiam, eò quòd inferant jacturam beatitudinis æternæ, & cruciatus æternos, ut ex his omnibus simul consideratis præferat amicitiam Dei omnibus bonis oppositis. Ille primus amor, adeòque dolor ex eo conceptus, est valdè perfectior..... & ex isto amore sequitur contritio ..... Ille tamen alter amor adhùc est efficax, quia disponit voluntatem ad semper volendam efficaciter amicitiam Dei..... Non est tamen hic amor Dei super omnia, possumus enim cum hoc amore conjungere majorem amorem alterius objecti disparati &c. „ Sivè etiam quia non adeò clara sunt Conciliorum, & Patrum testimonia, ex quibus attritionis sufficientia eruitur, ut non sit necessarium theologicum ratiocinium, cui aliàs ingeniosis aliquibus distinctionibus, & explicationibus Adversarii nituntur occurrere. Nec adeò universalis est pro ea Theologorum concordia, ut ad præsens non adsint complures actum amoris Dei super omnia in dictum finem necessarium pro viribus contendentes. Quibus stantibus *practica certitudo*, quæ sufficientiæ attritionis inhæret, non est, nisi certitudo theologica à privatis Theologis asserta, quæ quamvis practicè *improbabilem* reddere possit oppositam opinionem, non tamen *temerariam*. Nisi quoque placeat modestiori quadã formula eam affirmare potiùs tenuiter *probabilem*, quæ in moralibus *improbabili* æquiparatur, si præsertim comparativè sumatur ad excessum *probabilitatis*, qui in opposita residet.

14. In volumen *articulus* excresceret, si argumenta, quibus *improbabilitas* practica necessitatis divini super omnia amoris firmari solet, congererem, & ab operis instituto declinarem. Unico eatenùs contentus ero, ne Lectores jejunos de tam ardua difficultate omninò relinquam, duplici innixus suppositioni. Quarum prior sistit in eo, quòd Sacramentum Pœnitentiæ sit Sacramentum mortuorum, post baptismum lapsis per se necessitate medii necessarium. Posterior in eo, quòd sententia de attritionis sufficientia absque ullo amoris Dei super omnia actu, sit ab Ecclesia permissa, & quidem post habitum de ea accuratum examen, & permittatur in dies. Neutra autem negari potest; illa namque est à Tridentino *sess.14.cap.2.de sacr.pœn.*definita, comparante necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ cum necessitate Baptismatis: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus*. Hæc verò clarè eruitur, tùm ex indicato Alexandri VII. *decreto* vocantis communiorem, magisque acceptam opinionem de sufficientia Attritionis, etiam sine aliquali delectionis mixtione, & fortiùs absque divini super omnia amoris actu; tùm ex publica ejusdem opinionis defensione, nedùm in scholasticis disputationibus, & ad veritatis speculativæ dumtaxat indaginem excitatis, sed, & in Concionibus, in Catechismis, in Confessariorum instructionibus in ordine ad Sacramenti Pœnitentiæ rectam administrationem, rectamque susceptionem editis, & impressis, nec non, & in Thesibus, ac Tractatibus relatè ad praxim conceptis in Apostolicæ Sedis conspectu, & quidem etiam post *propositionis* proscriptionem licitum sustinentis, in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem tutiori relicta. Cùm præsertim hanc habitam fuisse absque ullo, vel levi indicio comprehendendi hujusmodi sententiam, testatus sit in *suis literis Romæ datis sub die 6. Aprilis* 1680. quas ex Adversariis ipsis refert Henricus à S. Ignatio *in sua theol. Sanctorum tom.10.cap.54.num.*638. Pater Esparza doctissimus Societatis Theologus, qui fuit unus ex Qualificatoribus tunc temporis deputatis ad propositionum prohibendarum examen: „ Actum fuit (inquiens) in terminis de sufficientia Attritionis, atque ex consensu omnium, qui aderamus, sententia communis remansit incolumis, primaque propositio solùm reprobata fuit propter suam illimitatam amplitudinem,

„ nem, cum indistinctione speculativè tan„ tùm probabilis à probabili etiam practi„ cè. Sententia autem de sufficientia Attri„ tionis est practicè probabilis, immò „ moraliter, & plùs quàm moraliter cer„ ta.„

15. Indè verò fit evidens sententiam prædictam, si verè sit dubietati, & incertitudini obnoxia, ob veram, quæ habeatur, probabilitatem de opposita, perniciosissimam Animabus fore, utpotè, quæ ita exponeret fideles aperto æterni cruciatus discrimini, ut nec ob invincibilem ignorantiam ab eo valeant eximi. Hæc namque est disparitas inter necessaria medii necessitate, & alia, de quibus sit sola necessitas præcepti, quòd hæc nec ad peccatum imputentur, nec saluti noxia sint, nisi in ipsorum transgressione sufficiens concurrat notitia; illa quantumvis invincibiliter omissa, esto novi criminis non reddant reum omittentem, adhùc tamen in damnatione, quam aliàs meretur, relinquunt. Ex quo sequitur opinionem quamlibet tanta pravitate affectam, nedùm ab Ecclesia approbari non posse, tamquàm licitam, & honestam, quod in quibuslibet aliis doctrinis æquè militat ex stabilitis *cap.2.art.13.* sed, & nec posse permitti, ut publicè doceatur, & per eam imbuantur Fideles in manifestam propriæ salutis ruinam. Attento præsertim, quòd remedium quòad hoc adeò promptum, & facile appareat, quo prohibita doctrinæ praxi, illæsa servetur speculativa ipsius *probabilitas*. Quin replicet *citatus* Henricus à S.Ignatio jam id factum ab Innocentio XI., quem, inquit, audire jubemur, non Qualificatores illos, de quibus mentionem facit Esparza, quia super Pontifices, non super ipsos ædificata est Ecclesia Christi. Hoc namque inficiabitur nemo, si quod Qualificatores asserunt, Innocentio contradiceret. At, si de Innocentii mente testantur, ac de propriis votis Innocentio exhibitis ad *propositionem* interdicendam, quænam ratio suadet non esse ipsis adhibendam fidem? cum maximè eorumdem testimonium concordet cum praxi fidelium, aperraque Apostolicæ Sedis continuata *permissione*, ut juxta præfatam sententiam dirigantur ad capessendum remedium lapsis post baptismum simpliciter, & essentialiter necessarium.

16. Hinc autem eruitur, non mirum videri debere, si opinio necessitati formalis actus benevolæ dilectionis, & maximè, quæ sit super omnia, favens, *improbabilis* habeatur, non obstante Doctorum, & numero, & gravitate, qui eam propugnant. Non semper siquidem, & numerum, & gravitatem Theologorum sufficere ad *probabilitatem* fundandam *c.3.art.13.n.32.& seq.* tetigimus, & in hac materia reperere non formidamus. In qua non inter Doctores, & Doctores unius, & alterius opinionis fieri debet comparatio, (quamvis si fieret, incredibilem pondere, & mensura conspiciet excessum Attritionis sufficientiæ absque formidinis umbra inhærentium, qui vel transeunter percurrerit eorumdem catalogum ordine alphabetico digestum à Gormaz *tract.de pœn.p.1.disp.6.de attr.sect.4.proleg. pro praxi Eccl.investig.*& quæ in eumdem finem novissimè collegit Francolinus, Author verè pius, præclarumque virtutum exemplar, quem dum hæc scriberem, ad coronam justitiæ vocavit Omnipotens, *toto* præsertim *lib.3.de discipl.Pœnitentiæ*) Sed facienda prorsùs est inter Doctores, & Ecclesiam permittentem defendi, & ad praxim reduci opinionem sufficientiæ attritionis. Longè namque præponderans est permissio ista in re adeò gravi, & ad salutem essentialiter, & medii necessitate necessaria, cuilibet Doctorum authoritati, qui velint, nolint, sufficientiam Attritionis impugnantes, permissionem ipsam non possunt non impetere. Ac dum asserunt incertum, dubium, invalidum, Sacramentum Pœnitentiæ, non præeunte in Suscipiente formali actu divinæ dilectionis, & maximè, qui sit super omnia, reprobare convincuntur permissionem oppositæ doctrinæ in ordine ad praxim, ut nempè per eam dirigantur, ac regulentur in salutis semita Fideles, à Parochis, & Confessoribus, à Ludi Magistris, à Concionatoribus &c.

17. Hic sanè conveniens est divinæ Providentiæ ordo, ut nedùm Ecclesiam suam dirigat, ne inhonesta positivè pro honestis approbet, aut virtutes tamquàm vitia positivè reprobet, sed ut nec sinat, quòd ab ea *permittantur*, immò, & *tolerentur* scienter, ad minùs, quæ lapsos quoslibet charactere baptismali insignitos ad baratrum perditionis conducunt, aut saltem in manifestum periculum in illud incidendi constituunt. Lucidiorque veritas ista reddetur, si ex materia morum ad credibilium materiam transferatur, quod hactenùs est indicatum. Quis enim umquam audebit dicere posse ab Ecclesia permitti post recursum ad eam habitum, post maturum examen, ut publicè doceatur opinio, qua quis fortè effingere

velict

vellet, posse Fideles salvari absque notitia Mysterii Trinitatis? Quis affirmare non verebitur, sufficere in data hypothesi, quòd Ecclesia oppositum non prohibeat, quòdque dictam opinionem non approbet, non esse autem necessarium, quòd eam non permittat? Nullus profectò; nec nisi quia permissio ipsa, causa esset perditionis multorum, qui ipsi innixi, ac à Theologis impunè doceri audientes, posse quemlibet salutem consequi absque illa notitia, de ea parùm essent solliciti, indèque redderentur æternis cruciatibus obnoxii, quæ est ratio hucusque pro Attritionis ex solo metu conceptæ sufficientia expensa.

18. Cujus vim agnovit proculdubiò Henricus à S. Ignatio, & idcircò ad ejus evasionem, implicitè reprobatam ab Alexandro VII. contendit Attritionis sufficientiam. „ Nec, (inquiens) decretum Alexan„ dri VII. *die 5. Maji* 1667. vetat *improbabi-* „ *lem* vocare praxim opinionis de sufficien„ tia formidolosæ attritionis, sed opinio„ nem ipsam speculativè consideratam; „ utpotè de qua sola loquitur, non de pra„ xi ipsius. Quam, vel ipse Alexander im„ plicitè eò ipso reprobavit, quò dictam „ opinionem incertam censuit. Incertam, „ verò eò ipso censuit, quò contrariam „ opinionem *improbabilitatis* nota taxari „ vetuit, ut dixi *num.* 63 I. „ Sed quàm debilis sit ista reflexio ex dictis elucet, quæ satis evincunt, argumentum ab opposito fore formandum, ac ex Pontificia permissione sententiæ de Attritionis sufficientia, inferendam potiùs practicam ipsius securitatem, & certitudinem, dùm aliàs reprobanda penitùs erat in adimplementum supremi muneris pastoralis, quo obstringebatur evellere à Christi Grege apertum periculum perditionis ex ejus praxi manifestissimè exurgens. Quod præjudicium, cùm ex praxi alterius opinionis, quæ intra terminos aliqualis dilectionis continebatur, non immineret, utpotè in actu exercito perfectiorem salutis viam inducentis, esto in ejus defensione nimius committeretur excessus, præceptum supponendo, quod est de solo consilio; potuit explicitè non reprobari, sed in sua speculativa probabilitate extrinseca saltem relinqui. Undè, & à plerisque tutior ea dicitur tutioritate operationis, non autem tutioritate doctrinæ, sic salvantibus, quòd Attritionis sufficientia tutior maneat tutioritate doctrinæ, quæ dumtaxat præ oculis habenda, pro vero sensu damnationis *propositionis*, de qua *n.* 11. concipiendo.

19. Non propterea ita relictam in *probabilitate* speculativa ipsam dicimus, ut non queat ad praxim ullo modo deduci; ad quam sufficit, quòd licitus ipsius usus certò sit, immò, & ratione operationis perfectior. Et per consequens, cum practicam *improbabilitatem* subjungimus, non usum quomodocumque, & operationem ipsam respicimus, sed solam ipsius necessitatem; quæ ex præcepto imponi ad validitatem absolutionis sacramentalis prætenditur. Non sic autem discurri potest de sufficientia Attritionis, quòd nempè sit ita relicta in sua speculativa probabilitate à prælaudato Pontifice, ut nihil de ejus praxi cogitaverit. De quæstione siquidem agebatur, quæ ad praxim erat ordinata, nec nisi relatè ad debitam Sacramenti susceptionem ad Apostolicam Sedem fuerat delata, & eatenùs non poterat *probabilitas* speculativa relinqui in suo robore, si semel praxis improbanda penitùs censebatur, ut perniciosa, quin ullatenùs, & sub ulla consideratione posset non *scandalosa* haberi, nec sub formalitate doctrinæ, nec sub formalitate operationis.

20. Eodem autem modo loquitur Alexander de utraque opinione, ac proindè si vetuit *improbabilitatis* nota (ut Henricus contendit) taxari sententiam de necessitate dilectionis benevolæ, vetuit, & *improbabilem* asseri oppositam propugnantem Attritionis sufficientiam. Et pariter si hujus praxim non prohibuit habere *improbabilem*, nec, & praxim contrariæ, prout hæc necessitatem formalis actus amoris involvit. Revera nihilominùs nihil de *improbabilitate* Romanus Pontifex, quatenùs *improbabilitas* à *temeritate* secernitur, sed solummodò interdixit *alicujus censuræ theologicæ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare*, qualem, *improbabilitatem* non esse, usque adhùc conspeximus. Et nihilominùs, si quis velit omninò inter censuras *improbabilitatem* recensere, jam innuimus *num.* 13. nullam habituros difficultatem immutandi voces, & sententias, & quibus competere posset *improbabilitatis* denominatio, vocare tenuiter *probabiles* comparativè saltem ad oppositas, censendas idcircò *probabilissimas*, quas *tutissimas* esse morum regulas ex *propositione* 3. inter *damnatas* ab Alexandro VIII. evincitur: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.* Et clariùs ostendetur, cum de modo, quo proscribi queant opiniones *probabiles* instituetur sermo, ubi iterùm, & *temeritatis* gradus, & Attritionis sufficientia enucleabitur.

Quàm

21. Quam non parùm meo videri corroborant angustiæ,in quas redactos legimus plerosque è Doctoribus eamdem mordicùs impugnantes. Ut enim eos missos faciam nullo prorsùs habendos in pretio, ne quid amplius dicam, qui ferè ad Hæterodoxorum confugientes castra, Attritionem adeò depresserunt,eam supernaturalem,&bonam esse non posse autumantes, sed potiùs non rectam, & peccaminosam, ut evidenter ostendunt ex quinque præsertim *propositionibus* à mox laudato Pontifice profligatis (9.) videlicet: *Revera peccat, qui odio habet peccatum, merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, fine ullo ad Deum offensum respectu*. (10.) *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens*. (13.) *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur,charitate si caruerit, vitio non caret, quotiès intuitu licèt beatitudinis operatur*. (14.) *Timor gehennæ non est supernaturalis*. (15.) *Attritio, quæ gehennæ, & pænarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se non est bonus motus, ac supernaturalis*.

22. Non desunt adhùc post Pontificias hasce *sanctiones*,qui licèt Attritionem quantumvis bonam,& supernaturalem (utinam ex corde) fateantur, de qua hactenus locuti nos sumus, naturalem, quantumvis honestam,insufficientem ad remissionem in Pœnitentiæ Sacramento obtinendam æstimantes ad proscriptæ tenorem *propositionis* 57.inter damnatas ab Innocentio XI. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam*, cum sic sumpta nequaquam de ea verificetur, quæ ad pœnitentiam, sicut oportet, exigit *seß.6.c.5.de Justific.* Tridentinum *can.3. Si quis dixerit,sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*: Adhùc inefficacem esse contendunt, ac impotentem, ut per eam voluntas peccandi excludatur. Ad quòd suadendum ad nauseam paginas Patrum, & maximè Augustini authoritatibus implent, videndis inter alios apud *cit.* Henricum *cap.73.*, dum eas locus hic non est recensendi, & ex instituto impugnandi, quod fœliciter præstitit laudatus Francolinus *duobus libellis de dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè suscipiendum necessario* editis suo Authore dignis *lib.1.c.3. & 6. & lib.2.cap.5.* Attento etiam quòd facillimum sit Lectoribus verum earumdem sensum indagare, distinctione præ oculis habita cunctis Theologis, vel Tyronibus obvia, timoris, qui sit cum servilitate conjunctus, secum annexam habentis voluntatem peccandi, quòd in vim ipsius non verè quis peccare metuat, sed ardere; & qui à servilitate, quæ mala est,secernatur, de quo locum habet authoritas Tridentini definientis illam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, *si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*, per quæ verba perperàm prorsùs insudant Adversarii ea extorquentes ad suadendam dilectionis benevolæ necessitatem: tum Alexandri VII. in *decreto* jam indicato, dum in prima, quam refert,opinione, communiore eam vocans, magisque receptam, Attritionis sufficientiam indicat absque ulla, vel *aliqualis dilectionis* mixtione, eamque doceri permittit adFidelium instructionem, supponens posse haberi cum plena voluntatis peccandi exclusione.

23. Neque rationabiliùs discurrunt, quoad benevolæ dilectionis actum, quem ad exclusionem voluntatis peccandi requirunt, & nedùm quidem, quòd non nisi maxima cum difficultate se eximere valeant à confusione timoris servilis, quà talis, & timoris sine servilitate, ex qua indubium est, ortum habuisse *propositiones damnatas*, de quibus *num.21.*, sed & præcipuè, quòd non benè stabiliant, de quo dilectionis actu loquantur, ut sufficiens dispositio sit ad sacramentalem absolutionem. Aliqui namque eam apertissimè requirebant, ex qua perfecta pullularet contritio justificativa cum solo voto Sacramenti,adeòut nusquàm per hoc in re haberetur peccatorum remissio, sed habita supponeretur, quamvis ex ipsius voto. A' quibus Recentiores communissimè jam recedentes, quòd viderent indè cludi Sacramenti Pœnitentiæ virtutem, vi cujus Sacramentum mortuorum inscribitur, tantam in amore, & contritione perfectionem non expostulant, sed in gradu minùs intenso, *super omnia* tamen, licèt non in omni intensione, quæ requireretur, ut justificativa haberi valeret. Sed ecce novus labyrintus, dum ex una parte urgeri se conspiciunt Pontificiis diplomatibus adversùs Bajanas *propositiones* emanatis, inter quas, quatuor illæ leguntur, videlicet (31.) *Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in Pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum*. (32.) *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum*. (70.) *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, &*

charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. (71.) *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum, conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.* Quòd namque ad essentialem Charitatis perfectionem intensio graduum requiratur, arbitrariè prorsùs dici, solidè expendit Francolinus *lib. 2. c. 1.* & Gormaz *in suo tract. de pœn. disp. 5. sect. 3. §. 2. à num. 284.* & *disp. 6. sect. 4. à nu. 444.* quos unà cum innumeris aliis consulat curiosus.

24. Ex altera verò ita nituntur ostendere dilectionis minùs intensæ necessitatem, ut non sine contradictione, intensissimam, vel inviti, probent requiri. Hanc in primis necessariam negat Henricus à S. Ignatio *in sua Theol. Sanctorum cap. 35.* id probans, quia „ Pœnitentia est Sacramentum mortuorum. Non supponit ergo vitam primam „ in Subjecto suo, sed eam confert ex opere „ operato, sivè ex virtute Sanguinis Jesu „ Christi. Per consequens non requirit in „ Subjecto suo dispositionem sufficientem „ ad vitam primam conferendam, priùs „ quàm Sacramentum actu suscipiatur, „ & responsioni in contrarium *num. præc.* indicatæ occurrens, quia ratione voti præcisè „ Sacramentum in esse Sacramenti non vi„ detur conferre vitam primam. Cùm Sa„ cramentum, ut existens in voto, non sit „ Sacramentum in esse Sacramenti, sed Sa„ cramenti votum dumtaxat. Quod votum „ cùm non magis sit votum Sacramenti „ absolutè futuri, quàm absolutè non fu„ turi ob invincibile obstaculum, non ma„ gis continet virtutem Sacramenti abso„ lutè futuri, quàm absolutè non futuri. „ Ergo Sacramentum absolutè futurum „ non magis confert vitam primam in esse „ Sacramenti ratione istius voti, quàm Sa„ cramentum absolutè non futurum. Ra„ tio secunda est, quia credibile non est, „ Pœnitentiæ Sacramentum sic institutum „ esse, ut à paucissimis peccatorum venia „ per illud speranda esset. A' paucissimis „ verò per illud peccatum venia speranda „ esset, si ad eam contritio perfecta cum „ Sacramento requireretur. Cùm ejusmo„ di contritio admodùm rara sit, & in pau„ cissimis inveniatur. Undè Catechismus „ Romanus *p. 2. c. 5. q. 32.* dicit, quòd *à paucissimis peccatoribus venia speranda esset, nisi* „ *Clementissimus Dominus faciliori ratione hominum saluti consuluisset.*

25. Duo ex hoc ratiocinio eruuntur, alterum, quòd Sacramentum Pœnitentiæ *mortuorum* dici non posset, si essentialiter haberet supponere primam vitam, neque ad prædictam denominationem sufficere, quòd prima vita supponatur præhabita per Sacramenti votum, dum per hoc, non per Sacramentum in esse Sacramenti, sed per votum solummodò conferretur. Alterum, quòd in lege Gratiæ *facilior* sit reddita æterna salus Credentium, quòd ad eam Sacramenti virtute non sit ampliùs necessaria ea perfecta contritio, quæ ad justificationem prærequirebatur in lege veteri. Verumtamen cum primo non componitur, quod habet *cap. 82.* ut probet *frustraneum* non fore Sacramentum prædictum, etiamsi perfectam antecedenter exposceret justificativam contritionem. Qua non obstante nititur evincere, quòd adhuc Sacerdos verè absolveret; verè Deo reconciliaret; adhuc absolutio esset actus judicialis ad Catechismi Rom. *p. 2. cap. 5. q. 13.* instructionem firmantem, verba hæc: *Ego Te absolvo, non minùs verè Sacerdotem de illo etiam homine pronunciare, qui priùs ardentissimæ contritionis vi, accedente confessionis voto peccatorum veniam à Deo consecutus est*; adhuc Sacramentum nondùm existens physicè, moraliter causaret gratiam in virtute Passionis Christi, ad eum modum, quo ipsa Christi Passio nondum existens, sed moraliter in scientia, & intentione Dei verè causavit gratiam Patrum Veteris Testamenti; adhuc Sacramentum Pœnitentiæ dici posset totum quoddam morale, cujus partes quamvis non sint simul tempore, imò nec forma ipsa, virtutem nihilominùs simul exerunt ad applicandum Pœnitenti meritum Passionis Christi, per quod peccatorum fit remissio, „ quæ „ dum fit tempore contritionis, vel confes„ sionis moraliter non censetur fieri extra „ Sacramentum, sed in ipsa actuali susce„ ptione Sacramenti, & principaliùs per „ absolutionem in voto existentem, quàm „ per contritionem, vel confessionem. Cen„ setur namque fieri in Sacramenti susce„ ptione, quod fit in aliqua parte ipsius, „ cum ordine ad ipsum totum morale, „ quo hæc omnia continentur. Et dum re„ missio fit in contritione, non fit, nisi vir„ tute Passionis Christi, qui dum Clavium „ ministerium instituit, voluit, ut Sacra„ menti Pœnitentiæ partibus assisteret vir„ tus Passionis suæ, & ut ob Clavium vir„ tutem fieri censeretur, quod fieret in ali„ qua parte Sacramenti Pœnitentiæ ad „ Claves ordinata. „

Itaque

26. Itaque Sacramentum Pœnitentiæ in data hypothesi necessitatis contritionis perfectæ, adhuc verè *mortuorum* dicendum in rigore esset, & collativum primæ gratiæ virtute ipsius nondùm suscepti per contritionem obtentæ. Non ergo ex hoc capite hypothesis excludenda, manifestissimè enim ad invicem pugnant: *Necessariam non esse contritionem justificantem ad Sacramentum Pœnitentiæ, quòd aliàs non esset ampliùs Sacramentum mortuorum*: & *Sacramentum mortuorum fore adhùc illud in rigore habendum dicta essentiali necessitate supposita*. Cumque non nisi alterutrum ex his assertis possit verificari, primum absolutè posteriori dicimus præferendum, & quidem tum ob ea, quæ ex Henrico excerpsimus *num.* 24. Tum, & præcipuè quòd Passio Christi ideò in scientia, & intentione Dei causavit gratiam Patrum Veteris Testamenti, quia, & erat absolutè certò futura, & virtutem in se habebat per sui existentiam causandi fortiùs (si ita loqui fas sit) dictam gratiam. Quod utrumque in data hypothesi Sacramento Pœnitentiæ deficeret. Dum neque dici queat absolutè futurum post habitam alicujus perfectam contritionem, neque umquam immediatè, & per sui existentiam causare posset gratiam justificantem, quam semper causatam supponeret.

27. Ac propterea Catechismi verba non hujusmodi hypothesim respiciunt, sed oppositam, per quam verè Sacerdos absolvit, actumque judicialem profert, prævia non obstante ardentissima contritione, quòd hæc per accidens omninò, non ex necessitate præcesserit, ac propterea Sacerdos verè habet conferre gratiam de se remissivam peccati, estò eam actu non conferat, quòd collatam per accidens jam supponat, sicuti pariter discurri solet de baptismo: *Liberat autem* (ait Angelicus *in suppl. q.* 10. *art.* 1. *in corp.*) *baptismus à morte peccati, non solùm secundùm quòd actu suscipitur, sed etiam secundùm quòd in voto habetur: sicut patet in illis, qui jam sanctificati ad baptismum accedunt: & si aliquis impedimentum non præstaret, ex ipsa collatione baptismi gratiam consequeretur remittentem peccata, si priùs ei remissa non fuissent. Et similiter dicendum est de confessione adjuncta absolutioni; quia secundùm quòd in voto Pœnitentis præcessit, à culpa liberavit. Postmodùm autem in actu confessionis, & absolutionis gratia augetur, & etiam remissio peccatorum daretur, si præcedens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuisset, & ipse tunc obicem gratiæ non præberet. Et ideò sicut de baptismo dicitur, quòd liberat à morte, ita etiam de confessione dici potest*. Et, (*quæst.* 18. *art.* 1. *in corp. prop. finem*, *Potestas Clavium ordinatur aliquo modo ad remissionem culpæ, non sicut causans, sed sicut disponens ad eam. Undè si ante absolutionem aliquis non fuisset perfectè dispositus ad gratiam suscipiendam, in ipsa confessione, & absolutione sacramentali gratiam consequeretur, si obicem non poneret. Si enim Clavis nullo modo ad culpæ remissionem ordinaretur, sed ad remissionem pœnæ tantùm, ut quidam dicunt, non exigeretur votum suscipiendi effectum Clavium, ad culpæ remissionem: Sicut non exigitur votum suscipiendi alia Sacramenta, quæ non ordinantur ad culpæ dimissionem, sed contra pœnam. Sed hoc facit videri quòd non ordinantur ad culpæ dimissionem, quia semper usus Clavium ad hoc, quòd effectum habeat, requirit præparationem ex parte Recipientis Sacramentum: & simile esset de baptismo, si nunquam daretur, nisi Adultis.*

28. Secundò repugnant quæ extendit, & exaggerat *cap.* 56. ut probet, „ *monstruosam*, „ *scandalosamque* opinionem, quæ prærogativam Christianorum præ Judæis, Sacramentorumque novæ legis præ legalibus „ sitam esse dicit in abolitione, vel diminutione necessitatis amandi .. ... *Perabsurdum, scandalosum*, & *impium* asserere suo „ nobis Sanguine Christum promeruisse „ abolitionem, vel diminutionem necessitatis divini amoris, sivè ut minor esset „ istius amoris necessitas in lege amoris, „ quàm in lege timoris. „ In quem finem Pinterellum redarguens, quòd dixerit durum, & difficile divinæ dilectionis mandatum, negat confessionis onus non fuisse in lege veteri; datoque, & non concesso, quòd hoc non extiterit, concludit Evangelii prærogativam maximam in eo consistere, quòd vera ad Deum conversio, Deique dilectio longè facilior sit Christianis, in quas longè copiosior habetur divinæ gratiæ effusio, quàm olim fuerit Judæis. Ita profectò, & verissimè. Sed velim dicat, cur hac facilitate in nihilo obstante à paucissimis esset remissionis venia speranda, si ad eam contritionis perfectio cum Sacramento requireretur? facilior idcircò hæc habenda ad præsens, quàm esset in veteri lege, sed non ideò absolutè facilis, dum adhuc à paucissimis elicienda supponitur. Difficilis ergo cùm sit, faciliorque proindè reddita Sacramenti Pœnitentiæ institutione, nec nisi quia ad illud suscipiendum ardentissima charitas non est necessaria, consequens fit, ut in lege gratiæ diminuta sit obligatio ardentissimæ charitatis, quod *monstruosum*, *perabsurdum*, *scandalosum*, & *impium* autumat.

29. Ex utroque catenùs capite suavior

lex

lex gratiæ, tùm nempè quia facilius effectum formale dilectionis exercitium; & quia non obstante dicta facilitate comparativè ad legem veterem sumpta, non semper fit in præcepto ad fructum justificationis obtinendum. Sicque onus Confessionis, (quod an, & quomodò viguerit in lege veteri, & an extenderetur ad peccata etiam interna, vel ad ea solùm, pro quibus erant sacrificia offerenda? altiorem exquirit indaginem) præter alias utilitates, quæ ex ea eruuntur, levius, vel ex hoc redditur, quòd absque formalis actus amoris interventu, impetrari queat remissio virtute Passionis Christi, per quam Sacerdotum nostrorum ministerio, quibus solis Clavium potestas est commissa, nobis infunditur charitatis habitus, in quo, vel sita est ipsa justificans gratia, vel ipsi connexa. Quin ex hoc *monstruosum*, & *scandalosum* sequatur inconveniens decantatum, cui olim innixus Lutherus „ contendebat gehennæ timorem pertinere ad legem Mosaicam, contrarium verò esse Evangelio, quod quidem per promissionem remissionis peccatorum impium consolatur; tantùm abest, ut ei per gehennæ metum dolorem incutiat, undè inferebat Judæos esse, non Christianos, qui à peccato temperant formidine pœnæ„ ut loquitur Gaspar Iveninus, qui aliàs pro necessitate divinæ dilectionis super omnia, etiam in Sacramento Pœnitentiæ certat, *in Comm. hist. dissert.6. de pœn.q.4. de contr.c.2.art.1.pag.506.edit.Lugd. ann.1696.*

30. Lex idcircò timoris dicebatur lex vetus, Evangelica verò inscribitur lex amoris, non quòd hæc, & non illa, actus charitatis præcipiat, sed quòd, etsi utraque ad eos obstringat, non tamen utraque, sed nova dumtaxat dat Spiritum Sanctum, per quem dicti actus exerceantur: *Lex autem vetus*, inquit 1.2.q.10.*ad 2.* Angelicus, *etsi præcepta charitatis daret, non tamen per eam dabatur Spiritus Sanctus, per quem* diffunditur charitas in cordibus nostris, *ut dicitur* (ad Rom. 5.5.) & universaliùs *qu.*100.*art.*2. docuerat in veteri lege, moralia præcepta fuisse *de omnium virtutum actibus*, quæ *art.*3. subdit *ad decem Decalogi aliqua ratione reduci* posse. Quod adhùc non intelligendum, quòd in dicto statu non conferrentur auxilia gratiæ necessaria ad illos actus præstandos; sed quòd ejusmodi auxilia collata non fuerint ex vi legis, nec ex vi alicujus principii ad eumdem statum spectantis, utpote quæ mendicanda quodammodo erant ex lege gratiæ, & Authoris ejus meritis, ac in fide, & propter fidem ejus conferenda. Lex propterea timoris intitulabatur lex vetus, quia, cùm à nova differat secundùm perfectum, & imperfectum: *ad operanda autem virtutum opera aliter inclinantur imperfecti, qui nondùm habent virtutis habitum, & aliter isti, qui sunt per habitum virtutis perfecti. Illi autem, qui nondùm habent habitum virtutis, inclinantur ad agendum virtutis opera ex aliqua causa extrinseca, puta ex comminatione pœnarum, vel ex promissione aliquarum extrinsecarum remunerationum, puta honoris, vel divitiarum, vel alicujus hujusmodi, & ideò lex vetus, quæ dabatur imperfectis, idest nondùm consecutis gratiam spiritualem, dicebatur lex timoris, in quantùm inducebat ad observantiam præceptorum per comminationem quarumdam pœnarum, & dicitur habere temporalia quædam promissa. Illi autem, qui habent virtutem, inclinantur ad virtutis opera agenda propter amorem virtutis, non propter aliquam pœnam, aut remunerationem; & ideò lex nova, cujus principalitas consistit in ipsa spirituali gratia indita cordibus, dicitur lex amoris, & dicitur habere promissa spiritualia, & æterna, quæ sunt objecta virtutis, præcipuè charitatis, & ita per se in ea inclinantur, non quasi in extranea, sed quasi in propria. Et propter hoc etiam lex vetus dicitur cohibere manum, non animum* ex eodem Angelico, *cit.q.*107.*art.*1.*ad* 2.

31. Quas autem in Henrico conspeximus incohærentias, non difficile erit, & observare in plerisque ex Authoribus pro necessitate benevolæ dilectionis in Sacramento Pœnitentiæ certantibus, qui, sicuti Attritionem habentes insufficientem, eam deprimunt, ut si non expressè, implicitè ad minùs in honestam ferè, vel inviti designet; ita, & dum Charitati favent, Charitatem depretiant, insufficientem eam irrationabiliter affirmantes in gradu remisso, quamvis sit super omnia, ut cū Sacramenti voto justificet; & dum non necessariam adstruunt in gradu intenso, ad sic salvandam characteristicam rationem, per quam dicitur Sacramentum mortuorum, necessitatem deindè firmant dilectionis in gradu remisso, argumentis, quæ gradum intensum essentialiter requisitum concludunt. Unicum pro omnibus placeat Henrico addere Gasparem Iveninum, quem *num.*29. indicantem vidimus, quo Lutherus duceretur, motivum, ad afferendum peccaminosum dolorem ex gehennæ metu conceptum, ut propemodùm mirum videri debeat, ipsum Hæresiarchæ ejusdem doctrina se se ferè inquinatum, ex suismet ratiociniis inferre, ac colligere.

32. Insufficientem siquidem sustinens adju-

ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, Attritionem, quæ donum Dei sit, & supernaturalis, tolerabiliter negat satis ad dictum finem obtinendum esse, quòd dolor de peccatis talis sit, qui omnem peccandi voluntatem excludat. Sed mox hanc eamdem qualitatem Attritioni competere nullatenùs posse, evincere nititur *tom.7.instit.theol.p.8.diss.5.pag.407. edit.Venet.* ob rationes, quibus *conclusionem* oppositam *pag.403.* probaverat ex Augustino *lib. de nat. & grat.cap.57.* docente, quòd qui *timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondùm liber est, nec alienus à voluntate peccandi*; ac comparante hujusmodi pœnitentem *conc.25. in Ps.18.* cum scorpionibus, qui, licèt præ frigoris acerbitate torpentes, palpantibus minimè noceant, veneno tamen vacui non sunt: *serm.19.de verb. Ap.cap.9.* cum lupo, qui, licèt Pastoris præsentia perterritus ovem non rapiat, lupus tamen intùs remanet, & cum lupi rabie recedit; & *tract.9. in epist.Joann.* cum muliere, quæ, licèt amet adulterium, temperat tamen ab externo illius opere, ne deprehensa à Marito occidatur. Indè eruens explicationem Tridentini supponentis dolorem prædictum esse posse ab omni depuratum voluntate peccandi, dicendo ,, non loqui de voluntatis peccan- ,, di exclusione ab ipsa Anima, sed ab ipso ,, imperfectæ contritionis actu. ,,

33. Nonne efficacia hæc sunt ad Lutherana propugnanda deliramenta, ad effodiendas propositiones ab Alexandro VIII. in tenebras oblivionis detrusas? Non adeò tamen ad id inferendum sit velox Lector, sed sequentem adhùc ponderet Ivenini discursum, quo *tom.6. part.7. diss.4. pag.330. edit. Ven.* stabilit præceptum referendi omnia opera in Deum per formalem amoris actum saltem imperfectum ; ,, Is qui se ,, ipsum, proximum, opera, creata omnia ,, ad Deum non refert, se ipso, proximo, ,, operibus, creatis, non utitur, sed fruitur; ,, Si quidem ex Augustino: *frui est amore ali- ,, cujus rei inhærere propter se ipsam; Uti au- ,, tem, quod in usum venerit ad id, quod amas ,, obtinendum referre*: sed qui se ipsum, proxi- ,, mum, opera, creata aliqua, ad Deum non ,, refert, sibi, proximo, operibus, creatis ,, rebus, propter seipsum, proximum, ope- ,, ra, rem creatam, amore inhæret: ergo ,, se ipso, proximo, operibus, re creata frui- ,, tur: ac proindè reus est infracti primi ,, præcepti, quod in Decalogo contine- ,, tur. ,, Jam, quid aptius pro Authoribus *propositionis 9.* ab Alexandro profligatæ: *Revera peccat, qui odio habet peccatum, merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu*? cùm præsertim *tom.7. part.8. diss.5. pag. 404. edit. Ven.* sic probat gehennæ timorem non involvere verum peccati odium: ,, Ex ,, Augustino (*epist.144.*) *tantùm quisque odit ,, peccatum, quantùm justitiam diligit*: Sed qui ,, conteritur ex solo pœnarum metu, nullo ,, modo, nec imperfectè quidem diligit ju- ,, stitiam, ergo ex Augustino, nullo modo ,, odit peccatum, ,, sed ut quid illationem ad odium de peccato perstringere? Quodnam opus honestum dici poterit, & non peccaminosum, (non enim de merito agitur, ad cujus rationem quid ampliùs non dubitamus requiri) si semel per imperfectam ad minùs charitatem non referatur in Deum? nullum profectò, attento maximè, quod de misericordia, aliisque virtutum operibus expendit *tom.6.part.7.diss.4.pag.332 edit.Ven.* ,, Se habet fidelis, qui miserícor- ,, diæ opus in proximum exercet, aut ali- ,, quid aliud in se alioquin bonum opera- ,, tur, sicut Regis servus, qui cùm à Rege ,, jussus fuerit Romam Parisiis proficisci, ,, Lugdunum se confert, quæ urbs est, qua ,, Parisiis Romam itur. Quemadmodum ,, ergo servus ille, licèt nihil operatus sit ,, mali, quòd Lugdunum se contulerit; ,, mandatum tamen Regis, quo Romam ,, usque proficisci jussus fuerat, non adim- ,, plevit; ita nec fidelis debito de Deo dili- ,, gendo ex toto corde, ac proindè de refe- ,, rendis omnibus ad ipsum operibus deli- ,, beratis, non facit satis, qui opus miseri- ,, cordiæ in proximum exercet, nec ulte- ,, riùs tendit, hoc est, qui illud idem opus ,, misericordiæ in Deum (ut jubetur primo ,, Decalogi mandato) saltem virtualiter ,, non refert. ,, Et *in quæstionis calce*: ,, Homo ,, in iis, quæ agit ex deliberatione, uti tan- ,, tùm debet creaturis, solo autem Deo ,, frui: ergo continuò tenetur agere ex cha- ,, ritate; non enim quis, aut creaturis solùm ,, utitur, hoc est, illas ad Deum refert, aut ,, Deo fruitur, nisi per charitatis actum. ,,

34. De charitate locutum Iveninum conspeximus imperfecta, quam solam necessariam in Sacramento Pœnitentiæ contendit ad justificationem obtinendam; perfecta, seu intensa, ac justificativa cum solo Sacramenti voto, prorsùs exclusa, ad tenorem declarationis, quam *tom.7.part.8.diss.5. de pœn. pag.398. & 445. edit.Ven.* habitam refert, tùm *anno* 1560. à Facultate Parisiensi *hæ-*

reticam sequentem *propositionem* declarante: *Per contritionem* (utique perfectam) *non adhibito realiter Sacramento baptismi, vel pœnitentiæ non dimittitur crimen extra casum martyrii, & necessitatis*: tùm *anno* 1638. damnante assertum cujusdam Recentioris: *Actus Charitatis perfectæ, seu veræ, & perfectæ contritionis absolutè necessarius est ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam*. An tamen cohærenter, ex sequenti ipsius responsione quisquis dignoscat, quam *tom.7.part.3.diss.5.de Pœnit. pag.412.& seq.edit.Ven.*adhibet objecto ex eo desumpto, quòd difficilior esset justificatio in veteri lege, quàm in nova, verum id esse concedens,, secundùm quid, nempè præter ,, charitatis actum, nunc ex institutione ,, Christi absolutio Sacramentalis requiri- ,, tur; difficilior erit absolutè, nego; nimi- ,, rùm in nova lege uberior, ac frequentior ,, est Christi Salvatoris gratia, per quam ,, cor à cupiditate ad charitatem emolli- ,, tur. Discrimen, quod Adversarii Judæos ,, inter, & Christianos statuunt, ipsimet ,, Christo (pace eorum dixerim) injurio- ,, sum est; quasi verò Christus mortem ,, passus fuerit, ac instituerit Sacramenta, ,, ut homines à suavi charitatis in Deum ,, jugo liberaret. Christus instituendo pœ- ,, nitentiæ Sacramentum nil immutavit in ,, virtute pœnitentiæ, quæ quovis tempo- ,, re necessaria fuerat, sed hoc solùm egit, ,, ut ea virtus esset in Evangelii lege mate- ,, ria Sacramenti,, Non alia, nec minor itaque est necessaria contritio in pœnitentiæ Sacramento, ea, quæ essentialiter requirebatur ante Sacramenti prædicti institutionem, quæque proindè, ex ejus principiis, concipiebatur ex ardentissimæ charitatis motivo, qualem necessariò requisitam æstimat ad consecutionem justificationis, vi ipsius saltem extra mortis articulum obtinendæ.

35. Quas particulas addidi, ut indicarem Ivenini sententiam *ibid. pag.*417. esse, contritionem minùs perfectam ex motivo tamen amoris Dei super omnia efformatam, quæ aliàs non est sufficiens ad justificandum peccatorem benè valentem cum solo Sacramenti pœnitentiæ voto, sufficientem ad dictum effectum evadere in mortis articulo, si copia Confessarii non adsit, aut aliquod aliud impedimentum fuerit illud in re suscipiendi, quod probat ,, ex Ecclesiæ praxi, quæ pro Catechume- ,, nis, & Pœnitentibus ante receptum actu ,, Sacramentum mortuis, obtulit olim, & ,, nunc offert Sacrificium Ecclesiæ. Igitur ,, persuasum fuit eos, tùm Catechumenos, ,, tùm Pœnitentes, quos ordinaria, hoc est, ,, non multùm fervente, ac intensa chari- ,, tate flagrantes supposuit, in statu gratiæ ,, mortuos fuisse ,, Nec dissentit *cap.*88. Henricus à S. Ignatio asserens præ aliis casum Presbyteri non baptizati relatum *cap.4. art.3.n.5.* pro cujus Anima Innocentius III. hostias Deo jussit offerri, variaque Concilia, quæ decreverunt oblationes faciendas pro baptizatis, qui accepta pœnitentia ante sacramentalem absolutionem è vivis excesserunt.,, Publica verò pro iis suffragia fieri ,, non decerneret, nisi piè mortuos in gra. ,, tia crederet. Nec hoc crederet, si chari- ,, tatem, contritionemque perfectam ad ,, id necessariam censeret, utpotè in pau- ,, cissimis contingentem.,,

36. Ita sanè, sed undè, quòd hujusmodi Ecclesiæ existimatio fundata præcisè sit in periculo mortis, quo dictus imperfectæ contritionis actus elicitur? Cur non potiùs indè inferendum, Ecclesiæ mentem esse, quod imperfecta charitas quòad intensionem, dummodò appretiativè perfecta sit sui natura sufficiens ad justificationis gratiam impetrandam? Si namque talis efficacia in ea ex intrinsecis ipsam constituentibus non residet, nec propterea potest in benè valentibus effectum præfatum parere, fortiùs nec poterit eum in mortis periculo constitutis gignere. Siquidem, de ratione cujuslibet virtutis esse videtur, quòd eò debeat esse perfectior perfectione, quæ sit impletiva præcepti earumdem, quò istud urgentiùs obstringit, & obligat. Neque unquàm majorem vim potest habere primum Decalogi mandatum, quàm, cùm quis Animam Deo est redditurus; ut proindè ex non necessitate perfectæ intensivè contritionis in moribundis, validissima mihi videatur illatio, non necessitatis ejusdem extra imminentem mortis articulum.

37. Veniam dent planè Lectores, si excursum hunc theologicum prolixiorem reputent, quàm operis institutum exposceret, dum, si materiæ gravitas inspiciatur, negari nequeat perfunctorium esse inscribendum. Quòd si tædio se se affectos videbunt, solamen recipiant ex Pontificio diplomate Alexandri VII. desuper indicato, cujus partem in ipsorum gratiam extendo: *Sanctissimus .... cùm acceperit Scholasticos quosdam acriùs, nec absque fidelium scandalo inter se contendere : an Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi, cum spe veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento*

pœnitentiæ, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei? Parumper hic quisquis sistat, ponderans nullatenùs tunc dubitatum, quòd Attritio præfata excluderet voluntatem peccandi, sed id ab utriusque opinionis Doctoribus admissum, ut certum, cùm sola quæstio esset, an *insuper* requireret *aliquem actum dilectionis Dei*? quin ulla mentio sit de prælatione, per quam *super omnia* constituitur, *asserentibus quibusdam, negantibus aliis, & invicem adversam sententiam censurantibus: hoc præsenti decreto præcipit cunctis, & singulis fidelibus, ut si deinceps de materia Attritionis præfatæ scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel docebunt, aut prædicabunt, vel alio quovis modo Pœnitentes, vel Scholares, cæterosque erudient*, & quidem in ordine ad praxim, quam respicere potissimùm debent, Prædicatores præsertim, & Confessarii, cum Rudes, & Pœnitentes instruunt, *non audeant alicujus theologicæ censuræ, aut contumeliæ notæ taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis*, & iterùm de Tò *super omnia* prorsùs nihil, *in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodiè inter Scholasticos communior videtur, sive asserentis divinæ dilectionis necessitatem, donec ab hac S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum*.

38. Quam praxim proindè respiciens Cardinalis Pallavicinus, adeò attendendam fassus est, ut si de ea verè constaret, promptum se se exhibuit ad propriam deferendam sententiam „ Neque ex hac doctrina „ requirente motivum amoris ad attritio„ nem in Sacramento requisitam, redditur, „ aut difficilis, aut valdè incertus valor „ confessionum, quæ communiter fiunt „ bona fide à Christianis. Id enim, si seque„ retur, potiùs à nostra sententia recedere„ mus. Nil quippè à nobis adeò compertum in istis quæstionibus, quàm spectare „ ad generalem Providentiam Dei Redem„ ptoris, ut pharmaca ab eo instituta pro „ reparatione nostræ naturæ prosint com„ muniter illis, à quibus bona fide usur„ pantur, ne ullus, qui damnatur, possit „ obtendere *probabilem* ignorantiam, ratio„ ne cujus non adhibuerit media necessaria „ ad Animæ sanitatem. „ Undè in dictæ opinionis tuitionem necessarium autumat negare sequelam „ Quis enim est, qui seriò „ concipiens Deum, cujus nomine intelli„ gimus Ens summè bonum, & summè no„ bis beneficum, ad eumque confugiens „ tamquam ad justitiæ, & misericordiæ „ fontem, & paratum reconciliare sibi „ suos inimicos, eosque in filios adoptare, „ non excitetur ad aliquem amorem „ ipsius, ac proindè ad aliquam displicen„ tiam, quòd tantam bonitatem offende„ rit?

39. De *aliquo* amore iterum loquitur, & de *aliqua* displicentia ex eo orta, non de amore, qui sit *super omnia*, & de contritione, quam propugnat ex eo gigni; quamque, vel ex hoc rejicit, quòd fatentibus ipsismet Adversariis, non adeò facilè à peccatoribus adhibetur. Non tamen propterea Pallavicini discursum amplectimur, quòd ex dictis satis pateat nec *aliquem* amorem, *aliquamque* displicentiam ex eo resultantem necessariò requiri ad pœnitentiæ Sacramentum, si de amore, & displicentia sermo sit, formaliter sumptis, seu explicitè eliciendis, & non de virtualiter talibus, de quibus vix cum Adversariis, erit, in quo discrepemus. Cùm negari nequeat non posse Pœnitentem dolere de peccatis propter metum gehennæ, & concipere voluntatem peccati cujuslibet exclusivam, nisi proponat Deum non offendere, & in præceptorum suorum executione ampliùs non deficere, inter quæ præcipuum, omniumque aliorum radix est illud de eo super omnia diligendo. Formalem nihilominùs hunc amorem essentialem negamus in Sacramento pœnitentiæ, ex quo, etiam dato, quòd facilè ille esse valeat concipientibus divinam bonitatem summo dignam amore, nec non, & misericordiam paratam Pœnitentibus; hoc tamen ipsum, non semper in facto habetur, dum persæpè rudes præsertim, & pueri edocti à Parochis, Confessariis, Concionatoribus, quòd satis sit, ut de peccatis doleant ob gehennæ metum, motivum aliud non considerant in ea saltem Confessionis sacramentalis circumstantia. Cujus inconsiderationis, cùm in promptu habeant excusationis motivum ob *probabilem* ignorantiam, ratione cujus non adhibuerint formalem dilectionis actum., manet proculdubiò in suo robore argumentum, ob quod Pallavicinus à sua sententia se recessurum profitetur, ne videlicet difficilis, aut incertus reddatur valor confessionum, quæ bona fide à Christianis communiter fiunt.

40. Non deest hic, qui discutiat, an censura *temeritatis* sit sola reperibilis in aliqua propositione? de qua tamen non videtur multùm curandum, cùm satis ad Qualificatorem esse debeat, specificam quidditatem ipsius dignoscere, rationemque formalem, per quam à cæteris censurarum gradibus, aut speciebus secernitur. Cæterùm difficillimum

limum apparet, quòd sola in propositione ulla interveniat. Cùm namque per opposi. tionem ad communem Patrum, aut Theologorum doctrinam constituatur, quę nullo penitùs sit gravi fundamento munita, semper præsupponit motivum aliquod, quo Patres, & Theologi inducti sint ad illam impugnandam, sive expressè, sive in causa, quatenùs ex doctrina ab eisdem concorditer stabilita inferatur ejus rejectio; consequens fermè fit, ut aliqua sit pravitate infecta, ob quam aliqua alia juxta materiæ qualitatem veniat notanda, censura. Estò quandoque manifesta ea non sit, sed inferri queat, vel ex ipsa unanimi Patrum, aut Theologorum ipsi contradicentium mente, quæ sicut fundata haberi debet in aliqua ex fidei, vel morum regulis, ita & sufficiens est ad *temeritatem* ei infigendam, quæ per dictum ad eosdem respectum, proprium censuræ gradum perficit à cæteris quibuscumque sejunctum.

ARTICULUS VI.

De Propositionibus Præsumptuosa, *&* Tentativa Dei, *earumque constitutivis, ac distinctivis.*

1. Præsumptuosæ denominationem tribui posse in latiori quadam significatione propositioni *contumeliosæ*, & *temerariæ*, negari cum fundamento non potest, ob manifestam audaciam, ac petulantiam, qua proculdubiò inficitur, qui, vel alteri, & maximè supremis Principibus Ecclesiasticis, aut Sæcularibus, sacris Ordinibus &c. *injurias* inferre, vel communi Patrum, ac Theologorum menti se se opponere absque ullo solido motivo non erubescit. Non tamen in hoc sensu, (quamvis juxta eumetiam in materia qualificationis propositionum usurpatum à nobis in operis decursu, & à Theologis reliquis non semel reperiatur) sumi debet, prout *præsumptionis* nota proprium censuræ constituit gradum, à *contumelia*, & *temeritate* distinctum, sed in eo, quo quis *præsumptuosè* censura inurit theologica propositiones, quæ probabiliter controvertuntur in scholis, utramque earumdem contradictionis partem Ecclesia permittente, publicè sustineri. Quæ est fundamentalis ratio, cui innititur præceptum obedientiæ, de quo non semel locuti sumus, & præsertim *cap.3.art.14.n.6.art.20. num.10.* & *art.21.num.7.* ab Innocentio XI. singulis Theologis impositum, ne S. Sede inconsulta ullam ex hujusmodi opinionibus nota aliqua inficiant. Post quod, si suas *centurias* censurarum conscripsisset Luisius Turrianus, se se propemodùm abstinuisset à plerisque notis in gravissimorum Scholasticorum sententias promendis, meritò eatenùs reprehensus à Cardinali De Lugo *disp.20.de virt. fid.div. sect.3. num.*105. expendente insuper *injuriæ* gravitatem, quæ in Authores opinionum resultat ex prurigi. nosa ejusmodi censurandi proclivitate.

2. In hoc autem sensu, clarum est discrimen inter *præsumptuosam*, *contumeliosam*, & *temerariam*. Nam *contumeliosa*, non doctrinam per se respicit, sed Personam, *præsumptuosa* per se in doctrinam, non in Personam tendit, estò quod ab altera directè respiciatur, ad alteram indirectè pertineat. Si semel enim quis e.g. *hæreticam*, aut *temerariam* asfereret propositionem alicujus Doctoris, in ipsum *contumeliosus* efficeretur; sed id de consequenti est, & illativè verificatur, non per se primò, ac directè, quia sola propositio infici intenditur. *Temeraria* verò dicitur propositio per hoc, quòd sit communi Patrum, aut Theologorum menti contraria, adeòut ex eis, vel nullus, vel ferè nullus à cæteris discrepet; non sic *præsumptuosa*, quæ habet impetere theologica nota propositionem probabilem quidem, non tamen ita receptam, ut ferè certa moraliter saltem haberi debeat, & maximè in materia theologica, qualis indubiè redditur per com. munem prædictum consensum, ut *art.5.* abundè conspeximus. Nec minùs patens elucet differentia inter *præsumptionem*, quæ est nota theologica, & aliam, per quam non designatur, nisi quædam vehemens alicujus rei suspicio, aut conjectura, quo sensu *præsumptivè hæreticum* habendum, qui *erroneam* aliquam opinionem pertinaciter defenderit, diximus præsertim *cap.3.art.5.num.8.*

3. Cujus explicationis *præsumptuosę* propositionis soliditas erui potest, vel ex solius nominis æthimologia, vi cujus *præsumere* idem omninò sonat, ac *anticipatè* aliquid *sumere*, ut propterea summo jure, qui priusquàm ab Ecclesia, ac ab eis, quorum interest noxias ab innoxiis doctrinis secernere, aliquid statuatur, absque debita facultate censuras promit in aliorum doctrinas, legitimum Superiorum non expectans judicium, *præsumptuosus* efficitur, ejusque opinio *præsumptuosa*. In qua eatenùs acceptione, quæ rigorosior est, & apud latinitatis Authores usitatior, non benè *præsumptionis* redar-

redarguuntur à plerisque Theologis, qui propositiones ab Apostolica Sede proscriptas sub aliquo etiam infra *hæresim* nævo, impudentissimè nedùm audent defendere, sed & à prædicta nota liberare, non *scandalosas* e.g. effutientes, quas Christi Vicarii *scandalosas* desinierunt. Cùm sic, non militet judicii anticipatio ad *præsumptionem* requisita, sed aperta contradictio indefectibili Apostolicæ Sedis judicio jam præhabito, quam nos *hæresços* stigmate configendam propugnavimus *cap.3. art.20. per totum*.

4. Quamvis autem, & *præsumptionis* lues competat propositionibus censurantibus probabiles Doctorum opiniones, etiam in materia philosophica, quæ ob illegitimam, qua illæ inficiuntur, notam, transfertur quodammodò ad theologicam, ut in exemplo ex Hieronymo Pragensi deducto tetigimus *art.5. num.5.* etiam relatè ad *cap.3. art.20. num.7.* potissimùm, & per se nihilominùs respicit materiam theologicam, ut de *temeritate* itidem *art.præc.* animadvertimus. Sicque passim in Conciliaribus, ac Pontificiis *Sanctionibus* leguntur exempla propositionum profligatarum, ratione non dicti, quod probabile esset, & tutò sustineri posset, sed modi involventis indebitam alicujus sententiæ theologicæ censuram. In quibus tamen recensendis non multùm immorandum, quòd sufficere ferè arbitremur *propositionem* 23. Baji, quam expendimus *cap.3. art.20. num.8.* ubi quoque *num.9.* non omisimus monere, ut cautus quilibet sit, ne futiles quandoque reddere audeat damnationes Pontificias sub fucato prætextu, quòd à Christi Vicariis nec ipse modus absolutè intendatur rejectus, sed solùm relatò ad privatos Theologos, à quibus profertur.

5. Adhuc tamen præfato exemplo addimus, & illud Sixti IV., quo ex Alphonso Fernandio *in concert. prædicat.edit.Salmat. pag.* 227. 228. & 229. & Francisco Diago *lib.1. Ann. Aragon. c.*33. utuntur Antonius Saura *in suo Platonis voto de exam. prop. c.*12.*de prop. præsumpt.&c.* & novissimè Dandinus *de susp. de hær.cap.ult. sect.2.subsect.2.à num.*50. efficacissimè exhibens prælaudati Pontificis modestiam, & integritatem, qui cum Minorum profiteretur institutum, probabilioremque proinde haberet sententiam de Christi Incarnatione futura, etiam in hypothesi, quòd Adam non peccasset, nihilominùs quia de probabilitate alterius opinionis non hæsitabat, attento maximè, quòd utraque pietati sub diversis respectibus esset innixa, puniendos decrevit *præsumptuosos* nonnullos Theologos, qui illi opinioni plùs æquo inhærentes, versiculos illos: *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquàm fores tanto digna Filio*, vilipendere non formidabant. *Cùm duplex*, ait, *in suis Apost.lit.*Pontifex, *sit opinio Catholicorum Doctorum circa causas præcipuas Incarnationis Verbi Divini intuentium, Altera, quòd si Adam non peccasset, Dei Filius humanam carnem non assumpsisset. Altera, quòd etiamsi non fuisset humana natura in primo Parente lapsa, adhùc Dei Filius carnem assumpsisset; Et opinio utraque pietati, fidei, authoritatibus, & rationibus subsistat. Cùmque priori opinioni versus illi innitantur, dicimus quicquid contra dictos versus attentatum fuit, temerarium, præsumptuosum, & pœna dignum fuisse, tamquàm contra opinionem à Doctoribus Catholicis positam.*

6. In hujus furfuris Censores quadrat maximoperè, quod *tract. de corp.Christi c.*36. scripsit Ochamus. *Detestanda est aliquorum Modernorum præsumptio, qui se supra se extollentes, cupientes soli vocari Rabbi, omnem opinionem à suis dogmatibus dissentientem agitati invidia damnantes, quia per rationem nesciunt improbare, tamquàm periculosam, & hæreticam, caninis latratibus lacerant incessanter*. Caverique ab ejusmodi vitio debent, qui præsertim alicui Scholæ sunt addicti, communem ipsius Magistrum in omnibus adamussim sequentes. Non quòd omninò adhæream Alphonso de Castro, qui *lib.1. contr. hæres. cap.*7. non sine notando locutionis excessu, ex eo motivo deducere universaliùs, quàm par sit, videtur, non omninò dignum laude, quòd quis in Alterius quantumvis celebris Doctoris obsequium, proprium captivet ingenium; cùm sciam, ac expertus sim innumera indè bona erui in dies, quæ præsertim ex principiorum cohærentia dependent, quæque ad Sacræ Scripturæ intelligentiam, Sanctorumque Patrum sensum percipiendum conducunt, dummodò tamen intra solos probabilitatis limites sustineantur, quæ scholasticè ab eis sunt tradita, ut jure meritò Summi Pontifices suis diplomatibus ad id nos excitent, relatè tamen ad primarios illos Theologos, & præ aliis quibuslibet, Aquinatem, & Scotum, qui Principes respectu cæterorum haberi debent, quòd eorum doctrina ab ipsa Apostolica Sede sit non semel summis encomiis commendata. Sed quòd prudenti moderatione adhibita, verissimam habeam acrem ejus redargutionem adversùs plerosque

que

que „ qui sic afficiuntur aliquorum homi-
„ num scripturis, ut si fortè quempiam vi-
„ derint, qui, vel digito transverso, ab eo-
„ rum sententia discedat (oculatus testis lo-
„ quar) *hæresim* statim inclament.„

7. Absit adeò noxia intellectus captivatio in quemlibet quantumvis Ecclesiæ Doctorem, quæ dumtaxat in Christi obsequium haberi debet in pretio. Nec enim ipsimet, quos veneramur Magistros, suas sententias tradiderunt, quasi Spiritu Sancto inspirati fundentes oracula. Principia quidem, quibus innitebantur, communia ipsis fuere, utporè Sacris Literis innixa, & proindè ab omnibus absque formidine recipienda: At illationes ex ejusdem principiis erutæ, opiniones ingeniosis eorumdem ratiociniis deductæ, interpretationesque adhibitæ, non eadem cum principiis certitudine, ac firmitate potiri possunt, nec tales ab eis unquàm sunt reputatæ, ac propterea ab ipsorum Discipulis, sic altera, respectivè alteri præferenda, ut non contentionis, aut diffidii animo, sed veritatis studio propugnari conspiciatur. Quin ullus plùs sapere, contendens, quàm oporteat sapere, quam eligit, partem, extollere, ac evehere, ut ita dicam, audeat, oppositam ad ima deprimendo, quasi quòd illa cœlitùs sit immissa, hæc è Dæmonum captiosis cavillationibus effossa. Quo sensu, fateor & ipse cum Authore præfato, & quidem ad Augustini *cap.3. art.2. num.19.* relati mentem conformiter,
„ me non posse cohibere iracundiam,
„ quoties video aliquos ita addictos ho-
„ minum aliquorum scriptis, ut im-
„ pium autument, si vel in modica re quis
„ ab eorum sententia discedat. Volunt
„ enim hominum scripta, velut Divorum
„ oracula recipi, illumque honorem illis
„ exhiberi, qualis solis Sacris Literis debetur.
„ Non enim juravimus in verba hominis,
„ sed in verba Dei. Ego enim miserrimam
„ hanc dicerem servitutem, sic esse huma-
„ næ sententiæ addictum, ut non liceat ullo
„ modo illi repugnare. Qualem patiuntur
„ hi, qui se tantùm B. Thomæ, aut Scoti,
„ aut Ocham dictis subjiciunt, ut ab eo-
„ rum placitis, in quos jurasse videntur,
„ nomina fortiantur, quidam Thomistæ,
„ alii Scotistæ, alii Ochamistæ appella-
„ ti„; nisi, ut retigimus, subjectio ejusmodi di intra probabilitatis limites contineatur.

8. Habet autem, & suos gradus *præsumptionis* nota, ut eò detestabilior ea sit, quò gravior censura in probabiles fertur sententias, quòque levius est fundamentum, cui illa inhæret. Cumque *hæresis* nota, omnium sit habenda gravissima, nulla per consequens magis execranda *præsumptio*, ea, qua *hæretica* inscribitur doctrina, quæ verè probabilis apud Catholicos reputatur. Licèt non idcircò in ipsam retorquendum æstimetur *hæresis* stigma, quod in aliorum opiniones vibratur. Quin potiùs qui sic in *præsumptiones* efferbuerit, *præsumptuosus*, & ipse reddetur ad tradita *cap.3. art.20.* præsertim *num.5.* Nisi fortè quis tanta pertinacia *hæreticam* aliquam opinionem assereret, ut paratus esset in suo judicio persistere, etiamsi Ecclesia oppositum definiret, ad expensa *ibid. num.4.*, & 10. ad præsens minimè repetenda, sicuti nec ea, quæ tradidimus eodem *cap.3. art.21.* quòad notam *hæresis* probabiliter adaptandam alicui opinioni, quoties non de re ipsa, sed de modo instituitur quæstio; utrùm videlicet aliqua propositio sit *hæretica*, vel ne? Tunc namque asserere illam *hæreticam*, non est cèsurare, quod est verum, aut ad minùs certè probabile apud omnes, sed aperire propriam mentem circa questionem, quæ agitatur, aliàs nusquàm licitum foret movere hujus generis controversias.

9. Hactenùs de *præsumptionis* nota, juxta rigorosam nominis acceptionem, quam communiter attendere videntur Theologi in materia censurarum theologicarum, *præsumptionem* à cæteris quibuslibet distinguentes. Cæterùm cum *præsumptio* vitiosa, (de qua loquimur, ad exclusionem *præsumptionis*, quæ in bonam partem accipi potest, pro fiducia, nempè, consequendi à Deo auxilium opportunum, ad textus (*Judith.6.15.*) *Non derelinquis præsumentes de Te*, & (9.17.) *Exaudi me miseram deprecantem, & de tua venia præsumentem*) à Scholasticis sumi soleat *pro nimia, & immoderata fiducia, seu spei excessu, non modò circa proprias vires, sed etiam circa Divinam Potentiam, vel Misericordiam*, uti ipsam definit Angelicus 2. 2. *q.21. art.1. in concl.* haudquaquàm apparet incongruum, si *præsumptuosas* inscribamus eas propositiones, ac doctrinas, hujusmodi *præsumptioni*, aliquo modo faventes. Quo planè sensu *præsumptuosæ* proculdubiò dicendæ erunt ex damnatis ab Innocentio XI. (61.) *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* (62.) *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit*, & (63.) *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali, nostro, vel proximi*,

quas

quas clarum est, alii non esse innixas motivo', quàm quòd possit quilibet in quavis proxima constitutus occasione, à peccato se reddere immunem, & quidem etiamsi voluntaria illa sit, spontèque quæsita. Quod tamen, Spiritu Sancto (*Ecclef.3.27.*) in contrarium testante: *Qui amat periculum, peribit in illo*, Patrisque Unigenito (*Matt.58.9.*) clamante: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te*, non est, nisi perniciosus fiduciæ abusus, quo quis, vel per superbiam elatus inordinatè inhæret Divinæ Misericordiæ, ac Potentiæ, sperans obtinere à Deo innocentiæ conservationem, etiam se exponendo aperto illam amittendi discrimini; vel per inanem gloriam inflatus sibi pollicetur posse per virtutem propriam vincere, & superare quaslibet suggestiones, & tentationes, quas imminentes prævidet ex periculo proximo, quod removere cùm facilè possit, penitùs negligit.

10. Modum hunc discurrendi comprobat apertè *quodlib.3.* in *pluribus articulis* Angelicus, rationes indicans, quibus falsitas *propositionum* proscriptarum clara redditur, nempè *art.9.ad 3.* ubi habet, *quòd quicumque non cavet pericula, videtur contemnere id, cujus detrimentum pericula inducere possunt: & quia laudabile est, quòd homo contemnat bona corporalia propter bona spiritualia, laudabile est, quòd aliquis periculis corporalibus se exponat propter spiritualia bona: sed contemnere spiritualia bona, est valdè vitiosum; ideò quòd aliquis periculis spiritualibus se exponat, est valdè vituperandum*, cùm non nisi ex detestanda *præsumptione* ortum id possit habere; etenim (*art.17. ad 2.*) *quilibet Sapiens vellet habere tantam virtutem, per quam posset etiam inter pericula securus existere: sed quia præsumptuosum est, ut aliquis talem virtutem se habere præsumat, per quam possit etiam inter pericula esse tutus, virtuosius est, quòd se extra pericula ponat*, & (*in resp. ad 3.*) *Majoris virtutis indicium est, ut puritatem perfectam aliquis conservet, inter pericula puritatis, quàm si eam extra pericula conservaret; sed tamen parùm amare puritatem suam convincitur, qui puritatis pericula non evitat; inter quæ difficillimum est, & rarissimum omnimodam puritatem servare. Sicut maxima puritas fuit B. Agnetis, quæ etiam in lupanari posita virginalem puritatem servavit; & tamen quia puritatis amatrix erat, nunquàm in lupanari hanc suam virtutem ostendere elegisset, sed quantò magis puram mentem habebat, tantò minùs lupanar propria voluntate elegisset. Et simile est in omnibus talibus.*

11. Cum propositione *præsumptuosa*, quæ divinæ virtuti inordinatè innititur, confundi potest *tentativa Dei*, quatenùs qui *præsumens* de divina ope, se exponit periculis peccandi, experiri videatur quodammodò divinam virtutem, quod est *Deum tentare*, si semel, ut supponitur, nulla ad id inducat necessitas, aut utilitas. Si quidem, *quando propter aliquam necessitatem, seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in petitionibus, vel factis, hoc non est Deum tentare, dicitur enim* (*in Paral.20.12.*) Cùm ignoramus, quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Te. *Quando verò hoc agitur absque necessitate, & utilitate, hoc est interpretativè tentare Deum, undè super illud*: (*Deut.6.16.*) Non tentabis Dominum Deum tuum, *dicit Glossa*: Deum tentat, qui habens, quod faciat, sine ratione committit se periculo, experiens utrùm possit liberari à *Deo*? ut *2.2.q.97.art.1.in corp.* discurrit Angelicus, postquàm §. Sed *contra* ex Augustini *lib.22.cont.Faustum cap.36.* authoritate dicentis, quòd *Christus, qui palàm docendo, & arguendo, & tamen inimicorum rabiem valere in se aliquid non sinendo, Dei demonstrabat potestatem; idem tamen fugiendo, & latendo hominis instruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet, quod faciat, ut quod cavere oportet, evadat*: intulerat: *in hoc Dei tentationem consistere, quando prætermittit homo facere, quod potest ad pericula evadenda respiciens solùm ad auxilium divinum.* Quod quoque locum habet in *præsumptione*, qua quis irrationabiliter propriis fidit viribus, in rebus, quæ vires illas excedunt. Undè *3.p. qu.41. ad 2.* duplicem distinguens *tentationis* occasionem, primam ait esse *ex parte hominis, puta cùm aliquis se peccato propinquum facit, occasiones peccandi non evitans. Et talis occasio tentationis est vitanda, sicut dictum est Loth*; (*Gen.19.17.*) Ne steteris in omni regione circa Sodomam.

12. Adhuc distinguendæ omninò ab invicem sunt prædictæ notæ, earumque discrimen desumendum ex differentia, quæ intercedit inter *præsumptionem*, & *Dei tentationem*, quarum prior virtuti Spei opponitur, posterior Religioni. Duo siquidem extrema vitia censentur *præsumptio*, & *desperatio*, atque inter se penitùs discrepantia, Spei nihilominùs ex æquo opponuntur, etsi non in eodem gradu. *Præsumptio* namque inordinatum superexcessum importat, quo quis immoderatam fiduciam concipit à Deo recipiendi, quod optat, spretis, contemptisque idcircò mediis, quę potest adhibere in finem intentum.

Despe-

Desperatio verò quamlibet in Deo habendam fiduciam excludit, æstimans non impetraturum ab eo, quod ipse concedere pollicitus est dignè petentibus. Ac eatenùs gravior hæc illa reputatur ab Angelico: (2.2. q.21.art.2.in corp.) *Et ideò præsumptio est peccatum, minùs tamen, quàm desperatio, quoniam magis est proprium Deo misereri, & parcere, quàm punire propter ejus infinitam bonitatem. Illud enim secundùm se Deo convenit, hoc autem secundùm nostra peccata.* Non sic *Tentatio*, quæ cùm nihil aliud dicat, quàm inordinatè postulare, sequitur, quòd si *debito modo postulare est actus Religionis, tentare Deum est peccatum Religioni oppositum*, ut idem Aquinas arguit *quæst.97. art.3.§. sed contra*. Ex hoc autem exurgit, & diversitas inter propositionem *præsumptuosam*, & *tentativam Dei*, dum altera vitium fovet oppositum spei, altera tuetur vitium Religioni repugnans.

13. De utraque autem instituti potest quæstio, an *hæresis*, seu *infidelitatis* contineant pravitatem? De *præsumptuosa* quidem ob falsum intellectum, cui innititur, ex quo *præsumptio*, quam fovet, in motu appetitivo sita sit, quamdam spem inordinatam importante, *habet autem se conformiter intellectui falso, sicut & desperatio: sicut enim falsum est, quòd Deus pœnitentibus non indulgeat, vel quòd peccantes ad pœnitentiam non convertat; ita falsum est, quòd in peccato perseverantibus veniam concedat; & à bono cessantibus opere gloriam largiatur; cui existimationi conformiter se habet præsumptionis motus* (cit.quæst.21.art.2.in corp.) De *Tentativa Dei* verò ob relationem, qua respicit *Dei tentationem*, quæ non est, in toto rigore ad minùs, sine aliqua dubitatione de divina excellentia; ratione cujus, etsi minoris gravitatis reputanda veniat *superstitione*, quia divinæ reverentiæ *minùs adversetur, quòd aliquis de divina excellentia dubitet, quàm quòd contrarium per certitudinem sentiat. Sicut enim magis est infidelis, qui in errore confirmatus est, quàm qui de veritate fidei dubitat: ita etiam magis contra Dei reverentiam agit, qui suo facto protestatur errorem contra divinam excellentiam, quàm qui protestatur dubitationem. Superstitiosus autem protestatur errorem, ut ex dictis patet. Ille autem, qui tentat Deum verbis, vel factis protestatur dubitationem de divina excellentia, ut dictum est. Et ideò gravius peccatum superstitionis, quàm peccatum tentationis Dei*, ut ratiocinatur idem Aquinas *q.97. art.4. in corp.* non potest tamen ab *infidelitatis* ratione sejungi, cùm dubium in fide *infidelem* esse abundè constet ex traditis *cap.4.art.8.n.14.*

14. Pro cujus resolutione recolenda, quæ *cap.6.art.11.* indicavimus, non eodem scilicet modo discurrendum de *superstitione*, ac propositione *superstitiosa*, nec valere illationem, quòd hæc *hæresim* non contineat, eò ipso, quòd in *superstitione* non residet. Applicando enim ea ad præsentem materiam, diversa quadantenus ratiocinatio est formanda de *præsumptione*, aut *tentatione Dei*, ac de propositione *præsumptuosa*, ac *tentativa Dei*. Sivè enim *præsumptio* sumatur, prout in propria virtute quis ineptè collocat fiduciam; sivè quatenus inordinatè de divina misericordia, aut potentia confidat, quamvis possit ex judicio falso, & *hæretico* ortum ducere, neque tamen illud necessariò præsupponit, neque ex illo formalem suam desumit denominationem. Erroneum præsupponit judicium, quoties quis ex.gr. beatitudinem sibi promittit, vel quòd credat ex propriis viribus independenter à gratia divina eam consequi posse, cujusmodi erat *præsumptio* Pelagianorum; vel quòd æstimet obtinendam ex divina misericordia absque propriis meritis, ac bonis operibus, ut passim faciunt Lutherani. Quibus casibus duo concurrunt simul delicta, *hæresis*, videlicet, & *præsumptionis*, quorum posterius ex priori resultat, quin tamen formaliter ex illo denominetur, ut post alios animadvertit Thomas Del Bene *de Off. S.Inquis. & hær. part.2.dub.231.sect.7.num.2.* subdens, quod paulò ante innuimus, dictum falsum judicium non esse prævié necessarium, cùm sine eo possit haberi *præsumptio*; putà si quis negligat, & contemnat pœnitentiam agere de peccatis suis, non quòd credat absolutè non necessariam ad remissionis gratiam obtinendam, sed ex hoc alio judicio: *Deus pro ineffabili sua misericordia condonabit mihi peccata mea, etiamsi modò pœnitentiam non agam*, quod non *hæreticum* est, sed *stultum* solùmmodò, & *temerarium*. Undè subdit *sect.8.n.1.* quòd si *præsumptio* contingat cum judicio erroneo præexistente, est habitus spei destructivus, quamvis destructio propriè proveniat, non ex contrarietate *præsumptuosæ* cum spe, sed ex *hæresi*, quæ ipsam antecedit; citatque pro hac resolutione Valentiam *2.2. disp.2.q.3.p.3.* Turrianum *qu.21.art.2.* & Suarez *disp.2. de spe sect.3.num.4.* ubi tamen oppositum habet, non immeritò dicens „ primum, & secundum præsumptionis membrum, (de quibus est sermo), corrumpere „ spem non solùm, quia regulariter supponunt *infidelitatem*, sed etiam quia destruunt formale objectum spei, & reddunt hominem indispositum ad actus

„ spei: Qui enim sperat suis viribus, nil co„ gitat de bonis supernaturalibus: qui etiam „ sperat contra debitum ordinem divina„ rum promissionum destruit fundamen„ tum, & rationem spei infusæ: „ Quod non verificatur, quoties *præsumptio* dicto erroneo intellectus judicio non innititur, prout communiter à malis Catholicis committi solet, utpotè quæ, licèt importet peccatum imperfectum in suo ordine, non tamen reddit *præsumentem* omninò inhabilem ad actum spei, quod requiritur, ut indè spei habitus sequatur destructio. Undè fit, quòd etsi *præsumptuosas* habuerimus *num.9.* relatas *propositiones*, non tamen in earumdem Authoribus erroneum ejusmodi judicium suppofuimus, eas solummodò propugnantibus, quòd excessum spei conceptæ nequaquàm agnoscerent, facilem periculi evasionem in recensitis casibus irrationabiliter habentes, divina semper favente gratia, quàm propitiam extituram imprudenter putabant, dummodò proxima peccandi occasio non vitetur *pro bono spirituali*, *vel temporali nostro*, *vel proximi*.

15. *Tentatio Dei* pariformiter, ut *nu.13.* tetigimus, *infidelitatem* per se præsupponit; *Nullus enim præsumit tentare eum, de cujus excellentia certus est*, ex Angelico *q.97. art.3. in corp.* Quin indè argui queat: *Tentatio Dei habet rationem peccati ex hoc, quòd homo de Deo dubitat; sed dubitatio de Deo pertinet ad peccatum infidelitatis, quod opponitur fidei, ergo Dei tentatio magis opponitur fidei, quàm Religioni*; in promptu namque est S. Doctoris responsio, quòd nempè *ad Religionem pertinet protestari fidem per aliqua signa ad divinam reverentiam pertinentia. Et ideò ad irreligiositatem pertinet, quòd ex incertitudine fidei homo aliqua faciat, quæ ad divinam irreverentiam pertinent, cujusmodi est tentare Deum, & ideò est irreligiositatis species*. Definiri idcircò *Tentatio Dei* solet: [Irreligiositas quædam, per quam ex dubitatione de aliquo Dei Attributo, seu Perfectione sumitur verbis, vel factis experimentum, an Deus illa Perfectione potiatur nec ne?] In qua definitione, *irreligiositas* stat loco generis, utpotè prædicatum, per quod *Dei tentatio* cum cæteris vitiis virtuti Religionis oppositis convenit. Orta subjungitur ex *dubitatione*, ob rationem mox indicatam, vi cujus *tentatione Dei* graviorem esse *superstitionem* ab Angelico probatum vidimus *num.13.* Undè sequitur non comprehendi sub explicatione hujusmodi, nec à nobis fieri sermonem de *Tentatione Dei*, quæ licita esse potest, immò, & virtuosa, qualis propemodùm reputanda esset:

16. Si fieret, 1. ex divino instinctu, aut mandato, undè reprehensum legimus *Isai.7. 11.* Achaz, quòd jussus à Deo: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo*, responderit: *Non petam, & non tentabo Dominum*. Et dixit. *Audite ergo domus David*; *Numquid parùm vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo?* 2. Si fieret ex necessitate aliqua, aut utilitate præsertim ad publicum bonum spectante, ac debito servato erga Deum obsequio, ab eo humiliter postulando extraordinarium aliquod signum, postquã futilia experti fuimus media ordinaria, quod fuit aliud motivum reprehensionis Achaz unà cum præcedenti ponderatum *2.2.q.97.art.2. ad 3.* ab Angelico: *Deus volebat signum dare Regi Achaz non pro ipso solùm, sed pro totius populi instructione. Et ideò reprehenditur, quasi impeditor communis boni, & salutis, quia signum petere nolebat. Nec petendo tentasset Deum; tùm quia ex mandato Dei petiisset, tùm quia hoc pertinebat ad utilitatem communem*. 3. Si fieret, ut in nobis experiamur divinæ beneficentiæ fructus, quos certissimè reclusos credimus in Supremi Numinis asservari ærario, ad quod ritè faciendum invitat nos Regius Psaltes: (*Ps.33.9.*) *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus*, & Gentium Doctor (*ad Rom.12.2.*) *Ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*, juxta Aquinatis *in resp. ad 2.* explicationem: *Duplex est cognitio divinæ bonitatis, vel voluntatis. Una quidem speculativa; & quantùm ad hanc, non licet dubitare, nec probare, utrùm Dei voluntas sit bona, vel utrùm Deus sit suavis? Alia autem est cognitio divinæ voluntatis, seu bonitatis effectiva, sivè experimentalis, dum quis experitur in seipso gustum divinæ dulcedinis, & complacentiam divinæ voluntatis, sicut de Jerotheo dicit Dionys.* (*2.cap.de divin.nomin.*) *quòd didicit divina ex compassione ad ipsa; Et hoc modo movemur, ut probemus Dei voluntatem, gustemus ejus suavitatem*.

17. Dubitatio autem de divina perfectione, aut Attributo (de quo aliàs certus teneatur quis esse, vel ex evidentibus principiis naturalibus, vel ex divina revelatione; quæ quoque si habebitur de operationibus, effectibus, & locutionibus Dei ad extra, eodem modo circa hæc discurrendum, ac circa intrinseca Dei prædicata, in hac materia, non est hæsitandum) potest contingere, vel formaliter, & explicitè, cùm videlicet expressè quis, ut certus efficiatur, an Deus potens sit hunc, vel illum effectum alias bonum, & possibilem præstare? aliquid efficit, ani-

animo experiendi, si in eo dicta virtus resideat? quod est propriè, & rigorosè *tentare Deum* in sensu *conclusionis*, quam laudatus Aquinas *art.1.* firmat: *Tentare Deum est explorare, an Deus sciat, velit, aut possit id, quod ei proponitur*? Vel implicitè, virtualiter, aut interpretativè, *quando scilicet (ibid. in corp.) etsi hoc non intendat, ut experimentum sumat, id tamen agit, vel dicit, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, nisi ad experimentum sumendum .... sed quasi interpretativè Deum tentat, qui etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit, vel facit, quod ad nihil aliud est utile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, vel cognitionem: Sicut, cùm quis equum currere facit, ut evadat hostes, hoc non est experimentum de equo sumere: sed si equum currere faciat absque aliqua utilitate, hoc nihil aliud esse videtur, quàm experimentum sumere de equi velocitate, & idem est in omnibus aliis rebus.*

18. Ad expressam, & formalem *Dei tentationem* spectat exemplum de quo (*Exod.17.* (7. *Tentaverunt Dominum dicentes, est ne Dominus in nobis, an non?* illudque (*ps.77.18.*) *Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis, & malè locuti sunt de Deo, & dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Numquid, & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Ideò audivit Dominus, & distulit, & ignis accensus est in Jacob, & ira ascendit in Israel, quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in Salutari ejus.* Contra verò, *tentationis* reus nequaquàm fuit Abraham *Gen.15.*, cùm, dicente Deo; *Ego Dominus, qui eduxit te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi Terram istam, & possideres eam*; respondit: *Domine Deus undè scire possum, quod possessurus sim eam?* Non enim dubius divinæ promissionis signum ab Altissimo petiit, de quo paulò ante dicitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam*, sed ut ampliùs illuminaretur in ea veritate, de qua certus jam erat, vel propter se, vel propter alios: *Non ut incredulus*, suo nomine ait *hom.37. in Gen.* Chrysostomus, *hoc interrogo, sed quia iterùm mihi hæreditatem nominas, volebam, & clarius signum accipere, quod possit infirmas meas cogitationes solidare.* Fortiùs à quolibet, vel levissimo *tentationis* nævo fuit remotissima Deipara Virgo, cùm Angelo annuncianti divini Verbi Incarnationem, dixit: *quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* vel enim nullo modo dubitans, id protulit, juxta explicationem Ambrosii *lib.2. in Luc. cap.2.* relati *3.p.q.30.art.4. ad 2.* ab Angelico: *Non dubitat esse faciendum, quod quomodò fieri possit? inquirit*: vel, si dubitatio in ea fuit, non incredulitatis, sed admirationis est reputanda, ad insinuata *cap.4. art.8. num.14.* ex eodem Aquinate.

19. Ad interpretativam verò *Dei tentationem*, de qua nonnihil tetigimus *c.6. art.11. num.20.* pertinent experimenta, quæ olim erant in usu ad Accusatorum præsertim delicta dignoscenda, vel ad innocentiam eorundem comprobandam, & intitulabantur purgationes vulgares, utpote quæ *superstitione* potiùs populi, quàm Sacris Canonibus fuerant introducta, fiebantque præcipuè per ignem, per aquam frigidam, & calidam. Quorum primum viguit potissimùm apud Gentiles Virgilio teste (*lib.6. Æneid.*)

...... Scelus exuritur igne. (& *lib.11.*)
... Medium freti pietate per ignem.
Cultores media premimus vestigia pruna.

Undè apud Æthiopes, ut *lib.10.* refert Heliodorus, sacer habebatur focus, qui dicebatur infallibile Innocentium experimentum, quod Festus Pompejus *suffitionem* appellat. Similemque morem à Christianis servatum Joannes Suarez *ad leg. Aquil. lib.3. cap.6. sect.3.* se vidisse affirmat „ Vidi in quibusdam Civitatibus hujusmodi morem, „ in plateis nempè compositos ignes, & „ hos transilire non solùm pueros, sed „ etiam, & viros, matresque infantes per „ flammas transmittere: sed ex hoc quidem ipsis sibi videbantur purgari, & Dei „ iram amovere.„ Adhibebatur quandoque loco ignis ferrum candens prævis exorcismis, & orationibus præparatum, de quo, ac de aqua bullienti, in quam brachium usque ad cubitum mittebatur, mentio fit in Rhemensi Concilio sub Hincmaro. (*cap.11. pag.19.*) *Hæc si quisquam vestrum aliter esse putat, meque indignum, cui credatur, credat igni, ferventi aquæ, candenti ferro: faciant fidem tormenta, quibus non sufficiunt mea verba.* Sicut & de aqua frigida latè inter alios scribit Juretus *in not. ad ep.74. Carnot.* cujus usum, (rejecta ut penitùs improbabili opinione nonnullorum putantium, quòd fieri soleret per solam manus immissionem in illam, cui Deus vim adurendi æquè tribueret, atque aquæ ferventi) verosimilius est in eo situm fuisse, ut colligatis manibus, & pedibus devincto corpore projecto, si purgandus mergeretur, crederetur innoxius, si verò supernatans superferretur, haberetur convictus: Ut *innocentes à crimine*, (legitur in *adjuratione aquæ* S. Dunstani apud *cit.* Juretum) *cujus examinatio ageretur, aquæ in se reciperent, & in*

profundum pertraherent; conscios autem criminis à se repellerent, atque rejicerent: nec paterentur recipere corpus, quod ab honore bonitatis evacuatum, ventus iniquitatis allevavit, & in hunc constituit: sed quod caret pondere virtutis, pondere careat propriæ substantiæ in aquis.

20. Illicita idcircò quælibet hujusmodi praxis per Sacros Canones, & præsertim *cap.* Consuluisti, *cap.* Mennam *cap.* Monomachiam 2.*qu.*4. & *cap.* Sententiam *Ne Clerici, vel Monachi*, est declarata, utpotè, quæ, ut innuimus præter *superstitionem*, quam continebat, à *Dei tentatione* minimè posset absolvi: *Judicium ferri candentis*, ait ad rem 2.2.*q.*95.*art.*8.*ad* 3. Angelicus: *vel aquæ ferventis, ordinatur quidem ad alicujus peccati occulti inquisitionem per aliquid, quod ab homine fit, & in hoc convenit cum fortibus: in quantùm tamen expectatur aliquis miraculosus effectus à Deo, excedit communem fortium rationem. Undè hujusmodi judicium illicitum redditur: Tùm quia ordinatur ad judicandum occulta, quæ divino judicio reservantur: Tum etiam quia hujusmodi judicium non est authoritate divina sancitum. Undè* (2.*q.*5.*in decreto Stephani Papæ*) *dicitur*; Ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent Canones. Et quod Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, concessa sunt nostro regimini judicare. Occulta verò, & incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum *hominum*. Ac cateris contra eam calamos perstrinxere Petrus Gregor. *lib.*42.*syntag.cap.*15.& *lib.*3.*partit.tit.*13.*cap.*2. Pancirola *lib.*1.*variar.cap.*84. Durantius Gasellius *lib.*2. *var. cap.*1.2. Robertus *lib.*1. *rer. judic. cap.*11. Landmeter *de veter. Cler.lib.*2.*cap.*74. Bosquettus ad Innocentium III. *lib.*2.*ep.*136, quos, aliosque complures refert Emmanuel Gonzalez in *cap.*Dilecti filii *de purgat.vulg.*objecta in contrarium diluens, recursum habendo ad exceptiones *num.*16. indicatas:

21. Ad divinam videlicet institutionem, vi cujus certum, ac stabile redderetur miraculum, quod in testimonium innocentiæ experetur; qualis fuit illa, de qua *Numeror. cap.*5. ubi Dominus jussit, quòd si mulier accusata de adulterio, illud negaverit, nec probare potuerit, offerret sacrificium zelotypiæ super Altare, & Sacerdos aquas amarissimas in vase fictili execratas maledictione cum parvitate terræ effunderet super eam, & diceret: (19.) *Si non dormivit vir alienus tecum, & si non polluta es, deserto Mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi. Si autem declinasti à viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subjacebis. Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur; ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero intumescente putrescat femur. Et respondebit mulier, Amen, Amen*, post quam responsionem, bibere debebat mulier aquas amarissimas (27.) *quas cum biberit, si polluta est, & contempto viro adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur; eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. Quòd si polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos.* Aut ad specialem Dei instinctum, quem intervenisse credendum est, quoties media hæc adhibita à Sanctis Viris leguntur Deo sic disponente, ut miraculosè eorumdem innocentia manifestaretur. Hocque inter alios Spiritus Sancti afflatu *Brigida Virgo in Scotia, cùm lignum Altaris in testimonium Virginitatis tetigisset, viride factum fuit*, ut refert *lib.*2. *cap.*7. Lactantius. Montanus itidem Archiepiscopus Toletanus, *ut à se conjugalis conversationis infamiam propulsaret, tamdiù adsumptos vesti candentes narratur tenuisse carbones, donec Domino consecrans oblationem totius per semetipsum compleret Missæ celebrationem*; ut Author est *in praf. de vir.Eccl.* Sanctus Ildefonsus. Innuere itidem non omittens tolerantiam, quæ quibusdam in locis, abusus pravitate nondùm plenè detecta, perseveravit, quousque per Romanos Pontifices, Cœlestinum præsertim, Innocentium, & Honorium universalis prohibitio emanavit, *utpotè in quo Deus tentari videtur ex cit. cap.* Dilecti filii *de purg. vulg.* Qua attenta ignorantia, vel invincibili, vel crassa, non mirum, ut notat Suarez *tom.*1.*de Relig.lib.*1. *de Irrelig.cap.*3. *num.*16. si Deus quandoque mediis miraculis favere voluerit innocentiæ eorum, qui cà irretiti dictis purgationibus bona intentione se subjiciebant.

22. Deveniendo jam ad propositiones *præsumptuosas*, & *Tentativas Dei*, quæ indè formari possunt, ordinemque servando, quo sermonem fecimus *cap.*6.*art.*12. *nu.*23. loquentes de propositionibus *superstitiosis*, & *art.*13.*num.*3.ac 5.de propositionibus *schismaticis*, patet eas concipi posse modaliter, & absolutè. Modaliter, quoties asseritur licitum, & honestum e.g. sperare à Deo remis-

missionem peccatorum sine pœnitentia, aut gloriam per propria merita; vel de divinis perfectionibus experimentum sumere, ut de eis certi reddamur. Et hoc pacto immunes fieri nequeunt ab *hæresi*, & maximè si objectivè dumtaxat inspiciantur, tùm ob generalem rationem, per quam *hæreticum* censeri debet, licitum asserere, quod re. vera est peccaminosum: Tùm, & præcipuè, quia ex parte dicti apertè indigitantur, vel falsa Pelagii, & Lutheri dogmata Spiritui Sancto testificanti pœnitentiæ, & gratiæ supernaturalis necessitatem apertè repugnantia, vel dubitatio de Attributis divinis, quæ *infidelitatem* constituit. Absolutè verò cùm absque restrictione quis simpliciter profitetur, vel sperare remissionem, sivè pœnitentiam, ac gloriam propriis viribus, vel certificari per medium aliquod de potentia, bonitate, cæterisque prædicatis supremi Numinis. Quibus casibus, attendendum est, an ita propositiones concipiantur, aut facta patrentur, ut ex eis colligi sufficienter valeat erronei judicii præexistentia in *præsumente*, aut *Deum tentante*? Sicque *hæreticalem* mereantur denominationem, immò, & *hæreticam*, si objectivè considerentur. An verò sic formentur, aut peragantur, ut vel æquivocatio in eis insit? & proindè sensu pravo forsitan prævalente *suspectæ de hæresi* dicendæ veniant; aut ex ignorantia, aut simplicitate appareant prolatæ, vi cujus Proferentes sint excusandi, solis propositionibus censura inustis; vel denique ex sola debilitate fidei, nulla pertinacia commixta, quæ Proferentium eorumdem culpam imminuat, juxta Aquinatis ponderationem *qu.97.art.2. ad 3.* exemplo Gedeonis postulantis *Judic.6.* à Deo signum de victoria repromissa, occurrentis: *Gedeon ex debilitate fidei signum petiisse videtur, & ideò à peccato non excusatur, sicut (ibidem) Glossa dicit. Sicut, & Zacharias peccavit dicens (Lucæ 1.) ad Angelum:* Undè hoc sciam? *& propter hanc incredulitatem punitus fuit.*

23. Ex his itaque aliisque ponderationibus, quæ ex hucusque expensis erui possunt, facilè erit Qualificatoribus propositiones *præsumptuosas*, & *Dei tentativas* dignoscere, *hæresisque* venenum, si in ipsis lateat, aperire; excludere, si non adsit, aut certum ad minùs non fit veram, rigorosamque *Dei tentationem* per eas foveri. Cùm enim aliqua dari queant facta, de quibus diffidant Doctores, an dictam *tentationem* contineant? ea ut probabiliter licita tueri, non potest de *hæresi* notari. De quo extat *cap.* Sæpè contingit *2.q.4.* exemplum Monachorum, quibus modus præscribitur se se à furti reitate expurgandi: *Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipse Abbas præceperit præsentibus fratribus: & sic expleta Missa omnes communicent in hæc verba: Corpus Domini sit mihi ad probationem hodiè.* Dum de eo diffident Theologi, aliquibus dictam probationem publica authoritate habitam, propugnantibus, tamquam licitam, sivè quòd nullibi reperiatur specialiter interdicta, sivè quòd non in aliquam miraculosam ostensionem, sed solùm quasi in testimonium, & juramentum innocentiæ, efficiebatur, ut discurrunt Martinus Del Rio, Suarez apud Thomam Del Bene *de off. S. Inquis. par.2. dub.232. sect.3. n.15.* Aliis verò rejicientibus cum D. Thoma *3.p.q.180. art.6. ad 3.* ubi eadem authoritate, qua ipsum *num.20.* usum vidimus, fretus, ad rem eodem modo discurrit dicens, quòd *in omnibus talibus esse videtur Dei tentatio. Undè sine peccato fieri non possunt, & gravius videretur, si in hoc Sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret judicium mortis: undè nullo modo Corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine, quasi ad examinationem.*

24. Examinandi locus hic est *propositionem* illam, quam qualificandam assumit in *suo Sacro Trib. c.41. de var. gradib. propos. quæs. 48. à num.107.* Bordonus, ab eo prolatam, qui de stupro accusatus, in detestanda hæc prorupit verba: *Io non tengo la Vergine di S. Gioseffo per quella Madre di Dio, che è, se non mi fà palese la verità, che io non hò stuprato quella putta, si come io ne sono à torto incolpato.* Quique propterea à præfato Authore de præsenti affectus ad *hæresim* dicitur, & habendus pro *hæretico*, licèt non *hæretico* formali, sed tantùm conditionato, quia simpliciter *hæresim* non asserit, sed tantùm conditionatè:
„ Eam autem propositionem esse *hæreticam*
„ nemo Catholicus negat, de se patet. Si
„ spectemus modum, quo profertur, est
„ execratoria, quia affectum habet ad *hæ-*
„ *resim*, & quodammodò Virginem audet
„ tentare, dum ab ea petit manifestationem
„ innocentiæ assertæ, & quasi citare in te.
„ stem pro se in facto stupri, à quo se im-
„ munem dicit esse. Hæc autem conditio
„ reputatur impossibilis, cùm ejus eventus
„ non sit in potestate eam Proferentis, sed
„ in voluntate Principis, & ideò impossi-
„ bilis, *arg. l.* Continuus 137. §. Cum quis
„ *ff. de verb. oblig.* consequenter, cùm nun.
„ quàm sit habitura suum effectum patefa-
„ ctionis, sequitur hunc habendum esse

hære-

„ *hereticum*, non solùm secundùm affectum, „ sed etiam secundùm effectum, sed non „ simpliciter, sed cum addito, & conditionatè. Et eò magis pro tali habendus „ est, quia in genere luxuriæ est malæ famæ, & meretricem habet; ideò contra „ ipsum præsumendum est puellam stuprasse, consequenter negare Maternitatem Virginis sub ea conditione, & limitatione. Censeo quoque illum esse vehementer *suspectum de hæresi*, de qua abjurare cogendus est, & puniendus carcere „ sex mensium. „

25. Distinctiùs nihilominùs mihi resolvenda videtur qualificatio propositæ *propositionis*, per quam in primis non dubito affectum ad *hæresim* manifestissimè exprimi, dum Proferens paratum se declarat ad non tenendum Virginem in Dei Matrem, si prætensam suam innocentiam non patefaciat. Affectus autem ad *hæresim* præcisè inspectus, *hæreticum* in rigore non constituit, cùm hujusmodi denominatio ab *hæresi* ortum ducere debeat, quæ non in voluntate, ad quam affectus pertinet, sed in intellectu consummatur ex indicatis *cap.4.art.8. nu.5.* Quin obstent particulæ illæ præsentis temporis: *Io non tengo*, quæ in rigore futuritionem designant ob conditionem, à qua dependent, non existentem, sed extituram. Attento etiam, quòd eas Proferens videatur de præsenti Maternitatem Virginis credere ex subsequentibus particulis, *per quella Madre di Dio, che è*, importantibus Virginem revera Matrem Dei esse. Nisi placeat eas referre ad solam existimationem, in qua Virgo ab omnibus Catholicis fide divina habetur, ut sensus sit: *Io non tengo &c. per quella Madre di Dio, che si stima essere*, vel, quod idem importat, *che è nella mente de Cattolici*.

26. Posito autem, quòd *hæresis* formaliter non importetur, sequitur *propositionem* prædictam nec in toto rigore esse *tentativam Dei* formaliter, & expressè, ex quo non *hæretica* reputanda veniat, sed *hæreticalis* dumtaxat, & catenùs *tentativa Dei* interpretativè, utpotè quę quantumvis non explicet apertam Proferentis dubitationem de Virginis Maternitate, illam tamen sufficienter indicat, dum dependentem facit à conditione contingenti, ipsius fidem de Virginis Maternitate, quædum experimento exponitur fallibili, non potest proindè teneri, ut à Prima Veritate revelante Catholicæ Ecclesiæ manifestata. Quod militat, etiamsi per particulas alias *per quella Madre di Dio, che è*, supponere velimus importari Proferentis animum credendi de præsenti tantum mysterium. Licèt namque per hoc excludatur à propositione formalis *hæresis*, ut *num.præc.* tetigimus, non tamen Proferens purgatur ab *hæresis* præsumptione, qua per præcedentes, vehementer inficitur.

27. Cum qua tamen stat, quòd in re possint compati actualis fides de Maternitate Virginis, & animus illam deserendi sub hac, vel illa futura conditione, dummodò hic referatur non ad fidei recessum, qui in intellectu esse debeat, sed in eum, qui soli fidei confessioni repugnat. Sicut enim stant simul aliquem intùs fidem tenere, & extrinsecùs illam negare, ita & fortiùs cum actuali fide cohæret propositum illam extrinsecùs deserendi. Non verò si propositum se extendat ad internum à fide futurum recessum, ob contradictionem, quam involvit, esse aliquem firmum in fide de Maternitate Virginis, ut credat falsò subesse non posse, & animum habere, quod falsitati subjici ullatenùs queat, si fallibilis non purificetur conditio.

28. Quicquid verò sit de præsumptione stupri, quam infert Bordonus ex Proferentis proclivitate in luxuriam, dubium ad præsentem materiam moveri posset, an stupri reitate supposita, *propositio*, de qua loquimur, habenda esset *tentativa Dei*, vel ex hoc capite, quòd indebitè miraculum per eam postuletur in testimonium falsi, ut tamquam verum credatur? Ad cujus resolutionem faciunt, quæ insinuat Suarez *lib.1. de irrelig. cap.2.* circa distinctionem *tentationis Dei*, quæ dicitur probationis, & de qua hucusque factus est sermo, & de ea, quæ vocatur inductionis, quoties videlicet Deus, vel inducitur, ac provocatur ad iram, & ad malum pœnæ inferendum, quo sensu (*Psal.77.56.*) *& tentaverunt, & exacerbaverunt Deum excelsum, & testimonia ejus non custodierunt*; vel inducitur ad auxilium præstandum directum in aliquod malum perpetrandum, ut ad interficiendum inimicum, ad fœminam seducendam &c. „ in „ his enim, & similibus casibus videtur homo velle Deum ad malum inducere, „ quamvis revera homo non intendat „ Deum inducere ad peccandum, quia si „ Deus faceret id, quod ab ipso postulatur, „ ut ab ipso factum, jam non esset peccatum. Nihilominùs tamen illa actio, „ (quocumque nomine appelletur) injuriosa Deo est, & Religioni contraria. Ejus „ autem malitia adversatur propriè oratioi ex parte materiæ, circa quam debet ora-

„ oratio versari, & ideò non solet vocari
„ tentatio Dei, sed oratio prava. Quò circa
„ cum agimus de tentatione Dei, non agi-
„ mus de tentatione inductionis, sed proba.
„ tionis, seu experimenti.

29. Quo proindè præcisò in casu pro. posito non haberetur rigorosa *Dei tentatio*, sed impropria, ac inductiva ad malum, & quidem intrinsecè tale, ad differentiam aliorum, quæ mox indicavimus ex Suarez notante, ea, ut à Deo promanantia, non esse peccata, quod dici non potest, si Deus miraculum patraret in comprobationem falsi. Undè, si illud à Deo exposcere in ordine ad cetera insinuata non posse non esse lethale animadvertit idem Suarez *to.2.de Relig.lib.1. de Orat.c.23.n.4.* & quidem etiam si id, quod postulatur, sit veniale; id fortiùs asseri debere relatè ad falsi testificationem, quantumvis hoc aliàs leve supponi valeat, ex iis, quæ tetigimus *c.6.art.10. à n.4.* lucidiùs constare poterit. Sicuti ex traditis *eod. c.art.5.& seqq.* facile erit colligere, quid dicendum veniat quoàd pravitatem execrationis, seu *execrativa blasphemiæ*, quam in usque adhuc discussa *propositione* notatam *num.24.* conspeximus à Bordono.

30. Ex quibus, ni fallor, erui pariter potest responsio ad ea, quæ habet laudatus Suarez *lib.1. de irrel. cap.2. de tentat. Dei form. & expressa* præsertim *num.14.* probans dari posse veram, & expressam *Dei tentationem* absque ulla prævia dubitatione de divinis Perfectionibus, quoties videlicet ea committatur ad explorandam ejus voluntatem, vel determinationem de aliquo futuro eventu. Quod facere, quamvis licitum, & honestum esse possit, si fiat ex bono aliquo fine, & cum debita animi submissione, ac ad ipsius arbitrium subordinatione, quæ maximè pollebant tres illi Pueri *Dan.2.17.* quando ita sperantes miraculosam Dei protectionem, ut parati essent ad credendum, etiam in hypothesi quòd illam non impetrarent, Nabucdonosor Regi constantissimè responderunt; *Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis ò Rex liberare; quòd si noluerit, notum sit tibi ò Rex, quia Deos tuos non colimus*; nihilominùs irreligiosum est, & illicitum, quoties indebitè, ac irrationabiliter per eam divina voluntas exploretur contra reverentiam Deo debitam, & quidem lethale „ quia illa est notabilis irreverentia
„ Dei, quia non solùm vult, qui sic petit,
„ ut Deus foveat, & cooperetur ad vanam
„ curiositatem, sed etiam vult, ut Deus sua
„ Potentia aliquod mirabile, & extraordi-
„ narium operetur solùm ad illum malum
„ finem, quod est valdè alienum à Sapien-
„ tia, & Prudentia Dei: petit ergo à Deo
„ aliquam rem, quæ non decet illius Ma-
„ jestatem, vultque habere Deum, tam-
„ quàm Magistrum rerum ipsi inutilium,
„ idque per ostensionem Potentiæ suæ,
„ quod indecentissimum est. Ideòque hoc
„ peccatum multùm derogat Religioni er-
„ ga Deum, sivè vocetur propria *tentatio*
„ *Dei*, sivè alia gravis irreligiositas, quod
„ pertinet ad quæstionem de nomine. Non
„ video tamen, cur non sit propria *tentatio*,
„ cùm sit exploratio quædam Divinæ Vo-
„ luntatis expressè intenta per tale me-
„ dium. Neque oportet, quòd omnis *ten-*
„ *tatio* sit ex dubitatione de Perfectione
„ Divina, quamvis illa sit gravissima, &
„ pessima inter omnes *tentationes Dei*. Nam
„ inter homines, qui aliquid petit ab ali-
„ quo, ut exploret ejus amorem, vel pro-
„ positum, propriè dicitur *tentare* illum:
„ non oportet ergo verbum hoc respectu
„ Dei limitare ad explorationem alicujus
„ perfectionis necessariò convenientis Deo.
„ Et sanè cum *Deut.6.& Matt.4.* prohibetur
„ *tentatio Dei*, de hoc modo *tentandi Deum*
„ videtur esse sermo. Quando enim Diabo-
„ lus à Christo petiit: *Mitte Te deorsum*, non
„ videtur petiisse, ut probaret Divinam
„ Potentiam, sed affectum erga ipsum, &
„ ideò adjunxit: *Angelis suis mandavit de*
„ *Te &c.* Et tamen illi Christus respondit:
„ *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Et hæc
„ ipsa prohibitio ostendit gravitatem hujus
„ delicti, est ergo peccatum mortale ex suo
„ genere: immò vix esse potest veniale, nisi
„ fortassè ex ignorantia, & simplicitate
„ non omninò crassa, qua quis id faciat ex
„ quadam inepta specie pietatis.„

31. Non enim aliam *tentationem* in casu posito admittere cogimur, quàm solius inductionis, ut nempè Deus cooperetur ad vanam curiositatem satisfaciendam, ac ad approbandum miraculoso signo malum illum finem, ob quem postulatur; & ratione cujus exploratio illa Divinæ Voluntatis est mala; nam aliàs si ex aliquo utili motivo, debitaque fieret humilitate, ac obsequio, honesta foret censenda. Cùm revera in *tentatione Dei* rigorosa, expressa, ac formalis præcipua pravitatis ratio in ipsa exploratione sit sita, vi cujus dicto, vel facto intendimus experimentum sumere de Divinis Perfectionibus, vel etiam de ejusdem operationibus ad extra, de quibus ad indicata *num.17.* adsit Divina promissio, ac revelatio, ut sæpè dictum est. Nisi quoque dicere pla-

placeat *tentationem* prædictam esse probationis, quatenùs, qui miraculum, signumque extraordinarium poscit à Deo ad finem ab ipsius Sapientia, & Prudentia alienum, id facit, ut sic cognoscat, an Deus possit ex intentione, & proposito concurrere ad rem, quæ non decet ejus Majestatem, nam si certò crederet concursum prædictum, cooperationemque Deo repugnantem, ab istiusmodi precibus omninò abstineret.

32. Nec ad intentum Suarez vim habere videntur Scripturæ textus: Objiciens namque 3.*par.q.41.art.1.* Angelicus, quòd *Christus tentari non conveniebat. Tentare enim est experimentum sumere, quod quidem non fit, nisi de re ignota; sed virtus Christi erat nota, etiam Dæmonibus*, dicitur enim (*Lucæ* 4.41.) quòd non sinebat Dæmones loqui, quia sciebant eum esse Christum. *Ergo videtur, quòd non decuerit Christum tentari*, respondet dicendo, quòd *sicuti Augustinus dicit* (*lib.9.de Civit.Dei c.21.*) *Christus* tantùm innotuit Dæmonibus, quantùm voluit, non per id, quod est vita æterna....... Sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta, *ex quibus quamdam conjecturam habebant Christum esse Filium Dei*; *sed quia rursùs in eo quædam signa humanæ infirmitatis videbant, non pro certo cognoscebant eum esse Filium Dei, & ideò eum tentare voluit. Et hoc signatur* Matt.4. *ubi dicitur, quòd* postquàm esuriit, accessit *Tentator* ad eum: *quia ut Hilarius dicit*: *Tentare* Christum Diabolus non fuisset ausus, nisi in eo per esuriei infirmitatem, quæ sunt hominis, recognosceret, & *hoc etiam patet ex ipso modo tentandi, cùm dixit*: Si filius Dei es, *quod exponens Ambrosius, dicit*: Quid sibi vult talis sermonis exorsus, nisi quia cognoverat Dei Filium esse venturum, sed venisse per infirmitatem corporis non putabat?

33. Sicque pariter intelligendus textus *Deuteronomii*, quem ex Glossa ad *tentationem* interpretativam ab Aquinate extensum retulimus *num.11.* Si semel enim eo usus est Christus ad Dæmonem *tentantem* objurgandum, clarum redditur, quòd, si *tentatio* hæc ex dubitatione processit, eam ex dubitatione orta haberi debeat, & altera, ex qua contra eam sumitur argumentum. Consonatque contextus: *Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis*, designans illud: (*Exodi* 17.7.) *Et vocavit nomen loci illius tentatio propter jurgium Filiorum Israel, & quia tentaverunt Dominum dicentes*: *Est ne Dominus in Nobis, an non*? qua sanè gravior, & perniciosior cogitari non potest dubitatio.

ARTICULUS VII.

De Propositionibus Irreverenti, scil. Miscente Sacra prophanis, ac Sacræ Scripturæ textus fideliter non allegante.

1. De sacra Scriptura non semel in *præcedentibus* egimus, pleraque tradentes, quæ hic repetere tædium pareret, ad quod vitandum, eam, *Regulam* esse supponimus Fidei, inanimem tamen, ac mortuam, & quæ propterea altera *Regula* indigeat, quæ viva sit, & suprema pollens authoritate quoàd ipsius declarationem, interpretationem, ac explicationem, Romano videlicet Pontifice, cui in dictum finem Spiritus Sancti assistentiam ad sæculi consumationem promissam abundè conspeximus, *cap.2.art.10. & seqq. cap.3.art.2. & seqq.*, ac *art.14.&c.* Hujus verò indigentiæ rationem ex difficultate, & obscuritate sacri textus deduximus, nec omnia explicitè continentis, nec ea claritate, quæ singulis communis esse queat, undè fit, quòd *indocti*, & *instabiles homines* in ea contenta *depravent ad suam ipsorum perditionem*, (2.*Petri* 3.10.) propositiones indè efformantes, quæ *irreverentes* inscribuntur, quòd per eas Deo loquenti debitum adimatur obsequium, sivè id proveniat ob *Sacrorum* cum *prophanis mixtionem*, sivè quòd *non fideliter allegatur*, & præsertim si pravis hæreticorum versionibus innitantur: ad *Pontificia instructionis* Clementis VIII. præscriptum, quo expungenda præfiguntur *Verba Sacræ Scripturæ non fideliter prolata, vel è pravis Hæreticorum versionibus deprompta, nisi fortè afferentur ad eosdem Hæreticos impugnandos, & propriis telis jugulandos, & convincendos. Expungi etiam oportet verba Sacræ Scripturæ quæcumque ad prophanum usum impiè accommodantur, tùm quæ ad sensum detorquentur abhorrentem à Catholicorum Patrum, atque Doctorum unanimi sententia*.

2. Quæ postremæ particulæ nimis me terrent, ne Recentiorum opinionem approbem, de qua *art.5.n.9.* sustinentium in Genealogia Christi texenda Matthæum legalē, Lucam verò carnalem seriem explicasse. Etsi enim notam theologicam in eam pronunciare non intendam, quòd sciam *Dialecticum Theogenealogicum de anno* 1646. à Possino evulgatum, insertum dein à Joanne Baptista Cancellotto fœl.rec. Alexandri Papæ VII. Confessario in suo *ad Annales Maria-*

nos

nos apparatu, Romæ *anno* 1661. typis traditum fuisse, dum esset Sac. Pal. Magister Eminentissimus Capisucchus prædictæ interpretationis aliàs acerrimus Impugnator in suis *controversiis theol. selectis, contr.*17. *de Genealog. Christi Salvat.* Non ideò tamen in eam possum ullatenùs propendere, quæ adeò menti Sanctorum Patrum opponitur, ut ipsemet Papebrochius Possini discipulus *in suis resp. ad exhib. error. per Sebastianum à S. Paulo part.*2. *ad art.*25. §.3. *nu.*34. repetens, quod dixerat in *Martio*, & *in appar. ad conat.* scribere non formidaverit ,, illustrationem
,, difficillimæ, & implicatissimæ per tot
,, sæcula quæstionis deberi Joanni Bessono
,, Gallo in Academia Tholosana per annos
,, sex Sacrarum Literarum Professori, qui
,, ipsam inseruit lucubrationibus suis *super*
,, *Canticum Canticorum ad versum* 13. *cap.*1. ,,
Nec aliter locutum Possinum observat Capisucchus §.6. ipsius verba recensens, & inter alia:,, Itaque nihil nos conturbat autho-
,, ritas Patrum, quò minùs omni metu,
,, ac reverentia soluto animo ad examen
,, sententiæ istius accedamus, qua obiter
,, dumtaxat usi sunt, periculo ejus mini-
,, mè suscepto ,, & iterùm. ,, Nulla invidia
,, esse debet à nobis recectum esse, quibus
,, has minutias enucleandas, dignioribus
,, occupati, Viri summi reliquerunt. ,,

3. Duæ autem circumstantiæ istiusmodi à Patribus recessum magis irrationabilem reddunt, antiquitas videlicet indicatæ quæstionis, & verborum proprietas, quibus à Matthæo exprimitur naturalis Christi Domini generationis series. Quòad primam
,, Vetus dubitatio (ait Baronius in *Appar.*
,, *ad Ann.*) ,, & antiqua est ista quæstio, de
,, qua Africanus Theologorum antiquissi-
,, mus, æquè ac disertissimus in *epistola*,
,, quam scripsit ad Aristidem, longam
,, *de Christi Genealogia disputationem* inse-
,, rens, hæc habet in fine: *Uterini*, inquit,
,, *erant Fratres Heli, & Jacob. Heli absque*
,, *prole decedente, Jacob illi semen suscitavit,*
,, *& genuit Joseph, qui natura filius ejus erat,*
,, *lege verò Heli, ita utriusque filius erat Joseph.*
,, Hæc Africanus, cui Hieronymus, ac cæ-
,, teri antiquorum Patrum mira consen-
,, sione adstipulati sunt, quibus & Nos ma-
,, gis tribuimus, quàm Recentioribus qui-
,, busdam, qui Heli eumdem putant esse,
,, ac Joachim ,, Attento præsertim, quòd contra Sacros, Canonicosque Scriptores perpetuò sua scommata pronunciare Hæterodoxi nequaquàm destiterint, quos inter impium Julianum Apostatam objicientem *dissonantiam Evangelistarum, cur Evangelista Matthæus Joseph dixerit filium Jacob, & Lucas eum filium appellarit Heli?* affert laudatus Hieronymus, qui legendus proponitur *in D. oct. infra oct. Nat. B. M. V.* ab Ecclesia, ejus proindè responsionem Africano innixam laudante, ad Objicientis petulantiam retundendam. Ut propterea præfato Societatis Doctori meritò alios majoris nominis, qui camdem Societatem suis scriptis mirificè illustrarunt, opponere duxerit §.6. Capisucchus, & maximè Maldonatum ,, Quisquis
,, ergo tot, tantorumque Authorum non
,, contentus sententia, aliam quærit, vi-
,, deat, ne pejorem inveniat. Nos quidem
,, in ea penitùs conquiescimus,, Gabrielem
,, Vasquez ,, Fundamentum hujus senten-
,, tiæ, quam aliis anteponendam duximus,
,, illud est, quòd, ut supra dicebamus, us-
,, que ad Joannem Annæum sine contro-
,, versia in Ecclesia recepta fuerit, & tot
,, antiqui, & graves Ecclesiæ Patres tàm
,, honorificè de illa loquantur, ut quisque
,, doctus meritò timere debeat, ne, si ea non
,, contentus, aliam quærat, pejorem inve-
,, niat ,, Cardinalem Toletum: ,, Quibus
,, omnibus perpensis existimo à communi
,, sententia recedendum non esse, cùm nulla
,, ratio saltem probabilis nos compellat. ,,

4. Quòad secundam, applicando quæ insinuavimus de sensus literalis præstantia *cap.*3. *art.*1. *à num.*5. ad rem præsentem, invictum eruitur argumentum pro Africani, Patrumque sententia, quòd Matthæus verbo *Genuit*, Lucas verò voce *Fuit*, sit usus. *Differunt*, inquit, idcircò in *cap.*1. *Matt.* Aquinas, diversitatem descriptionis Genealogiæ Christi à Matthæo, & Luca habitam expendens, *quantùm ad modum; quia in enarratione Genealogiæ, Matthæus utitur hoc verbo:* Genuit, *sed Lucas hoc verbo:* Fuit. *Et hoc est, quia Matthæus in tota enarratione sua non ponit, nisi Patres carnales; sed Lucas ponit multos Patres secundùm legem, sivè per adoptionem. Præceptum enim fuit in lege, quòd si aliquis moreretur sine filiis, quòd frater ejus acciperet sponsam ejus, & generaret sibi filios: Undè filii illi non erant ejus, qui generabat, sed per quamdam adoptionem imputabantur priori. Undè Lucas, qui ponit multos filios genitos per adoptionem, non dicit*, Genuit, *sed* Fuit.

5. Absque eo quòd in contrarium obstet Papebrochii, seu Xaramilii pro Papebrochio reflexio ex Augustino *lib.*2. *de cons. Evang. cap.*3. Africani sententiam, non certam, sed probabiliorem dumtaxat vocante, & latino vocabulo aptiorem: *Quem*

probabiliùs intelligimus adoptantis originem tenuisse, quàm eum, qui noluit Joseph genitum dicere ab illo, cujus filium esse narrabat? Commodiùs enim filius ejus dictus est &c. ita tamen ut subjungere non omiserit: *Quamquàm si etiam Lucas genitum diceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus, quàm ab uno Evangelista, gigaentem, ab altero adoptantem Patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurdè quisque dicitur, non carne, sed charitate genuisse, quem filium sibi adoptaverit*, & infra: *Non ergo alienum esset à veritate, etiamsi Lucas ab illo esse Joseph genitum diceret, à quo fuerat adoptatus: etiam sic quippè genuit eum, non ut homo esset, sed ut filius esset*, & iterum: *Sed planè, si hoc verbo etiam Lucas uteretur, omni modo esset ambiguum, quis eorum adoptantem, quis ex propria carne gignentem patrem commemorasset. Quomodò, etsi neuter eorum diceret:* Genuit, *sed & iste eum filium illius, & ille* illius *diceret, nihilominùs esset ambiguum, quis eorum illum, de quo natus, quis illum, à quo adoptatus erat, commemorasset*: inferentium, verbum *Genuit* indifferens esse „ ad significandum, quòd is, qui *genuisse* dicitur, possit non „ esse Pater naturalis, qui dederit ut *homo* „ *esset*, modò acquisierit sibi filium cum ju„re successionis, eòquod ipsa vox *Genuit* „ ambigua sit, & dubia ad significationes „ ejusmodi, quando fundamenta nulla sup„petunt ad unam earum determinandam.„

6. Siquidem habendo præ oculis ejusdem Augustini regulam *cap.3. art.1. num.6.* extensam, docentis sensum literalem præferendum perpetuò esse, quoties per ipsum, & vitentur blasphemiæ, & omnia congruentia fidei prædicentur catholicæ; contra verò ad improprium figuratum, & ænigmaticum recurrendum, quoties per literalem, *nullus exitus datur, ut piè, & dignè, quæ de Deo scripta sunt, intelligantur*, clarissimè conspiciatur, quòd Augustinus relato Angelici argumento nullatenùs sit repugnans. In hypothesi namque, quòd tàm Matthæus, quàm Lucas verbo *Genuit* ex ęquo usi essent, evidens redderetur, ad manifestam vitandam contradictionem, ac ne *litera occidat*, ex insinuatis *cap.2. art.10. nu.11.* & *cap.3. art.1. num.13.* non posse in literali, & propria significatione dictas particulas ab utroque habitas, reputari, & catenùs recurrendum esset ad sensum improprium, quo alter ipsorum esset locutus, sicque verbum illud, ambiguum propemodùm haberi deberet ad sensum proprium, & improprium, literalem, & figuratum; ac ex circumstantiis eruendum esset, quis in proprio, vel improprio illud sumeret? At quia de facto dictæ hypothesi nullus est locus, dum Matthæus *Genuit* usurpavit, Lucas verò *Fuit*, quæ ratio suadet, ut relicta propria significatione, Tò *Genuit* ad impropriam transferatur? *Nunc verò*, concludit idcircò Augustinus, *cùm alter dicat*, Jacob genuit Joseph; *alter* Joseph, qui fuit filius Heli, *etiam ipsâ verborum differentiâ, quod singuli suscepissent, eleganter intimaverunt*. Ex quo itidem sequitur non mirum videri debere, quòd in Africani sententia præferenda, terminos illos *probabiliùs*, & *commodiùs* adhibuerit S.D; dũ sic locutum cum constat comparativè solummodò ad hypothesim prędictam, in qua Tò *Genuit* impropriè esset explicandum. Ultra quod, non nova est in Augustino usurpatio comparativi, pro positivo, ut videre est *lib.3. contra Cresconium cap.73.* ubi referens Apostolum *epist. ad Hæbr. cap.6.* sumentem *meliora* pro *bonis*, subdit: *Quid si & ego dixerim probabiliùs, comparativum pro positivo ponens, non quia vos probabiliter, sed magis, quia improbabiliter, sicut ille meliora, non quia bona, sed magis, quia mala?*

7. Cætera objecta soluta videri possunt apud Eminentissimum Scriptorem desuper laudatum, qui pariter in Amanuensium, & Impressorum incuriam refundendam probat nominum transpositionem, per quam D. Ambrosius cæteris Patribus oppositus reddi videtur, dum *lib.3. in Luc.* scribit. *Illud quoque advertimus, quòd S. Matthæus Jacob, qui fuit Pater Joseph, filium Mathan esse memoraverit, Lucas verò Joseph, cui desponsata erat Maria, filium Heli, Heli autem filium Melchi esse descripserit. Quomodò unius duo Patres, idest Heli, & Jacob? quomodò etiam duo paterni Avi Mathan, & Melchi? sed si requiris, invenies, quòd juxta præscriptum legis veteris, duo fratres diversos filios ex una uxore generaverint. Traditur enim Mathan, qui à Salomone genus duxit, Jacob generasse filium, & uxore superstite decessisse, quam postea Melchi accepit uxorem, à qua generatus est Heli. Rursùs Heli fratre sine liberis decedente copulatus est fratris uxori, & generavit filium Joseph, qui juxta legem filius Jacob dicitur, quoniam semen fratris defuncti frater juxta legis veteris seriem suscitabat. Ita duorum filius dictus est, non ab utroque generatus, sed quia alterius secundùm generationem, alterius secundùm legem factus est filius*, adeòut ubi scribendus fuerat *Heli*, positus sit *Jacob*, & ubi scribendus fuerat *Jacob*, scriptus sit *Heli*; id colligens, tùm ex prioribus Mediolanensis Antistitis particulis, quibus, cùm absolutè dicatur: *Jacob, qui fuit Pater Joseph* indicata

vide-

videtur paternitas carnalis, quæ simpliciter est paternitas, non *sola* legalis, quæ talis per se primò non appellatur: Tùm quòd idem Ambrosius Christum de semine Jechoniæ descendisse supponat, „ & hoc ipsum dicen„ dum est Ambrosium intellexisse de ori„ gine Christi, & Jechonia per viros enu„ meratos in genealogia, & per lineam„ paternam B. Virginis; nam dicit absolu„ tè, & simpliciter Christum descendisse „ ex Jechonia: non potuit autem Christus „ descendere per lineam paternam B. Vir„ ginis ex Jechonia, nisi Jacob fuerit Pater „ naturalis Joseph, qui fuit ex eadem Tri„ bu, & familia cum B. Virgine, nam Je„ chonias ponitur in genealogia descripta „ à Matthæo, in qua Jacob ponitur Pater „ Joseph. „ Ex his satis constat, ea, quæ in „ Ambrosii textu de Jacob legali Patre Jo„ sephi, ac de Heli Patre carnali ejus ha„ bentur, ex Amanuensium, vel impresso„ rum incuria in textum irrepsisse; undè „ relinquitur Ambrosium in omnibus A„ fricani sententiam probare; & sic absolu„ tè pro ea affertur Ambrosius à Vasquez, „ & aliis. „ Sic Capisucchus, ad quem pro reliquis Lectores remittimus. Neque enim hic integram quæstionem pertractandam assumpsimus, sed solùm insinuare intendimus in Recentiorum opinionem, quam Maldonatus in *cap.* 1. *Matt.* tribuit Calvino Hæreticorum Magistro, absurdam vocans, absurdioribus argumentis probatam, minimè bonos habentem Authores, facrisque Literis repugnantem, inclinare nos nequaquàm posse, quòd Sacræ Scripturæ proprietati non congruat, & à communi Patrum interpretatione dissideat, quam tamen sequendam à Tridentinis Patribus enixè præscriptum *cap.* 3. *art.* 17. *num.* 11. & à Clemente VIII. *num.* 1. *hujus art.* confirmatum vidérimus, & ante eos traditum legamus in Synodo Trullana *act. ult. can.* 19. quo mandatur, ne *quis Scripturam aliter interpretetur, quàm quomodò Ecclesiæ Luminaria, & Doctores suis scriptis exposuerunt.*

8. Longè potiori jure notanda esset petulantia, si non utcumque contrariam Patribus, prælibata in hunc finem Patrum Tridentinorum authoritate in nihilo obstante, interpretationem quis duxerit eligendam, sed & quæ apertè sit falsa, Sanctique Spiritus intentioni luculenter contraria, vel saltem ad pravum aliquem sensum contorta, per quod *hæreseos*, vel *suspicionis de hæresi* posse aliquem effici reum, tetigimus *cap.* 6. *art.* 3. *num.* 6. ex D. Hieronymo, & Aquinate, qui etiam conformiter ad Augustini dictum *cap.* 6. *art.* 14. *num.* 12. insertum, 1. *p. q.* 68. *art.* 1. *in corp.* id contingere non posse animadvertit, non incurrendo pariter in *subsannationis fidei* censuram: *Cùm Scriptura divina multipliciter exponi possit*, maximè observandum, *quòd nulli expositioni aliquis ita præcisè inhæreat, quòd si certa ratione constiterit hoc esse falsum, quòd aliquis sensum Scripturæ esse asserere præsumat: ne Scriptura ex hoc verbo ab Infidelibus derideatur, & ne eis, via credendi præcludatur.* Quam veritatem agnitam ab ipsismet infensissimis Fidei hostibus *cap.* 2. *art.* 10. *nu.* 4. & 5. observavimus, arma proindè nobis præbentibus eorum sectas justissimè *deridendi*, & *subsannandi*, utpotè non nisi explicationibus pravis, futilibus, & insanis innixas. Quorum incautè terens vestigia Origenes, eisdem se reddidit obnoxium irrisionibus, quibus passim à Patribus, & Theologis Hæterodoxi impetuntur, ut nobis testatum reliquit *cap.* 23. *monit.* S. Vincentius Lyrinensis memorandis illis verbis: *Origenes tantus, ac talis, dum gratia Dei insolentiùs abutitur, dum ingenio suo nimiùm indulget, sibique satis credit, dum parvipendit antiquam christianæ Religionis simplicitatem, dum se plùs cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones, & Veterum magisteria contemnens quædam Scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit, ut de se quoque Ecclesiæ Dei diceretur:* (*Deuter.* 13. 1.) Si surrexit in medio tui Propheta, & *paulò post:* Non audies, *inquit*, verba Prophetæ illius, & *iterùm*, quia, *inquit*, tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrùm diligatis eum, an non? *Verè non solùm tentatio, sed etiam magna tentatio debitam sibi, atque à se pendentem Ecclesiam admiratione ingenii, scientiæ, eloquentiæ, conversationis, & gratiæ, nihil de se suspicantem, nihil verentem, subitò à veteri Religione in novam prophanitatem sensim, paulatimque traducere.*

9. Adhuc fortiùs hæc militant, si cum absurdo intellectu, circa quem recolenda, quæ *cit. cap.* 2. *art.* 10. *num.* 11. 14. & 15. sunt indicata, & ipsius sacri textus *non fidelis* relatio conjungatur contra divinum præceptum (*Deut. cap.* 4. 2.) *Non addetis, neque diminuetis*, eorumdem Hæreticorum more, quibus frequentissimum perpetuò fuit impiissima sua dogmata ex falsis Scripturæ explicationibus, ex iniquis pariter adulterationibus, ac obtruncationibus comprobare, ad id eos instigante mendacii Patre Diabolo; uti de Marcione observavit *lib. de præsc. c.* 38. Tertullianus: *Marcion exertè, & palàm, machæra, non stylo usus est, quoniam ad materiam suam, ca-* dem

dem scripturarum confecit, & (*lib.4. in Marcionem cap.6.*) *Marcion contraria quaeque sententiae suae erasit, conspirantia cum Creatore, quasi ab Assertoribus ejus intexta, competentia autem sententiae suae reservavit*. Nec minùs effrontem se se ostendit Lutherus, qui referenti cuidam conquestos fuisse Catholicos, quòd celebrem Doctoris Gentium sententiam, qua *Fides sine operibus mortua* affirmatur, abrasa praepositione *sine*, ac contraria nequissimè substituta, immutaverit, legendo *Fides cum operibus mortua est*; reponere non sit veritus: „ non differunt esse catholicum, & esse asinum, Ego Martinus Sanctus Dei Evangelista, sic legi volo.„

10. Sicque pariter se gessisse Angliae Regem, dum probare contendens Romanum Pontificem esse Antichristum mutila Apostoli authoritate 2. *ad Thessal.*2. uti non erubuit, animadvertit Suarez *lib.*5. *de Antichristo cap.*17. Cùm enim Paulus dicat: *Homo peccati filius perditionis, qui adversatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur*, Rex argumentum suum conficere studuit ex solis particulis, *qui extollitur supra omne, quod dicitur Deus*, reliquis neglectis in hunc ferè modum arguens: „ Papa se extollit supra omne, quod dicitur Deus, ergo „ est Antichristus. Antecedens patet, nam „ de Regibus, vel Sacerdotibus, vel de utrisque ait Deus: *Ego dixi Dii estis* (*ps*.82.) At „ Papa se extollit supra omnes Reges, & Episcopos, nam *super utrinsque gladii potestatem se effert*. Ergo extollit se *supra omne, quod dicitur Deus*, ac proindè est Antichristus.„ Heu tamen quanta in hoc discursu vafrities! Se loqui protestatur Apostolus de eo, qui antonomasticè dicendus est *Homo peccati, filius perditionis*, seu *Servus peccati*, ut exponit Hugo Cardinalis, aut *Homo habens plenitudinem omnium peccatorum* ex Cajetano, & Theophilacto dicente: *Hominem peccati illum ipsum vocat, ut qui omne peccatorum genus peracturus sit, & alios ad peccatum supplantaturus*. Quia tamen, nec per calumniam totum hoc Romano ulli Pontifici attribui potuit, de praedictis particulis, Rex prorsùs nihil, obtruncato textu contentus.

11. Quo fine etiam nullam, vel levem mētionem fecit de illis aliis, *qui adversantur*, aut de subsequentibus, *aut quod colitur*, quòd agnoverit priores, neque ipsimet explicationi, quam circa caeteras tradit, congruere; adeò sole clarius est, Pontificem Romanum non adversari Regibus, & Episcopis, quos Rex, Deorum nomine in casu putat intelligendos, sed eorum se spiritualem Patrem, Protectorem, & aequissimum profitetur Moderatorem. Posteriores verò ejusdem explicationis esse omninò eversivas, utpotè, quae satis indicant Hominem illum peccati eminentiam iniquissimè usurpaturum *supra omne, quod dicitur Deus*, idest nedum supra omnes Deos Gentium, ac Idola, dicente Chrysostomo: *Destruet Deos Gentium, jubebitque se pro Deo adorari*, sed supra ipsum verum Deum, Numenque supremum, undè prosequitur Paulus: *itaut in Templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus* & (*cap.*28.) *In Templo Dei sedente, ut sicut Christum adorent illam, qui seducuntur ab illo*. Quae communior est, & receptior Patrum, ac Interpretum expositio, è quibus OEcumenius: *Adversabitur, & extollitur sua superbia, non solùm adversùs Deum universorum, sed etiam adversùs idola. Neque enim ad Idolatriam ducet homines; sed ut ipsum, tanquam Deum adorent, propterea dicitur, quòd efferetur* super omne, quod dicitur Deus, aut *Numen*. Tertullianus (*l.6. de Resur. carnis cap.*24.) *Adversatur, & superextollitur*, supra omne, quod dicitur Deus, *vel Religio*, itaut in Templo sedeat *affirmans Deum se*: & desuper laudatus Chrysostomus *hom.*40. *in Jo.* verba illa: *Si alius venerit in Nomine suo, illum accipietis*, exponens: *Antichristus, neque se missum à Patre, neque ejus voluntate venire dicet, sed omnem potestatem tyrannicè vindicabit; se omnium Deum profitebitur, ut Paulus inquit*, supra omne, quòd dicitur Deus, aut colitur.

12. Jure catenùs, praeter alias observationes, Suarez Regis argumentum in Regem retorquet, „ quia ipse dicit Romanum „ Pontificem esse Idololatram, adorando „ Sanctos, Numina, & Deos, ac subindè „ illis se subjiciendo, & serviendo: At verò „ Antichristus nulli Numini se subjiciet, „ sed supra omne illud extolletur, nec idola, aut simulacra venerabitur, sed eis „ adversabitur, ut Patres, ex verbis Pauli „ colligunt; ergo non loquitur consequenter Rex dicens Papam esse Antichristum. „ Deinde evidentissimum est Papam non „ se facere Deum, nec jubere se adorari, ut „ Deum, nec esse Dei, & Christi adversarium: nam ejus gloriam, verumque cul„ tum tanquam ejus Minister procurat: „ non est igitur Antichristus, neque se ex„ tollit, sicut Antichristus. Item Antichri„ stus, ut ex Chrysostomo referebam, non „ se dicet à Patre, vel Deo missum, sed in „ nomine suo veniet, ut Christus etiam significavit *Jo.*5. Pontifex autem non solùm à Patre missum, sed etiam à Christo

sibi

„ sibi esse potestatem commissam confite-„ tur, & Servum ejus, immò & Servorum „ Dei se profitetur. Quæ igitur est conven-„ tio lucis ad tenebras, Christi ad Belial, „ Vicarii Christi ad Adversarium Christi? „ Undè addo injustissimè attribui Pontifici „ verbum *extollendi se*, eo quòd dignitatem „ suam supra utriusque gladii potestatem „ tueatur. Nam, qui jus suum, & à Deo sibi „ propter bonum Ecclesiæ datum defendit, „ non se *extollit*, (quod verbum, excessum, „ & arrogantiam significat, & in hoc sensu „ sine dubio acceptum est à D. Paulo) sed „ divinam institutionem defendit, & uni-„ versale bonum Ecclesiæ procurat. Pon-„ tifex autem revera est à Christo constitu-„ tus supra utriusque gladii potestatem, er-„ go non se extollit, cùm illum gradum „ honoris Sedi suæ vendicat. „

13. Ad intentum autem, à quo paululùm in Romani Pontificis obsequium discessimus, redeuntes, quæ de Sacræ Scripturę adulteratione sunt hactenùs indicata ad adulterationem SS. Patrum servata proportione sunt extendenda, quorum testimonia ad sacrosancta Fidei mysteria comprobanda, in quanto fuerint pretio apud Tridentinos Patres tetigimus *cap.3.art.7.num.15*. Ideòque non minùs in hæc deturpanda intentos scimus Romanæ Ecclesiæ hostes; è quibus Nestorianos corruptores fuisse *epistolæ ad Epictetum* S. Athanasii, testatur S. Cyrillus *epist.1. ad Successum*. Iconoclastas *scriptorum* S. Epiphanii ostendit alter Epiphanius in *2. Conc. Nic. act.6*. Origenistas *dialogi cum Macrina, Orationis catechetice*, & *libri* de *vita perfecta* Gregorii Nysseni, Germanus Constantinopolitanus apud Photium *cod.233*. idque cæteris Patribus contigisse, apud omnes est in comperto. Depravatoribus verò quibuscumque præferendi in hac vafritie Græci, quibus vitium hoc familiare in Ecclesiasticis Annalibus passim legimus, evidensque pariter testimonium subministrat Constantinopolitanum tertium OEcumenicum Concilium *act.14*. ubi legitur, quòd *Georgius Diaconus produxit duos codices continentes acta sancti, & universalis quinti Concilii, & tomum septimæ actionis ejusdem Concilii, & jussu Concilii tangens præposita Sacro-Sancta Evangelia, dixit: Per istas Sanctas virtutes, & Deum, qui locutus est per eas, cum veritate hi duo libri membranacei sunt libri sancti quinti Concilii, & volumen septimæ actionis ejusdem Concilii, juxta quod jam excusi sunt, ita etiam nunc manifestati sunt, & pridem in Bibliotheca inventi, atque suscepti, & neque additum est quicquam à me, nec subtractum per me, neque cum conscientia mea à quoquam omnium*. Et nihilominùs *Surgentes Episcopi Concilii, & conferentes cum exemplaribus authenticis, invenerunt ab hæreticis adjectos esse tres quaterniones in primo libro quinti Concilii, & in secundo libro circa septimam actionem mutatum quidem fuisse quintumdecimum quaternionem, & adjectum esse quadrifolium non subscriptum ante decimumsextum quaternionem. Quocirca acclamatum est à Concilio. Anathema libello, qui dicitur Mennæ ad Vigilium. Anathema libellis, qui dicuntur facti fuisse à Vigilio ad Justinianum, & Theodorum divæ memoriæ. Anathema simul, qui falsaverunt acta sancti, & universalis quinti Concilii. Introduxerunt Græci sub nominibus Vigilii Papæ, similiter, & Mennæ. hos libellos continentes unam voluntatem, & unam operationem in Christo, cùm tamen nullos tales scripsisset Vigilius, nec Menna, & hac de causa acclamatum est à Concilio, & anathematizati sunt libelli*. Ex qua proindè in falsificationem proclivitate Gręcorum Joannes Patricius in Urbano de Propaganda Fide Collegio olim Theologiæ Polemicæ strenuus professor in *epistola*, quam scripsit amicissimo meo Concivi, præsentisque *Scrutinii* Censori, qui eam in *Synopsi Orient. Concil.* à se edita, ad publicam utilitatem duxit inserere *part. post. ad Conc. Constantinop. tertium à pag. 161*. non ignobilem inter alias conjecturam deduxit depravationis *actorum* prędicti Constantinopolitani Concilii per eos habita, nomen Honorii Papæ addendo quoties mentio fiebat de Patriarcharum Constantinopolitanorũ *hęresi monothelitica*, eorumque damnatione. Quanta tamen nequitia apud laudatos Authores probatum videri poterit.

14. Absit autem, ut hujusmodi depravationis vitio se se inquinent, & Catholici, non quòd in ipsis ullatenùs supponi queat animus à puritate fidei declinandi, sed quòd adeò propriæ opinioni quandoque pauci quidam addicti reperiantur, ut quod Hæretici ad deturpanda catholica asserta, aut Romanorum Pontificum indefectibilitatem infringẽdam malitiosè egerunt, imitentur & ipsi, in alicujus sententię, quam propugnant, munimen, vel spurias locutiones Patribus tribuentes, vel depravata eorumdem loca tanquàm genuina citantes; ut contigisse fertur, cùm, in celeberrima illa quęstione de residuo in terris aliquo Christi sanguine, cujus affirmativam partem tuebantur Seraphici Instituti insignes Theologi B. Jacobo de Marchia Duce, aliis reluctantibus, nescio quis, his favens, è Magno Athanasio patrocinium negationis desumpsit *serm. de pass. imag. Sal-*

vat.

*vat.cap.*7.affirmante Sanguinem quemlibet, qui alicubi, tanquàm Christi Sanguis asservatur, esse ex eo, non qui ex ipsius corpore effluxit, sed qui non semel è miraculosis aliquibus Redemptoris imaginibus emanavit. In quo tamen, quicumque is fuerit, dupliciter est deceptus, quòad Authorem videlicet *præfati libri*, quem alteri à Magno Athanasio adscribendum probat Bellarminus *lib. de Script. Eccl. in Athanasio*, & Baronius in *notis* ad *Martyr.Rom.die* 9. *Novemb.*, & *ad ann.*787.ubi *sermonem* indicatum relaturus ab apocryphis desæcatum ex pura Anastasii versione, præmonere non negligit: „ historiam de imagine Crucifixi Beryti in vulgata Syriana editione habere „ admixta quædam apocrypha de imagine „ Christi facta à Nicodemo, & alia, quæ „ integram ipsam narrationem suspectam „ faciunt „ post genuinam verò relationem, absque ulla particula, quæ leviter tangat prætensam assertionem, subdit: „ Hactenùs historia de imagine Crucifixi „ Beryti ex Anastasii versione: at verò, „ quæ plura his inveniuntur in vulgata decurtes, utpotè addita ab eo, qui exscripsit admiscens veris apocrypha. „ Unde ad *ann.*804. mentionem faciens de Christi Sanguine, qui Mantuæ adoratur, concludit: „ Cæterùm, quòad Sanguinem Christi pertinet, re multùm examinata, inventus est, „ & comprobatus ille fuisse qui ex Christi „ Corpore fluxit tempore Passionis ejus, „ non autem ille, qui Beryti, (ut vidimus) „ ex Sacra Crucifixi imagine fluxerat, de „ qua veritate extare dicuntur sacra diplomata Romanorum Pontificum, ut de „ his non sit ampliùs dubitandum, sed ego „ non vidi.

15. Non mirum verò, quòd reperiri potuerit, qui adulterata Scriptoris *sermonis* illius authoritate, B. Jacobi, suique Ordinis Theologorum sententiam impugnaverit, veluti doctrinæ Magni Athanasii repugnantem, si semel attentè inspiciatur, quòd plurimùm, incluti Catholicæ fidei Defensoris judicium conduxisset ad comprobandas censuras in eam sententiam non sine aperta *præsumptione* latas, quibus in *fide non tuta*, immò & *hæretica* ab aliquibus inscribebatur. In quem finem etiam non defuit, qui Romanæ Cathedræ definitionem promereret per Clementem VI. habitam. Quàm tamen hæc, & similia futiliter evulgarentur, declaravit Pius II. nedùm in duobus *Brevibus* B. Jacobo directis, & à Wadingo relatis, in quorum *primo de anno* 1463.*sub die* 22.*Martii* hæc habentur: *Nos volentes propterea integritati fidei, & vitæ tuæ consulere, qui ab ineunte ætate ad hunc usque senectutis diem laudabiliter, & fructuosè populo Christiano, & verbo, & exemplo profuisti, ac quotidiè prodesse non desinis, ac fidelium de te opinionem illæsam conservare cupientes, tenore præsentium declaramus, te, licèt consultius esset ea de re non prædicare, absque tamen alicujus infamiæ nota, & hæresis, vel periculo, vel suspicione, opinionem illam secundùm Ordinis tui Doctores prædicare, & asserere potuisse, cùm nec antea, nec usque in præsentem diem à Nobis, aut à Sede Apostolica dicatur aliter diffinitum, declarantes non rectè te à prædictis hominibus accusatum fuisse. Idcircò volumus, & ita tibi injungimus, ut in omnibus illis locis, in quibus hujusmodi inter vos altercatio fuit, has nostras literas per Prædicatores tui Ordinis publicè in ambone semel tantùm in quolibet prædictorum locorum legi, & coram populo publicari facias. Postmodùm verò nullum ampliùs de hac re verbum fieri volumus, quousque quid in ea retinendum sit per Nos, & Sedem prædictam fuerit determinatum.* In secundo *sub die* 28.*Aprilis* 1464. ipsum consolatur ab anxietate liberando, qua gravabatur, sparsum rumorem *damnationis* Pontificiæ editæ contra ejus opinionem, calumniosum ostendens, indèque ipsum corroborans: *Proindè non turbetur cor tuum, neque formidet, sis animo quieto, nec scandalizetur ex hoc mens tua, nam sinceram charitatem tuam novimus, nec ignotus est nobis zelus tuus. Persevera in fide optima, quam Deus scrutator cordium benè novit, nec te moveant vulgi rumores, aut voces calumniantium. Satis est Deo conscientia tua, potesque contentari, quòd nos paternam de te opinionem concepimus, & conceptam retinemus.*

16. Sed & in *Constitutione incip.* Ineffabilis Summi Providentia *Patris*, quæ est ultima laudati Pont. *tom.*1. *Bullar.pag. mihi* 396. dum utriusque sententiæ Doctoribus, paci consulens silentium imponit, statuendo, quòd *nulli Fratrum prædictorum deinceps liceat de supradicta dubietate disputare, prædicare, vel publicè, aut privatè verbum facere, seu aliis suadere, quòd videlicet hæreticum, vel peccatum sit tenere, vel credere Sanguinem ipsum sacratissimum, ut præmittitur, triduo passionis ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ab ipsa Divinitate quomodolibet fuisse, vel non fuisse divisum, vel separatum, donec super dubietatis hujusmodi decisione, quid tenendum sit, fuerit per Nos, & Sedem Apostolicam, definitum.* Ex quibus omnibus, ac ex aliis præclarissimis, heroicisque virtutum operibus, & admirabilibus miraculorum signis, quæ B. Jacobum in Militante

tante Ecclesia, dum viveret, strenuum effecerunt Divinorum Dogmatum Propugnatorem, celeberrimum Verbi Dei Præconem, invictum *Hæresum* Profligatorem: in Triumphante verò inter eos locarunt, (*Apoc.*7.15.) qui *sunt ante thronum Dei, & serviunt ei, die, ac nocte in Templo ejus*; futurum confidimus, ut quem ex Apostolico indulto *in conspectu Agni stantem* jam colimus, infallibili Sanctissimi Domini Nostri definitionis virtute, Sanctorum Confessorum cœtui veneraturi simus adscriptum.

17. Detestabilis itidem est Sacrarum Literarum abusus, qui fit, vel miscendo, vel applicando Sacra prophanis, aut vice versa. De qua re Tridentini sanctio *cap.*7. *art.*3. *num.* 6. relata est perpetuò habenda præ oculis, ut ex ea dignoscamus, quænam specialis malitia in casibus particularibus reperiatur, & præcipuè *superstitionis*, si Divina Eloquia ad eam adhibeantur, *blasphemiæ* ob injuriam, quæ indè in Deum Sacræ Scripturæ Authorem resultat, ac *hæresis* propter oppositionem revelatis, de qua paulò ante locuti sumus. Sicque facilè reddatur *propositionibus* ejusmodi theologicas adaptare notas, quæ earumdem naturam intimiùs explicent. Ita tamen, ut non quamlibet mixtionem, ac applicationem reputemus censura dignam, sed pravam, quæ Omnipotentis Dei epistolam, qualem in *præcedentibus* ex Augustino Scripturam appellari debere perspeximus, vilificet, & deprimat, sive ad sensus contorquens, qui nullatenùs Spiritui Sancto congruere possunt, sive ita Sacra prophanis permiscens, ut Divina Eloquia in vas fœtidum videantur immissa, quod facere, vel in ipsis corporalibus rebus quilibet maximoperè abhorret: *Nemo enim*, ait collat.14.cap.14. Cassianus, *in vas fœtidum, atque corruptum, unguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretiosi quidquam liquoris infundit. Faciliùs enim quamvis odoratissimum myrum semel horrendis imbuta fœtoribus testa contaminat; quàm ut aliquid ex eo suavitatis, aut gratiæ ipsa concipiat: quia multò citiùs munda corrumpuntur, quàm corrupta mundantur.* Et proindè „ circa hunc gradum (finem articulo impono Antonii Saura verba usurpans *in suo Platonis voto c.*14.*de propos.irreverentibus &c.*) „ expendere oportet, non esse propositiones *irreverentes*, aut *mixtivas sacrorum, & prophanorum*, eas, quæ, vel Scripturas, vel Personas sacras, vel ipsarum gesta applicat, aut conjungit ad Personas, aut gesta prophana cum reverentia; vel personas, aut gesta prophana ad Personas, aut gesta „ sacra. Sic quia reverenter D. Augustinus „ *lib.*22. *contra Faustum* incæstum Loth cum „ filiabus, & Judæ cum Thamar accommodat charitati Dei, & Christi cum Ecclesia, nullam notam, censuramve meretur: & idem præstat S. Gregorius 3.*moral.c.*21. firmans eamdem thesim exemplo Davidis, & Bersabeæ; & S. Hieronymus *epist.*131. docens filias duas Loth, & uxores duas Oseæ utrumque Testamentum adumbrare. Similiter Ecclesia plagas inflictas Prophetæ falso *Zacch.*13. in figura assumit, ut Christi Sacrosanctis vulneribus accommodet: Scholiastes Theoduli, & Canisius Dianam Sanctissimæ Virgini conferunt: & passim similia exempla reperiuntur. Propterea ad irrogandam hanc *censuram*, non sat est, si *Sacra prophanis*, aut *prophana sacris* immisceantur, sed præterea necesse est, ut *irreverenter*, vel *ridiculè*, vel *assentatoriè*, vel *maledicè*, vel *indecenter* id fiat. Aliter enim nihil peccatur, cùm sæpe SS. Patres, & Interpretes, res, & locutiones sacras, per res, & locutiones prophanas Philosophorum, Poëtarum, & Oratorum explanent. „

ARTICULUS VIII.

De Propositionibus Ambigua, mentaliter Restrictiva, & Sacramentorum Simulativa, *seù* Restrictionis, *vel* simulationis Approbativa.

1. Aperta est regula à Clemente VIII. *in instr. ad Trid. calcem appos.* circa propositiones *ambiguas*, immò, & circa verba, expungenda præscribens *verba dubia, & ambigua, quæ Legentium animos à recto, catholicoque sensu ad nefarias opiniones adducere possunt*. Ad cujus pleniorem intelligentiam pertinent, quæ sunt insinuata *cap.*1. *art.*6., *cap.*6. *art.*2.& *cap.*7. *art.*2. ubi ad rationem propositionis *ambiguæ*, seu *æquivocæ*, aut *amphibologicæ* juxta varias nomenclaturas, quibus inscribi solet, necessariò vidimus requisitam sensus duplicitatem, quæ propositioni competat, & quidem non metaphoricè dumtaxat, sed propriè, quamvis theologica nota nequaquàm habendam censuerimus dignam, nisi sensus pravus, vel ex natura ipsius propositionis, vel ex circumstantiis extrinsecis sano fuerit aliquo modo prævalens, aptusque proindè, ut de ea verificetur, quòd *Legentium animos à recto, catholicoque sensu ad nefarias opiniones adducere possit*, reddique propterea in materia creden-

dorum

dorum fide divina, *hæresim sapiens*, aut *suspecta de fide*; in materia verò morum, & agibilium *malè sonans*, aut *piarum aurium offensiva*. Ex quo hic deducendum venit, *ambiguam* propositionem nusquàm fore dicendam illam, quæ unius solummodò sensus in se ipsa capax, ad alium extendatur per aliquam *additionem*, aut *restrictionem*, quæ fiat in Proferentium mente.

2. Hinc tres illæ propositiones meritò proscriptæ ab Innocentio XI. videlicet (26.) *Si quis, vel solus, vel coram aliis, sivè interrogatus, sivè propria sponte, sivè recreationis causa, sivè quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus*. (27.) *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est, ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa*, & (28.) *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum*; quamvis ab earumdem Authoribus in *amphibologicarum* assertionum defensionem propugnarentur, ut ex particulis (27.) eluцet: *Causa utendi his amphibologiis*, reverà nihilominùs non *amphibologiis* favebant, sed dolosis fallaciis, à quibus præscindere non possunt puræ *restrictiones mentales*, quas proindè solas, non verò *amphibologicas* locutiones damnasse in dictis *propositionibus* Apostolicam Sedem, testatus olim est sapientissimus Fundator Siculi in Urbe clarissimi Collegii S. Pauli ad Arenulam Tertii Ordinis Seraphici Patris D. Francisci Professor inclytus, ac Theologorum sui temporis nulli secundus Antonius Cottonus, qui fuit unus ex Deputatis pro earumdem *propositionum* examine, cùm interrogationi: *utrùm in 27. propositione censeantur tantùm damnatæ amphibologiæ, quando fiunt cum juramento?* respondit, *non damnari amphibologias, seu æquivocationes, sed tantùm restrictiones mentales, & has etiã seclusо juramento*; quicquid contra hoc ultimum autumaverint Nonnulli, quos tacito nomine refert Raymundus Lumbier *in observ. theol. circa prop. ab Innoc. XI. damn. observat. 8. num.* 218. copulativè sumentes, particulas (26.) *Non mentitur, nec est perjurus*, eos efficaciter respuens, tùm quòd Tò *Non*, ac *Nec* disjunctionem important, non conjunctionem; tùm quòd perjurium suaptè natura dari neutiquam possit ratione mendacii, nisi mendacium sit, cui veluti fundamento inhæreat juramentum, sicque pariter discurrit Cardenas in *sua Crisi theol. postb. diss.* 19. *cap.* 1. *num.* 13.

3. Contradictionis proindè redarguendi erant Authores prædicti, dum Patronos *amphibologiarum* se se declarantes, non tamen de assertionibus illis loquebantur, quæ ob sensus duplicitatem *amphibologicæ* in vero, ac proprio sensu poterant intitulari; sed de his, quæ unicum sensum exprimentes ad alium trahebantur per ipsas nullo modo importatum virtute solius *mentalis additionis*, aut *restrictionis* eas Proferentium. Undè in (26.) dicitur *intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit*, quodque *extra* mentem nullatenùs indicabatur, & in (28.) *poterit cum restrictione mentali præstare juramentum*, quod utrumque rejecit olim in *Enchir. ad Lauren. cap.* 22. Augustinus: *Propterea verba sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat*. Duplicitas eatenùs in ejusmodi *mentalibus restrictionibus* habetur, non tamen sensus, qui lateat in verbis, sed ea, quæ simplicitati opponitur, *qua scilicet aliquis aliud habet in corde, & aliud ostendit exteriùs*, ut loquitur Angelicus 2. 2. *q.* 109. *art.* 2. *ad.* 4. cohærenter *ad quæst.* 111. *art.* 3. *ad.* 2. subdens: *Ad simplicitatem pertinet directè se præservare à deceptione. Et secundùm hoc, ut supra dictum est, virtus simplicitatis est eadem virtuti veritatis: sed differt sola ratione, quia veritas dicitur secundùm quod signa concordant signatis: Simplicitas autem dicitur secundùm quod non tendit in diversa, ut scilicet aliud intendat interiùs, & aliud prætendat exteriùs*.

4. Undè *restrictiones* ejusmodi mendacia appellare non dubitat *cit.* Lumbier, tales §. 2. *num.* 227. asserens declarari virtute Pontificiæ *damnationis*; & si cum juramento exerceantur, etiam perjuria, deducensque ex ejusdem tenore *num.* 228. in nulla penitùs hypothesi posse licitas reputari, „ Cùm autem „ mendacium ita sit intrinsecè malum, ut „ nulla ex causa possit cohonestari, damnavit etiam causas, quæ assignantur pro „ ejus honestate. Siquidem nec est ulla, „ nec esse potest, sivè sit vitæ, sivè honoris, „ sivè rei familiaris, sivè juris, quod quis „ habet, non propalandi delictum suum, „ aliàs occultum; quod est dicere nullam „ causam sufficere ad eam honestandam „ Nec dissentit Cardenas *cap.* 3. *num.* 31. autumans

mans *demonstrativè* id sequenti evinci ratiocinio: „ Humana loquela, neque totaliter, „ neque partialiter formatur per conceptus *mentales*, sed per voces; nam soli „ Angeli, & Spiritus loquuntur per conceptus; ergo ut propositio vocalis sit vera, non debent attendi conceptus *mentis*, „ sed sola verba, & signa externa. Ergo qui „ occidit Petrum in die Veneris, si dicat „ verbis: *Non occidi Petrum*, & per conceptum *mentalem restrictivum* dicat, in *die* „ *Dominica*, ad veritatem, aut falsitatem „ ejus propositionis, non est attendendus „ conceptus *mentalis restrictionis*, sed sola „ propositio vocalis: sed hæc est evidenter „ mendax: ergo *amphibologia* usurpata per „ *restrictionem mentalem*, est mendacium, „ &, si confirmetur juramento, est perjurium. „

5. Oppositam sententiam nihilominùs ante Pontificiam *damnationem* propugnavit post alios plerosque Suarez *tom.2. de Relig. lib.3. de juram. præceptis, & pecc. eis contrar. cap.*10. eam *num.*4. vocans *practicè securissimam, & in rigore veram*, ea adjecta conditione,„ dummodò non ad libitum quis loquatur, & *restrictionem* concipiat proportionatam verbis, & materiæ, de qua tractatur, vel saltem, quæ, si voce exprimeretur, & cum alia parte orationis conjungeretur, congruum, & verum sensum „ efficeret, ex quo apta, & conveniens responsio resultaret. „ Ac catenùs *num.*10. concludit cavendum, „ ne hinc homines „ sumant nimiam licentiam ita loquendi, „ vel jurandi. Nam id sine dubio esset contra bonos mores, & contra sermonis simplicitatem, ut sic dicam, necessariam ad „ humanam societatem. Addendum igitur est hunc modum loquendi per *amphibologiam*, & præsertim per sermonem „ mutilatum in verbis, & quasi integratum „ ex conceptibus, non esse licitum, nisi ex „ justa causa, & necessitate; &, si aliter fiat, „ culpam committi: &, si addatur juramentum, regulariter esse grave peccatum. „ A' quo immunem quem effici justa interveniente causa paulò ante probarat, quià compositio, & prolatio orationum significantium *mentem*, ex libera Proferentium voluntate dependet, ut proindè possint ex justo saltem motivo illas componere ex terminis diversi ordinis, faciendo propositiones mixtas ex signis sensibilibus, & insensibilibus conceptibus, quæ non habeant plenum sensum in ore, nisi quatenùs sunt menti conjunctæ. Quod quoque ulteriùs explicat exemplo ejus, qui alta voce inchoans aliquam propositionem, submissè dein prosequatur, ut ab altero percipi nequeat. Sic namque nullus negabit propositionem vocalem integrari ex terminis intelligibiliter enunciatis, & ex aliis, qui ab Audiente non percipiuntur. Moraliter autem iidem sequi videntur effectus, sivè aliqua orationis pars submissè pronuncietur, sivè *mente* retineatur. Nec omittit id ipsum Scripturæ exemplis corroborare, duabus videlicet illis Christi responsionibus (*Matt.* 24.36.) *De Die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater*, & (*Joan.*7.8.) *Ego autem non ascendo ad diem festum istum*, de quibus *infra*.

6. Quem discursum, etiam post *damnationem* Pontificiam, sua non carere probabilitate mordicùs sustinere videtur Didacus De la Fuente Hurtado *in sua theol. reform. diss.*15. *per totam*, quam *cap.*8. concludit rationes assignando, ob quas nullam in Apostolicæ Sedis *decretum* incurri inobedientiam putat ab eo, qui licitum adhùc astruit usum *restrictionum mentalium*, quoties necessitas id exposcit, in eo situs: Primò quia Christi Vicarii scopus non fuit opiniones proscribere communi Theologorum consensu post diligens examen licitas habitas, & in praxi securas, qualem hanc, de qua est sermo, fuisse probarat, præsertim *cap.*1. ubi pro ea refert ex Dominicanis Capreolum, Paludanum, Sylvestrum, Sotum, Ludovicum Lopez, Dominicum Baltanas, Joannem Baptistam Conradum, Bartholomæum Medinam, Joannem De la Crux, Vincentium Candidum, Acatium, March. De Velasco, Petrum De Tapia, & Bannez. Ex Ordine Seraphico Angelum De Clavasio, qui pro se adducit D. Bonaventuram, & Scotum, Emmanuelem Rodriquez, Ludovicum de S. Joanne, Laurentium de Portel, Eligium Bassæum, Alphonsum à Castro, & Villalobos. E Jesuitis Suarium, Bresserum, Raynaudum, Toletum, Sanchez, Palaum, Fagundez, Dicastillum, Reginaldum, Serarium, Moyam, Maximilianum Sanderum, Richardum Arsdekinum, Lessium, Filliucium, Valentiam, quibus addere non omittit, & alios promiscuè, Basilium Legionensem, Joannem Henriquez, Sayrum, Bonacinam, Trullench, Leandrum à SS. Sacramento, Antonium Fernandez Moure, Theophilum Alarium Bernabitam, & Thomam Hurtadum. Ut propterea de ea verificari neutiquam possit, quòd sit opinio, vel antiquata, vel noviter adinventa,

venta, cujus naturæ esse *propositiones damnatas* ab Alexandro VII. & Innocentio XI., indè colligitur, quòd in Illius decreti proœmio apertè habeatur: *SS. D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore complures opiniones christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas, iterùm suscitari, partim noviter prodire.* In hujus verò legatur: *salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis à fœl. rec. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens &c.*

7. Secundò, quia eadem opinio gravi fundamento innititur ex sacris literis, & Patrum authoritate desumpto. E quibus inter alios *cap. 2.* Clementem Papam retulerat, qui suadens non debere margaritas projici ante porcos, ideft non manifestari divina mysteria notoriis peccatis involutis subdit: (*c.* In mandatis *dist. 43.*) *Quòd si ingesserit se, & provocaverit nos dicere, quæ cum minùs rectè agentem non oportet audire, prudenter eum debemus eludere. Nam nihil omninò respondere Auditorum causa utile non videtur. Ne sic fortè existiment nos responsionis penuria declinare certamen, & fides eorum lædatur non intelligentium propositum nostrum.* D. Gregorium Papam (*lib. 6. in 1. Reg. cap. 3.*) *Dum nocere Tyranni cupiunt, objicienda sunt eis quædam, quæ credant, ut nocendi aditum non inveniant, sic Tyranni deludendi sunt, ut caveatur culpa mendacii, Quod tunc benè perficitur, cùm illud fit, quod asseritur; sed quod fit, sic dicitur, ut celetur, quia ex parte dicitur, & ex parte reticetur.* Augustinum *tom. 4. lib. quæst. vet. & nov. Test. q. 62. ex novo Test. p. 2.* explicantem Christi locutionem *nu. 5.* insertam: *Dominus ait:* Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit; *Ut ergo nos sollicitos, & vigilantes faceret, interrogatus se dixit nescire diem, & horam futuri judicii, sed ut nobis prodesset, negavit, se scire, quod scit. Ignorantibus ergo nobis, quid prosit nobis, scire omninò volumus, quod si sciremus, oberit nobis: Christus verò Provisor salutis nostræ, ne audiremus, quæ contra nos essent, dixit se nescire:* laudatum denuò Gregorium (*lib. 7. in 1. Reg. cap. 1.*) *Quid est, quòd sciens omnia Filius judicii diem nescit, nisi quia inter cuncta, quæ noverat, diem sciens, nesciebat eum, ut diceret?*

8. Tertiò, quia in hac materia opinio firmans, & negans, quòad praxim vix discrepant, adeò ut incredibile reddatur, quòd altera in praxi *perniciosa* haberi debeat, altera, ut *sana*. Non discrepare autem in praxi firmaverat *cap. 4.* ubi relatis Authoribus sentientibus *restrictiones mentales* nullo modo posse cohonestari, Cajetano, videlicet, Fagnano, Martinez de Prado, Goneto, Pisano, Maldero, Thoma Hurtado, Azorio, Laymano, Coninchio, Fuentes Hurtado, Ripalda, De Lugo, subdit: perspicuum eos legentibus futurum, eorumdem opinionem non differre ab opposita, statim ac observabunt, quòd „ Utraque dicit cum Angelico
„ Doctore, Confessarium determinatè in-
„ terrogatum de his, quæ in confessione
„ novit, posse licitè respondere *Nescio*. U-
„ traque cum ipso affirmat, reum contra
„ juris ordinem respondere coactum, non
„ mentiri, si absolutè dicat, *Non feci*. Utra-
„ que ait, sciscitanti de his, quæ sub secreto
„ sunt nobis commissa, licitè occurri ne-
„ gando, nos habere illorum scientiam;
„ quia (inquit Bannez 2. 2. *q. 60. art. 2. vers. In*
„ *tertia parte*) *jam apud omnes receptum est, ut*
„ *illud dicamus nos nescire, quod secretò novi-*
„ *mus.* Utraque insuper, cùm gravia alia in-
„ commoda spiritualia, aut temporalia,
„ quæ aliter vitari nequeunt, imminent ta-
„ centi omninò, vel palàm declaranti to-
„ tam *mentem* suam, putat ei integrum esse
„ partem dicere, & partem occultare, at-
„ que ita interrogantem eludere.......
„ Utraque præterea approbat praxim oc-
„ cultandi ex causa *restrictiones* verificativas
„ eorum, quæ publicè proferuntur verbis
„ *irrestrictis*, sivè occultatio fiat aliis voci-
„ bus secretò prolatis, sivè nutibus imper-
„ ceptibilibus, sivè alio artificio externo,
„ ....Utraque demùm concedit, *restri-*
„ *ctiones mentales* esse licitas; atque id non
„ posse absolutè denegari absque errore in
„ fide contendit Thomas Hurtado. Cùm
„ verò *purè mentales* rejiciuntur universim,
„ inquirendum est ab Adversariis, quid-
„ nam illo adverbio *purè* significare con-
„ tendant? & quò differant à *purè* occultis?
„ Nam si Ly *purè* eas *mentales restrictiones*
„ denotet, quæ debitis circumstantiis de-
„ stituuntur, & sine illis exercentur, omnes
„ earum praxim damnant. Si verò dumta-
„ xat illas, quæ hic & nunc occultè addun-
„ tur, etsi alioqui idonea causa, & circum-
„ stantiis vestiantur, nemo illorum pra-
„ xim respuit. „

9. Quartò, quia etiam admissa opinione prædicta, manet in suo integro robore Pontificia proscriptio *prop. 26.* Neque enim Christi Vicarii mens esse potuit, damnare *mendacii*, aut *perjurii restrictiones mentales* in singulis casibus in ea recensitis, quorum primus is est, cùm aliquis *solus*, & nullo audiente præter ipsum, secum loquitur.

Quo

Quo posito apertè constat eum, nec dejerare, nec mentiri, nec se exponere periculo decipiendi se ipsum, aut alios, nec officere convictui humano, sed quo voluerit sensu sua verba usurpare posse absque præjudicio veritatis, quæ est pars potentialis justitiæ, & non ad se ipsum, sed ad alterum refertur. Ac idcircò intentum Romani Pontificis fuit universalem dumtaxat *propositionem* profligare, qua affirmabantur licitæ, & à mendacio alienæ locutiones quælibet, etiam juramento firmatæ sub *mentali restrictione*, & quocumque formarentur fine, aut causa. Hoc autem in sua latitudine opinio hæc non admittit; qua stante adhùc *cap.3.* stabilierat illos mentiri, atque in rigore dejerare, qui ex intentione fallendi, aut directa voluntate decipiendi proximum, vel inducendi ad mendacium quavis ex causa abutuntur eo artificio; *cap.4.& seq.* mendacium itidem committi, cùm mediante *restrictione* veritas occultatur, quæ ex præcepto affirmativo fidei, obedientiæ, justitiæ, aut alterius virtutis debebat manifestari, neque unquàm absque falsitate, eaque sufficiente ad perjurium (si juramento roborentur) contingere ejusmodi *restrictiones*, quoties in vanum exercentur sponte, ob solam recreationem, vel ex turpi, aut levi motivo. Quibus in casibus semper habebitur defectus, vel simplicitatis, cum qua voluntas decipiendi non componitur: vel justitiæ, præscribentis, ne occulteter, quod debet manifestari ex præcepto affirmativo alicuius virtutis: vel judicii discretionis, gravem ad earumdem usum necessitatem exigentis. Hactenùs ingeniosus Recentior singula fusiori calamo expendens, ac comprobans.

10. Inhærendo tamen indicatis *n.2.& 3.* certum nobis est *propositiones* proscriptas fuisse, non ob *amphibologicam*, quæ per eas propugnaretur, locutionem, sed per fallacem deceptionem, quæ in eis astruitur licita *amphibologiæ* velamine. Quin satis sit ad *damnationem* sustinendam, ut pro eo dumtaxat casu verum sit, mendacii, & perjurii reos habendos, *restrictionibus* ejusmodi utentes, quo id faciunt ex intentione fallendi, ac directa voluntate decipiendi proximum. Immò hæc exceptio mihi videtur comprobans id ipsum, quod in *propositione* 26. interdicitur, dum illam explicat relatè solùm ad *mentem*, eam Proferentium, & non ut jacet, & in propriis, quibus concipitur, terminis, in quibus nihil prorsùs elucet de expressa intentione, & voluntate fallendi. Attento etiam, quòd inverisimile prorsùs appareat Authores Catholicos eam propugnasse præcisè in dicto sensu, & quatenus Tò *intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit &c.* ex animo expresso decipiendi interrogantes, & audientes, ortum agnoscat. Cùm potiùs *ex prop.27.* videatur exclusa expressa deceptionis intentio, dum asseritur id fieri posse, *ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* Undè cùm in *propositione* 26. dicatur: *non mentitur, nec est perjurus*, esse verum debet contradictorium: *mentitur, & est perjurus*, independenter omninò ab eo, quòd in Proferentibus adsit, vel non, voluntas directa fallendi; ut fateri videtur Hurtadus *cap.6. num.49. & seqq.* dummodò in eis dicta habeatur voluntas indirecta, quæ, ut advertit Cardinalis De Lugo *de virt.fid.div.disp.4.sect.1.num.9.& 10.* abundè extat per hoc, quòd quis velit proferre has, vel illas voces, prævidens in his circumstantiis sequi ex tali prolatione, quòd Audiens decipiatur. Estò si ea voluntas directa sit, & expressa, mendacium in sua linea *perfectius* dici valeat juxta Angelici *2.2.q.110.art.1.in corp.* phrasim: *Quod autem aliquis intendat falsitatem in opinione alterius constituere fallendo ipsum, non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quamdam perfectionem ipsius*; ex qua desumenda est explicatio ejus, quod habet (*quodlib.6. art.17.*) *Peccatum mendacii principaliter consistit in intentione fallendi.* Hacque ratione idem Eminentissimus Author *num.14.* post Lorcam, reum mendacii meritò supponit eum, qui dicta sua profert, cum prævia scientia, quòd ipsis nulla sit fides ab Audientibus adhibenda,, quia in eo casu ille adhùc lo-„ quitur, ergo ordinat mentem suam fal-„ sam ad eos, quos alloquitur, & per con-„ sequens habet aliquam voluntatem, „ quòd ii cognoscant esse suam mentem. „ Ad hoc enim non requiritur voluntas, „ & intentio absoluta finis, nempè notitiæ „ falsæ in aliis generandæ; sed sufficit vo-„ luntas absoluta medii, nempè vocis, ex „ se manifestativæ talis objecti falsi, & vo-„ luntas saltem conditionata finis, nempè „ quòd alii concipiunt eam esse mentem „ loquentis. Quæ voluntas stare potest cum „ desiderio simul, quo optet, ne Auditores „ id credant. Sic enim testis coactus ad te-„ stificandum verum crimen sui Amici, „ illud manifestat Judici, à quo tamen desiderat id non credi.

11. Non adeò itidem clarum, ac certum apparet, quòd quis, cùm solus loquitur, vel coram aliis, sed non cum aliis, mendacii redargui nequeat. Etsi enim non adhæ-

adhæream Loreæ contrarium è diametro propugnanti apud laudatum De Lugo *nu.*11. non tamen dissentio ab ipsomet purpurato Principe, qui accuratiùs ponderans rationem, quam post ipsum promit Hurtadus relatus *num.*9. eam tamen *num.*12. intelligendam monet, quando Proferens voces, cum nemine prorsùs loqui vult absolutè, vel saltem sub conditione, non verò si loqui intenderet, vel cum Deo, vel cum Angelis bonis, aut malis, vel cum Animabus separatis. Vel etiamsi apud se solum loquens intentionem habeat dirigendi eas ad alios sub conditione, si audiant. In utraque enim hypothesi mendacii ratio viget; in illa quidem, quia licèt Deum nequeamus fallere, nec facere, quòd veniat in *mentis* nostræ notitiam aliter, ac est; „ possumus tamen voces aptas ex se ad dandam ei talem notitiam falsam, & hoc ipsum intendere, quantùm est ex parte nostra; atque adeò possumus illi mentiri, dicendo nos habere propositum aliquid faciendi, cùm tale propositum non habeamus. Quia, sicut possumus loqui cum Deo per voces externas veras, licèt non demus ei notitiam *mentis* nostræ per voces, quam ipse aliundè perfectissimè intuetur; sic possumus per voces falsas mentiri Deo, licèt cum effectu non persuadeamus ei notitiam *mentis* nostræ contra id, quod in *mente* habemus, quia conamur saltem, quantùm in nobis est id ei persuadere„. In hac verò, quia, sicut, Sacerdos celebrans coram uno solo, vel etiā recitans officium divinum solus dicit; *Orate Fratres, Dominus vobiscum*, & similia, dirigens illas voces, quantùm est ex se ad plures, si adsint, vel audire possint: Sic aliquis in obscuro loco posset loqui cum aliis, si fortè adsint, quamvis neminem adesse videat, & tunc posset mendacium, & perjurium committere. Sic ergo qui solus profert voces, posset dirigere eas non ad se, sed ad alios sub conditione, si adsint, vel audiant. Ideò dixi requiri voluntatem saltem conditionatam manifestandi *mentem* falsam aliis, ut possit esse mendacium; quare à fortiori eadem intentio conditionata sufficeret tunc ad peccatum perjurii; „

12. Quamquàm, etiam omisso, quòd absolutè, & in nullo casu dari possit mendacium, cùm quis solus loquitur, vel si coram aliis, non tamen cum aliis, adhuc nec admittendum arbitror, quòd *damnatio propositionis* 26. non se extendat ad omnes, & singulos casus in ea comprehensos; quòd videam sic eludi eam posse coarctando e. g. vel ad solum casum *num.* 10. rejectum, vel ad eum, quo quis per *jocum* utitur *mentalibus restrictionibus*, alios quoslibet excludendo. Ac idcircò censeo *damnationem* percutere per se rationem formalem, cur dictæ *restrictiones* à mendacio, ac perjurio excusantur per desuper observatas particulas: *intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit*, insinuantes de Proferente eas, verificari, quòd *revera non mentitur, nec est perjurus* præcisè, quia interiùs locutionem trahit ad id, quod non fecit, vel ad modum, quo non fecit. Quod in omni, & quolibet casu falsum est, & perniciosum, nec ullo modo potens cohonestari, ea solummodò inspectione attenta. Per accidens propterea se habet *in* ordine ad *damnationem*, quòd in aliquo ex casibus in *propositione* contentis possit habere, vel non habere locum mendacium; non enim in hoc est situm *damnationis* motivum; sed in eo, quòd mendacium, illud non sit ex solo *mentalis restrictionis* capite. Patet autem simul componi posse hæc duo, verum nempè esse, quòd *solus loquens*, non possit mentiri, quia veracitas est pars potestativa justitiæ, atque ideò semper est ad alium: falsumque, & perniciosum, quòd *solus loquens* non mentiatur præcisè ex eo, quòd loquatur *intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit*, & eatenùs quamvis primum admittendum reputetur, ut verum; adhuc posteriùs esse *damnationi* subjectum. Ad cum planè modum, quo propositio sequens: *licitum est die Veneris carnes comedere, quia præcepta Ecclesiæ obligant ad pœnam, non ad culpam*, procul dubio censura habebitur digna, quòad singulas sui partes, ac proindè etiam respectu infirmorum, non quòd his non sit licitum carnes die Veneris comedere, sed quòd falsa sit causalis, ob quam supponitur dicta comestio ipsis licita, & consequenter utrumque verum erit, videlicet, & quòd *infirmis absolutè licitum sit carnes comedere*, & quòd perniciosum, & absurdum sit afferere id ipsis licitum, *quia præcepta Ecclesiæ obligant ad pœnam, non verò ad culpam*, cui causali infulsè prorsùs olim innitebantur Authores *propositionum* meritissimè idcircò à Sancta Sede prohibitarum, nempè 23. ex damnatis ab Alexandro VII. *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto*, & 52. ex proscriptis ab Innocentio XI. *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus*. Qui-

13. Quibus nihilominus non obstantibus adhuc absque Pontificiæ *damnationis* præjudicio admittere non renuo possibilem casum, quo *restrictio* aliqua *mentalis* licita esse valet, dummodò *purè mentalis* habenda non veniat, ita suadentibus extrinsecis circumstantiis. Sicuti namque, si quis coram aliis loquens protestationem præmittat, quòd suis verbis fides non adhibeatur, quæ proferre intendit solummodò materialiter, & non ad explicandos conceptus, quos in *mente* retineat, non est redarguendus mendacii, sed levitatis solummodò, si quod scit esse falsum, proferat, tanquam verum, quia nec contra mentem loquitur, nec ut ab Auditoribus ipsi fides detur, sed materialiter verba illa pronunciat. Sic si quis ita *mentaliter* perstringat propositionem externè prolatam, ut ex circumstantiis extrinsecis jus in ipso appareat utendi *restrictione mentali*, non erit mendacii redarguendus, & in hoc sensu locum habere dicimus discursum Suarez, quem dedimus *num.5.*, in suo tamen robore perseverante ratiocinio Cardenas, de quo *num.4.* quòad *restrictiones purè mentales*, idest nullatenùs extrinsecùs innotescentes, nec quidem viris doctis, & prudentibus, ac omnia intimè considerantibus, & medullitùs penetrantibus. Ulterior verò disparitatis ratio in eo sistit, quòd, cùm mendacium definitur *falsa vocis significatio*, nomine *vocis* venit omne signum exterius aptum ad manifestandos aliis internos conceptus, ut ex Augustino *lib.2. de doctr. Chr. c.3. circa medium* firmat 2.2. q.110. art.1. ad 2. Angelicus: *Sicut Augustinus dicit*: Voces præcipuum locum tenent inter alia signa. *Et ideò cùm dicitur, quòd mendacium est* falsa vocis significatio, *nomine vocis intelligitur omne signum. Undè ille, qui aliquod falsum nutibus significare intenderet, non esset à mendacio immunis.* Eodem autem motivo, quo quodlibet exterius signum potest Loquentem reum constituere mendacii, potest & à mendacio liberare. Ac idcircò, si, cùm quis profert aliqua verba, quæ absolutè falsum exprimere videantur, ea, vel cum aliquo conjungat exteriori signo, per quod inferri queat, prolata fuisse dependenter à *restrictione*, quam Proferens *mente* concipit, vel in circumstantiis pronunciet, id ipsum indicantibus, mendax neutiquàm est inferibendus, nec *restrictio* habenda *purè mentalis*.

14. Ex quo facilè erit eruere, quo sensu admitti debeat utriusque opinionis conciliatio, ex Hurtado exscripta *num.8.* Solaque difficultas habebitur in discernendis hujusmodi exterioribus signis, quæ sufficientia sint ad fundandum veluti jus in Proferente, ut locutionem *mentaliter* coarctet. Ad quod præcipuè duo præ reliquis concurrere debent, videlicet, & quòd necessitas sit respondendi, exclusis prorsùs *restrictionibus mentalibus*, quæ voluntariæ sunt, ac spontaneæ nullo ad eas inducente, jocularibus, & otiosis. Et quòd nulla adsit via commodior, & aptior eludendi interrogationes propositas absque *mentali restrictione*, ut meritò etiam ex hoc capite censenda sit prohibita *propositio 27.* causam *necessitatis*, & *utilitatis* disjunctivè assignans, & quidem ad *quemlibet virtutis actum exercendum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa*. Quod rectè Hurtadus *diss.16.cap.1. num.16.* apertè absonum vocat, & noxium vitæ sociali, dum frequentissimam reddit *restrictionum purè mentalium* praxim, sicut frequentissimæ adsunt occasiones, in quibus utiles haberi possunt ad aliquem finem ex recensitis in dicta *propositione*, sivè parui illud sit, sivè magni momenti, de quo in *propositione* nulla distinctio. Nec non & 28. in qua præcisè, *quia non tenetur quis fateri crimen occultum*, licitum asseritur juramentum juridicum, quod exigi solet de mandato Regis ab eo, *qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est*: Quicquid enim sit de obligatione Rei quòad veritatem manifestandam, quoties interrogatur à Judice ad punitionem, illam adesse plerique Theologis affirmantibus cum Angelico, D. Antonino, Gabriele, Aragon, Corduba, Armilla, Navarro, Valentia, Toleto, quibusdam verò negantibus concurrente saltèm periculo sententiæ capitalis, vel alterius pœnæ parùm à morte distantis, nulloque vigente bono publico, cui reus in casu postponere omninò debeat propriam vitam, & indemnitatem, quos sequitur Cardinalis De Lugo *tom.2. de just. disp.40. sect.1. num.14.* & post *damnatas* ab Innocentio *propositiones* Cardenas *dissert. 19. cap.7. suæ Crisis super dictis prop.* Justa, ac sufficiens causa ad veritatem occultandam potissimùm per *mentales restrictiones* censeri non potest ea, de qua in *propositione* fit sermo, & maximè dum sub juramento ejusdem confessio exigi supponitur, ad quod aliàs non eò ipso, quòd motivum habetur sufficiens, ut à mendacio quis utens *mentalibus restrictionibus* immunis evadat, idoneum illud reputatur, ut quis licitè *restrictiones* prædictas juramento confirmet.

Siqui-

15. Siquidem non ad punitionem, ut innuimus, dicta exigentia juramenti dirigitur, sed ad publicum bonum, & ad cavendam injustitiam Reipublicæ summè noxiam, quæ in Magistratuum, & aliorum Officialium promotionibus frequentissimè irreperet, si semel impunè fierent *mediante commendatione, vel munere*. Quod, bono privato, famæque ejus, qui promovetur, adeò præponderat, ut nedùm *mentalis restrictio* illicita sit reputanda, sed & qualibet *æquivocatio* etiam per verba, quæ duplicem contineant sensum: ad quam, etsi non æquè expressa extendatur Pontificia *damnatio*, virtualiter nihilominùs de ea militat, nedùm ob rationis paritatem, sed etiam per verba illa: *non habito respectu ad intentionem exigentis*, & per paulò antè indicatam causalem, *quia non tenetur fateri crimen occultum*, ex quibus nedùm sequitur illicitam haberi debere *restrictionem mentalem*, sed & quamlibet aliam *æquivocationem*, quæ, & intentioni interrogantis non respondet, & criminis manifestationem impedit, ad quam Reus obstrictus supponitur, ut pluribus subtiliter firmat Didacus Hurtadus *diss.17. per plura cap.*, triplex *nu.28.* animadvertens patrari crimen ab eo, qui ad tenorem *damnatæ propositionis* se gerit, quorum „ primum est contra obedientiam „ Principis jure suo præcipientis planam, & „ minimè *ambiguam* criminis declaratione, „ si fortè fuerit commissum. Secundum „ perjurii promissorii, quia subditus sub ju- „ ramento promisit externam confessionē „ veritatis, qualem exigebat Princeps, & „ hanc non exhibet, sed aliam subdolam, „ qua ille decipiatur, putetque non fuisse „ admissum crimen, quod revera est perpetratum. Tertium perjurii assertorii, quia „ *restrictio* occultè adhibita non liberat à „ peccato, nec tollit crimen perjurii, cùm „ est merè voluntaria, ut in præsenti contingit: nulla siquidem necessitas, aut idonea causa subest occultandi veritatem, „ cùm Subditus jus suum non persequatur, „ sed juri alieno repugnet„ Ac catenùs non adherendum, mea sententia, Cardenas, stabilire ex Lumbier conanti *diss. 19. cap.8.* quòd *propositio* 28. proscripta dumtaxat sit ob *restrictionem mentalem*, nihilque ex ea deduci posse, neque de jurisdictione Principis interrogandi de crimine occulto, neque de obligatione ad Officium, Munusque Promoti, veritatem, de qua legitimè, & juridicè interrogatur, manifestandi.

16. Difficillimum verò absque dubio est universalem regulam tradere, per quam discernere in quibuslibet casibus particularibus, qui occurrere possunt, valeamus, quandonam sit licitus recursus ad *restrictiones mentales*, quæ proindè non *puræ* habeantur, remittendumque id appareat ad Prudentum arbitrium, cùm præsertim ratissimè contingere queat stricta alicujus veritatis occultandæ obligatio, quæ servari nequeat aliquo alio medio magis idoneo. Ut colligi potest ex ipsismet exemplis, & authoritatibus, quæ pro *mentalibus restrictionibus* adduci solent, cùm revera tales non sint reputandæ, si intimiùs inspiciantur. Clemens namque, & Gregorius *num.7.* relati de *restrictione mentali* non adeò clarè loquuntur, dum ille ad *prudentem elusionem* dumtaxat hortetur, quæ aliis modis exerceri potest. Hic *occultationem* comprobet, per quam aliquod *ex parte dicitur, & ex parte reticetur*, exemplo utens Samuelis, qui à Deo missus ad ungendum David in Regem, timensque, ne, si id sciret Saul, ipsum interficeret, armento accepto ad Sacrificium peragendum Senioribus civitatis occurrentibus, ex divino consilio dixit: *ad immolandum Domino veni*, silentio obducto fine altero, ad quem erat destinatus, quin ulla fuerit tunc *mentalis restrictio*. Integra tamen Gregorii verba demus, ut quod afferimus, reddatur clarius, & lucidius: *Quid his verbis* (videlicet: *Et ait Samuel, quomodò vadam? Audiet enim Saul, & interficiet me; & ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: ad immolandum Domino veni*) *ostenditur, nisi quia Tyrannorum versutia, atque sævitia quandoque est pia fraude deludenda? præcepto namque Domini de armento vitulus tollitur, immolatio simulatur: quia dum nocere Tyranni cupiunt, objicienda sunt eis quædam, quæ credant, ut nocendi aditum non inveniant. Sic Tyranni deludendi sunt, ut caveatur culpa mendacii: Quod tunc benè perficitur, cum illud fit, quod asseritur, sed quod fit, sic dicitur, ut celetur: quia ex parte dicitur, & ex parte reticetur. Propheta namque Samueli præcipitur, ut ad ungendum Regem vadat, & se immolaturum Domino, non Regem uncturum asserat: ut immolans verum dicat, & unctionem celans, Tyranni sævitiam vera dicens, deludat.*

17. Responsio autem Christi *Jo.7.8.* de qua *num.5.* olim impudentissimè à Porphyrio objecta, ut probaret ipsum mentitum fuisse teste Hieronymo *cap.2. contra Pelag.* multas expositiones patitur, quas indicat in *dictum locum* Maldonatus, quæque, ut notat Cardenas *cit.diss.19.cap.5.n.57.* omnes procedunt sine eo, quòd necesse sit confugere ad *restrictionem mentalem*: Sed ante eas omit-

omittenda non est subtilis Subtilium Principis Commentatoris Lycheti animadversio *in 3. Sent. dist. 38. qu. unic. num. 86. & seq.* plerisque aliis Scripturæ locis applicanda, quòd scilicet, quamvis de facto in sacro *Textu* minimè indicetur manifestatam Discipulis externè fuisse *restrictionem* reddentem Christi locutionem omninò veram; verisimile nihilominùs est externè illam significatam fuisse sivè verbis, sivè particulari aliquo loquendi modo ad verum sensum aperiendum divinæ responsionis idoneo, esto obscurus ille fuerit, & tunc temporis ab eis minimè perceptus. Nam quòd Sacra Scri-
» ptura id non significet, nihil facit ad rem,
» Scriptura enim, ut manifestum est, mul-
» tas circumstantias actionum, & locutio-
» num Christi subticet, & quidem aliquas
» etiam, quæ valdè conducerent ad facilio-
» rem intellectionem rerum, de quibus
» agit, cujus rei infinita ferè exempla osten-
» di facilè possunt, & sunt obvia. Undè ex
» hoc oritur partim obscuritas Scripturæ,
» cujus multi passus satis obscuri, essent fa-
» ciles, si adderentur aliquæ circumstan-
» tiæ, quæ revera concomitabantur actio-
» nem, aut sermonem, de quibus fit men-
» tio in illis passibus.» Ex variis autem sacri *Textus* interpretationibus laudatus Cardenas seligendam ducit eam, quam tradit *qu. 78. novi, & vet. Test.* Augustinus; *Quid videtur contrarium, quando non tunc ascendit, quando negavit, sed ascendit postea? Et ascendit non quasi ad diem festum, sed quasi ad perfruendas delicias diei festi. Certum est ergo, quia non ascendit ad diem festum Salvator. Is autem illi fuit dies festus, quo passione sua redemit mundum ..... Hic dies festus ejus, in quo vicit mortem.* Duo sic indicans, alterum scilicet, optimè ad invicem componi Tò *non ascendo* importans tempus præsens, cum descensu, qui contigit tempore subsequenti: alterum, quòd Christus responderit cum mysterio, dicens se non ascendere *ad diem festum istum*, quia non erat cum lætitia celebraturus, nisi illum diem festum, quo erat redempturus genus humanum.

18. In quo potissimùm est ponderandum, Christum ad *mentem* interrogantium sibi plenissimè notam responsum accommodasse, cumque hi ascensum exposcerent, ut Christus festi illius occasione miracula ederet, ex quibus fortè dein aliquid ad se rediret gloriæ; negavit Æterni Sapientia Patris, se hoc fine ascensurum, in ordine, ad quem solus dies suæ passionis, *dies festus* inscribi debebat. Quo etiam modo Ambrosius *lib. 2. de fid. c. 4.* verba illa: *Mea doctrina non est mea*, directa fuisse ait ad intentionem Judæorum de ipsius scientia quærentium, quæ ab hominibus ortum duxisset: *Judæi cùm doctrinam ejus secundùm hominem quærerent, & dicerent: Quomodò hic literas scit, cùm non didicerit? Respondit Jesus:* Mea doctrina non est mea. *Nam cùm sine eruditione literarum doceat, non quasi homo, sed ut Deus videtur docere, qui doctrinam non didicerit, sed invenerit.* Responsionem autem, quæ fit ad interrogantis *mentem*, licitam esse, & in praxi tutam, nullus ambigit; sivè hæc expressè indicetur, ut in casu, qui leg. Si sine interrogatione §. Qui interrogatus *ff. de interrog. in jure faciend.* proponitur, dum firmatur, quòd *qui interrogatus, an sit hæres? se hæredem esse respondet, nec adjicit ex qua parte, ex asse respondisse dicitur. At verò si interrogatur, an ex dimidia parte hæres sit, & responderit: Hæres sum, ad interrogatum respondisse putatur;* Sivè contineatur implicitè, dummodò Respondenti sufficienter innotescat: Uti esset, si Pœnitens interrogatus indefinitè à Confessario, an pejeraverit? responderet, non pejerasse; quia etsi tempore præterito dictum crimen patraverit; ad *mentem* tamen Confessarii, jus interrogandi non habentis, nisi de his, quæ post ultimam confessionem commisit, & de quo præsumi non debet, quòd illegitimè interrogando se gerat, optima redditur absoluta negatio: Dummodò interrogatio Confessarii tempus præteritum non respiciat aliquo alio titulo cum administratione Sacramenti Pœnitentiæ connexionem habente, quatenùs videlicet, dicta notitia conducat ad Pœnitentis statum dignoscendum, ac debita ei præbenda remedia, ob quæ, similiaque motiva legitimam fore interrogationem Confessarii, etiam quoad peccata aliàs ritè confessa, clarum fit ex *propositionis* 58. inter damnatas ab Innocentio XI. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*, proscriptione, *capiti* Omnis utriusque *sexus* innixa, quo præcipitur, ut Sacerdos sit *diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligit, quale debeat ei præferre consilium, & ejusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendum ad salvandum ægrotum.*

19. Non minùs intentos fe se ostenderunt Patres in propugnanda altera Christi responsione de ignorantia diei universalis judicii contra Arianos, Eunomianos, & Agnoëtas ea abutentes adversùs Christi Divinitatem, scientiæque plenitudinem, qua polle-

pollebat, quin pariter ad *mentalem restrictionem* confugerint. Sine qua optimè intelliguntur Gregorius, & Augustinus *num.7.* relati, si attendatur ponderatio, quam *3.p. q.10. art.2. ad* 1. ad intentum facit Aquinas dicendo, quòd *illud verbum intellexerunt Arius, & Eunomius, non quantùm ad scientiam animæ, quam in Christo non ponebant (ut supra dictum est) sed quantùm ad divinam cognitionem Filii, quem ponebant esse minorem Patre quantùm ad scientiam; sed illud stare non potest, quia per Verbum Dei facta sunt omnia, ut dicitur* Joann.1 *Et inter alia, facta sunt etiam per ipsum omnia tempora. Nihil autem per ipsum factum est, quod ab eo ignoretur. Dicitur ergo nescire diem, & horam judicii, quia non facit scire: interrogatus enim super hoc ab Apostolis* Act.1.*hoc eis noluit revelare, sicut, è contrario legitur* (Genes.22.) Nunc cognovi, quòd timeas Deum, *idest, nunc cognoscere feci. Dicitur autem Pater scire, quia hujusmodi cognitionem tradidit Filio. Undè in hoc ipso, quod dicitur,* nisi Pater, *datur intelligi, quòd Filius cognoscit, & non solùm quantùm ad divinam naturam, sed etiam quantùm ad humanam: quia ut Chrysostom. argumentatur: Si Christo homini datum est, ut sciat, qualiter oporteat judicare, quod est majus, multò magis datum est ei scire, quod minus est, scilicet tempus judicii. Origenes tamen hoc exponit de Christo secundùm corpus ejus, quod est Ecclesia, quæ hoc tempus ignorat. Quidam autem dicunt hoc esse intelligendum de Filio Dei adoptivo, non de filio naturali.* Semel namque posito, quòd Christus Apostolis sufficienter expresserit se plenitudinem scientiæ habere de die judicii, *non solùm quantùm ad divinam naturam, sed etiam quantùm ad humanam*, evidens reddebatur, quòd ignorantem se dicendo de dicto die, non de ignorantia loqueretur absoluta, sed de ignorantia in ordine ad alios, quorum spirituali profectui tanquàm *nostræ salutis Provisor* consulebat, ac *ut diceret*, quod perindè valet, ac *ut faceret scire*.

20. Ultra quod, etiamsi Christus sibi inditam de die judicii scientiam, tunc temporis non expressisset, adhuc explicationes prædictæ locum haberent independenter à *restrictione mentali*, ex generali illo motivo, quòd, cùm datus à Patre sit, tanquàm noster Præceptor, Doctor, & Magister, ut sæpissimè in Scripturis indigitatur, & præsertim apud Isaiam (30.20.) *Non faciet avolare à te ultra Doctorem tuum. Et erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum, &c.* (49.6.) *Parùm est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Israel, & fæces Jacob convertendas. Dedi Te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* (55.4.) *Ecce Testem populis dedi eum, ac Præceptorem Gentibus.* (61.1.) *Spiritus Domini super Me eo quod unxerit Dominus me ad annunciandum mansuetis misit Me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis aperitionem &c.* Cùmque de hujusmodi Magisterio instructos abundè Apostolos reddiderit, sivè interdicendo ne sibi hujusmodi nomen asciscerent: (*Matt.23.10.*) *Nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus*; sive commendando, quòd eo ipsum donare solerent, (*Joan.13.13.*) *Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim*, ignorans dici poterat illarum rerum, quæ ei communicatæ nequaquam erant, *ut diceret*, quarumque notitia Apostolis obesset potiùs, quàm prodesset. Hancque explicationem amplexus est præ cæteris Cardinalis de Lugo *de virt.fid.div.disp.4.sect.5.n.64* eam inquiens inscribendam „ non *restrictionem mentalem*, de qua loquimur, sed sensum verum, quem voces illæ habent: nam qui interrogatur de re aliqua, solùm rogatur de notitia, quam communicare possit, non de ea, quam communicare non potest, eò quod secretò illam acceperit, prout Christus, ut homo, secretò acceperat notitiam illius diei. „

21. Hunc quoque modum servandum proponit Angelicus *in suppl.ad 3.p.q.*11. *ad 2 & 3.* in casu, quo Confessarius interrogetur de auditis in confessione, ut videlicet respondeat se ea ignorare, quantumvis interrogatio sub pœna excommunicationis à Superioribus ipsius efformetur, *quia debet existimare, quòd intentio præcipientis est, si sciat ut homo, hoc autem non scit ut homo. Et si etiam exprimeret de confessione, interrogatus non deberet dicere, nec excommunicationem incurreret, quia non est subjectus Superiori suo, nisi ut homo, hoc autem non scit, ut homo, sed ut Deus. Ad tertium dicendum, quòd homo non adducitur in testimonium, nisi ut homo, & ideò sine læsione conscientiæ potest jurare se nescire, quod scit tantùm ut Deus.* In quibus tamen verbis contendit Didacus De la Fuente Hurtadus *in sua theol. reform.diss.15.cap.3.num.21.& seq.* quòd, etsi, quoties prudens motivum vigeat judicandi intentionem interrogantis esse directam Confessario, ut homini, Confessarius respondere queat se nescire absque *restrictione mentali*, quia revera ad interrogantis mentem, nescit, ut *homo* „ At verò cùm de confessione ipsa sit determinatè interrogatio, sivè quis respondeat, se nihil scire, sivè ulteriùs addat se nescire in Confessione, proculdubiò contra *mentem suam* loquetur,

„ tur, si ad *mentem* interrogantis ea verba „ velit accipere, & à mendacio nequibit „ excusari, si ipse proferat in sensu, quem „ ille intendit. Excusatur autem juxta „ S. Thomam, cui alii communissimè accedunt, propter *restrictionem* tacitam, „ quam adjicit eisdem verbis, subintelligens scilicet, se id non scire, ut *hominem*, „ sed *tamquàm Dei Vicarium*, vel nescire „ *scientia licitè communicabili*, vel *ad dicendum*, vel *ita*, *ut teneatur dicere*, aut aliquid „ hujusmodi. „ Indè inferens, quòd quamvis obligatio sacramentalis sigilli longè strictior sit qualibet alia, vel rigorosissimi naturalis secreti, ex quocumque ea titulo promanet, cùm tamen ex tali ratione nequaquàm cohonestetur mendacium, sed efficiatur dumtaxat, quòd mendacia, & perjuria non sint ob occultam *restrictionem* locutiones illæ alioquin falsæ: Nulla adesse videatur rationis disparitas, cur non valeat eadem doctrina, & ad alios casus extendi, in quibus perplexitas conscientiam implicat, constringente ex una parte obligatione secreti, & urgente ex altera necessitate respondendi directè, ne ipsum silentium affirmationi æquivaleat. Quo argumento usus anteà est è Scoti Discipulis Lychetus *in comm.3.sent.dist.38.qu.un.num.135.*hoc tamen discrimine, quòd Hurtadus, ex quo licita sit *mentalis restrictio* ad sigilli sacramentalis custodiam, licitam eam inferat in alia qualibet hypothesi, quæ magni momenti sit: Lychetus ex contradictorio consequentis potiùs inferat contradictorium antecedentis, deducens nusquàm licitas *restrictiones* prædictas: Utrque verò eodem modo in uno, ac cæteris casibus autumet discurrendum.

22. Probabile nihilominùs mihi est aliquod speciale motivum concurrere, ut ad servandum sacramentale secretum, licita reddi valeat responsionis formula, ad interrogationem supra materiam auditam in confessione sacramentali, quæ in aliis casibus locum non habet. Sigillum namque confessionis institutum est Christo Authore supernaturali; ac consequenter superioris ordinis est quibuslibet legibus humanæ societatis, & convictus. Ut proindè etiamsi his attentis non posset quis ad *mentalem restrictionem* confugere, licitus adhùc manet hic recursus, ne sigillum frangatur, vigente semper in hoc casu validissimo motivo, quo Interrogantes persuasi esse debeant Confessarium responsurum sub *mentali* aliqua *restrictione*, quæ idcircò *pura* neutiquam censeri valet, utpotè quæ, ex natura Sigilli Christi institutioni innixa, ab omnibus sit supponenda. Ideoque potest Confessarius, etiamsi relatè ad auditam confessionem interrogetur, negare se aliquid scire, subintelligendo, *ut hominem*, juxta Angelici monitum. Sicuti, si interrogetur, an sciat, *ut Deus*, vel *ut Minister Sacramenti*? itidem respondere se ignorare etiam, *ut Deum*, sivè quòd de facto verè nescit, *ut Deus*, cujus repræsentatio penitùs consumpta est in ipso sacramentali foro, in ordine ad quod fuit solummodò instituta: sivè Tò, *ut Deus*, accipiendo per modum causæ principalis; sivè referendo ad scientiam communicationis respectu aliorum, quam sub nulla consideratione habet.

23. Quibus, aliisque responsionum modis expeditior videtur ille, quem approbant duo proximè elapsi sæculi Theologorum lumina, Cardinalis Pallavicinus *lib. de fid. cap.2. num.22.* & Antonius Cottonus in *suis contr.celeb.lib.2. de Sacr. contr.14. c.4.n.68*, asserentes „ posse Confessarium jurare se „ non audivisse tale peccatum proferendo „ verba tantùm materialiter, hoc est absque „ intentione subeundi obligationes pacti in „ ordine ad illum casum, non quidem ex „ animo significandi falsum, sed relinquendi interrogationem in illa *ambiguitate*, an „ materialiter tantùm verba proferantur, „ an verò formaliter? Id autem licere, quia „ obligatio non usurpandi verba, nisi formaliter, non censetur à Republica imposita, & acceptata pro eo casu, quo quis „ arcana cordis per injuriam vult extorquere „ Quod ultimum, cohærenter ad nuper indicata, necesse non est, ut adeò universaliter admittatur, ne facilis reddatur ad casus ordinis naturalis extensio. Ac idcircò longè probabiliùs diceretur obligationem prædictam à Republica impositam non fuisse, immò nec fortè imponi potuisse pro eo casu, intra naturæ limites non contento, & pro quo quibuslibet Reipublicæ legibus præferenda supernaturalis, divinaque institutio servandi inviolabiliter, & quò exactiùs fieri possit, sacramentale secretum; vi cujus, ut diximus, cunctis notum esse debet acquisitum jus Confessariis, nedùm ad *restrictiones mentales*, quæ ampliùs *puræ* ratione inscribi nequeunt, sed & ad loquendum in suppositione materiali; quòd ad formalem neutiquàm sint necessariò obstricti. Ac fortiùs, si cum periculo revelationis, fractionisque sigilli concurreret aliquod Pœnitentis gravamen, ob quod so-

lum, aliàs facra Romana, & Vniverfalis Inquifitio *fub die 18. Novemb. 1682.* declaravit illicitum ufum notitiæ facramentalis, etiam *feclufa quacumque revelatione*, prohibendo *propofitionem* fequenti *decreto* infertam: *Prævia matura confultatione DD. Confultorum facta fuit difcuffio fequentis propofitionis*: Scientia ex confeffione acquifita uti licet, modò fiat fine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine Pœnitentis, nifi aliud multò gravius ex non ufu fequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur: *addita deindè explicatione, sivè limitatione; quòd fit intelligenda* de ufu fcientiæ ex confeffione acquifitæ cum gravamine Pœnitentis feclufa quacumque revelatione, atque in cafu, quo multò gravius gravamen ejufdem Pœnitentis ex non ufu fequeretur: *& ftatuerunt dictam* propofitionem, *quatenùs admittit* ufum dictæ fcientiæ cum gravamine Pœnitentis, *omninò prohibendam effe, etiam cum dicta explicatione, sivè limitatione, & præfenti decreto prohibent, ne quis ultra audeat talem* doctrinam *publicè, aut privatim docere, aut defendere, fub pœnis arbitrio fac. Congregationis infligendis: mandantes etiam univerfis Sacramenti pœnitentiæ Miniftris, ut ab ea in praxim deducenda prorsùs abftineant.* Quapropter, fi ad prædictum ufum materialis vocum fuppofitionis fub explicata limitatione acceptum, extendi debeat, quod habet univerfaliori formula Cardenas *in fua Crifi Theol. poft lb. diff. 9. cap. 4. nu. 52.* illam ex Caramuele *in Haplote art. 2. conclus. 1. n. 14.* relatam non approbans, *quia* video *non approbari à Cenforibus Romanis*, nefcio cui authoritati, aut teftimonio innitatur. Si namque id conftaret, & maximè de Cenforibus pro examine *propofitionum* profcriptarum ab Apoftolica Sede felectis, nec eis audeream ipfe ullatenùs contradicere, ficut non poffum non commendare dicti Authoris modeftiam in eo, quod fubdit: *Quare cenfeo confuli oportere Sacram Congregationem*, cujus refolutionibus, & decretis quilibet Catholicus fe fubfcribere, debet effe paratus.

24. Sicut autem Sacramenti pœnitentiæ dignitas, facramentalifque figilli obfervantia licitas in dicta hypothefi facit *mentales reftrictiones*, eas reddens *non puras*, fed fufficienter exteriùs indicatas; ita & ejufdem, ac cujuslibet alterius Sacramenti majeftas omninò prohibet, quòd in ipfius collatione ulla committatur *fimulatio*, quæ à laudato Pontifice Innocentio XI. reprobata eft per *propofitionis 29.* profcriptionem: *Vrgens metus gravis eft caufa jufta Sacramentorum adminiftrationem fimulandi.* Pro cujus intelligentia eft cohærenter ad hactenùs expenfa animadvertendum, non eò ipfo, quòd in Sacramento aliquo adminiftrando *mentalis reftrictio* habeatur, *fimulationem* intervenire. Aliter *fimulatè* adminiftratum dici deberet Sacramentum pœnitentiæ ex. gr. quoties Confeffarius dubius de Pœnitentis difpofitione, aut capacitate, urgente neceffitate, abfolutionem conditionatam pronunciaret, conditione tamē *mente* concepta. Quod, eftò contenderit propugnare Caramuel *in Theol. mor. lib. 3. num. 1495.* motus præfertim paritate Pœnitentis, qui obftrictus eft manifeftare fenfibiliter omnia fua peccata, abfque eo, quòd quidpiam ad eorumdem fpecificam notitiam fpectans intùs retineat, adeòut nec poffit confiteri abfolutè peccata dubia, fub conditione, quæ in ejus refideat animo. Attento quoque, quòd „ intentio „ debet verbis correfpondere, ergo fi illa „ fit conditionalis, hæc conditionalia effe „ debent, & fi hæc abfoluta fint, illa debet „ effe abfoluta. Aliàs enim non effet verborum, & *mentis* conformitas: & verba „ illa plus mendacii, quàm abfolutionis „ haberent.„

25. Communis tamen fententia, quam *veram* vocat doctiffimus concivis meus Diana *p. 10. tract. 11. refol. 55.* & fequitur Cottonus *in controv. celeb. contr. 8. cap. 2. nu. 26.* oppofitum tuetur, quia, cùm Sacramenta tribus conftent effentialiter, materia, videlicet, forma, & intentione Miniftri, ut habetur in Florentino, & Tridentino, formaque affignetur: *Ego te abfolvo à peccatis tuis*, abfque ulla diftinctione prolationis abfolutæ, aut conditionatæ, menfuranda ea eft ex intentione Miniftri, quæ, ficut effe poteft, & actualis, & virtualis, ita & conditionata, vel abfoluta, juxta materiæ qualitatem, & Subjecti capacitatem. Signa proindè fenfibilia inftituit Chriftus, fed in fua efficacia, non nifi ab intentione Miniftri determinanda, quæ ad Deum, cui patens eft, dirigitur; ac proptereà nullum eft mendacium, cùm non dicat Minifter: *Ego abfolutè te abfolvo*, fed *Ego te abfolvo*, tacens conditionem, quæ etiam quodammodò redditur extrinfecè nota, vel ex materiæ qualitate, vel ex difpofitione Pœnitentis, juxta quam conjiciendum intentionem regulari à Miniftro, qui licèt confultiùs agat, extrinfecè conditionem exprimens, ad tenorem *capit.* De quibus *de bapt.* ad quod fe remittit Angelicus *3. p. q. 66. art. 9. ad 4.* non tamen ad id eft obftrictus. Sicuti quamvis Pontifex *ibid.* præfcribat dicendum: *Si baptizatus es* (loqui-

tur

tur enim de Sacramento baptismi sub conditione reiterando) *Ego non te baptizo, sed si nondùm baptizatus es, Ego te baptizo &c.* prior nihilominùs pars à nemine censetur necessaria, sed posterior sola habetur abundè sufficiens. Quin obstet Pœnitentis paritas, qui manifestare debet peccata sensibiliter, illa nedùm ad Deum, qui cor intuetur, sed ad Confessarium dirigendo, ut super ipsis judicium formet, & sententiam proferat.

26. *Simulatio* quidem habebitur, si absque intentione formam Minister pronunciet, quin ullatenùs valeat excusari à mendacio, à quo deputari non potest actio illa externa, seu formæ sacramentalis positio, cui non respondeat intentio per eam ex præsupposita Christi institutione indicata. Quæ est ratio, quare itidem fuit meritissimè interdicta *propositio* 25. ex prohibitis à prælaudato Innocentio XI. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sivè res sit levis, sivè gravis*. Diversitas namque non parui ponderis habetur inter eum, qui jurat cum *restrictione mentali*, & eum, qui jurat absque animo jurandi, quòd ille non semper pejeret, ut in casu Confessarii interrogati de auditis in sacramentali confessione tetigimus, immò nec fortassis in toto rigore involvat mendacium ex desuper insinuatis. Hic verò è contra non potest non agere adversùs *mentem*, ob intentionis defectum, quæ in ea adesse exprimitur. Undè fit, quòd ex nulla causa cohonestari valeat, ac per consequens particulæ illæ, *sivè res sit levis, sivè gravis*, non sunt copulativè sumendæ, acsi damnatio solummodò se extendat ad liciti juramenti hypothesim, cùm res, quæ juratur absque debita intentione, sit gravis, non verò cùm supponitur levis; sed seorsim, & disjunctivè, adeòut damnatum censeri debeat, licitum affirmare juramentum absque intentione prolatum, tàm in re gravi, quàm in re levi; & idcircò contradictoria damnatæ *propositionis* non sit: *Cum causa illicitum est jurare, sine intentione jurandi, cùm res sit gravis*: sed: *illicitum est jurare sine intentione jurandi, tùm in re gravi, tùm in levi*, estò in primo casu gravior interveniat ex gravitate materiæ culpa, quàm in secundo.

27. Ac quamquàm, circa hujus gravitatis explicationem non una sit Theologorum opinio, aliquibus contendentibus tantam eam esse, quanta universaliter extat inter peccatum grave, quale putant committi, quoties juramentum sine jurandi intentione fit in contractu, aut judicio legitimo, similique concurrente notabili circumstantia, & veniale, de quo dumtaxat reum judicant, qui dictum juramentum profert extra insinuatas hypotheses, inter quos post damnatas *propositiones* est Cardenas *in sua Crisi theol. posth. diss.* 18. *cap.* 1. 2. & 3. pro se citans Suarez, Castropalaum, P. Thomam Sanchez, Lessium. Aliis verò lethalem malitiam in quocumque casu agnoscentibus, licèt hujusmodi gravitas in altero extet ex duplici titulo, in altero, ex uno tantummodò, cujus opinionis post Cajetanum, Armillam, Covarruvium, aliosque, novissimè est Doctissimus meus Concivis, meique Ordinis Theologus Felix Potestà *tom.* 1. *exam. conf. ad* 2. *præcept. Decal. num.* 1611. & *seq.* afferens Didacum De la Fuente Hurtadum *in sua theol. reform. posth. diss.* 12. *cap.* 5. sed per errorem, dum potiùs pro contraria esset adducendus. Omnes tamen conveniunt illicitum perpetuò habendum juramentum absque debita intentione, oppositumque esse prorsùs ab Apostolica Sede prohibitum, utraque ex recensitis sententiis in sua probabilitate adhùc perseverante, ex quo juxta utramque verificetur contradictorium *propositionis* damnatæ, quòd nempè nusquàm liceat *jurare* absque animo jurandi, ac utrique faveant motiva non aspernanda.

28. Venialem etenim culpam tantùm agnoscendam suadet, quòd quis jurando verum, (quod semper est in hac materia supponendum, aliàs locus daretur 42. *propositioni* itidem damnatæ, de qua nos nonnihil *cap.* 6. *art.* 10. *num.* 3.) non committit in proximum injustitiam, præter eam, quam involvit ex suo genere mendacium; nec gravem in Deum irreverentiam, quia eo modo, quo Nomen ejus assumitur, ad veritatem affirmandam dirigitur, in vanum quidem, sed absque gravi indecentia rationе materiæ, & modi. Sicque in simili discurrere videtur 2. 2. *q.* 111. *art.* 4. *in corp.* Angelicus de hypocrisi, ac sanctitatis *simulatione*, dum firmans conclusionem, quòd *Hypocrisis, qua quis non curat sanctitatem, sed tantùm sanctus videri, peccatum mortale est; quà verò aliquis intendit simulare sanctitatem, quamvis sanctus non sit, potest & veniale, & mortale peccatum esse, secundùm quod contingit eam adversari, vel non adversari charitati*; disparitatis rationem subdit *in corp.* desumendam ex fine, *qui, si repugnat charitati Dei, vel proximi, erit peccatum mortale, puta, cùm simulat sanctitatem, ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur ecclesiasticam dignitatem indignus, vel quæcumque alia temporalia bona, in quibus*

finem constituit. Si verò finis intentus non repugnet charitati, erit peccatum veniale, puta, cùm aliquis in ipsa fictione delectatur, de quo dicitur 4.Ethicor.*quòd magis videtur vanus, quàm malus, eadem enim ratio est de mendacio, & simulatione. Contingit tamen quandoque, quòd aliquis simulat perfectionem sanctitatis, quæ non est de salutis necessitate: & talis simulatio nec semper est peccatum mortale, nec semper est cum peccato mortali*. Quibus terminis ad rem præsentem prævia debita mutatione adaptatis, non improbabiliter dici potest, quòd, licèt mortalis culpa habeatur, cùm quis jurat verum, absque intentione jurandi, vel ob materiæ gravitatem, vel etiam cùm id facit ex animo proximum decipiendi: his tamen seclusis, venialis culpa dumtaxat sit admittenda; quia, etsi ita jurans mentiatur in eo, quod dicit se jurare, cùm revera non juret, & simul proferat externè juramentum; non tamen juramentum super mendacium cadit, nisi diceret, *juro me jurare*, sed supra verum, quod asserit, ex quo non oritur Divini testimonii illusio, ad quam requiritur, quòd hoc afferatur in confirmationem falsi, aut saltem ex fine proximum decipiendi, ut nuper innuimus.

29. Lethalem verò comprobat P. Felix, & quidem Religiositati juramenti, ac Reipublicæ humanæ utilitati congruentiùs, quia sic jurans „ licèt non committat mendacium circa materiam juramenti, committit mendacium in ipso formali juramento, nam verbis externis dicit se jurare, & interiùs habet animum oppositum, & revera non jurat. Insuper ista ficta, & mendax invocatio Divini testimonii ordinatur ad decipiendum proximum, cum notabili Communitatis injuria, quia omninò periret fides humana, & religio, quæ habetur jurantis. Hinc haberetur gravis irreverentia Dei, & notabilis injuria Communitatis. Indè fit, ut sententia opposita non parùm scandali Reipublicæ afferat. Nam, ea data, cùm etiam Viri timorati ex minima causa fint faciles ad venialia, omnes possent facilìter ea uti, ex quo nullus ampliùs in humanis commerciis, & societatibus tutus esset de juramentis, & sic ruerent, aut suspectosa redderentur humana commercia, quod cadit in grave damnum Reipublicæ. Item juramentum, & invocatio Divini testimonii, quæ est actus Religionis, extra judicium redderetur ridiculum, non enim majorem fidem præstaret quis simplici alterius dicto, quàm ejus juramento. „

30. Quælibet autem seligatur opinio, indicata paritas efficax servata proportione ad intentum est, ac convincens, nullam vim contra eam habente reflexione, quòd defectus intentionis, quam se habere *simulat* Minister, præstet, ne verum administretur Sacramentum, cui fiat illusio, aut injuria: Cùm ex hoc ipso concludi debeat prædictam *simulationem* mendacem esse, & consequenter ex intrinsecis pravam, & nullo modo cohonestabilem. Neque enim qui jurare se *simulat*, verum juramentum elicit, quod dari nequit absque intentione jurandi, sed fictum dumtaxat, & apparens: & tamen per hoc ipsum adversùs Religionem delinquit, & turpitudinem contrahit, à qua excusari non potest. Undè quoque fit, quòd *urgens metus*, ad quem Authores damnatæ *propositionis* recurrebant, insufficiens prorsùs habendus veniat, ad ejusdem munimen; *quo adhuc supposito fictio perduret*, quæ mendacio non est spoliata juxta *conclusionem*, quam universaliter firmat 2.2.q.111.art.1. Angelicus: *Simulatio omnis peccatum est, cùm sit mendacium, in exteriorum factorum signis consistens*; cohærenter ad Principis Apostolorum ep.1.cap.2.1. monitum: *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidias, & omnes detractiones sicut modò geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite*.

31. Immò, cùm hujusmodi mendacium circa materiam gravem semper versetur, hoc specialius in eo est, quòd veniale censeri nequeat, quale esse posse juxta aliquos mox indicavimus juramentum absque intentione jurandi, Augustino *lib.50. homiliarum, homil.50.cap.3.* docente: *Ex hoc ipso certè, & graviter nullo dubitante peccamus, cùm inter ipsa Sacramenta mentimur*. Aptaque est in hunc finem responsio, quam dedit Innocentius III. cap. De homine *De celeb. Miss.* Cùm interrogatus, *quid de incauto Presbytero videatur, qui, cùm se sciat in mortali crimine constitutum, Missarum solemnia, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere, propter sui facinoris conscientiam dubitat celebrare, peractisque cæteris circumstantiis, Missam celebrare se fingit, & suppressis verbis, quibus conficitur Corpus Christi, panem, & vinum tantummodò purè sumit, ita credens per id, quod prætendit, populo satisfacere, ut per hoc, quod intendit, Deum non debeat provocare?* Respondit. *Cùm ergo falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora: licèt is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud, gravius*

viùs tamen videtur offendere, qui sic fraudolenter illud præsumpserit simulare; cùm ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste verò non solùm Deo, (cui non veretur illudere) sed populo, quem decipit, se adstringat. In quibus verbis patet duplici ex capite sacrilegum à Pontifice habitum præfatum Sacerdotem, quia videlicet, & populum decipit, & Deo non veretur illudere. Quod posterius fortiùs militaret, si Sacerdos verba proferret absque debita intentione, cùm multò gravior irreverentia in Sacramentum sit proferre verba à Christo instituta pro Sacramenti confectione, absque intentione conficiendi, quam supprimere, seu omittere illa, cùm pronunciari deberent.

32. Quia dicatur Pontificem loqui de Sacerdote conficiente Sacramenta, non verò administrante, quoties saltem administratio non sit confectio, sed perfecti jam Sacramenti distributio. Quia servata proportione, estò non æqualis reatus in confectione *simulata*, ac in administratione sit agnoscendus, in utraque tamen est supponendus gravis, & catenùs Angelicus prædicto *textu* utitur 3.*p.q.*80.*art.*6.*ad* 2. ut probet nullo modo licitum esse Peccatori tradere Hostiam non consecratam pro consecrata, postquàm præmiserat, quòd *Sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idololatrare illos, qui credunt esse Hostiam consecratam, sivè alios præsentes, sivè etiam ipsum Sumentem, quia ut Augustinus dicit; nemo carnem Christi manducet, nisi priùs adoret.* Et *quodlib.*5.*art.*12.*in corp.* id ipsum expressiùs tradit, *hoc*, inquiens, *in nullo casu est faciendum, ut Hostia non consecrata exhibeatur uni, vel pluribus tanquàm consecrata,* duas itidem expendens rationes, quarum prior ex natura *fictionis* execrandæ in Sacramentis, & præsertim in Eucharistico, est eruta: *Dicendum, quòd veritati non est aliqua fictio adjungenda, quia nulla est conventio lucis ad tenebras, ut Apostolus dicit* 2. ad Corinth.6. *& propter hoc Augustinus probat* in lib.83.quæst. *quòd Corpus Christi non fuit phantasticum, quia Veritas, quæ est Christus, non potuit fallere: & ideò in Sacramentis Ecclesiæ nihil est per fictionem agendum, & præcipuè in Sacramento altaris, in quo totus Christus continetur. Esset autem quædam fictio, si Hostia non consecrata loco consecratæ daretur.* Posterior ex idololatriæ occasione, quæ præberetur: *Sacerdos, quantum in se est, populo fieret, idololatrandi occasio, qui, quamvis peccatum idololatriæ non incurreret, æstimans probabiliter, Hostiam esse consecratam, tamen Sacerdos in hoc ipso, quòd Hostiam non consecratam populo exhiberet adorandam, idololatriæ crimen incurreret. Undè hoc in nullo casu est faciendum, ut Hostia non consecrata exhibeatur uni, vel pluribus, tanquàm consecrata.*

33. Quicquid contra hoc scripserint Vasquez, & Bresserus apud Didacum De la Fuente Hurtado *in sua theol. ref.diss.*18.*c.*7.*num.*70. eo ducti motivo, quòd, neque ipse Sacerdos adorat illam Hostiam, quam scit non consecratam, neque aliis præbet occasionem eam adorandi, ut Deum, qui non ad panem, quem inculpabiliter putant ibi non esse, sed ad Christum, quem censent adesse sub speciebus panis, intentionem dirigunt. Quamvis enim per hoc Adstantes excusentur à culpa, & ab *Idololatria* formali, non tamen indè fit, quòd in executione non exerceant idololatriam materialem, quæ sufficiens est, ut ad eam inducens lethalis criminis reus reddatur: Quod, an ad *Idololatriam* reducatur, an ad peccatum *scandali*? ab illius quæstionis resolutione dependet, in qua disputari solet, an quando quis ad alterius malum cooperatur, non directè illud suadendo (de quo nulla lis) sed indirectè incitando absque ulla decipiendi intentione, eo genere peccati inquinetur, sub quo continetur malum, ad quod cooperatur? ut in relatis verbis sentire videtur Aquinas, vel solo peccato *scandali*, & contra charitatem, non verò contra speciales virtutes? quam hujus loci nequaquàm est determinare, & cuilibet liceat partem, quam probabiliorem judicat, amplecti. Dummodò ab *Idololatriæ* vitio non excusetur Sacerdos in se ipso, (idem dicito de Recipiente scienter non consecratam Hostiam pro consecrata) non quidem completæ, rigorosæ, & propriæ, ad quam esset necessarium, quòd verè panis ille adoraretur, ut Deus: sed exterioris, & incompletæ in exteriori ritu, cæremoniisque consistentis, quibus panis ille tractatur, & administratur, veluti verè consecratus, quod sufficit ad *Idololatriam* exteriorem patrandam, quæ contraria sit confessioni externæ veræ fidei, ac honori Christo Domino debito, ut sub speciebus Eucharisticis contento.

34. Non eodem modo discurrendum de Sacerdote, qui simulat præbere Hostiam consecratam peccatori occulto, & revera non præbet, ut infamiam ejus, & sacrilegam communionem devitet, probabile putat Didacus De la Fuente Hurtadus *diss.*18.*cap.*8.*theol.reform.* causas expendens, quæ, ut id fiat, requiruntur tàm ex parte Ministrantis, quàm ex parte Recipientis, quo con-

consentiente id fieri quandoque posse supponit, citatis pro se Henriquez, Diana, Leandro, Moya, Escobar, Francisco De Lugo, Joanne Sanchez, Theophilo Raynaudo *locis* apud eum videndis, & ex Canonistis Emmanuele Gonzalez in *cap.* De homine *de celeb. Missæ*. Contra se verò solo Laurentio Pisani Ordinis Prædicatorum *in suo glad. Gedeonis prop.* 29. *num.* 8. *in fin.* de quo tamen subdit, quòd non videatur agnoscere aliud crimen, quàm mendacii. Citandus nihilominùs potiùs erat Angelicus, qui *quodl.* eodem modum exhibens, quo se gerere debeat Sacerdos in hujusmodi hypothesi, concludit: *Debet ergo Sacerdos peccatorem occultum primò quidem monere, ut pœnitentiam agat, & sic ad Sacramentum accedat: quòd si pœnitere noluerit, debet ei occultè inhibere, ne aliis communicantibus in publico se immisceat, quòd si se immiscuerit, debet ei dare Hostiam consecratam.* Monendum proindè ait S. Doctor peccatorem, ut pœniteat, & accedat, non verò, ut si pœnitere noluerit, sesèque ab accessu ad Eucharisticam mensam abstinere, ad minùs, Eucharistiam recipere non curet; debita adhibita cautione: sed absolutè asserit: *Quòd si se immiscuerit, debet ei dare Hostiam consecratam*, & quidem ad Christi Domini exemplum, qui Judæ proditori suum Corpus manducãdum, & suum Sanguinem bibendum præbuit, ut ferunt communissimè Patres, nos sic docens, quid in similibus agere debeamus. Ex quibus ulteriùs probabilius mihi est non solùm veniale peccatum ab aliter faciente committi, sivè materiæ dignitas, cui fit injuria, attendatur, sivè præceptum, quo Minister urgetur ad præbendam Hostiam consecratam, ab Angelico per Tò *debet* satis expressum. Ac idcircò solùm in hypothesi admitterem licitum, quòd Sacerdos prudenti quadam æconomia, quæ idonea sit à quolibet scandalo removendo, particulas consecratas præventivè sumeret, sicque absque ulla peccatoris infamia, absque proprii ministerii incuria, absque ulla in Sacramentum injuria, à communione arceret.

35. A regula itidem universaliter tradita de gravitate criminis, quod viget in *simulatione* Sacramentorum excipiunt plerique etiam post *propositiones* damnatas, eam, quę haberi potest in Matrimonii Sacramento, inter quos sunt novissimè Cardenas *in sua Crisi theol. posth. c.* 7. & Didacus Hurtadus nuper *cit. cap.* 3. qui tamen satis probabilem vocat opinionem oppositam, pro ea rectè adducens Scotum *in* 4. *dist.* 29. *q. unic.* §. Hic dicitur, *& seq.* Moventur autem prædicti Authores, quòd in matrimonii Sacramento distinguenda veniat ratio contractus à ratione Sacramenti, adeout, non eò ipso, quòd aliquod contractui obsit, in Sacramentum sit refundendum. Qui autem consensum interiùs non perhibet, exteriori contentus, contractum irritum facit, non tamen Sacramento illudit: sed potiùs præventivè præstat, ne Sacramentum detur, faciens ne sit in re materia ad illud necessaria, quæ in ratione contractus est essentialiter sita. Contra verò, Subtilis Magister in dicto interioris consensus, qui externo respondere deberet, defectu, *perniciosum* agnoscit mendacium, vi cujus Minister, seu Contrahens illud committens, quantum est ex parte sua, facit, quòd speciali titulo Sacramento illudatur. Ejusdemque opinionis fuisse videtur Angelicus *in* 4. *dist.* 29. *art.* 3 *q.* 1. *in corp. &* 4. *ad* Hannib. *dist.* 30. *art.* 1. dum absolutè pronunciat peccasse in casu, qui *dixit se consentire, & non consensit.* Quælibet autem sententia magis arrideat, semper explosa manet *propositio* damnata, dum semper illicita Sacramentorum *simulatio* supponitur, semperque lethalis, nisi à *simulationis* nævo depuretur, eam refundendo in contractum, non verò in Sacramentum, modo paulò ante indicato, ac simul concurrente metu, qui cadat in constantem virum, sitque in dictum finem per se injustè incussus, vi cujus præfati Authores solum simplex mendacium in *fictione* indicata cognoscunt.

36. Hinc autem sequitur resolutio ad aliud dubium, quod movet Didacus Hurtadus *cap.* 4. *diff.* 18. Uter videlicet plùs delinquat, qui ex metu injustè incusso simulat se habere intentionem celebrandi matrimonium, an is, qui verè illam habet? Comparatio siquidem supponit in utroque casu peccatum, cùm tamen in secundo, illud non supponendum, apertè insinuet tàm Angelicus impugnans eos, qui dicunt, quòd ab Ecclesia præsumeretur sic Contrahens interiùs non consentiens, *quia Ecclesia non debet præsumere de aliquo peccatum, quousque probetur, peccavit, autem, si dixit se consentire, & non consensit. Undè Ecclesia præsumit eum consensisse: sed judicat illum consensum extortum non esse sufficientem ad matrimonium faciendum*, quàm Doctor Marianus: *Peccat opinio in hoc, quòd dicit Ecclesiam præsumere non esse consensum, quia præsumit ipsum ex metu tantummodò consensisse exteriùs, non interiùs in animo. Hoc falsum est, quia Ecclesia semper præsumit pro meliori*

tiori parte. *Sicut habetur*, Extra de reg. jur. *Estote Misericordes*; & extra de Scrutinio in ordinibus faciendo, cap. unico, *quis præsumitur idoneus, quando non probatur inidoneus; & apparet manifestè, quia Ecclesia copulam carnalem sequentem sponsalia præsumit esse ex affectu matrimoniali, quia præsumit Sponsum, & Sponsam non peccare mortaliter in illo actu, ergo à simili hic*. Neque enim qui consentit interiùs, absolutè consentit, sed modaliter, & coactè, ut supponimus, ac ne, quantum est ex parte sua concurrat, ut matrimonium speciali titulo evadat irritum, aut saltem ne mendacii fiat reus; ita per consequens nec contra mentem agens, nec Sacramento illudens, quæ essent motiva, ex quibus peccati foret redarguendus. Cùm præsertim interior consensus non dirigatur in matrimonium validè conficiendum, aliàs consentiens sibimet contradiceret, quia ex una parte consentiret coactè, & eatenùs eo consensu ad validum matrimonium inidoneo, & ex altera consensum dirigeret ad absolutè validum matrimonium, & reduplicativè quà tale.

37. Absque eò quòd arguere liceat paritate rationis à consimili casu matrimonii, quod Quis inire cogitur cum Consanguinea, vel qualibet alia, cum qua est impedimentum dirimens, ne illud contrahat; & tamen urgenti quocumque non obstante metu, non potest in illud interiùs consentire, & eatenùs, vel potius tenetur subire mortem, quàm, vel apparenter contrahere; vel consentire exteriùs, non tamen internè, quod hactenùs est negatum. Hoc namque posterius illicitum semper habendum, sufficienter ex dictis colligitur. Prius verò terminorum constantiam haudquaquàm conservat. Licèt enim in utraque supposítione consensus internus esset per vim extortus, attamen in præcedenti, nullitas matrimonii tota refunditur in ipsam coactionem Contrahenti illatam, non in Contrahentem, qui, quantum est ex se, ponens ad quod cogitur, nihil agit, per quod ex propria culpa matrimonium frustretur; cùm præsertim illud non ponendo non posset mendacium effugere. Et idcircò sicut non dirigit ex proximè dictis suam intentionem ad matrimonium validum, quà tale; ita nec per eam intendit matrimonium invalidum, ut invalidum, sed solùm consensum præbet accipiendi aliquam, ut suam, quo modo potest accipere, consensu apertè, & manifestè coacto, qui estò sit nugatorius, nugatio tamen est tribuenda vim impellenti injustè, ut consentiat, non Contrahenti, qui coactè consensit, ad injustam redimendam vexationem per consensum non absolutè liberum, quique à coactione spoliari non valeat. At concurrente impedimento alio dirimente, quod quovis vel mortis periculo urgente, in suo, (ut supponimus) robore persistat, consensus quantumvis coactus, non potest non tendere in matrimonium illicitum, & peccaminosum, & proindè non potest non haberi illicitus, & inhonestus. Sic omninò cessante excusatione tradita, quòd coactè consentiens quantum est ex parte sua non tendat in matrimonium validum quà tale, nec in invalidum, quod ex intrinsecis sit tale, quia tota invaliditas refunditur in ipsam coactionem. Quæ benè potest elicitivè licitum relinquere consensum internum, si in hoc nulla cognosci potest pravitas, quàm quæ proveniat ab ipsa coactione, vi cujus imperativè extrinsecè solùm, ut ita dicam, esset illicitus. Quod totum clarius reddetur, præ oculis ponendo duos actus, quorum altero, quis dicat: *Consentio coactè in matrimonium cum Berta, cum qua aliàs licitè possum contrahere*; altero: *Consentio coactè in matrimonium cum Berta consanguinea, cum qua non possum licitè contrahere.* In utroque quidem Tò *coactè* reperitur, sive expressè, & formaliter, ut in dictis verbis, sivè implicitè, & virtualiter, si indicari particula silentio obduceretur; Hoc tamen discrimine, quòd in primo, objectum, in quod tendit consensus, non est aliquod in se aliàs illicitum, sed potiùs honestum; estò nullum reddatur vi ipsius coactionis, quam Proferens dicti verba, non ponit, sed patitur. In secundo è contra objectum ipsum, in quod tendit consensus quantumvis coactus, est per se illicitum, & inhonestum, taleque idcircò, ut neque coacti in illud consentire possimus.

38. Ab instituto nimis elongaremur, si omnes dubiorum combinationes, quæ fieri in hac materia possent, vellemus discutere. Consultius idcircò videtur reliquis prætermissis duo sola *simulationis* exempla subnectere, quæ ex specialibus Pontificiis *diplomatibus* ad Sacræ Inquisitionis Tribunal pertinent, quæque ingeniosè expendit Didacus De la Fuente Hurtado *in sua theol. ref. diss.* 18. *cap.* 9. Alterum scilicet eorum, qui cùm Sacro Presbyteratus Ordine non sint insigniti Missarum celebrationem usurpare, ac pœnitentiæ Sacramentum administrare non erubescunt. Contra quam extant *Bullæ* Gregorii XIII. cujus initium *Officii nostri sub*

die 6. *Augusti ann.*1574.*la.*21. Clementis VIII incip. *Et si aliàs edita* die 1. Decembris ann. 1601. & Urbani VIII. *Apostolatus officium* sub *die 23. Martii* 1628. demandantium examen, & punitionem tanti criminis Sacris Inquisitoribus, *simulationem* ejusmodi vocando *nefariam*, & *sacrilegam*, ac insuper asserendo, quatenùs ad Sacramentum pœnitentiæ spectat, *ejus dignitatem contemnai, & Christi fideles decipi* magno cum periculo, & *scandalo*. In ordine verò, ac relatè ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium (§. 2. *Clementinæ*) *Nos igitur animadvertentes, hujusmodi perditos, & nefarios homines ad sacrum Presbyteratus Ordinem non promotos, Missarum celebrationem usurpare præsumentes, non solùm actus idolatriæ saltem extrinsecè, seu per externa, & visibilia religionis, & pietatis signa exercere, sed etiam quantum in ipsis est, efficere ut Christifideles, qui credunt eos ordinatos esse, & ritè conficere Sacramentum Eucharistiæ, idolatriæ crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem, & vinum, tanquàm verum Christi Domini Nostri Corpus, & Sanguinem, eisdem adorandum proponentes. Confessiones autem audientes, non solùm Sacramenti pœnitentiæ dignitatem contemnere, verùm etiam Christifideles decipere, dum scilicet iniquè sibi assumunt gradum Sacerdotalem, & auctoritatem absolvendi à peccatis magno cum periculo, & scandalo plurimorum.*

39. Alterum est eorum, qui *simulantes* audire confessiones sacramentales fidelium, remedii loco, venenum porrigunt, sacris Inquisitoribus denunciandorum juxtà præscriptum plurimorum Summorum Pontificũ præsertim Pii IV. 16. *Aprilis* 1561. Clementis VIII. 3. *Decemb.* 1592. Pauli V. 16. *Septemb.* 1608. & Gregorii XV. 30. *Augusti* 1622. qui Prædecessorum *Constitutiones* ampliavit respectivè ad casus sollicitationis cujuscumque Personæ, etiam extra occasionem Confessionis in Confessionario, & pro toto orbe terrarum, obligando insuper Confessarios, ut Pœnitentes de tali obligatione moneant prægnantibus hisce verbis: *Statuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & singuli Sacerdotes, tàm Sæculares, quàm &c. Regulares cujuscumque dignitatis &c. qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sivè inter se, sivè cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sivè antè, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa sacramentali confessione non secuta, sivè extra occasionem confessionis in Confessionario, aut loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sivè tractatus habuerint, in Officio S. Inquisitionis severissimè, ut infra, puniantur &c. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos Pœnitentes, quos noverint, fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis. Quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra, iidem locorum Ordinarii, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.*

40. De qua posterioris exempli denuntiationis obligatione non nihil insinuavimus *cap.* 2. *art.* 2. à *num.* 12. & de ea ponderandas obiter exhibemus 6. & 7. ex damnatis *propositionibus* ab Alexandro VII. in quarum altera astruebatur, quòd *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in quâ ad venerem incitat; non censetur sollicitare in Confessione, ac proinde non est denunciandus*: in altera designabatur modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis, *si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest illum absolvere ab obligatione denuntiandi*. Quibus certè magna ex parte irrita redderetur ab Apostolica Sede imposita obligatio, dum per illam medium præberetur, quo impunè Confessarii valerent pro remedio venenum porrigere: per hanc via insuper aperiretur sese in criminibus obdurandi, tàm Pœnitentibus, quàm Confessariis, dum Pœnitentes nec in Confessione verecundiam experirentur, quę ad emendationem non parùm conducit; nec ovi denunciationis subjicerentur, ad quod vitandum, fœminæ præsertim sanctiores, peritioresque Pastores exquirere prorsùs negligerent: Confessarii verò nullo percellerentur Sacræ Inquisitionis timore ad adeò execrabile crimen iterùm perpetrandum. Ob quod, aliaque inconvenientia, etsi *secundùm necessitatem Sacramenti* nullum extet generale jus, quo prohibeatur, ut Complex audiat Complicis (qualis in casu est Pœnitens, qui sollicitationi ullo modo consenserit) confessionem, ut habet Angelicus *in* 4. *d.* 19. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *ad* 1. illud Augustini *in lib. de vera, & falsa pæn.* dicentis: *Nullus officio Sacerdotis uti debet, nisi immunis ab illis sit, quæ in aliis judicat*: intelligendum in casu complicis affirmans *secundùm congruitatem*; habentur nihilominùs in plerisque Episcopatibus, ac Diœcesibus Synodales *Constitutiones* jure meritò id fieri interdicentes,

tes, ablata à Confessariis jurisdictione erga ejus generis Personas, etiamsi de peccato agatur, quod cum Sacramentali confessione connexionem non importet, nec ex ejus occasione, aut prætextu ortum duxerit.

41. Ac itidem legendos præter alios proponimus duos sacri mei Ordinis Theologos, concivem meum P. Felicem Potestà *tom.2.exam.conf.de Denunc.part.3. de Denunc. faciend.pro Confess.sollic.* qui *cap.12.quæst.5.n.609.* satis indicat responsionem adhibendam motivo, cui forsitan innitebantur Authores *propositionis septimæ*, quòd nempè in *Constitutione* Gregoriana, mandatum Confessariis impositum Pœnitentes obligandi ad denunciandum Sollicitantes, de illis loquitur Pœnitentibus, *quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos*, non autem *à seipsis*: distinctione adhibita, vi cujus, aliud est Confessarium teneri Penitentes à se sollicitatos positivè obstringere, & monere, ut denuncient, quod nimis durum esset, & juri naturæ ferè repugnans: aliud Confessarium posse *absolvere* Pœnitentem ab *obligatione denunciandi*, quod solummodò Alexander proscripsit. Nec non, & P. Laurentium Cozza à S. Laurentio in Aracœlitano Conventu insignem olim, ac Jubilatum Lectorem, Sacræ nunc Congregationis Indicis Consultorem, ac Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Qualificatorem, in *Opusculo*, quod, dum hæc scriberem, in hac alma Urbe publici juris fecit sub titulo: *Dubia selecta emergentia circa sollicitationem*, contenti ad rem præsentem innuere perstrictum denunciationis onus contra Confessarios Pœnitentibus impositum, ob specialem deformitatem, quæ in *simulatione* prædicta continetur relatè ad sacros Ministros, vi cujus omninò redduntur de *hæresi suspecti*. Non quòd & ipsa committi suo modo nequeat, & à Pœnitentibus, qui Confessarios ipsos ad venerea confessionis prætextu inducere præsumunt. Undè Cardenas *in sua Crisi theol. posth. diss.20. cap.6.* Pontificiam damnationem *propositionis* indicatæ *num.24.* virtualiter extendi solidè autumat ad *simulationem* Suscipientium Sacramentum. „ Nam cùm constet damnationem hanc „ fundari in eo, quòd *simulare* administra- „ tionem Sacramenti, sit irreverentia con- „ tra Sacramentum, ex eo infertur à pari- „ tate rationis, esse quoque similem irreve- „ rentiam *simulare* susceptionem Sacra- „ menti. Sic enim irrogaret injuriam Sacramento, qui fingeret se accipere Baptis- „ mum, sicut Minister, qui fingeret se ba- „ ptizare. Et sicut irreverentiam commit- „ teret in Eucharistiam, qui fingeret se „ eam ministrare, ita etiam qui fingeret se „ Eucharistiam recipere. Neque propterea „ negamus majus peccatum esse *simulare* „ administrationem, quàm *simulare* susce- „ ptionem Sacramenti. „

42. Sed quòd, etsi *simulatio* committatur à Pœnitentibus, non indè ob eam hi à Confessario sint denunciandi: & ratio discriminis, attenta *Gregoriana*, patens videtur, quæ tota, in nihilo Pœnitentes, sed integrè Ministros percutit, fundans eatenùs in eos præsumptionem, quæ dicitur *juris*, & *de jure*, utpotè à lege statuta, tamquàm firmum jus, quod facit regulam absolutam, & non admittit probationem in contrarium. Quia tamen *cap.2.art.2.num.12.& 13.* tetigimus Pontificem in hac parte non tàm reddidisse sollicitationis crimen *suspicionis hæresis* inductivum, quàm tale ex suis intrinsecis declarasse; ulterior est exquirenda disparitas, quæ adhuc eidem *Constitutioni* sit innixa, particulis nempè illis *ibidem* ponderatis: *pro medicina venenum*, *pro pane aspidem porrigunt*; quæ, cùm in Pœnitentibus locum non habeant; hinc fit, quòd ex sollicitatione præcisa ab eis commissa per Sacramenti *simulationem*, denunciandæ nequaquàm veniant, nisi aliæ conjecturæ vigeant, vi quarum sufficiens *hæresis* suspicio adsit, ad eas denunciandas Confessarios obstringens. Quicquid contra hoc ultimum scripserit Bordonus negans in *manuali Consult. sect.25. num.168.* denunciandum eum, qui ad Confessionem accedit animo non confitendi peccata, sed inducendi sacrum ipsum Ministrum ad *hæresim*, illi innixus motivo, quòd allata Confessio sit objectivè spectata, sacramentalis: Contra quem post Genuensem, Graffium, Sotum, Sylvestrum, & Carenam, est novissimè P. Felix Potestà *tom.2.exam. confess.par.2. de Denunc. facienda ad edicta Inquis. quæst.8. num.280.* referens ex Fenech *de sigil. num.77.* nescio quem Confessarium fuisse punitum, quia non manifestavit conspirationem factam, quam alter in Confessione sibi aperuerat, non animo se accusandi, sed illum ad eandem conspirationem trahendi, indèque deducens à fortiori denunciandum, si seriò id fiat, ut Confessarius inducatur ad *hæresim*.

43. Cautè autem, ni fallor, legendæ Regulæ, quas Didacus De la Fuente Hurtado *diss.18.cit.cap.10.* proponit, ut dignoscatur, quandonam revera sit denunciandus Confessarius sollicitans, quarum: *Prima*, quòd necessariò debeat intervenire *simulatio* omnino

ninò propria, immò juxta plures rigorosa, & stricta. *Secunda*, non sufficere *simulationem* ejus, qui sollicitatur, sed requiri omninò *simulationem* Sacerdotis sollicitantis, fingendo se confessionem excipere. Adeòut, nisi occasione ex *simulatione* Pœnitentis arrepta ipse quoque Confessarius *simulet*, cœptamque *simulationem* ab alio ex parte sua prosequatur, quamvis gravissimè peccet, non ideò erit denunciandus, nec tractandus, tanquàm de *fide suspectus* ex vi *Constitutionis* Pontificiæ. *Tertia*, ab obligatione denunciandi excusare in his casibus, quæcumque excusant legitimè Confessarium à mendacio, & falsa significatione confessionis. *Quarta*, ex eo præcisè, quòd sollicitatio fiat in Confessionario, aut alio in loco ad audiendas confessiones electo, vel deputato, non est consequens, ut simuletur confessio, aut incumbat obligatio denunciandi. Quin obstet in contrarium Sacræ Congregationis S.Officii *decretum* habitæ coram Paulo V. *die* 10. *Julii anno* 1614. in qua *facta relatione, quòd multi Confessarii tractant cum mulieribus in Confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis, sanctissimè decrevit, ut contra hujusmodi Confessarios procedatur in Sancto Officio*; Sivè (*ex cap.9.num.97.*), quòd non constet, an habeat authoritatem authenticam, & præsertim requisitam, ut ubique possit obligare; sivè quòd videatur sano modo declarandum, & propositum universali Ecclesiæ per posteriorem *Bullam Gregorianam*, & ad terminos illius revocandum esse. *Quinta*: Quoties ea, quæ geruntur extra occasionem confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiuntur, seu ad confessiones audiendas electo, determinatè significant ibi audiri à Confessario confessionem alterius, sivè fœminæ, sivè masculi, toties obligatio premit denunciandi Confessarium sollicitantem, aut allicientem ad venerea, aut lasciva colloquia miscentem, vel de inhonestis tractantem.

44. *Sexta*, Cùm, omnibus inspectis, facta non sint signa, nisi æquivoca veræ confessionis, quia non tantùm dum ea auditur, sed cùm alia pertractantur extra occasionem ejus exhiberi solent, id potest sine *simulatione* contingere, & ex animo exhibentis pendet eisdem in hac, vel opposita uti. *Septima*, Metum gravem mortis, aut infamiæ non excusare à pœnis Confessarium, qui ratione illius consentit fœmineæ *simulationi*, ac sollicitationi absque animo confitendi, sed illius prætextu factæ, nisi in casu, quo Sacerdos *simulationi* non consentiat, sed sollicitationi duntaxat. „ Nam Pontifex *simulationem* Confessarii determinatè requirit, & locum ad audiendam confessionem electum. In hoc autem casu, ille non *simulavit* se venire ad confessionem, sed optima fide accessit existimans se ad illam vocari, neque ipse locum elegit ad confessionem audiendam, sed sola fœmina finxit se eum seligere ad faciendam illam, ut eo prætextu commodiùs sollicitaret. Postea verò cùm suum animum detegit, ac metum incutit, poterit, si velit Confessarius nolle *simulare* ex parte sua, nec *simulationem* alterius approbare, sed permittere dumtaxat; quia cum adeò gravi incommodo vitæ, aut famæ, non tenetur illam impedire, aut aliorum deceptionem ortam ex alterius culpa positivè devitare. Cæterùm ista excusatio tot conditiones requirit, ut metaphysica, & speculativa potiùs, quàm practica videatur; &, si quando dubium esset, utrùm deservire posset, Dominis Inquisitoribus deferre oporteret totius facti judicium, & examen.

45. Vanum namque, & futile prorsùs videtur confugium gratis confictum de non authentica notitia decreti Pauli V., quod passim apud Doctores de sollicitatione tractantes refertur, cunctis illud ut genuinum amplexantibus. Et licèt inter eos Pauci aliqui sint, qui autument perstrictum, & limitatum fuisse per *Bullam Gregorianam*, attamen communiùs Cæteri, tantùm abest, ut id asserant, quòd potiùs confirmatum à Gregorio affirmare non hæsitent. Hocque medio concivis meus Tertii Ordinis S. P. Francisci olim Professor, ac insignis in Siciliæ Regno Qualificator Alberghinus in *manual. Qualif.cap.*30.§.4.*nu*.5.6. probat pœnis *Bullæ Gregorianæ* subjacuisse, qui ante ejus promulgationem tanti criminis reos se se constituerant, quia nempè lex declarativa juris antiqui ad actus præteritos extenditur, ex *cap.fin.de Sponsa duor.* & *cap.* Cùm tu *de usur.* qualem esse *Gregorianam Bullam* ex eo patet, „ quòd innovat, & confirmat, ac declarat, „ quod anteà declaraverat Paulus V. in „ quodam decreto, quod refert Coriolanus *de Cas.res.p.*1.*sect.*2.*art.*22.*num.*4. Apud „ Joannem Sanchez *disp.*11.*num.*66. refert „ etiam Belochius *in tract. de cas. res. p.*2, „ *quæst.*7.*n.*32. & Catena 2.*p.tit.*7.§.5.*n.*32., Nec sanè verisimile est, quòd Gregorius, qui in hac parte Inquisitorum facultates ampliare intendit, circa qualitatem delicti

ab

ab eis dignoscendam, coarctare eorum jurisdictiones voluerit, ut arguit P. Felix *tom. 2. exam. confess. de Denunc. pro conf. soll. cap. 8. de sept. claus. nu. 523.* „ Falsum (inquiens) est, quod „ Gregorius XV. prædictum decretum re„ strinxerit ad terminos *simulationis*. 1. quia „ Pontifices in materia sollicitationis sem„ per dilatavere, non restrinxere onus de„ nunciationis; & præsertim Gregorius, qui „ per allatas particulas: *sivè extra occasionem* „ *confessionis in Confessionario*: expresse con„ firmat *Decretum* Pauli V. 2. quia in his „ verbis: *Sivè extra occasionem confessionis in* „ *confessionario, aut in loco quocunque, ubi con-* „ *fessiones audiantur, simulantes ibidem confes-* „ *siones audire*: particula *aut*, cùm sit disjun„ ctiva, distinguit, & disjungit casus: ex „ quo fit, quòd sicut particulæ posteriores „ non possunt conjungi cum prioribus, ne„ que ly *simulantes*, cùm sit terminus restri„ ctivus posteriorum potest conjungi cum „ prioribus. Undè per priores particulas „ habet respectum ad injuriam loci, utpote „ ad Tribunal ordinarium sacramentalis „ judicii, non ad confessionem, nam ex„ presse confessionem excludit per parti„ culas: *extra occasionem confessionis*: & ideò „ non requirit *simulationem*. Per posteriores „ verò particulas habet præcisè respectum, „ non ad locum, sed ad confessionem, & „ ad ejus injuriam, & ideò requirit *simula-* „ *tionem*, ut terminum restrictivum parti„ culæ: *aut in loco quocunque*: Alioquin „ omnia peccata carnis à Confessario com„ missa, aut tentata essent denuncianda, „ quia in aliquo loco committuntur, aut „ attentantur. Et hic est germanus sensus „ *Bullæ* Gregorii.

46. Cui proindè cohæret, quod idem Author subdit *cap. 14. n. 654.* cum Diana *p. 4. tract. 5. resol. 50.* & *part. 10. tract. 14. resol. 51.* cótra Carenam, & fortiùs contra relatas Hurtadi regulas, Confessarium videlicet sollicitantem in confessionali non ex prætextu, nec occasione confessionis, nec simulando confessionem, esse *suspectum*, & ad abjurandum obstrictum, „ quia Gregorius XV. post„ quàm recensuit septem capita sollicita„ tionis, inter quæ est sollicitatio in con„ fessionario absque occasione, aut præ„ textu confessionis; immediatè sequitur, „ & injungit Inquisitoribus, *ut super his con-* „ *tra prædictas simul, vel separatim in omnibus,* „ *prout in causis fidei &c. inquirant, & proce-* „ *dant*. His accedit praxis, tùm Inquisitio„ nis Romanæ ex Diana *cit.* quàm Inquisi„ tionis Hispaniæ ex Alberghino in *Manual.* „ *Qualif. pag. 233. num. 6.* quia hujusmodi „ Confessarii habentur *suspecti de fide*, & „ abjurant, quoniam injuria loci redundat „ in Sacramentum, cujus locus est Tribu„ nal. „ Alias impugnationes perquirat Lector apud Authores relatos, aliosque passim, qui ferè omnes rejiciunt præsertim excusationem ex minis mulieris se infirmam fingentis, & confessionem *simulantis* deductam, meritò advertentes, quòd, etsi indè erui queat aliqualis quandoque pœnarum imminutio, non tamen ulla ab onere denunciandi Confessarium deobligatio, qui verè consentit cooperando Confessio, nis *simulationi* per mulierem habitæ, à qua in re non recedit, qui ipsimet protestationi, quam in contrarium elicit, consentiendo sollicitationi, contradicit. Ut proindè non improbabilis mihi extet suspicio, ne alicui ex dictis regulis contingat, quòd accidit aliis *proposit. 6. & 7. nn. 40.* recensitis, nec non & in ipsa materia hæresis *quintæ* præcedenti: *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis*: eo potissimùm motivo quòd denunciationis obligatio, non ad punitionem in Denunciatum ferendam sit imposita; sed vel ad inquisitionem dumtaxat ejus occasione faciendam; vel ad notitiæ pro pleno judicio efformando complementum, quod quandoque ob præhabita indicia ex unica Delatoris testificatione dependet.

47. Ex hactenùs autem expensis liquidò constat, quòd, etsi *propositiones* damnatæ huic *articulo* insertæ, sola *scandali* nota ab Apostolica Sede sint affectæ, haberi nihilominùs præ oculis semper debeat monitum non semel traditum, nempè notam prædictam non sumendam privativè, ac exclusivè, sed potiùs tanquàm aliarum omnium, quibus subjici possent, *minimam*, quantumvis ad Romanorum Pontificum finem sufficientè, ut à cœtu fidelium profligarentur. Cùm præsertim nec universalis ratio tradi facilè possit ad censuræ gradum cuilibet hujus furfuris doctrinæ applicandum, ex quo pro varietate materiæ, in qua illæ formantur, diversus esse, & ille debeat. Adeò ut *superstitiosæ* sint inscribendæ illæ omnes assertiones, quæ ex traditis *c. 6. art. 11. num. 5. cap. 6. art. 12. num. 31. & seq.* perniciosum, aut superfluum saltem cultum invehunt, quales propemodùm sunt *propositiones*, actionesque, ex quibus vel *Idololatria* saltem materialis resultat, approbantes, aut permittentes, v. g. quòd pro Hostia consecrata exhibeatur non consecrata, & quidem etiamsi hæc cum illa simul adora-

tioni exponatur; dum, simultate hac non obstante, Fideles adorant per modum unius totam Hostiam sibi expositam, quam totam existimant consecratam; Vel *simulatio* Sacerdotalis muneris ab eo exerciti, qui Presbyterali charactere non est insignitus, Montanistarum sic sequente vestigia, qui teste D. Augustino *lib. de hær. ad Quodvultdeus hær.27.* Quintillæ, & Priscillæ sacrificandi potestatem fecere; Marcionitarum ex Irenæo *advers.hær.lib.3.cap.9.* Collyridianorum ex Epiphanio *hær.79.* Waldensium ex Rainerio *lib.cont.Waldenses* prædictam facultatem tribuentium Laicis, cum quibus effutire Impudentiori ausu scribere *lib. de capt.Babyl.c.de Ordine* non erubuit Lutherus: „ Quicumque se Christianum esse cognoverit, fatebitur omnes nos æquales esse „ Sacerdotes, hoc est eamdem in verbo, & „ Sacramento quocumque habere potestatem „, & *art.13.* inter damnatos à Leone X. sacrilegii præfati ratione non sine temerario Sacræ Scripturæ abusu, assignat: „ Qui enim baptizatus est, Spiritum Christi „ habet, *ubi* autem *Spiritus* Christi, *ibi libertas.* „ *Blasphemæ*, quæ supremo Numini injuriam irrogant, in mendacii testem illud sub *amphibologiæ* larva adducentes, aut adduci posse effutientes, sicut in non dissimili *propositione* ratiocinati sumus *cap.6. art.10. num.3.4.* *Aversivæ* à vera, catholicaque Religione, quam *simulationis* veluti Patronam constituunt maximè in rebus sacris, ac in præcipuis salutis æternæ remediis, seu Sacramentis à Christo Æterni Sapientia Patris, totiusque Veritatis fonte institutis *c.6. art.14.num.14.& seq.* *Subsannativæ*, quæ infidelium derisioni exponunt adeò admiranda Mysteria per *simulationem*, & *fictionem*, quæ à mendacii ratione defæcari non potest *c.6. art.14. num.13.* *Eversivæ Regnorum*, quæ publicum Reipublicæ regimen, justitiæque leges pervertunt, astruentes juramentum de mandato Regis exigi solitum, licitè fieri ab eo, qui *mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est* (*cap.7.art.1.nu.2.& seq.*) *Suspectæ de hæresi*, quæ Pronunciantis animum à recta fide alienum indicant, sivè ob horrendum Sacramenti Pœnitentiæ abusum, cujus *simulatione* utuntur, tanquàm medio sollicitationis ad venerea *cap.6.art.3.num.1.* ubi Theologos divisos indicavimus circa *hæresis suspicionis* extensionem, tàm quoad parilem abusum, (qui semper erit sacrilegus,) in reliquis Sacramentis patrandum, quàm quoad alia delicta, ad quæ in eodem pœnitentiæ Sacramento Pœnitentes inducuntur; sive ob alias circumstantias, ob quas dicta, vel facta ejusmodi putari rationabiliter possunt ex animo ortum ducere Divinis Mysteriis, & revelatis Dogmatibus infenso.

48. Pleraque verò, quæ de *restrictionibus purè mentalibus*, aut *simulationibus* hùcusque sunt insinuata, locum servata proportione habere, & in *verbis*, aut *propositionibus*, vel etiam *factis* revera *ambiguis*, in quibus licèt revera rigorosa *mendacii* ratio non vigeat, quòd in se ipsis duplicitatem sensus, & applicabilitatis contineant, non ideò licita indiscriminatim sunt æstimanda, nisi sufficiens, ac idonea causa illis utendi concurrat, sine qua non potest non esse imprudens locutio astutiæ pravitatem involvens, quæ ab Aquinate *2.2.q.55.art.3.* asseritur: *peccatum prudentiæ oppositum, quo quis non veris viis, sed falsis, & simulatis utitur ad finem, sivè bonum, sivè malum consequendum.* Falsa namque, & simulata locutio *amphibologica* inscribenda, utpotè repugnans obligationi, qua quivis obstringitur, loquendi cum plena simplicitate, quoties idonea in contrarium non vigeat causa, ad *amphibologiam* recurrendi, Ambrosio *lib.3.Off.cap.12.* monente: *Unusquisque simplicem sermonem proferat, vas suum in sanctificatione possideat, nec fratrem suum circumscriptione verborum inducat.* Pro quo in primis recolendum, quòd licèt in rigore ad *amphibologicas* locutiones dicta duplicitas sensus requisita, accipienda veniat de sensu propriè tali, adeò ut in *propositionibus* proscribendis, ab Ecclesia minimè attendatur sensus improprius, qui vel metaphoricè, vel ex quadam benigna interpretatione posset eis utcunque adaptari, ut ex *Bulla* Pii V. in Bajum notavimus *c.1.art.6.n.25.& c.5.art.4.nu.14.* Id tamen exceptionem patitur, quotiès aliundè constet *propositionem* aliquam nedùm ex Authoris mente, sed & ex concurrentibus circumstantiis id facere suadentibus, sumendam non esse in propria ejus significatione, sed in impropria, ac fortassis etiam in metaphorica, adeòut in Loctorum, vel Auditorum imperitiam, aut malitiam refundi debeat, quòd eam in vera grammaticali significatione accipientes decipiantur. Cujus exceptionis argumentum ineluctabile confici potest ex divinis literis, si præ oculis habeantur, quæ de ipsis dedimus *cap.1. art.3. num.11 .cap.2.art.10. per tot. cap.3.art.1.nu.2.& 3.& art.6.per tot.* ubi *n.14. & 15.* ex Hæreticorum perfidia ortum vidimus, quòd ad suos tegendos errores sacris textibus abusi sint, quæ in eis metaphoricè,

aut

aut mysticè, & figurativè asseruntur, in significatione quandoque sumentes, quæ citò grammaticaliter propria, aliena penitùs est à Spiritus Sancti intentione, à qua, ut vidimus *cap.3.art.6.* Sacra Scriptura accipit characteristicam denominationem Regulæ Fidei. *Non est putandum*, ajebat idcircò *in cap.1. ep. ad Gal.* Hieronymus, *in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis .... Tunc Scriptura utilis est Audientibus, cùm absque Christo non dicitur; absque Patre non profertur; & sine Spiritu non eam insinuat ille, qui prædicat; alioqui, & Diabolus, qui loquitur de Scripturis, & omnes hæreses secundùm Ezechielem indè sibi consuunt cervicalia, quæ ponant sub cubito universæ ætatis*. Et (*in fine Dialog.contra Luciferianos*) *Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt; cùm & Diabolus aliqua de Scripturis sit locutus; & Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo. Alioqui si literam sequimur, possumus & Nos quoque novum nobis dogma componere, ut asseramus in Ecclesia non recipiendos, qui calceati sunt, vel duas tunicas habent*.

49. Sacræ namque Scripturæ dignitas exposcit, ut non omnia literaliter exhibeat, sed quòd pleraque sub metaphoris, sub allegoriis, aliisque similibus figuratis velaminibus proponat *in exercitium studiosorum, & contra irrisiones Infidelium, de quibus dicitur*; (*Matt.7.6.*) Nolite Sanctum dare *canibus*, ut loquitur Angelicus 1.*p.q.1.art.10. ad* 2. Et proindè non vitium, sed mysterium agnoscere in hoc debemus, æquè ac in *amphibologicis* locutionibus, quæ frequenter in ea reperiuntur, diversorum propriorum sensuum capacibus, quorum quandoque alter à Spiritu Sancto intenditur, alter ab ejus intentione est alienus, quandoque verò uterque divinæ menti conformis. Quæ est potissima ratio, ob quam pluriès animadvertimus ad Sanctos Patres recurrere nos debere pro recta ejusdem intelligentia, & præ ipsis ad supremam Regulam vivam, summumque omnium Interpretem indefectibilem Romanum Pontificem. Quibus Ducibus facillimum fiet nobis, quæ contradictoria videntur, ad invicem conciliare, Christi Domini, & Sanctorum responsa percipere, canonicorumque Scriptorum germanum penetrare sensum, in quo ad nostram doctrinam sunt locuti, ut passim apud Sacros Interpretes videri poterit. Quodque de vocibus dicimus, factis applicandum satis manet insinuatum, ex quibus pariter constat non defuisse, qui propria excæcati malitia, ea in sensu non intento explicantes, in *impia* prorupere asserta, illas easdem actiones, quæ in puritatis, & sanctimoniæ signum sunt directæ, ad maculas, sordes, & immunditias designandas, habitas, interpretantes, ut nostra hac ætate contigisse abundè colligitur ex *propositione* 24. inter damnatas ab Alexandro VIII. *Oblatio in Templo, quæ fiebat à B.M.V. in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quòd indiguerit purificatione, & quòd Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundùm verba legis*: qua, nulla propemodùm detestabilior *blasphemia*, dùm quod Unigenitus Patris, ejusque Mater sanctissima in obedientiæ, divinæque legis, cui non erant subjecti, observantiæ specimen peregerunt, per horrendam calumniam, in eorumdem indigentiam interpretantur, ac si æquè ac Cæteri humanis sordibus inquinati purificari debuerint. Fuit quidem lex illa in hunc purificationis à sordibus finem imposita, à quibus Virgineus conceptus fuit remotissimus, dicente, *serm.de Purif.* Mellifluo; *Nihil in hoc Conceptu, nihil in Partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum. Nimirùm cùm Proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum, quid in me legalis purificet observatio, quæ purissima facta sum, ipso Partu immaculato?* sed non ita ad ipsum dirigebatur, ut non etiam relucerent in ejus executione exempla virtutum, ob quæ dignum fuit, quòd non eximerentur ab ipsius exercitio, qui à quolibet vel levissimo nævo erant prorsùs immunes. Purificata eatenùs est Virgo eo planè modo, quo circumcisus est Christus ex prælaudato Bernardo *ibid.* exclamante: *O Beata Virgo Maria, verè Tu non habes causam, nec Tibi opus est Purificatione, sed numquid Filio Tuo opus erat Circumcisione? Estò tamen inter mulieres tanquàm una earum, nam & Filius Tuus sic extitit in medio puerorum*. Cum quo concinit 3.*p.q.37.art.4. in corp.* Angelicus; *Respondeo dicendum, quòd sicut plenitudo gratiæ à Christo derivatur in Matrem, ita decuit, ut Mater humilitati Filii conformaretur; humilibus enim Deus dat gratiam, ut dicitur Jacobi 4. Et ideò sicut Christus licèt non esset legi obnoxius, voluit tamen circumcisionem, & alia legis onera subire ad demonstrandum humilitatis, & obedientiæ exemplum, & ut approbaret legem, & ut calumniæ occasionem Judæis tolleret: propter eamdem rationem voluit, & Matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia*. Et in (*resp.ad* 1.) licèt

B.Vir-

B. Virgo nullam haberet immunditiam, voluit tamen purgationis observantiam implere, non propter indigentiam, sed propter legis præceptum: & ideò signanter Evangelista dicit, quòd completi sunt dies purgationis ejus secundùm legem, ipsa enim secundùm se purgatione non indigebat.

50. Sivè igitur *facta* sint, sivè *dicta*, quæ varias suscipiant significationes, possunt in una earum usurpari, alia penitùs præcisa, aut etiam exclusa, & quidem minùs propriam impropriæ præferendo, quoties prælatio hæc urgentibus sit innixa motivis, & circumstantiis, ratione quarum aditus in errores maneat præclusus. Quæ cùm non militent in privatis Doctoribus sacra explicantibus dogmata, theologicasque exponentibus conclusiones, verba, quibus utuntur, in proprio, ac rigoroso sensu sunt ab eis usurpanda, & eatenus juxta eum ab Apostolica Sede, ut *remissivè* diximus *n.*48. proscribi solita, cùm præsertim sic accepta, ad pessimos errores inducant incautos. Quicquid in contrarium futiliter contenderint Jansenistæ, quos rejecimus *cap.*3. *art.*14. *num.*48. Ideòque optimè Clemens VIII. *Regulam* servandam in hoc puncto particulis illis hic repetendis concepit, expungenda declarantibus *verba dubia*, *& ambigua*, *quæ Legentium animos à recto, catholicoque sensu ad nefarias opiniones adducere possunt*. Quæ nedùm vim habet in *ambiguis* minùs propriè talibus, quòd videlicet alter eis insit sensus proprius, alter improprius, & indebitus, quales fuisse indicavimus *propositiones* Baji, quæ *aliquo pacto* sustineri poterant, non tamen *in rigore*, *& proprio sensu ab Authoribus intento*; verùm etiam in aliis, quibus sensus duplex verè competit, si semel pravus prævaleat, adeò ut vel *suspecta* haberi debeant de *hæresi*, si in materia fidei, vel *malè sonantia*, seu *piarum aurium offensiva*, si in materia morum, vel *scandalosa*, si aliis viam sternant ad spiritualem eorumdem ruinam cohærenter ad tradita respectivè *cap.*6. *art.*2. *& cap.*7. *art.*2. *&* 3.

ARTICULUS IX.

De *Propositione* Nova, *ac* Novitatis *commendandæ*, *vel reprobandæ distinctione*.

1. Novitatis denominationem tributam plerisque ex *propositionibus* à Summis Pontificibus Alexandro VII., & Innocentio XI. *damnatis* ad oculum patet inspicientibus eorumdem *decreta*, in quibus apertè declarant proprii animi mœrorem conceptum ob *complures opiniones*, quas scirent *partim antiquatas iterùm suscitari*, *partim noviter prodire*, ut loquitur Alexander, seu *partim ex diversis*, *vel libris*, *vel thesibus*, *seu scriptis excerptas*, *& partim noviter adinventas*, ut habet Innocentius. Qui tamen ad earumdem *proscriptionem* minimè se motos dixerunt ex præfato *novitatis* titulo, de quo in *damnatione* nulla expressa mentio, sed quòd essent, *ut minimùm scandalosæ*, *& in praxi perniciosæ*; ex quibus particulis licèt *alibi* observaverimus per Tò *ut minimùm* satis indicari, quòd *propositiones damnatæ* capaces esse possent aliarum *censurarum* majoris ponderis, non tamen inter has recensenda *novitas*, nisi aliundè constet inter theologicas *notas* eam numerari debere. Quod potiùs inferri posset ex altero prælaudati Innocentii *decreto* edito *sub die* 23. *Novemb.* 1679. quo profligavit duas illas *propositiones*, impugnandas *num.*13. alteram videlicet, *Deus donat nobis Omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, vel librum*: alteram: *Deus subjicit nobis suam Omnipotentiam*, exprimens eas è Fidelium cœtu prorsùs eliminandas, *uti temerarias ad minimùm, & novas*.

2. Sed neque ex hoc clara redditur illatio indicata, dum Tò *novas* non adducitur, ut *nota* disjunctivè distincta à *temeritate*, cum qua copulativum efficit sensum per conjunctionem *&*, adeò ut aliundè conjiciendum veniat, an *novitas* præcisè, qua talis, apta sit Pontificiam damnationem invehere, etiamsi de aliqua doctrina agatur, quæ communi Patrum, vel Theologorum consensui minimè contradicat? & quidem nec formaliter, nec virtualiter, aut habitualiter juxta monitum, quod ex Cardinali De Lugo exscripsimus *art.*5. *num.*8. *hujus cap.* ac proindè etiamsi à *temeritate* esset immunis, immò, & ab omni alio *censuræ* gradu, ex *ibid.* traditis *num* 6. *&* 40. Circa quod seligenda videtur resolutio negativa, quam productis non paucis Authoribus id ipsum sentientibus sic concepit Antonius Saura *in suo Plat. vot. de exam. prop. cap.*17. „ Sola *no-* „ *vitas* non inducit *censuram*, idest; Si do- „ ctrinæ Scripturis Decretalibus, Conci- „ liis, aut unanimi Patrum, & Scholasti- „ corum judicio non opponantur, illarum „ *novitas* nullam *censuram* theologicam „ continet, nec gradum *propositionis damnabilis*. Idcircò extra rem sunt, quæcum- „ que extrahuntur à Conciliis, & Patribus dicta

„ dicta contra *novitates hæreticas, erroneas,* & „ *temerarias in fide*, cùm applicantur adver„ sùs *novitates*, quæ Ecclesiæ, & receptæ „ doctrinæ non adversantur „ Et ratio est in promptu, quia si *novitas* præcisè inspecta esset simpliciter, & absolutè improbanda, nec commendari debuisset, *Scriba doctus in Regno Cælorum, qui profert de thesauro suo nova, & vetera*; nec Æterni Sapientia Patris de præcepto dilectionis pronunciasset: *Mandatum novum do vobis*, ut olim argumentatus est *tract.97.in Joann. sub finem* Augustinus: *Si omnis novitas prophana esset, nec à Domino diceretur*: Mandatum novum do vobis, *nec Testamentum appellaretur novum, nec cantaretur in universa terra Canticum novum*, ad Apostoli sic alludens præceptum, quo 1.*ad Tim.6.20.* non quaslibet, sed *prophanas* solummodò *vocum novitates* vitandas præscribit. Quam pariter authoritatem contra Manichæos *lib.15.contra Faustum* perstringit: *Quid agunt isti Evangelizantes nobis præter quod accepimus? nisi, ut nos à castitate corrumpant, quam Christo servamus, quando legem Dei culpant nomine vetustatis, & errorem suum laudant nomine novitatis; quasi omnis vetustas fugienda sit, aut omnis novitas appetenda, cùm & mandatum vetus in laude ponat Apostolus Joannes, & prophanas verborum novitates evitari jubeat Apostolus Paulus*: Quem itidem Augustino concinens explicat apud Suarez *lib.1. contr. Reg. Angl. cap.18. num.5.* Vincentius Lyrinensis: *Quid est, prophanas? quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, ab Ecclesiæ penetralibus, quæ est Templum Dei, penitùs extraneas. Prophanas vocum, inquit, idest, dogmatum, rerum, scientiarum novitates, quæ sunt vetustati, quæ antiquitati contrariæ.*

3. Ut autem in praxi innotescat, quænam sit *novitas* improbanda, inspicienda est potissimùm materia, circa quam eam haberi contingit. Si namque in dogmatibus fide divina credendis, *novum* aliquod insurgat assertum ab Antiquorum mente abhorrens, erit radicitùs evellendum. Neque enim Patres, ac Theologi fortius, ac convincentius argumentum unquàm in Hæreticos, de quibus *ep.2.cap.3.3.* Apostolorum Princeps: *Venient in novissimis diebus in deceptione Illusores, juxta pròprias concupiscentias ambulantes*, excogitarunt, quàm quòd eorumdem dogmata *recentia* essent, & nec à Christo, nec ab Apostolis tradita, & proindè omninò inepta, & insufficientia, ut præferrentur doctrinę de Mysteriis Divinis traditæ ab Ecclesia Catholica, quam inter alias præexcelsas ei singulariter competentes prærogativas, Apostolicam ex legitima ab Apostolis successione, & ab ipsomet Divino Verbo ortum agnoscentem indicavimus *cap.2.art.13.num.13. & 14.* Justino, & Cypriano prædicta syllogizandi forma utentibus *ibid.* adductis, quibuscum concordant Epiphanius *hæresi 76.* Aëtium Anomæorum Parentem *Antiquarios* veluti per irrisionem Catholicos nominantem redarguens: *Sancta Dei fides ab initio existens, & semper antiqua, & non inveterascens, semper est, & firmatum est hujus fundamentum, & existit habens suum Dominum sine tempore. Ideò neque ipsa temporalis existit, sed cum Angelis conversatur, & Sanctos per generationem, ac generationem ornat. Tu verò potiùs temporalis es, pastus, ac deceptus ab errore, & elatus mente etiam gregem suum fusim in pabulum spinosum implicuisti; nemo enim ex veteribus tecum sensit ò Aëti, qui contra Antiquarios scribens ipse temporalis es, & minimè Antiquarius*, Nazianzenus *orat.52.* vel *epist.2. ad Cledonium*, dum postquàm asserit usum hæreticorum esse, *cùm communibus sententiis, quas Scriptura exhibet, convinci, ac premi se vident, pias quidem dictiones confiteri, & circa mentem dolum struere*; admirabundus exclamat: *O ingentem absurditatem! absconditam post Christum sapientiam nobis annunciant, id, quod sanè lachrymis dignum est. Nam si triginta dumtaxat ab hinc annis fides initium sumpsit, cùm quadringenti jam ferè* (immò ad præsens dicere possumus, mille septingenti, & amplius) *anni fluxerint, à quo Christus manifestatus est, inane utique tanto tempore fuit Evangelium, inanis etiam fides nostra, frustraque Martyres martyria perfuncti sunt, & tales, tantique Antistites plebi præfuerunt*, Hieronymus *epist.65.* cum Pammachio, & Oceano de Origenis erroribus differens: *Quisquis es assertor novorum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostoli voce laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nescivimus? cur profers in medium, quod Petrus, & Paulus edere noluerunt? Usque ad hanc diem, sine ista doctrina mundus Christianus fuit. Illam senex tenebo fidem, in qua puer natus sum.* Et frequentissimè cæteri Patres, pro quibus unicus satis sit Athanasius, quem refert Theodoretus *lib.4. hist. cap.3.* ad Jovianum Imperatorem, de Divinitate Verbi dixisse: *Pro certo scias Auguste, hanc ipsam ab omni sæculorum memoria prædicatam fuisse.*

4. Veritatem hanc agnovere proculdubiò Hæterodoxi omnes, antiquitatem idcircò pro adinventis suis erroribus passim aperto promentes mendacio, D. Gregorio *lib.2.mor.cap.15.* teste: *Hæretici, ut ea, quæ asserunt,*

runt, commendare stultis mentibus hominum, quasi de antiquitate possint, antiquos Patres se habere testantur: atque ipsos Doctores Ecclesiæ, suæ professionis Magistros dicunt. Cumque Prædicatores despiciunt de antiquorum Patrum Magisterio falsa præsumptione gloriantur: ut de Wicleph scribit *tom.1.lib.1.cap.34.* Waldensis referens solitum eum dixisse „ A' Modernis „ dissentio, sed cum multis Sanctis antiquis, „ & specialiter Augustino convenio „ Nec discrepant Calvinus *lib. de præd.st.*,, Augusti„ nus adeò totus noster est, ut si mihi con„ fessio facienda sit, ex ejus scriptis contex„ tam proferre abundè mihi sufficiat „ & Lutherus *de servo arbitrio* „ Totus meus est Augustinus. „ Et proindè Angliæ Rex, ne adversùs arundineum supremi Capitis principatum in spiritualibus, ab ipso nequissimè exercitum objiceretur *novitas*; Cùm sole ipso clarius sit, nusquàm in Evangelio legi Ecclesiam Regibus commissam, sed Petro, Apostolis, & Episcopis, *Matt.16. 18.28.Jo.21.Act.20.*, nusquàm in Apostolicis literis præcipi fidelibus obedire Regibus, in his, quæ ad æternæ Beatitudinis consecutionem pertinent, sed Præpositis, qui rationem Animarum eorum curæ demandatarum sunt reddituri *ad Hæbr.10.* nusquam à Catholicis Regibus potestatem prædictam usurpatam ante Henricum VIII., à quo venenatam sumpsit originem: eam vetustatis velo tentavit obtegere execranda, ac simulata promissione:, quoties Reli„ gionis, quam profiteor, ullum Caput „ ostendetur non Antiquum, Catholi„ cum, & Apostolicum, *sed Novitium* „ esse (*in rebus scilicet spectantibus ad fidem*) „ statim „ *ab eo discessurum*, se asserens; ut videre est apud Suarez *lib.1. cont. Reg. Angl. cap.17.num.15.* Sicuti è contra Romanæ Ecclesiæ fidem *Apostolicam* habendam non esse contendit, quòd dogmata sustineat *nova* veteribus permixta, *novitia*, ac *nupera* vocans pleraque ex ipsis, puta B. Virginis, & Sanctorum invocationem, Reliquiarum cultum, venerationem imaginum, & id genus alia, quorum antiquitatem Sacræ Scripturæ, Divinisque, ac Apostolicis Traditionibus innixam, vindicatam, qui cupit percurrere, Polemicos adeat, qui de eis ex professo pertractant.

5. Ad rem namque præsentem recolere in primis sufficit, distinctionem, observationemque, quam dedimus *c.3.art.7.* quòad mysteria, in lege Evangelica revelata, quæ sumi possunt, & relatè ad Legem veterem, & relatè ad invicem, juxta temporis varietatem, ratione cujus clariùs sæculis posterioribus innotuere, quàm in nascentis Ecclesiæ incunabulis. In eo autem ea sistit, quòd, etsi articuli omnes fidei in lege *nova* manifestati, quantùm ad substantiam non differant à creditis in Lege veteri, in quibus *implicitè* continebantur; Tò tamen *implicitè* non est sumendum, ut sensus sit nullam esse factam per Christum *novam* revelationem Mysteriorum, quæ nempè aliquod Dogma afficeret, quod anteà indicatum non erat. Dum sicuti *nova* dicitur lex, ita & *nova* potuit in ea fieri revelatio; sed ita dumtaxat, ut quæ de *novo* revelata fuere, virtualiter imbiberentur in primis Credibilibus, veluti in quibusdam universalioribus principiis, à quibus cætera dependent, & cum quibus connectuntur, quo sensu explicuimus Angelicum, & intelligendus præsertim videtur Epiphanius *num.præc.relatus*. Non sic autem *nova* dici possunt Mysteria, quæ decursu temporis ab OEcumenicis Conciliis, aut ab Apostolica Sede, fide divina definiuntur credenda, quæ priùs explicitè minimè fidei divinæ quòad Nos habebantur objecta. De his namque *nova* nullatenùs extat revelatio, sed *nova* dumtaxat, ac explicita antiquæ, licèt non adhuc agnitæ revelationis manifestatio, ob rationes, quas pariter expendimus *cap.3.art.9.num.2.3.4.*

6. Neutra autem *novitas* venerandæ antiquitati repugnat, quam in sacris Dogmatibus cum D. Basilio *lib. de Spiritu S. cap.29.* ducimus exquirendam: *Veneranda sunt enim vetusta dogmata, quòd ob antiquitatem, seu canitiem quandam habeant quiddam reverendum*; dum utraque *suum Dominum sine tempore* habeat, & cum *Angelis conversetur*, ut *nuper* locutum vidimus Epiphanium. Et proindè prior etsi secum revelationem anteà non habitam trahat, hæc tamen ipsum Verbum, per quod facta sunt omnia, sempiternum agnoscit humana indutum specie Authorem, in quo cùm sint *omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei*, non *novæ* absolutè inscribi debent, quæ indè eruta nobis manifestantur, sed *novè* ignaris nobis exhibita, quæ in eis latebant, ipsi, priùsquàm formaretur terra, & orbis notissima. Posterior nec ipsam revelationem importat, quæ ab Evangelicæ legis primordiis Apostolis communicata non fuerit à *Spiritu Veritatis* eos *omnem veritatem* docente, sed *novam* veteris revelationis explanationem per OEcumenica Concilia, aut Apostolicam Cathedram eodem eam suggerente *Spiritu veritatis* habitam, cujus tamen fundamentum in *Montibus Sanctis*

Sanctis sit situm, Apostolis videlicet, & Prophetis, quorum *authoritas portat infirmitatem nostram*, ut loquitur in *Ps.86.* Augustinus, undè & perpetuò de Romano Fidelium Cœtu verificetur aureum Apostoli *ad Eph. 2.19.* encomium: *Jam non estis Hospites, & Advenæ, sed estis Cives Sanctorum, & Domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari Lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum sanctum Domino*, solique ipsi ex indicatis *cap.2. art.11. num.12. & 13.* competat *Catholicæ* Ecclesiæ nomen, à qua discedentes Hæretici, non à Christo denominationem sortiuntur, sed ab impudentissimis perniciosorum dogmatum Inventoribus, ut *ibid.* ex Justino, & Cypriano notavimus, & de Simonis Magi Sectatoribus similiter animadvertit *lib.1. cap.20.* Irenæus: *Habent quoque, & vocabulum, seu nomen à Principe impiissima sententiæ Simone, dicti Simoniani.*

7. Quòd si Dogmatum canitiei non repugnat *nova* pristinæ revelationis declaratio, per quam, quòad Nos fide divina credenda efficiantur, quæ in se talia, ut talia nihilominùs explicitè non tenebantur, cohærenter etiam ad tradita *c.5. art.2.* ubi probavimus *hæreticam*, non verò *erroneam* inscribendam *propositionem* oppositam *articulo* explicato, ex implicitè revelatis; longè fortioribus terminis ei minimè contradicit *nova* dumtaxat aliqua nomenclatura, quæ ad *hæresum* validiorem extirpationem, significantiori quadam expressione, designat, quod perpetuò fuit in Ecclesia creditum, juxta ea, quæ expendimus *cap.3. art.4.* præsertim à *num.13.* Arianorum præ aliis retundentes pervicaciam, qua olim *Homousion* nomen, & vocabulum, tanquàm *novum* impugnabant, non ponderantes cum Sanctis Doctoribus *ibid.* relatis, & cum Augustino *tract.97. in Jo.* quòd Patres adversùs impietatem *Arianorum novum nomen Homoasion condiderunt, sed non rem novam tali nomine significaverunt; Hoc enim vocatur Homousion, quod est*: Ego, & Pater unum sumus, *unius videlicet, ejusdemque substantiæ.* Quo itidem argumento *epist.1. ad Presb. &c.* S. Cyrillus perstrinxit Nestorianos adversùs vocem *Theotocon* furore non dissimili debaccantes: *Admiratus sum, an sint qui dubitent, nùm Beata Virgo, Deipara dicatur alicubi, an non dicatur? Si namque Deus est Dominus noster Jesus Christus, quomodò Virgo, quæ illum peperit, Deipara non est? Hanc nobis fidem divini tradidere Discipuli, & licèt nullam fecerint dictionis hujus mentionem, ita tamen sentire à Sanctis Patribus edocti sumus.*

8. Quæ verò de Sacris Dogmatibus sunt hùcusque ponderata ad eliminandam circa ea perversæ *novitatis* pruriginem, ob quam Fidelium derisioni meritò expositum Origenem vidimus *c.7. art.7. n.8.* servandam verò eam, quæ ita *novitatis* potitur vocabulo, ut antiquitatis dicenda potiùs veniat; *nova* vel manifestatio, vel declaratio, vel etiam explanatio, ac illustratio; applicari facillimè possunt ad discernendam *novitatem*, quæ à Sacræ Scripturæ interpretatione sit penitùs abjicienda, ab ea, quæ in ejusdem obsequium admitti valeat, debita tamen cum moderatione, ac subjectione erga Patres, Doctores, & maximè erga Supremum Literarum Divinarum Interpretem Romanum Pontificem. Perbellè idcircò Bernardus *in fin. homil. super* Missus est: *novam* promens explicationem, ab objectis, quæ adversùs eam fieri posse suspicabatur, præventivè vindicare se satagens, indicatam discriminis rationem insinuat: *Lectionem Evangelicam exposui, sicut potui; nec ignoro, quòd non omnibus placebit, sed scio ob hanc rem multorum fore indignationi obnoxium, aut judicabor superfluus, aut præsumptor; quòd videlicet post Patres, qui hunc ipsum locum plenissimè exposuerunt, rursùs in eodem novus Expositor ausus fuerim mittere manum; sed siquid dictum est post Patres, quod non sit contra Patres; nec Patribus arbitror, nec cuiquam displicere debere, ubi dixi, quod à Patribus accepi: dum sic absit typus præsumptionis, ut non desit fructus devotionis, patienter audiant de superfluitate causantes.* Ex quibus verbis, nitidiùs apparet, quàm fundata fuerit insubsistentiæ suspicio, quam concepimus *art.7. à num.2.* contra *novam* Christi Genealogiæ explicationem ab Aliquibus invectam Recentioribus adversùs probatum Patrum consensum, ut inutile prorsùs sit denuò *hic* de ea sermonem facere, sicut & ad vitandam prolixitatem percurrenda proponimus pertractata *cap.2. art.10. cap.3. sex prior. art. c.7. art.7.* & *alibi* sæpè, quæ ad *novitatem* improbam, dignoscendam in sacrarum Literarum interpretatione, abundè sufficiunt; nec non etiam ad eam discernendam à *novitate*, quæ pruriginosa non sit, nec irreverens in Sanctos Patres; sed quæ obsequentissimè excipiens traditas ab eis explicationes, aliquam aliam eruat, ipsismet Patribus ducibus, ac veluti facem ad eam indagandam præ se ferentibus, juxta Petri Cellensis *lib.3. epist.4.* adnotationem: *De multiplici verò sensu Scripturarum, vel Judiciorum Dei, quæ nunc plura fiunt, quasi diversa, non tamen contraria à fide sentire non est exorbitare.*

tare. Hic enim sonus est alarum animalium in Ezechiel se ad invicem percutientium, quia sanctæ animæ de thesauro Sapientiæ, & Scientiæ Dei largiter accipiunt, inde corpus Ecclesiæ in augmentum Corporis Christi diversarum gratiarum compagine satis eleganter componunt. Adhibita tamen semper debita cautione, ut non nisi intra probabilitatis limites proferantur explicationes, quas clarè non constet esse à Spiritu Sancto intentas, ut tetigimus *cap.3. art.6.num.14.*

9. Nec aliter discurrendum de *novitate* in conclusionibus theologicis, monet in prologo *in exposit. vision. Ezech.* Richardus Victorinus, objecto, quo contendebatur nefas videri, quòd quis aliquid statuat à Sanctis Patribus non agitatum, respondens; *Quidam quasi ob reverentiam Patrum nolunt ab illis omissa attentare, ne videantur aliquid ultra Majores præsumere. Sed inertiæ suæ hujusmodi velamen habentes, otio torpent, & aliorum industriam in veritatis investigatione, & inventione derident, subsannant, & exsufflant. Sed* qui habitat in Cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. *Nos autem à Patribus pertractata cum omni alacritate perquiramus, & sagaciter inventa cum omni liberalitate in commune proferamus, ut impleatur, quod scriptum est*: pertransibunt plurimi, & multiplex erit *scientia*. Levitas itaque fugienda est, cavendumque, ne circumferamur præcipites omni vento doctrinæ, absque urgenti ratione, solidoque fundamento, quicquid in cerebrum venit, propugnando. In quem finem duo hic placet subnectere doctrinarum exempla, in quorum altero perniciosa intersit *novitas*, altero verò *novitas* laudanda effulgeat, ut in reliquis expeditiùs ocurrere valeat, quid sit absque theologica ulla *nota* approbandum, quidve tanquam *censura* dignum sit respuendum. Illud autem in quadam, nescio cujus Recentioris, meditatione consistit, quam olim qualificandam, delatam sibi fuisse testatus mihi est Clarissimus Concivis, & *Scrutinii hujus* Locupletator potiùs inscribendus, quàm Censor, super Paternitate Sancti Joseph, quem dici posse vera aliqua ratione Patrem Christi naturalem, ejusdem Author futilibus observationibus contendebat. Quæ sitæ præsertim erant in probabili Thomistarum sententia admittentium seriem determinatam effectuum, ex qua inferebat individuum humanitatis Christi servato naturali generationis ordine non nisi ex Joseph, & Maria oriri debuisse, indè deducens, quòd non obstante derivationis hujus ex Joseph supplemento à Deo habito, adhuc Joseph denominari debeat naturalis Pater Christi, dum hæc denominatio non destruitur, sed potiùs dignificatur virtute eminentialis continentiæ ipsius, quam dicit Deus, eam miraculosè perficiens: Sicuti intellectus beati, qui in sententia S. Thomæ Verbum non format in visione beata, sed loco Verbi à se producti unitum tenet ipsum Verbum Divinum, non est inferioris conditionis, immò melioris, quàm si propria actione Verbum produceret. Quod totum confirmabat ex eo, quòd S. Joseph Pater Christi ab omnibus existimetur, quantumvis putativus; sic autem inscribendus non esset, eò ipso quòd dici in aliquo vero sensu Pater naturalis non posset; Aliter Deus causa videretur erroris, & deceptionis, ad eum planè modum, quo causa deceptionis esset, si accidentia Eucharistica revera non existerent, sed meræ essent apparentiæ intentionales. Eò vel maximè, quòd ipsamet Beatissima Virgo, quæ conscia erat propriæ Virginitatis, adhuc Joseph vocabat Christi Patrem: *Ego, & Pater Tuus dolentes quærebamus Te. (Lucæ cap.2.48.)*

10. Quis non videt *novitatem* in hoc discursus circuitu *temerariam* prorsùs, & improbandam? Putativum Patrem cunctis retrò sæculis appellatum Joseph scimus, & Author prædictus non diffitetur, & quidem exclusivè quoad naturalis Paternitatis denominationem, quæ, utpotè consurgens ex actione generativa, ipsi respectu Christi nullatenùs potuit competere. Ad quid igitur aliam locutionis formulam inducere, quæ hactenùs non est agnita? habeat, & ipsa suum aliquem verum sensum, & nec absolutè proferatur, sed cum sufficienti limitatione, nunquid ideò usurpanda, Patribus, & Theologis in eam absolutè acceptam unanimiter conclamantibus? Sed neque verus, ac proprius hic sensus rationabiliter supponitur, etiamsi attendatur opinio de effectuum serie, quæ dum non ab omnibus admittitur, sufficiens esse nequit ad inducendam *novam* appellationem usque adhuc rejectam. Cùm præsertim, ea transmissa, nec sequitur in Joseph erga Christum Paternitas, nec in Christo erga Joseph filiatio naturalis, sed ad summum sola in Christo (si fas sit ita loqui) filiabilitas, in Joseph Paternitivitas, seu filiatio, & paternitas respectivè in actu primo, non autem in actu secundo, quæ non exurgit ex actione, quæ esset sub hypothesi non purificata, sed ex actione, & passione, quæ verè in re fuerint,

etiam

etiam juxta Angelicum *lib.5. metaph.lect.17. de rel.2.gen.* dicentem fundari in virtute activa, & passiva *secundùm quod una res ab alia accipit, vel alteri confert aliquid*, non (inquit) potest accipere, sed *accipit*, nec potest conferre, sed *confert*, & in (*3.sent.dist.8.q.1.art.5.*) *Considerandum est, quòd quædam relationes non innascuntur ex actibus, quòd sunt in actu, sed magis secundùm quòd fuerunt, sicut aliquis dicitur Pater, postquàm ex actione est effectus consecutus, & tales relationes fundantur super id, quod in Agente ex actione relinquitur.* Non omisso etiam quòd in transmissa opinione seriei effectuum, nec simpliciter posset deduci indicata paternitas, & filiatio, veluti potentialis, & in actu primo, dum nulla convincens traditur ratio, ob quam Deus obstrictus fuerit designare in Patrem putativum Christi, illum dumtaxat, ex quo Christus oriri debuisset, semel posito, quòd naturaliter esset gignendus.

11. Miraculosa autem actionis generativę suppletio, etiamsi majorem dignitatem annexam habeat ipsamet naturali generatione, non tamen hic perfectionis excessus naturam ipsam afficit actionis generativæ, quæ nequaquàm existit, ac proindè meliorem conditionem reddit, sed non in formali eadem linea generationis, quæ deficit. Sicuti quoque intellectus Beati juxta Thomistica principia, per hoc, quòd teneat Verbum Divinum, melioris conditionis efficitur, quàm si Verbum produceret, non tamen melioritate, qua dici queat perfectiori modo producens. Aliter Paternitas Joseph habenda foret in suo esse Paternitatis perfectior Maternitate Deiparæ, dum hæc ex generatione ipsa ortum duceret, illa verò haberetur Deo eminenter supplente generationem activam: Quę proindè, vel ex hoc capite, naturalis denominari nequit ad Angelici mentem, qui *3.p.quæst.35.art.3.* obiiciens miraculosam generationem non sufficere *ad rationem maternitatis, vel filiationis, non enim dicimus Evam fuisse filiam Adæ, ergo videtur, quòd nec Christus debeat dici filius B. Virginis.* Respondet *ad 2.* Damasceno innixus, quòd *ex parte Matris nativitas illa fuit naturalis, sed ex parte operationis Spiritus S. fuit miraculosa, undè B. Virgo est vera, & naturalis Mater Christi.* Nec validior est illatio deceptionis, cujus causa prætenditur Deus, si Joseph in aliquo vero sensu non fuisset naturalis Christi Pater; quæ si vim haberet, fieri & similiter posset in plerisque aliis miraculosis effectibus. Sicque Causa deceptionis dicendus Deus, e.g. quoties in duplici circumscripto, & diffito loco replicat aliquem Sanctum: Sive namque id eveniat per replicationem substantiæ ipsius, sivè per Angelum repræsentantem ipsius Personam; semper, qui vident illum in uno loco, existimant non esse in altero; nec judicant Angelum esse, sed hominem. Ad quod judicium sufficit, quòd adsint sufficientia signa externa, ex quibus colligi possit ejus existentia in hoc, vel illo loco; sicut respectu Joseph habebantur, ex quibus indicaretur Pater naturalis Christi, & quidem nedùm in aliquo vero, sed in vero simpliciter sensu.

12. Ac proindè deceptio non in Deum refundenda, sed in defectum majoris luminis, quo carentes homines nequibant mentem propriam elevare ad dignoscendas supernaturales Omnipotentis operationes, quod & dicendum de Eucharisticis speciebus, sub quibus sola divina revelatio dignoscere facit, non adesse panis substantiam, quę aliàs censeretur sub illis adesse. Cùm præcipuè in casu nostro Joseph Pater Christi erat denominandus, dicente *lib.2. de cons. Evang. c.1.* Augustino: *Neque enim propterea non erat appellandus Joseph Pater Christi, quia non eum occumbendo genuerat, quandoquidem rectè Pater etiam esset ejus, quem non ex sua conjuge procreatum aliundè adoptasset.* Putabatur quidem Christus etiam aliter filius Joseph, tanquàm ex ejus omninò (non in aliquo dumtaxat sensu) carne progenitus, sed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat Virginitas. Talis idcircò non censebatur ab ipsamet Virgine, quæ nihilominùs Patrem ipsum nominabat ea solùm ratione, qua ex eodem Augustino, Evangelista de eadem Virginitate, & ipse perfectissimè conscius Patrem vocare non omisit: *Cùm igitur ipse narret, non ex concubitu Joseph, sed ex Maria Virgine natum Christum, undè eum Patrem ejus appellat, nisi quia & virum Marię rectè intelligimus sine commixtione carnis ipsa copulatione conjugii? Et ob hoc etiam Christi Patrem multò conjunctiùs, quàmsi ei esset aliundè adoptatus? Undè manifestum est illud, quod ait:* Ut putabatur filius Joseph, propter illos *dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrabantur.* Procul igitur ab Ecclesia abigenda *novitas* ista, quæ nedùm *temeraria* ex prædictis apparet inscribenda, sed & objectivè saltem inspecta plerisque aliis censurarum gradibus afficienda, & præsertim *blasphemiæ* ob injuriam, quam involvit in Christum, Mariam, & Joseph, indicans in rigore sermonis per carnis commixtionem illum ab his generatum, à qua insinuatis verborum circuitionibus

nibus ob eorumdem improprietates nullatenus attendendas, non potest defæcari, estò per eas Pronunciantis mens inferri valeat à recta fide non devians, qui tamen cautiùs locutus fuisset, si præ oculis habuisset Hieronymianum effatum *cap.6. art.3. nu.8.* explicatum; *Ex verbis inordinatè prolatis nascitur hæresis.*

13. Quod judicium nullus hæsitet extendendum, & ad illas duas *propositiones n.1.* exscriptas, per quas Divina Omnipotentia impudenti depressione subjecta affirmatur libero hominum arbitrio, ad eum modum, quo, cùm quis alteri villam donat, in Donatarium villæ dominium transfert, illud abdicando. Ac si Deus, Dominus ampliùs non sit voluntatum nostrarum, quarum operationes impedire etiam volens, non possit, nec secundæ causæ liberæ sint Primæ subordinatæ, sed Prima secundis; nec proindè in Prima alia vigeat eminentiæ prærogativa, quàm quòd liberè propriam Omnipotentiam creaturæ subjiciat, ejusque in eam veluti dominium transferat; quinimò nec omninò liberè, sed necessariò ex suppositione saltem, quòd velit creaturam liberè agere. Cùm tamen in contrarium, illud *Prov.21.1.* obstet: *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quòcumque voluerit, vertet illud,* ut idcircò verissimè Augustinus *de corrept. & grat. cap.14.* & cum Augustino Theologi omnes; *Deus magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.* Quin ullus usque adhuc paritate prædicta in Primam causam adeò *contumeliosa* uti unquàm fuerit ausus, jureque idcircò unà cum assertione, in cujus confirmationem adducta est, tanquàm *temeraria*, & *nova* ab Apostolica Sede proscripta, per quam aliàs prorsùs futiles redderentur nostræ ad Deum preces, ut operationes nostras in salutis viam dirigat, ut sæpissimè arguit idem Augustinus, nempè (*cap.18. de nat. & grat.*) *Quid stultius, quàm orare, ut facias, quod habes in tua potestate?* (*lib.4. ad Bonif. cap.9.*) *Oramus pro repugnantibus, & repugnantibus expetimus, ut fiant ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes, à quo, nisi ab illo, de quo scriptum est*: præparatur voluntas à Domino? (*c.18.*) *Inaniter, & perfunctoriè potiùs, quàm veraciter Deo fundimus preces, si ad ejus non pertinet gratiam, convertere ad fidem suam, ipsi fidei contrarias hominum voluntates. Prorsùs non oramus, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non illum credimus facere, quod oramus. Si petimus, quod credimus in nostra potestate* (*de dono persev. cap.2.*) *Nonne & ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante, esse in hominis potestate. Sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod, cum donavit, ipse nec fecit?* Quibus tamen non obstantibus parumper excessisse videtur Gonetus *tom.1. clyp. theol. Thomist.* autumans decreto prædicto perculi decreta Medisstarum indifferentia. Cùm non debeat converti in opinionem ipsam, cujus defensio impunè ab Apostolica Sede permittitur, quod contra ejus abusum à Supremo orbis Magistro proscribitur, nisi fortè probabiles indè eruendo theologicas illationes, probabilibus responsionibus ab ejusdem opinionis Patronis solvendas.

14. *Nova* è contra visa est Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis immunitas ab originali peccato, cùm illam defendendam suscepit Mariano-Subtilis Magister, vigente tunc temporis opinione contraria. Non tamen, vel Sacræ Scripturæ, vel Patribus revera opposita. Quinimmò & Divinis literis summoperè innixa, & SS. Patrum locutionibus plenè conformis, si non formaliter, & expressè, virtualiter ad minùs per theologicas ponderationes solidissimè præsertim erutas ex figuris, comparationibus, ac titulis, quibus non perfectè, ac plenè decorari potuisset, si pro aliquo, vel minimo instanti lethali originariæ culpæ fuisset obnoxia; à qua è contra cùm fuerit libera, omni cum proprietate (*Sap.7.26.*) *Speculum sine macula Dei Majestatis.* (*Sap.7.29.*) *Speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata invenitur prior.* (*Cant.4.7*) *Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in Te.* (*Lucæ 1.28.*) *Gratia plena*, innumerisque aliis elogiis meritissimè, ac verissimè est insignita exprimentibus integram, absolutam, & nulla ex parte obnubilatam pulchritudinem, quam *sol, & luna mirentur*; cujusque vi, verificetur ipsam *ea puritate nitere, qua major sub Deo nequit intelligi*, ut de ea cum Anselmo *de Concept. Virg. cap.18.* canit triplex Seraphicus Ordo *in off. Imm. Concept.* ad id afferendum potissimùm conducente Augustini *lib.3. de lib. arb.* regula: *Quicquid tibi vera ratione sciendum occurrerit, sciat Deum fecisse bonorum omnium Conditorem.* Attento etiam quòd adversùs singulare hujus modi Deiparæ privilegium nihil adduci queat, quod promptam non habeat adæquatam solutionem, qua mota successu temporis Trid. Synodus *sess.5. in Decr. de pecc. orig.* declaravit *non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem* confor.

formiter ad Augustini *lib. de Nat. & grat.* protestationem Pelagio respondentis: *Excepta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsùs cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem* &c.

15. *Nova* igitur visa est immunitas ista, quòd communiter à Theologis nequaquàm admitteretur. Deo sic disponente, ac ejus defensionem reservante Seraphicæ S. Patris Francisci Familiæ, ipsiusque celeberrimo Doctori Joanni Dunsio, à quo ad *articuli præsentis* intentum, exemplar desumere debemus, modestiamque addiscere, qua liceat, quandoque sententiam in re theologica *novam*, seu veriùs, quæ *nova* appareat, propugnare. Perpendens namque Mariano-Subtilis Magister opinionem asserentem Virginem in originaria labe conceptã communiter suo ævo defendi: *Dicitur communiter*, *quàlis*, oppositam sententiam absolutè noluit propugnare, sed rationes contrarias invictè rejiciens, ac longè excellentioris gradus Redemptionem Christo Domino competentem ex Virginis præservatione comprobans, quæstionem priùs de possibili resolvit: *Dico, quòd Deus potuit facere, quòd ipsa nunquàm fuisset in peccato originali, potuit etiam fecisse, ut tantùm in uno instanti esset in peccato; potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato, & in ultimo instanti illius temporis purgaretur*. Dein verò, quid ex his tribus factum fuerit, expendens, aureis hisce verbis exponit: *Quid autem horum trium, quæ ostensa sunt esse possibilia factum sit, Deus novit. Si authoritati Ecclesiæ, vel auctoritati Scripturæ non repugnat, videtur probabile, quod excellentius est, attribuere Mariæ*.

16. Tali autem obsequio erga Scripturam, erga Ecclesiam proposita *novitas* efficacissimis fulcita ratiociniis, nunquàm erit satis laudanda, dum per eam *antiquitas* non impugnatur, sed illustratur, veritas non offenditur, sed exponitur, facer textus non negligitur, sed declaratur, Patrum locutiones non contemnuntur, sed aliis fortioribus explanantur. Oh quam, proindè majorem promeruit Scotus gloriam, quàm ex cunctis aliis editis subtilissimis operibus, & insigne Mariæ privilegium adeò cunctis Fidelium cordibus mansit infixum, ut quælibet de eo suspicio *pietati* erga tantam Virginem debitæ ferè censeatur repugnans. Cùm præcipuè in favorem ejus cunctì ferè accesserint supremi Apostolicæ Cathedræ Moderatores, vel opinioni contrariæ imponentes silentium, vel approbantes Confraternitates, Oratoria, Provincias sub immaculatæ Conceptionis titulo, vel Indulgentias impertientes illam venerantibus, vel Festum instituentes, & quidem ubique de præcepto servandum ex nuperrimo SS.D.N. mandato, de quo *cap. 4. art. 9. num. 12.* vel prohibentes illud sub sanctificationis vocabulo indigitari, ut non ampliùs *nova*, sed *vetus* dicenda veniat *pia* de immaculata Virginis præservatione ab originali culpa sententia, qualem eam expressit Alexander VII. in sua *Const.* Sollicitudo omnium *Ecclesiarum*, inquiens *sanè vetus est Christi fidelium erga ejus Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sententium ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, & privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, à macula originalis peccati præservatam immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium, & celebrantium*.

17. Post quæ eximius Apostolorum Principis Successor Prædecessorum suorum *Constitutiones* mox indicatas referens, & præsertim Sixti IV. Pauli V., & Gregorii XV. eas confirmat, & innovat, *piam* perpetuò illam appellando: *Et insuper omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ, & festo, seu cultui secundùm illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut sub quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, sivè Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, sivè Doctores glossandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, seu occasione, scripto, seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo disserendo, ausi fuerint, præter pœnas, & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus, & per præsentes subjicimus; etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & passiva in quibuscumque electionibus eò ipso absque alia declaratione privatos esse volumus, nec non ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere, absque alia declaratione, à quibus pœnis non nisi à Nobis ipsis, vel à Successoribus nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint; nec non eosdem aliis pœnis nostro, & eorundem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subjacere volumus, prout subjicimus* &c. Quem

18. Quem §. nedùm in Immaculatæ Conceptionis venerationem, Tantique Pontificis laudem extendere placuit, sed ut ex eo obiter inferatur legitimus sensus *propositionis*, quæ in *catalogo censurarum ordine alphabetico digesto*, utili, ac diligenti labore Canonici Nicolai Antonii Cuggiò Tribunalis Cardinalis Vicarii pervigilis Secretarii collecto, ac *libello*: Auvertimenti di S. Carlo, *tertiæ editionis anno* 1702. inserto, & à Cleri Apostolico Examinatore Francisco Campiono Ord. Cler. Matris Dei *in sua instruct. pro præpar. se ad audiendas confess.* exscripto, *pag.* 242. 1. *part. hujus instruct.* legitur: *De Conceptione B. M. V. opinionem affirmativam, vel negativam impugnans incurrit excommunicationem Papæ reservatam, aliasque pœnas, Extr.* Grave nimis *de Reliq. & ven. SS. renovatas per subsequentes Pontifices, & Sanctam Inquisitionem*. Si namque sensus ejus est, ut ex æquo excommunicationi obnoxii sint, qui impugnant Conceptionem Virginis macula infectam originali, ac qui illius immunitatem à labe reiiciunt, pœnitùs alienus est à mente Alexandri VII. renovantis *Constitutiones* Prædecessorum, & apertissimè relato §. prohibitionem restringentis ad impugnationem *opinionis piæ* sub quocumque prætextu, nullo facto verbo de impugnatione alterius, quam omninò permittit per particulas illas: *vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo*, quibus se declarans non interdicere, quòd contraria argumenta *in piam opinionem* referantur, sed quòd *insoluta* relinquantur, clarum reddit honestum, & laudabile esse, quòd sententia *piæ opinioni* contraria impugnetur, cujus rationum responsionem inculcat.

19. Quin obstet alter *Constitutionis* §. Quo Sixti IV. *Constitutionibus* inhærendo vetatur *quempiam asserere, quòd propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cùm à Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondùm fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus; quin potiùs contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos subjecit Sixtus IV. aliique Prædecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis subjicimus, quas in contrafacientes huic nostræ Constitutioni superiùs inflirimus*. Cùm potiùs ex his verbis lucidiùs eruatur discrimen inter *piam opinionem*, & contrariam, in eo consistens, quòd, qui pro *pia* certat, dumtaxat fieri potest excommunicationi subjectus, si asserat, quòd defendentes contrariam, *hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant*, adeò ut excommunicatio non impugnationem contrariæ, quæ supponitur digna encomio, percutiat, sed præsumptuosam ejus *peccati mortalis, aut impietatis* damnationem. Qui verò pro contraria dimicat, per hoc solum excommunicatione irretitur, si in ejus favorem sub *quovis prætextu, seu occasione, scripto, seu voce loqui concionari, tractare, disputare, contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo disserendo, ausi fuerint*.

20. Quinimmò Cardinalis Everardus Nidhardus Societatis Jesu Theologus, & apud Apostolicam Sedem pro Catholica Majestate olim Orator *in suo examine theologico quatuor propos. Anonym. quibus respergunt maculam cultui, festo & c. sententiæ piæ de Immac. Concep. nec non & Constit. Alex. VII.* eidem Summo Pontifici dicato *par.* 4. §. 7. inflictam excommunicationem damnantibus opinionem contrariam *peccati mortalis, hæresis*, aut *impietatis* limitandam autumat ex præcedenti causali *propter hoc*, Acsi dicat, ne-
„ mini fas esse opinionem contrariam,
„ eamque tenentes, dictis *censuris* assertivè
„ afficere *propter hoc*, quòd scilicet toto suo
„ diplomate Apostolico in favorem senten-
„ tiæ *piæ*, festi, & cultus, secundum illam
„ ab Ecclesia exhibiti præmiserat, dispofue-
„ rat, sanxerat, prohibuerat &c. Utrùm
„ autem aliundè, & ex aliis principiis, at-
„ que motivis è sacra Pagina, SS. Patrum,
„ ac Theologorum doctrina, communi
„ fidelium consensu desumptis, argui, ac
„ notari possit, vel non? nec vetat Pontifex,
„ nec jubet. Cumque aliundè Apostolicum
„ hoc diploma mirum in modum sit favo-
„ rabile huic Mysterio, & *piè* cum Ecclesia
„ Romana de immaculata Deiparæ Virgi-
„ nis Conceptione sentientibus, & ex altera
„ parte odiosa sint restringenda, & favora-
„ bilia amplianda, fit, clausulam illam *Ve-
„ tamus*, per ista verba *propter hoc*, apertè limi-
„ tatam, non posse, nec oportere extendi ad
„ alia quoque principia, ac regulas bonæ,
„ vel malæ actionis, De cujus tamen discursus probabilitate alii judicent, debito semper habito ad Apostolicam Sedem respectu, dum ad præsens intentum illam discutere non est necessarium, qua etiam præcisa ex desuper indicatis abundè elucet *propositionem ex catalogo* excerptam nullatenùs intelligendam de utcumque impugnanti-

bus

bus opinionem *piæ* repugnantem, sed de eam impugnantibus, simulque affirmantibus ejus Patronos, ac Defensores reos esse *hæresis, peccati mortalis, & impietatis*, sub quibus terminis etiam loquitur Sixtus IV. in Extr. Grave *nimis*, quæ in ea adducitur *censura* subjiciens eos, *qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cùm nondùm sit à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum*.

21. Non singularem Scoti modestiam, sed effrontem Hæterodoxorum petulantiam secutus est proculdubiò Author, quicumque fuerit *propositionis* 18. inter damnatas ab Alexandro VIII. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominùs ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu*. Cùm præsertim, etsi concepta videatur in ordine ad praxim Sacramenti pœnitentiæ quoàd aliquem ritum, quo exerceri solet, quique inductus fit à Theologis, ejusque Ministris, revera tamen non aliquam Doctorum privatorum opinionem percutit, sed vetustissima Ecclesiæ dogmata sub fucato *novitatis* prætextu, quam Tò *Consuetudo moderna* præ se fert, quamque per calumniam haberi *ab Ecclesia* supponit, non *pro usu, sed abusu*, in nihilo obstante, quòd *eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet*. Quin tamen in contrarium ulla allegetur Patrum authoritas, ulla Conciliaris Sanctio, ulla Apostolica Constitutio, ex qua prætensus *abusus* deduci valeat; qui revera non praxi inest Sacramenti pœnitentiæ, quæ in Romano servatur Fidelium Cœtu, sed ipsimet potiùs veneno plenæ *propositioni* dolosè terminis universalibus formatæ, & fine ulla particulari *consuetudinis* mentione, quæ nequissimè reprobanda præscribitur.

22. Non tamen talis, tantaque est taciturnitatis prædictæ vafrities, ut, de qua *consuetudine* sermo habeatur, colligi nequeat, vel ex 16. præcedenti *propositione*, quam obiter dedimus *art. 3. num. 13. hujus cap.* circa satisfactionem Sacramentali absolutioni præmittendam, vel ex monstruosis Recentiorum quorumdam dogmatum, aut assertionum portentis, qui vel frequentem usum confessionis venialium improbant, quòd à Patribus non appareat usurpatus, ut in *libro belgico* sub titulo *Aurea fodina subversa*, quem edidit Ægidius de Witte Mechliniensis Ex Decanus *part. 2. quæst. 45.* censuit: „ Existimo praxim confitendi peccata venialia „ tempore SS. Patrum in usu non fuisse, „ vel si illam admittunt, absolutionem nihilominùs sic confessis subdunt minimè impertiendam, nisi illi sint *sanctitate conspicui, sanctitate eminentes*, ut ratiocinatur, nescio quis Theologus in sua Methodo *tract. 1. p. 4. object. 6.* apud Bonuccium in *Vindic. Decret. Alex. VIII. sect. 18. num. 170.* qui sibi objiciens „ nonnulla Religiosorum statuta, quæ fre„ quenter admodùm præscribunt Confes„ sionem, „ mox respondet: „ pium est in„ stituere confessionem, quam nulla etiam „ sequatur absolutio, nec expectetur secu„ tura, nisi quando constat de sufficienti „ dolore, & proposito. Aliud namque est „ confiteri, aliud absolvi. Prætereà ejusmo„ di statuta nihil doctrinæ huic derogant, „ præcipi enim iis non potest, ut absolutio „ cum Sacramenti irreverentiæ periculo „ impertiatur,„ & licèt noluerit Author iste repugnare Sanctorum Virorum praxi in dies absolutionem sacerdotalem suscipientium, ab ipsis tamen subjungit non esse faciendam illationem ad reliquas pias Personas. „ Viri namque *Sanctitate conspicui* penitùs intuiti fuerunt, animo cœlitùs illu„ strato, peccatorum venialium malitiam, „ non secùs atque in conclavi radiis solari„ bus illuminato, atomi visum aliorum „ fugientes, clariùs conspiciuntur. Illam „ verò malitiam *Sanctitate eminentes* non „ minùs habuerunt exosam, quàm agni„ tam: quapropter, ne in isthæc relaberen„ tur, pro viribus egerunt. Si quis proindè „ eò enitatur, ut hanc illorum assequatur „ dispositionem, sequatur, & confitentes; „ non improbabitur. „

23. Absit tamen, ut *consuetudo moderna* inscribatur praxis præmittendi absolutionem satisfactioni, cujus contradictoriam assertionem, qua Petrus de Osma asserebat; *non peracta pœnitentia Confitentes absolvi non debere*, Sixtum IV. *manifestam hæresim continere* pronunciasse vidimus *cit. art. 3. num. 11.* attenta præsertim publica pertinacia, qua plerique iniquitatis filii illam, unà cum aliis Osmæ *propositionibus* audebant *in frequentissimo hominum cœtu veras esse publicè affirmare, & pertinacissimè sustentare, ac defendere*, vi cujus eos *hæreticos*, & quidem *notorios* habendos fuisse, etiamsi doctrina in se ipsa formalem *hæresim* non contineret, ex dictis *c. 3. art. 20. num. 4.* eruitur. Ut propterea hæsitationis locus non maneat judicandi, quantæ malitiæ pravitate infectos credere debeamus In-

nova-

novatores erroris prædicti, sub *novitatis* specie rejicientes, quod ab *anno* 1478. ab Apostolica Sede est apertissimè definitum; & *ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni* ab ipsa Christi lege, & institutione præceptum, impositumque effutientes *natura rei id ipsum quodammodò dictante*. Acsi satisfactio in re, & effectu posita, (de qua est sermo, non de solo illam adimplendi proposito) pars essentialis sit Sacramenti, & non integralis dumtaxat, ut sine ea Sacramentum perfici nequeat; nec per consequens in mortis articulo Ullus absolvi, qui morbi vi oppressus impotens sit redditus ad exequendam pœnitentiam ei à Confessario impositam, æquè ac qui indispositus reperiretur ex defectu doloris ad remissionem virtute Clavium obtinendam simpliciter, & absolutè prærequisiti.

24. Quàm autem hoc à Catholica deviet fide, nemo non videt, ipsaque natura Sacramenti in contrarium impudentissimè adducta evidenter demonstrat, ex quo satisfactio prævié ad absolutionem Pœnitenti prodesse ex opere operato non posset, dum adhuc Sacramenti pars dici nequeat, utpotè nondùm existentis. Undè meritò integralis dicitur, quæ nempè supponit Sacramentum quòad essentialia jam constitutum; per quod æterna pœna Peccatori debita, commutata sit jam in tēporalem. Neque enim eò ipso, quòd quis confitetur peccata lethalia, quibus perpetuus ignis est designatus, commutationem prædictam obtinet. Si namque ad confessionem accedit, non perfectè contritus, & proindè non justificatus, nisi absolutionem Sacerdotalem recipiat, manet semper flammis inextinguibilibus addictus; ac idcircò incapax, ut verè per pœnam temporalem quantumvis à Confessario impositam satisfaciat pro peccatis, cum quibus morte præventus, justificatione nequaquam habita, non obstante, quòd illa supponatur executioni mandata, cruciatibus finem nunquàm agnituris destinabitur, vim hic habente Angelici *in suppl. quæst.* 14. *art.* 5. *in corp.* ratione: *Cùm nullus liberetur à pœna, nisi sit absolutus à culpa; quia effectus non diminuuntur, neque tolluntur, nisi diminuta, vel ablata causa: per opera extra charitatem facta, quæ neque culpam tollere, neque diminuere possunt, pœna inferni mitigari non potest.* Videant proindè, ne qui absolutionem necessariò denegandam autumant, eis, qui priùs pœnitentiam non peregerunt, ex illorum cœtu manifestent se esse, *qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt* ut loquitur Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 8. *de satisfact. necessitate, & fructu.*

25. At iterum confugientes eos video ad *novitatis* recursum, insistendo, quòd absolutionis Sacramentalis prævia ad satisfactionē collatio *modernæ consuetudini* sit tribuenda, adversùs pervetustam, relatè ad quam, *prop.* 17. subdunt: *per praxim illam mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus*; indè pariter inferentes, nostras rationes non tàm in ipsos esse directas, quàm in *antiquissimam* Ecclesiæ *praxim*, & idcircò futiles censendas esse, & inanes. Sileant nihilominùs, & vilescant, dum asserta, quæ promunt ab Ecclesia ipsa proscripta, vel inviti conspiciunt, nisi dicere audeant, Ecclesiam adversùs Ecclesiam pugnare, *Novam* adversùs *Veterem*; illamque insuper crassæ ignorantiæ insimulare, quòd neque *Recentis* Ecclesiæ *consuetudinem* noscat, interdicens *consuetudinem modernam* dici posse, quòd contradicere *antiquæ* prætenditur. Sed veriùs in ipsos retorquenda est inscitia, qui, dum *præsentis Ecclesiæ* sensum ignorant, fortiùs ignorare sunt præsumendi *veteris* mentem. *Moderna consuetudo quòad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ*, inquiunt, *ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu*; certè non *ab Ecclesia veteri*, sed vel simpliciter *ab Ecclesia*; (quæ *Una* revera est, nec proindè distinguenda in *Veterem*, & *Recentem* in divinis saltem Mysteriis, Sacrisque fide divina tenendis dogmatibus) vel de sola *Recenti* per indicativum *habetur* expressa, prout à *Veteri* eam distinguendam supponunt. Cùm Ecclesia ipsa *tres* desuper indicatas *propositiones* interdicendo, non *abusum* existimari debere evidentissimè præcipit, sed *usum* rectissimum; & consequenter vaferrimè *modernam consuetudinem* per derisionem inscribi, quæ in *administratione Sacramenti pœnitentiæ* Sede Apostolica approbante tutissimè servatur.

26. De *praxi* autem hactenus locuti sumus, quæ servata antiquitùs à prædictis Authoribus supponitur, quam ipsa Christi lex præceperit, & instituerit, adeò ut *usus* ipsi contrarius divinæ ipsi institutioni contradicens haberi debeat, irritumque per consequens Sacramentum absque prævia *satisfactione* in effectu posita administratum. Quòd si de *praxi* sermo esset ad *ritum, & disciplinam* spectāte, de quibus diversus in hujus *Sacramenti administratione* in primitiva Ecclesia viguerit usus ab eo, qui ad præsens servatur, adhuc *propositiones* prædictas juremeritò Pontificio confossas fuisse stigmate, indè elucet, quòd *praxis vetus* in Christi institutionem

tionem refundatur, quòdque *ujus* præsens, *abusus* vocetur, ordoque pœnitentiæ per cum *inversus*. Recolendo namque, quæ tetigimus *c.3, art.9, n.12. 13, 28. art. 10, n. 10, &c. 6. art. 12, num. 35*, latum est discrimen inter ea, quæ ad essentialem Sacramentorum constitutionem pertinent, & ea, quæ solos ritus, solamque disciplinam designant; quòd in illis, *nullus potest dispensare, nisi Deus*, ut *ibid.* locuti sumus ex Angelico, in his verò plena sit in Christi Vicariis potestas ea immutandi, ad circumstantiarum, & temporum varietatem, prout Ipsis in Domino magis Fidelium profectui visum fuerit expedire. Nec propterea ab aliis, quàm ab Hæterodoxorum Asseclis improbari potest sub *novitatis*, seu *modernæ consuetudinis* prætextu mutatio, quæ absque ulla cum jure naturali, aut divino, incompatibilitate, facta est à legitima Potestate divinitùs Petro, suisque legitimis Successoribus communicata: *Ecclesia*, (arguebat contra Aërium *hær.75.* Epiphanius,) *accepit complementum dispensationis pro locorum, & temporum opportunitate; nam singulæ res non ab initio omnia habuerunt: sed progressu temporis ea, quæ ad perfectionem requiruntur, parabantur.*

27. In quo verò mutatio, quæ in hac materia, perseverante (ut cum Lyrinensi *cap.28. commonit.* loquar) eodem dogmate, eodem sensu, eademque sententia, facta pro nunc omittitur, sita concipi queat, ex Aquinatis eruere doctrina non pigeat, qui *in suppl. 3. par. q.14. art.3. ad 1.* Glossam interlinearem super illud (*Levit.25.*) *Si attenuatus frater tuus &c.* dicentem, quòd *fructus bonæ conversationis debent computari ex eo tempore, quo peccavit*, explicans, asserit inter alia, quòd *quantò major est contritio, tantò magis diminuit de pœna; & quantò aliquis plura bona facit in peccato existens, magis se ad gratiam contritionis disponit; & ideò probabile est, quòd minoris pœnæ sit debitor, & propter hoc deberent à Sacerdote discretè computari, ut ei minorem pœnam injungat, in quantùm invenit eum meliùs dispositum*. Ex quibus verbis deducitur, non mirum videri posse, si primis Ecclesiæ sæculis, quibus disciplinæ rigor salubrior reputabatur, praxis vigeret experiendi Pœnitentium dispositionem, ut digni redderentur absolutione sacramentali, eos obstringendo ad satisfactionem prævië peragendam, per quam, si in gratia essent, verè Deo satisfacerent; sin aliter *magis se ad gratiam contritionis* disponerent: sicque *probabiliter minoris pœnæ* debitores manerent, & *propter hoc* à Sacerdotibus *discretè* pertractarentur *minoris pœnæ* impositione, in quantum eos meliùs dispositos invenirent. Cùm tamen experientia ejusmodi non ex Sacramenti necessitate expeteretur, sed ad quandam majorem rectæ dispositionis Pœnitentium notitiam assequendam, sicut temporis decursu cessare potuit canonicarum pœnitentiarum usus, ac moderari satisfactionum rigor, qui olim exigebatur, vel fusiori Indulgentiarum largitione ex traditis *cap.6. art.14. à num.8.* vel diminuta earumdem impositione prudenti habito respectu ad Pœnitentium fragilitatem, ut diximus *cap.7. art.4. num.* præsertim 19. ita & potuit *usus* induci suavior, ac dignitati, & naturæ Sacramenti conformior, absolutionem statim impertiendi, quoties prudens non extet hæsitatio de idonea Pœnitentium dispositione, promptoque proposito satisfactionem impositam exequendi, & quidem per se ipsum, quicquid in contrarium somniaverit Author *propositionis* 15. ex damnatis ab Alexandro VII. *Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat*, non animadvertens, quòd *satisfactio* inter actus ipsius Pœnitentis recenseatur, & non alterius, à quo accipere nequit, ut pars integralis Sacramenti denominetur; ac proindè, quòd non eadem sit ratio de satisfactione sacramentali, ac de ea, de qua, cùm talis non sit, concedit *in suppl. q.13. art.2. in corp.* Aquinas, quòd *quantùm ad satisfactionem debiti, unus potest pro alio satisfacere, dummodò sit in charitate, ut opera ejus satisfactoria esse possint*, id efficaciter comprobans exemplo ex vitis Patrum eruto, in quibus legitur, *quòd propter charitatem unius, qui alterius fratris sui charitate ductus pœnitentiam fecit pro peccato, quod non commiserat, alteri peccatum, quod commiserat, dimissum est etiam ei*.

28. Longè nihilominùs verius est, neque fundamentum ullum sufficiens esse, quod cogat hujusmodi mutationem, quæ absque ulla *inversione*, & *abusu* contingere potuit in Sacramenti pœnitentiæ administratione, supponere, ut novissimè evincit Francolinus *in suo Clerico Romano disp.11. adversùs calumn. 11. circa vet. Eccl. severit.* quòd facilè authoritates in contrarium adducibiles explicari possint, vel de absolutione non sacramentali, sed cæremoniali, qua Pœnitentes, peracta publica, ob notoria delicta, ipsis injuncta pœnitentia, à censuris, aut à pœnis ulterioribus absolvebantur, & communioni Ecclesiæ per Eucharistiæ sumptionem in Missæ Sacrificio publicis precibus,

 digni-

dignitati, aut officio restituebantur; Vel de pœnitentia medicinali, quæ imponebatur ad præservationem futurorum, non in vindictam præteritorum, quæ satisfactionis nomine importatur; Vel de ea, quæ licèt in vindictam commissorum dirigeretur, adimplenda adhuc præscribebatur ante absolutionem in iis duntaxat particularibus casibus, in quibus dubius esset Confessarius de vero Pœnitentis proposito, eam absolutione percepta adimplendi. Sicque intellecta, locum itidem, prudenti servata Animarum saluti proficua œconomia, habere in præsenti administrationis Sacramenti pœnitentiæ *usu*, futiliter negatur; si præsertim in ultima hypothesi præ oculis teneatur regula mox indicata ex Angelico. A' quo hic non erit fortè inutile exscribere responsionem, quam *in suppl.q.14.art.3.ad 3*, tradit objecto, quo probabatur, quòd opera, quæ quis in peccato existens exequitur, satisfactionis vim obtineant per charitatem subsequentem, quia *si alicui pro peccatis commissis injuncta fuerint jejunia, & in peccatum cadens ea perfecerit; non injungitur, cùm iterùm confitetur, ut jejunia illa iteret; injungeretur autem ei, si per ea satisfactio non impleretur; ergo per pœnitentiā sequentem opera præcedentia satisfaciendi efficaciā accipiunt*: ita, dicendo, *quòd aliquæ satisfactiones sunt, ex quibus manet aliquis effectus in satisfacientibus, etiam postquàm actus satisfactionis transit, sicut ex jejunio manet corporis debilitatio, & ex eleemosynarum largitione substantiæ diminutio, & sic de similibus. Et tales satisfactiones in peccatis factæ non oportet, ut iterentur, quia quantùm ad hoc, quod de eis manet, per pœnitentiam Deo acceptæ sunt. Satisfactiones autem, quæ non relinquunt aliquem effectum in satisfaciente, postquàm actus transiit, oportet, ut iterentur, sicut orationes, & alia hujusmodi. Actus autem interior, quia totaliter transit, nullo modo vivificatur, sed oportet, ut iteretur*. Indè enim deducendum videtur, quòd si pœnitentia, quæ imponitur exequenda ante absolutionem, sit operum primi generis, tunc poterit Confessarius illa expleta absolutionem impertiri absque aliorum operum impositione, eadem, ratione perseverantis effectus, in pœnitentiam, & satisfactionem applicando, quæ, *quantùm ad hoc, quod de eis manet per pœnitentiam Deo accepta sunt*.

29. Nec minorem absurditatem continet altera *modernæ consuetudinis* explicatio, & præsertim in primo ejusdem sensu, quo absolutè astruitur tempore SS.Patrum *usum* non fuisse confitendi peccata venialia, omninò conformiter ad monitum Lutheri *art.8*. inter *damnatos* à Leone X. *Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia*, attentis maximè aliis ejusdem de Witte assertis *par.2.pag.84.* dicentis; „ Nullus ex SS. Pa„ tribus e.g. Ambrosius, Augustinus, Hie„ ronymus, Basilius, Chrysostomus assi„ gnabitur, qui unquàm in tota plenè vita „ fructum Confessionis sacramentalis con„ sequi conatus sit„ & *pag.46.*„ S.Augusti„ nus nusquàm confessus fuit.„ Quicquid autem non sine aperta in Sanctos viros injuria garriant, non eos, sed Tridentinos Patres sequi debemus, venialium confessionem summoperè *sess.14. cap.5. de confess.* commendantes, non ut necessariam, sed tanquàm utilem: *Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquàm rectè, & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt*. Quod quoque intelligendum est attento divino jure, quo ad confitenda sola mortalia obstringimur: nam si spectetur Ecclesiæ præceptum, imponi illud posse, etiam quoad venialia clavibus subjicienda, communissima est Theologorum opinio, quorum Aliqui magni nominis ad eadem in actu secundo extendunt mandatum annuæ confessionis *c.* Omnis utriusque *sexus* præscriptum, Aquinatis *in suppl.q.6. art.3*. terentes vestigia, qui statuens ex *vi positivi juris* omnes Christi fideles ad confessionem *semel saltem in anno* teneri, ad primum objectum indè formatum, quòd *Pœnitentia est secunda tabula post naufragium, sed Aliqui post baptismum naufragium non sunt passi, ergo nec eis competit pœnitentia, & sic nec Confessio, quæ est pœnitentiæ pars*, respondet: *quòd quamvis homo in hac mortali vita post baptismum naufragium evadere possit, quod est peccatum mortale, non tamen evadere potest venialia, quibus ad naufragium disponitur, contra quæ etiam pœnitentia ordinatur; & ideò manet pœnitentiæ locus, etiam in illis, qui non mortaliter peccant, & per consequens Confessionis*, & (*in fol.3.*) *Ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia, quæ confiteatur*. Esto & aliam opinionem non improbabilem habeat, dum subdit: *Vel potest dici secundùm Quosdam, quòd ex decretali prædicta non obligantur, nisi illi, qui habent peccata mortalia; quod patet ex hoc, quod dicit, quòd debent omnia peccata confiteri, quod de venialibus intelligi non potest, quia nullus omnia confiteri potest, & secundùm hoc etiam ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem*

venia-

venialium, sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, ut se Sacerdoti repræsentet, & se ostendat absque conscientia mortalis esse, & hoc ei pro confessione reputatur.

30. Sivè autem præceptum extet de Confessione venialium, quod Alii ad minus vigere autumant in plerisque Regularibus Ordinibus illam suis Alumnis præscribentibus, semel, vel pluriès quolibet mense, si non sub gravi, saltem sub levi; sivè solum consilium, absque palmari impietate negari proculdubiò nequit *perfectionis* esse *ea confiteri*, ut loquitur idem S. Doctor *in 4. sent. dist. 16. qu. 2. art. 2. quæstiunc. 3. in corp.* & *qu. 3. art. 2. quæstiunc. 5. in corp.* Et certè eò majoris, quò frequentiùs illa exerceatur. In nihilo obstante prætensa desuper conspicuæ sanctitatis, & eminentis virtutis necessitate, ut ob ejus defectum Confessio fieri debeat absque absolutionis beneficio; conclamantibus contra eam sacris eisdem Institutis ab Apostolica Sede commendatis, & approbatis, quæ de absolutione percipienda, & non de sola Confessione indubitanter intelliguntur, & ad omnes, non ad solos eminentis perfectionis Cultores diriguntur, ut hi in ea perseverent, continuòque *emulentur charismata meliora*, mundantes se à leviusculis defectibus: *Quis enim*, ait *Prov. 20. 9.* Salomon, *potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Cæteri ad eam aspirent Spiritus Sancti voce instructi (*Levit. 11. 14.*) *Sancti estote, quia ego Sanctus sum* (*Matt. 5. 14.*) *Qui justus est, justificetur adhuc*, qua monemur, quòd possimus ad eorumdem veniam persæpè disponi, & consequenter sacramentaliter ab eis absolvi, vim habente argumento, quo olim Augustinus *c.* Adhuc instant *dist. 3. de pœn.* relatus, hæreticos, qui peccantibus post baptismum semel tantùm dicebant utilem esse pœnitentiam, (quosque propemodùm sequi non erubuit *part. 1. pag. 33.* idem, qui supra Ægidius de Witte ,, potest, (inquiens) satis ,, ostendi, aliquo tempore in Ecclesia ,, pro aliquibus peccatis, quæ à Christia- ,, nis etiam modò committuntur, nun- ,, quàm fuisse datam absolutionem, & pro ,, aliis peccatis gravibus tantùm semel ,,) perstringebat, illud, & ad venialia peccata ex Apostoli textu, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*, extendens: *Sciens enim, & justis peccata solere contingere, non se confirmabat absque peccato, qui se novit indissolubili vinculo charitatis Christo conjunctum. Nisi enim sciret sæpè justos ad veniam venire, quomodò dubitaret se peccare, qui se sciebat Spiritum Dei habere, & intentione mundissima ei servire? Cur enim Dominus Petri pedes lavisset, & Ecclesia hoc idem docuisset, nisi quia (quoniam quotidiana est offensio) oportet, ut quotidiana sit remissio? Cur docuisset orantes dicere* : dimitte nobis debita nostra, *nisi Ipse misericors perseveraret, qui nos ab hac petitione non vult deficere?*

31. Sæpiùs etenim etsi in peccata labimur, sæpiùs & resurgere possumus, ac de eis dolere, si divinæ gratiæ cooperari velimus. Attento præsertim, quòd non eadem contritio, quæ necessaria est ad mortalium condonationem, requiritur, ut venialium consequamur remissionem, juxta Angelici distinctionem, quam *3. par. q. 87. art. 1. ad 1.* quo inferebatur, venialia absque pœnitentia remitti: *Pertinet enim ad rationem veræ pœnitentiæ, quòd non solùm homo doleat de peccato præterito, sed etiam proponat cavere de futuro: sed sine tali proposito peccata venialia dimittuntur, cùm certum sit, quòd homo sine peccatis venialibus præsentem vitam ducere non potest, ergo peccata venialia possunt remitti sine pœnitentia.* Solidissimè adhibet, dicendo, *quòd homo in gratia constitutus potest vitare omnia peccata mortalia, & singula: potest etiam vitare singula peccata venialia, sed non omnia, ut patet ex his, quæ in secunda parte dicta sunt, & ideò pœnitentia de peccatis mortalibus requirit, quòd homo proponat abstinere ab omnibus, & singulis peccatis mortalibus: sed ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur, quòd homo proponat abstinere à singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas hujus vitæ non patitur: debet tamen habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda, alioquin esset ei periculum deficiendi, cùm deferret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia.*

32. Præcedentibus nihilo melior est altera explicatio, qua *inversio* ordinis in administratione Sacramenti pœnitentiæ per *modernam consuetudinem* inducta ex eo censetur, quòd Pœnitentes statim absolvantur absque accurata, & per tempus notabile prævie habita experientia emendationis, & novæ vitæ, quam exquirendam, nedùm in Recidivis contendunt plerique perfectionem Evangelicam affectantes Doctores, sed in quibuslibet, etiamsi semel, aut iterùm lapsi conspiciantur ,, Non solùm Consuetudinario, ,, (ait nescio quis in *sua Methodo tract. 2. q. 7.* apud Bonuccium *in Vind. Decr. Alex. VIII. sect. 17. num. 165.*) ,, sed omni in- ,, discriminatim Peccatori, qui peccatum ,, mortale fecit, differendam esse absolutio- ,, nem, donec vitam notabili tempore ,, emendaverit: si casum excipias conver-

„ sionis miraculosæ, aut articulum mortis„ Nec dissentit Episcopus Castoriensis in *suo Amore pœnit.lib.2.cap.*11. illimitatè docens „ Sacerdotes non statim impertiri absolutionis beneficium, quòd neminem solvere possint, nisi quem conversum esse cognoverint. Conversos autem cognoscere non posse (quòd illorum oculus ad cordis occulta non penetret) nisi per manifesta emendatæ vitæ opera, visibilesque pœnitentiæ fructus illis se ostenderint esse conversos„ & *cap.*20.§.6.„ Malè dicitur, quòd Illi institutioni Christi adversi sint, qui ex parte Pœnitentis, ut *validè* absolvatur, non solùm contritionem, & confessionem postulant, sed insuper requirunt prævìam vitæ, & morum emendationem. „

33. Hoc tamen non docuit *hom.*26. *in Evang.* S. Gregorius Papa statuens, *quòd illos nos debemus absolvere per Pastoralem authoritatem, quos cognoscimus Authorem nostrum vivificare; quæ nimirùm vivificatio, ante operationem rectitudinis in ipsa jam dignoscitur confessione peccati*; quæ nempè sincera sit, fideque non reddita indigna, ex inveterata consuetudine, aut frequenter iterato relapsu. Nec, *in instruct. past.* S. Carolus Borromæus: *Si probabiliter sibi Confessarius persuaserit posse se fidem primæ, vel secundæ à Pœnitente promissioni factæ dare, quòd scilicet occasionem auferret; & fortiùs, si nulla concurreret proxima occasio evellenda, poterit eum promissionis intuitu absolvere*; Nec *par.*2.*num.*51. Catechismus Romanus: *Quòd si audita confessione judicaverit Confessarius, neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem Pœnitenti defuisse, absolvi poterit.* Quibus inhærentes non ideò negamus, veram Pœnitentiam *esse anteacta peccata deflere, & deflenda iterùm non committere*, ut laudatus Gregorius *hom.*34. *in Evang.* habet, Irrisoremque dicendum, non Pœnitentem, *qui adhuc agit, quod pœnitet* ex Isidoro *lib.*2.*de summ.bon.cap.*16. relato c. Irrisor *dist.*3. *de pœn.* Sed id intelligendum cum Aquinate 3.*par.qu.*84.*art.*10.*ad* 4. affirmamus, *quòd pœnitere est anteacta peccata deflere, & flenda non committere, scilicet simul dum flet, vel actu, vel proposito. Ille enim est Irrisor, & non Pœnitens, qui simul dum pœnitet, agit quòd pœnitet, vel proponit iterùm se facturum, quod gessit, vel etiam actualiter peccat eodem, vel alio genere peccati; quod autem aliquis postea peccat, vel actu, vel proposito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit; nunquàm enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem: Sicut enim verè cucurrit, qui postea sedet, ita verè pœnituit, qui postea peccat*, Absque eo, quòd replicetur cum Henrico à S. Ignatio *tom.*10. *theol.SS.cap.*38. *num.*421. non prædictum dumtaxat esse sensum Sanctorum, sed etiam alterum, „ videlicet, „ quòd verus Pœnitens post commissum „ gravioris criminis, non solùm illud non „ repetat eo tempore, quo deflet, sed nec „ iteret facilè postea„ Etsi enim hoc verum sit, si de pœnitentia loquamur, quæ nedùm in *proposito*, sed in *effectu* perfecta sit, & perseverans, quæque nos vitæ æternæ ferè certos efficiat: Non tamen, si de pœnitentia sit sermo in sua ratione quidditativa, ac essentiali, quæ salva potest consistere in sola *propositi* efficacia, etiamsi dein ob humanam fragilitatem ad illud non sequatur in praxi correctio, & emendatio. Circa quam proindè Angelicus nequaquàm præcisivè se gerit, ut possit indè deduci utrumque sensum ab ipso sustineri, & defendi, sed exclusivè, ac ut respondeat argumento, quo prætendebatur, pœnitentiam non iterandam ex indicatis authoritatibus inferendo; *Si ergo aliquis verè pœniteat, non iterùm peccabit. Ergo non potest esse, quòd pœnitentia iteretur*; in contrarium deducens, quòd *sicut verè cucurrit, qui postea sedet; ita verè pœnituit, qui postea peccat*, ob universale principium, quòd *nunquàm veritas prioris actus excluditur, per actum contrarium subsequentem*. Undè ex relapsu nulla fieri potest absoluta deductio, quòd pœnitentia non fuerit vera, estò, si relapsus fuerit frequens, ex eo dubitare prudenter possimus, de propositi efficacia, ut mox indicabimus.

34. In medio itaque debet consistere virtus, ut in simili animadvertimus *cap.*7. *art.*4.*num.*19., & catenùs nedùm detestanda est *propositio* 60. ab Innocentio XI. meritissimè profligata, qua perniciosissimè asserebatur: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec est differenda absolutio; dummodò ore proferat se dolere, & proponere emendationem*, quòd vana, & mendax habenda sit rationabiliter illa oris confessio, de qua prudens formari debet judicium, quòd non verè ex corde procedat, quale proculdubiò est concipiendum, quoties Pœnitens iteratis vicibus id ipsum ore pollicitus est, quod opere non implevit. *Argumentum* enim *falsæ contritionis habet*, ait *in paradiso Animæ cap.*39. Albertus Magnus, *qui quamvìs peccata commissa vehementer defleat, tamen continuò post dolorem cadit, vel alia committere non formidat*, & S. Thomas

de

de Villanova propositum verum, & firmum non redeundi ad vomitum *conc.3. in Dom.3. Quadr.* non adesse putat *in illis, qui tàm leviter, tàm facilè, tàm citò relabuntur. Et licèt in Confessione dicant, quòd verè proponunt, non credas, quia decipiunt se ipsos. Undè de hujusmodi consulo Confessoribus, ut mittant eos in domos suas, & cùm invenerint correctos, & emendatos tunc absolvant. Melius est enim differre, quàm decipere eos.* Sed etiam altera è diametro opposita, qua quis non credendum ducat ulli Pœnitenti, qui seriò proferat se de peccatis dolere, firmiterque proponere de cætero non peccare, etiamsi nullum adsit efficax motivum, quod suadeat fallacem, & inefficacem esse istiusmodi expressum dolorem de patratis delictis. Quin potiùs efficaces, probabilesque conjecturæ concurrant concludentes veraciter ipsum conteri, firmiterque de præteritis emendationem proponere; Sub qua hypothesi nil ampliùs desiderari potest, ut prudentissimam Angelici *in suppl.qu.8.art.5.ad* 2. regulam observemus, firmantis, quòd *in foro Confessionis creditur homini, & pro se, & contra se.* Cùm quo tamen rectè componitur, quòd etiam sic contritis possit quandoque differri absolutio, non ex necessitate Sacramenti, quod *validè*, & licitè conferri illa non valeat; sed in majorem Pœnitentium profectum, quoties Confessariis, qui Medici Animarum esse debent, videbitur utilior, magisque expediens, dilata, quàm properata absolutio, debita semper cautione adhibita, ne ex dilatione ulla insurgat in Pœnitentibus tristitia, ac tædium, ex quibus Confessionis onus durius ipsis reddatur. Quod in praxi frequentiùs evenire, testantur passim, qui huic Sacramenti administrationi incumbunt, ut notat Leander à Murcia *in disquis.lib.2.disp.1. resol.14. num.3.* „ Experientia docet, quòd „ differre absolutionem non est reme„ dium, sed potiùs medium, quo in despe„ rationem ruant, vel quo odiosa reddatur „ eis Confessio. Hanc experientiam, quam „ ego habeo, multi graves Viri, qui Con„ fessionibus audiendis frequenter vacant, „ similiter habuisse retulerunt „ Ad hos propterea scopulos vitandos, quoties nullus prudens habeatur timor, nullumque vigeat motivum, ob quod, judicium videatur formandum de apparenti, & non vera contritione, ac Pœnitentium simulata dispositione, eos statim ac confitentur, ritè absolvere, non *inversus* administrationis est *ordo*, nec moderna sub *novitatis* fuco abjicienda *consuetudo*; sed *usus* rectissimus Clavium, ab Ecclesia, à Patribus, à Theologis perpetuò commendatus.

35. Extrema non minùs perniciosa vitanda pariter sunt, si de *novitate* agamus in materia morum, circa quam ex una parte ex decretis Alexandri VII., & Innocentii XI. (quibus præivit Pius V. in Bulla contra Michaelem Bajum incip. *Ex omnibus afflictionibus* &c. mentionem de illa faciens illis verbis: *novis quotidiè propositis opinionibusconflictetur, &c.*) satis *num.1.* indicavimus, quot de novo opiniones nostris hisce temporibus fuerint propugnatæ, quas, ne ulteriùs serperent, Pontificio necesse fuit mucrone confodere: ac ne reliquas dictis *decretis* non insertas Ullus putaret ab Apostolica Sede aliquo modo approbatas, declarationem opportunam subnectere: *Non intendens tamen Sanctitas sua per hoc decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacumque causa exhibitas, vel exhibendas ullatenùs approbare.* Quænam verò inter *damnatas* haberi debeant *noviter* adinventæ, quæ autem *antiquatæ iterùm suscitatæ*, expendere si vellemus, omnes eas, & singulas necessè foret discutere, quod ad præsens intentum nequaquàm ducimus necessarium, dum in ordine ad praxim abundè sufficiat *damnatio* Apostolica, ut eas veneno infectas firmissimè teneamus. *Tres* nihilominùs totali silentio obducere non valemus, quæ nedùm *novæ* in se ipsis, sed & cujuslibet perniciosæ *novitatis* in quibuslibet aliis *propositionibus*, quæ in dies possunt insurgere, radix sunt, & origo.

36. *Duæ* autem ipsarum ad conscientiæ relaxandas diriguntur habenas, *tertia* verò ad easdem plùs æquo restringendas, omnes verò à Diabolico Spiritu Theologorum mentibus inditæ, ut non minùs ex libertatis amore, quàm ex indiscreto pietatis prætextu Fidelium Animæ in ima descendant. Ex illis, *prior* est ordine 27. ex *proscriptis* ab Alexandro VII. *Si liber sit alicujus Junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica, tanquàm improbabilem: posterior*, est *tertia* ex *interdictis* ab Innocentio XI. *Generatim dum probabilitate, sivè intrinseca, sivè extrinseca, quantumvìs tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus: postrema* est 3. *damnata* ab Alexandro VIII. *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*, de qua obiter *hoc cap.art.5.num.20.* Quis autem vel cæcutiens non videt *novas* quaslibet opiniones, quæ ex luxuriantibus ingeniis possunt excogitari, & à Ma-

à Magistris auribus prurientibus sustineri, ex universalibus hisce principiis vires acquirere, ad disciplinam ecclesiasticam infringendam, & ad Dominicum segetem zizaniis replendum? *Nulla fœditas sine Amatore, nulla fatuitas sine Patrono,* vulgare habet effatum, ac proindè subnecti posset, nulla fœditas sine honestate, nulla fatuitas sine rectitudine, quia nulla, de qua attentis prædictis *scandalosis*, ac *perniciosis* principiis, non vérificetur *tenuis probabilitas*, saltem *extrinseca* ab uno saltem *Juniore* promanans, qui ejusdem sit Propugnator. Nec ulla ampliùs *propositio* nota *temeritatis* posset inuri, si eò ipso, quòd ab uno solo sustineatur, *probabilis* sit habenda sufficienti *probabilitate*, quæ esse queat regula morum, etiamsi à reliquis Theologis unanimiter rejiciatur, de quo nulla in *propositionibus* iudicatis exceptio, sed potiùs imbibitum illud, ac comprehensum apparet, dum *in una* excipitur tantùm, *si non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquàm improbabilem*, in altera, quòd à tenuibus *probabilitatis finibus non exeatur*.

37. Nec minora inconvenientia sequuntur ex *tertia* prædictis è diametro opposita, cujus Authores timeri potest, ne ex eorum genere sint, quos redargutos ab Origene vidimus *c.7.art.4.nu.18.*, vel de quibus *Matt.23.4.* Christus Dominus: *Dicunt, & non faciunt. Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere, omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus &c.* cujus ponderationem ex Chrysostomo dedimus hoc *cap.art.4. num.20.* quæ à materia pœnitentiæ ad cæteras omnes est debita proportione extendenda. Quin se tueri valeant altero ejusdem Unigeniti Patris dicto *Jo.14.6.* quo de se asserit: *Ego sum Veritas*, acsi per hoc noxiam declarare voluerit quamlibet probabilitatem in quocumque gradu habeatur, quamvis summus ille sit, aliter dicere debuisset: *Ego sum probabilitas*. Si namque hujusmodi illatio vim haberet, probaret pariter, neque Fide divina nos regulari posse in moribus dirigendis, neque cognitione, quæ evidens videatur, dum æquè Christus non dixit: *Ego sum Fides*, vel *Ego sum evidentia*, sed *Ego sum Veritas*; Ac quidem in se ipsa nullam involvens formidinis umbram, sed non proindè absque formidine à nobis in quibuslibet casibus particularibus agnita, qui non dirigimur, nisi dependenter, à notitia, quam de ea habemus, quæque idcircò, si deficiat absque nostra culpa, à peccatis excusabiles facit, quicquid fortassis Authores, quos impugnamus, somniando prætendant, effutientes: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ; hæc in statu naturæ lapsæ, Operantem ex ipsa non excusat à peccato formali*, prorsùs tamen erroneè, ut è Petri Cathedra idem Alexander definivit, ex quo peccatum dari non potest, nisi sit voluntarium, & voluntarium esse nequit, quod invincibiliter ignoratur, nisi recurrere velimus ad voluntarium in causa, & in Adamo. Sicque actus ipsos, quos necessariò facimus, & à quibus impossibile est abstinere, peccaminosos, dignosque æternis flammis credamus, cum illis, quorum *propositionem* 1. laudatus Pontifex à toto Fidelium Cœtu eliminavit: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis*. Contra quam solidè P. Augustinus Matthæuccius Lucensis Aracælitanus Lector Jubilatus, ac ibidem studiorum generalium Præfectus in *sua Cautela Confess. pro foro Sacram.* Romæ *anno 1704.* edita in Directorum animarum utilitatem, ut se in pio hujusmodi exercitio à noxiis doctrinis ad tenorem *decretorum* Alexandri VII. & VIII. ac Innocentii XI. reddant immunes, argumentum Augustini adhibet: (*de lib.arb.cap.17.*) *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? peccatur autem, caveri igitur potest*, Et (*lib.de spir.& lit.cap.3.*) *Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult facit; si non vult, non facit*.

38. Sicut autem ignorantia excusat, ita & fortiùs positiva inculpabilis notitia, quòd aliqua lex non extet, vel non obliget, qualis proculdubiò est illa, quæ summum *probabilitatis* gradum obtinet in rebus, de quibus evidentiam habere nequimus, ut argumentatur Angelicus *2.2.q.70.art.2. in corp.* probans duorum, vel trium testium assertionem sufficere in omni judicio, quia; *in actibus humanis, super quibus constituuntur judicia, & exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quòd sunt circa contingentia, & variabilia. Et ideò sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, & sic in paucioribus à veritate deficiat.* Cui concinunt 1.p. *sum. lib.3. cap.10. §.10.* S. Antoninus; *Certitudo, quæ in materia morali reperitur, non est certitudo evidentiæ, sed probabilis conjecturæ; non enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus, grossis, & figuralibus magis ad unam partem, quàm ad aliam se habentibus*, & Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis *par.2.de contr.propos.13.* his verbis; *Probabilis certi-*

certitudo sufficit in moralibus, ut non exponat se quis periculo; quia certitudo alia sine revelatione non habetur, prout in moralibus, dicit Aristoteles sumendam esse certitudinem grossè, & figuraliter.

39. Replicam video in eo sitam, quòd in foro interno, & conscientiæ haberi valeat evidentia de operatione honesta, quæ indubiè, & absque ulla hæsitatione peccatum non sit. Sed quid inde? An forsan, quòd quælibet ejusmodi actio sit præcepta? Absit. In lege evangelica sunt præcepta, sunt consilia, & quæ sub consiliis continentur, hominem, nedùm non peccatorem, sed & perfectissimum constituunt, cùm tamen præcepta reputari non queant. Instant de illis operationibus ipsos loqui, circa quas opinio ulla adsit, quòd sint præceptæ. Igitur, cùm opinio sit ad Sacram Communionem dignè sumendam ex præcepto præ, requiri condignam de delictis pœnitentiam, amoremque Dei purissimum, indignos ea habebimus, quibus tantus charitatis fervor non insit. Non admittent sequelam, saltèm in Apostolicæ Sedis obsequium damnantis 22. ex eisdem *propositionibus* ab Alexandro rejectis: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint*, & (23.) *Similiter arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondùm inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers*, quæ propositio habuisse videtur originem ex 76. assertione Michaelis Baji à Pio V. proscripta: *Quandiù aliquid concupiscentiæ carnis in diligente est, non facit præceptum*: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde *tuo*. Quas simul solidè evertit Angelicus Magister (2.2.q.24.*art.*8.*in corp.*) utpotè quòd non Viatoribus, sed solis ille amor sit congruens Comprehensoribus, eò quòd oporteret, *quod totū cor hominis actualiter semper feratur in Deum. Et hæc est perfectio charitatis Patriæ, quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est, propter humanæ vitæ infirmitatem, semper actu cogitare de Deo, & moveri dilectione ad ipsum*. Sed, qui prædictas *propositiones* damnavit, damnavit, & illam, quam impugnamus, quamque non minùs, ac alias à doctrina Evangelica devias tenere debemus; nec solùm quia profligatas à Pontificio Throno, sed quia diabolica fraude compactas; cùm non pravæ, quia prohibitæ, sed prohibitæ fuerint, quia pravæ, utpotè Fideles removentes à Communione Eucharistica, ne ipsis tantum Sacramentum *ablutio fiat scelerum*, & *fortitudo fragilium*, ut in *Miss. coll.* Ecclesia postulat. Quo, planè nullum majus in Ecclesia Dei inconveniens, & absurdum, potest excogitari.

40. Solos hactenùs imprudentes Probabilistas, & Tutioristas rejecisse intendimus, quos Petri Sedes rejiciendos docuit. Reliquos omnes, quos Ecclesia Dei in suo complectitur gremio, quorumque doctrinas liberè tradi permittit, nec in minimo lædere in animo fuit, Probabilistæ illi sint, gravibus tamen innixi fundamentis, graviorumque Doctorum authoritate muniti, aut Probabilioristæ quoad ea, circa quæ nulla hactenùs prodiit Apostolica declaratio. Dummodò ad invicem pacem servent, intra modestiæ fines se se contineant, & neque Isti, Illos, laxos, aut laxistas; neque Hos, Illi, Jansenistas, Rigoristas, aut alio simili vocabulo per contemptum appellent, sed omnes veritatem inquirere studeant, easque opiniones seligere, ac consulere satagant, quas in praxi noverint à culpæ periculo remotas, non declinando ad dexteram, sive sinistram, Sanctorumque Patrum, Veterumque Doctorum ita calcantes semitas, ut subsequentes solida sapientia refertos non aspernentur Theologos, de quibus quandoque post tot Apostolicas *propositionum* proscriptiones, servata proportione absonum non erit in materia morum senti-re, quod de ipsis in materia fidei protulit *in præf. opusc.*1. *contra errores Græcorum* Angelicus, non esse videlicet *mirum, si moderni Fidei Doctores post varios errores exortos cautiùs, & quasi elimatiùs loquuntur circa doctrinam Fidei ad omnem hæresim evitandam*, quod conforme itidem est Hieronymi, nec non & Aquinatis monitis, quæ dedimus *c.*3.*art.*17.*nu.*13. Nec eò ipso *novitatis* pruriginosę Modernos insimulent, quòd resolutiones promant, quæ ab Antiquis non sunt traditæ, qui propemodùm si ad præsens florerent, despectui forent penès eos, qui solam in ipsis venerantur antiquitatem, ut ex Chrysostomo notatum vidimus *c.*3.*art.*16.*n.*7. Sed priùs discutiatur, oportet, an repugnent aliis doctrinis, quas Veteres edocuerunt? an ea de re ex professo Hi disseruerint? an difficultates posteris temporibus emerserint, quæ prioribus non fuerint pertractatæ? an eædem met circumstantię, quę in particularibus casibus ad præsens militant, olim fuerint ponderatæ? Quæ omnia, si funditùs penetrentur, verum non semel apparebit, quod scripsit in 2. *dist.* 37. *qu.*1.*art.*3. Ægidius: *Posteriores existentes super humeros Priorum longiùs vident, quàm Priores. Nam si Nanus esset super humerum Gigantis, longiùs videret, quàm Gigas*.

Opti-

41. Optimè propterea *epist.64.* scripsit de morum Sapientia, Seneca; *Veneror itaque inventa Sapientiæ; Inventoresque adire, tanquàm Multorum hæreditatem juvat. Mibi ista acquisita, mibi laborata sunt, sed agamus bonum Patrem familiæ. Faciamus ampliora, quæ accepimus. Major ista hæreditas à me ad Posteros transeat. Multum adhuc restat operis, multumque restabit, nec ulli nato post mille secula, præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi. Sed etiamsi omnia à Veteribus inventa sunt; hoc semper novum erit, usus, & inventorum ab aliis scientia, & dispositio, Puta relicta nobis medicamenta, quibus sanarentur oculi, non opus est mibi alia quærere; hæc tantùm morbis, & temporibus aptanda sunt. Hoc asperitas oculorum conlevatur; hoc palpebrarum crassitudo tenuatur, hoc vis subita, & humor avertitur, hoc acuitur visus. Teras ista oportet, & eligas tempus, adhibeas singulis modum. Animi remedia inventa sunt ab Antiquis; quomodò autem admoveantur, aut quando, nostri operis est quærere. Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt; suscipiendi tamen sunt, & ritu Deorum colendi.* Nec diversimodè locutus est (*lib.2.Instit.cap.8.*) Lactantius: *Dedit omnibus Deus pro virili portione Sapientiam, ut & inaudita investigare possent, & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, Sapientia quoque antecesserunt, quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab Antecedentibus non potest. Illibabilis est, tanquàm lux, & claritas solis; quia, ut sol oculorum, sic Sapientia lumen est cordis humani. Quare, cùm sapere, idest, veritatem quærere omnibus sit innatum, Sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa Majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur.*

ARTICULUS X.

De Propositionibus Antiquata, *ac* Falsa, & *an* Falsitas *se sola sit recensenda inter notas theologicas?*

1. Novis opinionibus affines quadantenùs esse videntur Renovatæ, de quibus videlicet Alexander VII. *antiquatas iterum suscitari* se audisse testatus est, ut *art.præc. num.*1. innuimus. De his verò inter Recentiores solùm Cardenas præ manibus habeo, qui expressam facit mentionem in *sua crisi theol.posth. dissert.*1. *proem cap.*14. *num.*264. & *seq.* discrimen assignans inter propositionem *damnatam*, & *antiquatam*, quòd illa sit,,, quam ,, expressè damnat Pontifex Romanus, vel ,, per verbum *damnamus*, vel per æquivalens. Propositio *antiquata* est, quæ licèt ,, non inveniatur *damnata* expressè, & formaliter, est tamen incompossibilis cum ,, aliquo *decreto* Pontificio, aut alio principio certo denuò invento. Quæ quidem, ,, quia opponitur *decreto*, aut principio certo, est certò *falsa*. Dicitur autem *antiquata*, nam *antiquitùs* admittebatur tanquàm ,, probabilis, quia nondùm cognitum erat ,, principium certum, quod jam nobis apparuit,,. Quo præmisso statuit *falsam* (de qua sermo incipiet *num.*17.) simul, & *antiquatam* propositionem dicendam, quæ sit antecedens inferens propositionem *damnatam*, licèt ea expressè nequaquàm *damnetur*,, Illa enim dicitur *antiquata*, quæ, cùm ,, anteà videretur probabilis, jam est incompossibilis cum *novo decreto* Romanæ ,, Cathedræ: sed propositio, quæ est antecedens evidenter inferens propositionem ,, *damnatam* in hoc *decreto*, ante illud videbatur aliquibus probabilis, & jam est incompossibilis cum hoc *decreto*, ergo manet *antiquata*,, qualem propemodùm habet *propositionem* sequentem; *Nullum præceptum Ecclesiæ obligat sub mortali*, quæ etsi non sit expressè *damnata*, est tamen incompossibilis cum propositione 52. ex proscriptis ab Innocentio XI. *c.*6. *art.*13. *n.*12. obiter relata; *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus*: dum ex hujus contradictorio definito, ut vero, quod est: *Præceptum servandi festa obligat sub mortali, etiamsi nullum adsit scandalum, aut contemptus*, sequitur contradictorium illius universalis, nempè; *aliquod Ecclesiæ præceptum obligat sub mortali*, cum quo fit evidens illius incompossibilitas, ratione cujus proindè universalis prædicta habenda est penitùs *antiquata*.

2. Hic nihilominùs discurrendi modus, quem nuperrimè amplexus est P. Salvator à Sambuca Ordinis Capuccinorum in Panormitana Provincia Concionator, Theologiæ Prælector, ac Ex-Definitor in *sua Sambuca rationali Euch. certamini adhibita disp.*5. *qu.*3. *num.*25. & 29. non omninò, mea sententia, concinit præfatis particulis *decreti* Alexandri VII., quibus dum dicitur *antiquatas* assertiones *iterùm suscitari*, jam supponitur eas præviè ad *decretum* fuisse *antiquatas*, & non proindè virtute ipsius dumtaxat fieri tales, sed *iterùm suscitari*. Adeòut potiùs, ut ita dicam, ex *antiquationis* ad *probabilitatis* statum transitus factus dici debeat, non quidem veræ, sed idealis, atque penitùs insubsistentis, & secundùm erroneam Authorum eas suscitantium æstimationem, quàm ex *probabilitatis*, ad anti-

antiquationis qualificabilitatem. Non eatenus negamus virtute Innocentiani, aut Alexandrini *decreti* potuisse, aut posse reddi propositiones *antiquatas*, quoties de ipsis militat ratio *num.* 4. 5. adducenda, sed necessitatem recursus ad dicta *decreta*, circa *propositiones* illas, quæ, tanquàm *antiquatæ* jam in priori ad eorumdem promulgationem in eis pronunciantur. Ac idcirco si Cardenas discursus perstringatur ad eas solas *propositiones*, quæ inferri ex *propositionibus damnatis* possunt, quas Pontifices *noviter adinventas* affirmant, ut satis probabile admittere non renuimus. Juxta quem tamen sic limitatum, exemplum nequaquàm formandum erat, ex universali allata, ac particulari ab Innocentio prohibita, sed potiùs ex universali, & ex 23. inter *damnatas* ab Alexandro VII. *cit. art.* 8. *num.* 12. pariter indicata: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter &c.*, cujus vi, si ex ejus principiis *antiquata* mãsit ob rationis paritatem, non ampliùs reddi *antiquata* potest per particularem ab Innocentio interdictam, nisi per tituli multiplicationem, ut quæ *antiquata* dicebatur per oppositionem ad unum decretum, *antiquata* dicatur per contrarietatem ad alterum. Veriùs nihilominùs ex neutra particulari prædicta *antiquatio* universalis inferenda est, utpotè quę formaliter equivalenter eidem *damnationi* subjecta censeri debet, cui subjacet particularis eliminata.

3. Reassumendo enim, quæ diximus *cap.* 2. *art.* 8. *à num.* 14. de propositionibus particularibus fide divina tenendis virtute definitionis, per quam fidei objecta declarantur universales affirmativæ, sub quibus illæ comprehenduntur, eo potissimùm motivo, quod particulares formaliter inadæquatè saltem æquipolleant suis universalibus, ut proindè pro revelata haberi minimè valeat universalis *ibid.* insinuata: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, nisi etiam revelata formaliter æquipollenter reputetur particularis: *Deus vult Judam salvum fieri*: Clarum redditur, argumentum, quod fit ab universali affirmativa de fide, ad inferendam particularem affirmativam de fide, parilem efficaciam habere à particulari affirmativa de fide ad exclusionem à fide universalis negativæ, adeòut illa de fide habita, hæc non possit non *hæretica* existimari. Undè, si de fide sit e. g. *D. Petrus est prædestinatus*, quacumque alia consideratione, aut motivo præcisis, *hæretica* erit propositio negativa universalis, *Nullus homo salvabitur*: semel enim quòd contradictoria, particulari, seu singulari prædictæ: *D. Petrus non est prædestinatus*, est *hæretica*, universalis negativa, cui dicta negativa singularis formaliter inadæquatè æquipollet, non potest non esse *hæretica*. Eodemque modo discurrendum de cæteris *censurarum* gradibus; qui, si competunt particularibus negativis, competere debent, & universalibus negativis. In casu itaque, *damnata* propositione particulari: *frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter*, similiter *damnata* censeri debet universalis: *violans præcepta Ecclesiæ, ad quæ tenetur, non peccat mortaliter*, in qua illa per formaliter inadæquatam æquipollentiam comprehenditur: & ideircò, si universalis non est *damnata*, nec particularis erit *damnata*; sicut, si hæc est *damnata*, eodem notæ gradu, *damnata* erit & illa in sua universalitate sumpta. Qua attenta, sicuti, ut absolutè falsa habeatur, satis est, ut falsa sit particularis sub ea contenta, ita & ut *damnata* hoc, vel illo censuræ gradu censeatur, sufficiens erit, quòd particularis in ea imbibita, hac, vel illa nota afficiatur.

4. Per *antiquatas* itaque opiniones, verisimilius est non venire eas, quæ tales redduntur ex certo aliquo principio *denuò* invento: Non quòd per hoc *antiquatæ* reddi nequeant, cùm enim ex vocis ethimologia *antiquatum* idem sonet, ac *abrogatum*, seu *irritum*, clarum fit *antiquatam* evadere quamlibet assertionem, eò ipso, quòd *prohibeatur*, aut *damnetur*, ac eatenùs de probabilitatis finibus penitùs deturbetur. Sed quòd aliud, ut diximus, sit, propositionem aliquam *antiquare*, aliud *antiquatam* supponere, & ex *antiquationis* tenebris erutam, ac suscitatam, iterum interdicere, quod posterius ex particulis Alexandrini *decreti* constat, non verò primum, deduci. Idemque satis verisimile est indigitari ab Innocentio XI. verbis illis *art. præc. num.* 1. itidem relatis: *plurimas propositiones partim ex diversis, vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas &c.* Neque enim Tò *noviter adinventas* designat aliquas propositiones, quæ nec in libris, nec in scriptis, nec in thesibus reperiantur; sed quòd, etiamsi in ipsis insertæ, sunt tamen *noviter* excogitatæ, non verò ex vetustioribus erutæ, in quibus *antiquatæ* turpiter decumbebant; & in hoc sensu plenissimè verificantur particulę præcedentes, quibus Pontifex declarat se prosequi velle *salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis à fel. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum*; & proindè æquè ac Ipsũ, sententiã ferre, tàm super *anti*-

quatis denuò suscitatis, quàm super *noviter* adinventis.

5. *Antiquata* verò reddi potest aliqua opinio, vel per positivam aliquam legem, aut *decretum* illam expressè *damnans* ex nuper traditis, vel per illationem, quæ fieri quea ex aliquo hujusmodi *decreto*, & altero simili principio certo; vel etiam ab extrinseco, quòd ab ea jam ferè omnes Theologi recesserint, unanimiter illam rejicientes, & improbantes. Et quamvis laudati Pontifices locuti præsertim sint de propositionibus ad materiam morum pertinentibus, ad evellendas videlicet *complures opiniones christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes*, & ad segreganda *ab innoxiis* noxia doctrinarum pascua; Non indè tamen sequitur, quòd *antiquatæ* dici non possint propositiones ejusdem surfuris in materia fidei, & credendorum, quoties non omninò *noviter* sint excogitatæ, sed ex oblivionis tenebris ad memoriam revocatæ verius inscribi debent, quàm *recenter* inventæ. Quales propemodùm erant illæ, quas refert Theodoretus *in suo Eraniste, seu Polymorpho* ab Hæreticis quibusdam collectas, qui *cùm novorum decretorum primi esse Authores desiderassent, è multis sectis impietatem emendicarunt, & hanc perniciosam hæresim constituerunt*, quam Beatus Cyrensis Antistes impugnandam assumens *tribus* doctissimis *dialogis*, ejus explicationem præmittit, unico causam reddens contextu indicare inscriptionis eorumdem ad rem præsentem apprimè conducentem: *Libri autem à me scripti nomen est* Eranistes, *seu* Polymorphus, *hoc est* Emendicator, *seu* forma multiplex. *Cùm enim à multis, iisque impiis hominibus infausta sua decreta emendicarint, varia, & multiplicata cogitata proferunt. Quòd enim Deum solum Dominum Christum nominant, est Simonis, & Cerdonis, & Marcionis, & aliorum, qui huic execrandæ sententiæ sunt affines. Quòd autem ex Virgine quidem nativitatem fatentur, sed eam dicunt fuisse trajectitiam, nec Deum Verbum quidquam ex Virgine accepisse, ex Valentini, & Bardisanis, & eorum, qui non sunt ab illorum opinione remoti, prodigiosis dictis surripuerunt. Quòd autem Domini Christi Divinitatem, & humanitatem, unam Naturam appellant, ex Apollinaris nugis suffurati sunt. Rursùs autem, quòd Christi Divinitati animi perturbationem tribuunt, ex Arii, & Eunomii blasphemia cœperunt. Ut revera videatur eorum principium, Mendicorum vestibus, quæ ex diversis pannis consarcinantur, non dissimile. Quamobrem* Eranistem, *seu* Polymorphum, *hoc est* Emendicatorem, *seu* formam multiplicem, *hunc librum appello*. Sicque discurri posse de cunctis nostri temporis Novatoribus, ex Vetustioribus Hæterodoxis propria facientibus jam *antiquata* figmenta, evidentissimum fiet ei, qui insignis Ordinis Prædicatorum Theologi Dominici Gravinæ egregiam percurrerit *ostensionem*, qua probandum, singularum *hæresum* hac ætate vigentium comparatione cum obsoletis, assumit, *quòd Novatores suas* Deuteroses, *hoc est* humanas, *easdemque impiissimas* traditiones, *&* falsa dogmata *non ab Apostolis, vel Apostolicis, sed ab Apostatis, & Apostaticis acceperunt*.

6. In materia verò morum, seu operabilium, *antiquata* haberi potest præ aliis *propositio* 19. ex profligatis ab Alexandro VIII. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali*, utpotè, quæ, etsi *nova* quodammodò videatur in ordine ad satisfactionem pro culpa, qua irretiti omnes nascimur filii iræ, concepta, originem tamen, necessariamque connexionem habet, & ipsa, cum falso dogmate, (quod in ordine est 2. *art.*) à Leone X. contra Lutherum extincto: *In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum, & Christum simul conculcare*, ex quo Michael Bajus permulta deprompsit portenta à Pio V. itidem expuncta, nempe (47), quòd *peccatum originis verè habet rationem peccati sine ulla relatione, & respectu ad voluntatem, à qua originem habuit*; (51) quòd *concupiscentia, sivè lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sint vera legis inobedientia*. Neque enim ulla alia ratione pœnitentia confingi potest necessaria pro peccato originali, nisi quòd, vel illud verè maneat in regeneratis fonte baptismatis, ut quoque somniavit Calvinus *lib. 3. instit. c. 3. §. 10.* vel pœnalitates ex eo resultantes rigorosam imbibant peccati deformitatem. Quamquàm & in hoc execrabilior appareat assertio exigens pœnitentiam, quatenùs Bajus, licèt eas, veras transgressiones dixerit, subjunxit nihilominùs non esse imputabiles, nec deputabiles, ut peccata; (75) *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto*: non concupisces: *undè homo eos sentiens, & non consentiens transgreditur præceptum*: Non concupisces, *quamvìs peccatum non deputetur*: estò censendus veniat Bajus incohærentior, quòd admissa vera præcepti transgressione, illam nihilominùs asserat in peccatum non deputari. Ecce in quod perditionis barathrum præcipites ruunt, qui sanctitatem, vitæ austeritates, mortificationes, & pœnitentias am-

amplecti affectantes, Diaboli Martyres Christi fideles efficere student, pœnitentiæ prætextu eos ad fidei deperditionem inducendo, & ad negandam cogendo Baptismatis virtutem, Apostolo pro ea in contrarium *ad Rom.6.3.* clamante: *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus ei per baptismum in mortem*, sicque nos edocente, quod ei, *qui baptizatus pro quibuscumque peccatis, non est aliqua satisfactio injungenda, hoc enim esset injuriam facere passioni, & morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens ad plenam satisfactionem pro peccatis baptizatorum*, ut arguit D. Thomas *3.p. q.68.art.5.in corp.*, & quidem loquendo de peccatis actualibus ante baptismi receptionem ab Adultis commissis.

7. Quod longè fortiùs militat de originali peccato, de quo, Nec pœnitentia propriè haberi potest, quia *non est nostra volunta. te peractum, nisi fortè in quantum voluntas Adæ reputatur nostra secundùm modum loquendi, quo Apostolus dicit* (*ad Rom.5.12.*) In quo omnes peccaverunt. *In quantum tamen largè accipitur pœnitentia pro quacumque detestatione rei præteritæ, potest dici pœnitentia de peccato originali, sicut loquitur Augustinus* (*in lib. de vera pœnitentia*) ex eodem *3.p.q.84. art 2. ad 3.* Nec contritio, Aquinate itidem *in suppl.q.2.art.2 in corp.* dicente: *Contritio est dolor respiciens, & quodammodò comminuens voluntatis duritiem; & ideò solùm de illis peccatis potest esse, quæ ex duritia nostræ voluntatis in nos proveniunt; & quia peccatum originale nostra voluntate non est inductum, sed ex vitiatæ naturæ origine contractum, ideò de ipso non potest esse contritio, propriè loquendo, sed displicentia potest esse de eo, vel dolor*: & (*ad 1*) *Contritio non est de peccato, ratione substantiæ actus tantùm, quia ex hoc non habet rationem mali; neque iterum ratione deformitatis tantùm, quia deformitas de se non dicit rationem culpæ, sed quandoque importat pœnam; debet autem de peccato esse contritio, in quantùm importat deformitatem ex actu voluntatis provenientem: & hoc non est in peccato originali, & ideò de eo non est contritio*.

8. Undè etiam constat, quàm ineptè concupiscentia, seu lex membrorum, & prava desideria carnis, quæ inviti sentiunt homines, inobedientiæ, & transgressionis actus inscribi queant, & per consequens, si cohærenter loqui quis velit, peccata, adversùs id, quod cum Matthæuccio docuimus *art.præc.nu.37.* ex Augustino. Cujus authoritates negare non audens Calvinus, imò ex eis inferens Veterum Patrum sententiam, ab ea nihilominùs discedere impudentissimè non erubuit, „ Non opus est multùm investigando laborare, quid hic Veteres senserint, quando unus Augustinus „ sufficere id potest, qui fideliter, magnaque diligentia Omnium sententias „ collegit. Ex eo igitur sumant Lectores, „ si quid de sensu antiquitatis habere certi, „ volent. Porrò inter illum, & nos, hoc discriminis videri potest interesse, quòd „ ipse quidem, cùm fideles concedat, quamdiù in corpore mortali habitant, sic illigatos teneri concupiscentiis, ut non possint non concupiscere, eum tamen morbum, peccatum vocare non audet, sed ad „ illum designandum infirmitatis nomine „ contentus, tunc demùm fieri peccatum „ docet, ubi, vel opus, vel consensus, ad „ conceptionem, vel apprehensionem accedit, hoc est quando primæ appetitioni „ cedit voluntas. Nos autem illud ipsum „ pro peccato habemus, quòd aliqua omninò cupiditate contra legem Dei homo „ titillatur. Immò ipsam pravitatem, quæ „ hujusmodi cupiditates nobis generat, „ asserimus esse peccatum. Docemus itaque in Sanctis, donec mortali corpore „ exuantur, *semper* esse peccatum, quia in „ eorum carne residet illa concupiscendi „ gravitas, quæ cum rectitudine pugnat „ Augustino tamen concinit *1.2.q.80. art.3. ad 3.* Angelicus, objectum, quo probari contenditur, quòd Diabolus possit necessitatem inferre ad peccandum, quia *secundùm Augustinum, nonnullum peccatum est cùm caro concupiscit adversus spiritum: sed concupiscentiam carnis Diabolus potest causare, ergo ex necessitate potest inducere ad peccatum*, solvens, *quòd concupiscentia carnis contra spiritum, quando ratio ei actualiter resistit, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis: quòd autem ratio ei non resistat, non est in potestate Diaboli, & ideò non potest inducere necessitatem peccati*. Aliàs peccati reus esset habendus Apostolus, cùm de se Rom.7.15. ajebat: *Non, quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio*: irritaque reputanda ejusdem monitio (*ad Rom.6.*) *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*; dum etiam si ea non regnet, adhuc peccatores nos constituere valeat; quod prorsùs ab Apostolo reprobatum notarunt *tract.41.in Jo.* Augustinus: *Non ait non sit, sed non regnet. Quamdiù vivis peccatum necesse est esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur, non fiat id, quod jubet*: & *lib.21.mor.c.2.* Gregorius: *Peccatum in humano corpore non esse, sed regnare prohibuit. Quia in carne corruptibili non esse, non potest, sed, non regnare, potest.*

9. Quod verò indicatum est *num.* 1. sufficere videlicet ad *propositionis* alicujus *antiquationem*, quòd inferri queat ex propositione *damnata*, adeò ut oppositionem aliquam necesse est, quòd importet cum ejus contradictoria, quam illius *damnatione* Pontifices declarant sustineri debere, & ad praxim deduci; rectè monet *num.* 269. Cardenas intelligendum de illatione, quæ sit certa, certam firmans repugnantiam, quam dicit *decreto*; nec sufficere illationem probabilem, de qua discurri debet, æquè ac de cæteris *propositionibus* probabilibus, quæ passim tali probabilitate inferuntur ex Sacris Literis, Conciliorum definitionibus &c. ut sub parili probabilitate ex similibus authoritatibus, aut resolutionibus inferuntur opposita, ut patet in exemplo, de quo *cap.* 7. *art.* 6. *num.* 5, opinionis, sivè affirmantis, sivè negantis, quòd Verbum incarnatum fuisset Adamo non peccante virtute præsentis decreti, quæ utraque à Sixto IV. dicta est pietati, sacrisque literis innixa. Quare perperàm (inquit laudatus Recentior) Moderni nonnulli procedunt, „ qui volunt esse contentam in *damnatione* doctrinam, cujus „ continentiam ex sua opinione etiam me„ rè philosophica, solùm probabiliter, im„ mò, & minùs probabiliter inferunt. „ Quod iterùm tradit *dissert.* 14. *c.* 8. *ad prop.* 21. Hozes impugnans, qui ex *propositione* 21, quam dedimus *cap.* 3. *art.* 21. *num.* 1. de compossibilitate fidei supernaturalis cum formidine de revelatione, intulit manere *damnatam* sententiam docentem actum fidei, & opinionis de eodem objecto posse si...ul haberi in eodem intellectu, quæ à Neotericis sententibus formidinem actualem, de qua procedit *propositio damnata*, non esse de ratione opinionis, sed solam radicalem, quæ stat cum actuali certitudine de opposito, passim defenditur, etiam post *damnationem* prædictam, cum qua necessariam non dicit connexionem, cùm præsertim mera opinio philosophica sit, ad veræ Religionis electionem minimè necessaria, immò nec fortè conducens; circa quam proindè præcisivè processimus *cap.* 5. *art.* 3. *num.* 2.

10. Hoc motivo nonpauci Theologi post damnatam *propositionem* 14. ab Alexandro VII. *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*, adhuc sustinebant ipsi affinem *propositionem*, quam ordine 55. proscripsit Innocentius XI. *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*; Aliis è contra hanc ex illa eruentibus, ea ductis ratione, quòd prohibitionis origo eadem in utraque vigeret, quòd nempè Ecclesia eam præscripsit confessionem, & communionem, quam Christus mandavit, cujus præcepto addidit solùm temporis determinationem, quæ naturam rei immutare non habet, cùm præsertim sacrilega Eucharistiæ susceptio satis indicata *cap.* Omnis utriusque sexus *de pœn. & remiss.* videatur per illas particulas: *suscipientes reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum*: respondentes non hanc fuisse rationem præcisam, sed aliam, quatenùs videlicet confessio nulla, non est confessio, & per consequens non potest esse sufficiens pro satisfactione præcepti exigentis confessionem. At Communio Sacramentalis quantumvis sacrilega non ita, quæ potest esse adimpletiva præcepti, dum adhuc perseverat vera communio Sacramentalis, animadvertente 3. *p. q.* 80. *art.* 3. *in corp.* Angelico, *quòd circa hoc Quidam antiqui erraverunt, dicentes, quòd Corpus Christi, nec etiam Sacramentaliter à peccatoribus sumitur; sed quàm citò labiis peccatoribus cotingitur, tàm citò sub speciebus Sacramentalibus desinit esse Corpus Christi; sed hoc est erroneum, derogat enim veritati hujus Sacramenti, ad quam pertinet, quòd manentibus speciebus Corpus Christi sub eis esse non desinat; Species autem manent, quamdiù substantia panis maneret, si ibi adesset: Manifestum est autem, quòd substantia panis assumpta à peccatore, non statim esse desinit, sed manet quamdiù per calorem naturalem digeratur; Undè tamdiu Corpus Christi sub speciebus Sacramentalibus manet à peccatoribus sumptis. Undè dicendum est, quòd peccator Sacramentaliter Corpus Christi manducare potest, & non solùm justus*, & præ Angelico brevius *sess.* 13. *de Euch. cap.* 8. Tridentino, ex Patrum doctrina referente *peccatores* Eucharistiam *Sacramentaliter dumtaxat sumere*. Quem discurrendi modum approbat novissimè Cardenas *in sua posth. Crisi theol. dissert.* 34. *c.* 5, autumans *damnationem* Innocentianam, necessariam omninò fuisse, ut *falsa* reputaretur *propositio* de Communione sacrilega ob prædictam disparitatem, quæ inter eam, & Confessionem nullam, intervenit.

11. In quo tamen, quamvis ipsi adhæream, quatenùs necessitatem *damnationis* deducere satagat ex probabilitate extrinseca Theologorum, qui, ut innuimus, propugnabant alteram propositionem, etiam supposita alterius *damnatione*. Adhuc dissentio, quòd id dici queat, si attendatur probabilitas intrinseca, seu fundamentum, cui prædicti Doctores innitebantur, eo ductus argumento, quo non semel memini me advertisse

vertisse Innocentium XI. suo *decreto* non effecisse propositiones in eo insertas *scandalosas*, sed solummodò declarasse, quòd tales jam erant, prosequens *salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis ab Alexandro inchoatum*. Ex quo rationabile abundè redditur, quòd dum declaravit *scandalosum*, asserere Communionem sacrilegam esse adimpletivam præcepti, id fecerit ob rationem, quæ sit communis Communioni, & Confessioni sacrilegæ, quam idcircò interdicendo, ut idoneam Alexander VII. pro certo tenendum est, quòd prohibuerit sub omni ratione, sub qua *scandalosa* revera erat, & consequenter, nedùm, quòd Confessio sacrilega sit nulla, sed etiam quòd nullitatis formalitate adhuc præcisa, non esset adimpletiva præcepti directi ad Confessionem, ad quam ex divino jure tenemur, semel in anno faciendam. Quo posito clara redditur disparitatis futilitas, ut per eam manere potuerit probabilis sententia de sufficientia Communionis sacrilegæ, estò idonea haberi queat, ut credatur opinio de Confessionis sufficientia ex duplici capite *damnationi* obnoxia, quorum alterum solummodò militet respectu Communionis sacrilegæ. Quoniam verò hanc Apostolicæ Sedis mentem assecuti non sunt plerique Theologi dictæ sacrilegæ Communionis sufficientiæ faventes, ad eos à deceptione removendos, & ne authoritas eorumdem alios inficeret, necessariam fuisse concedimus expressam opinionis hujusmodi *damnationem*. Cum quo nihilominùs stat, quòd Doctores contrarii etiam ante ipsam, poterant dictam opinionem *antiquatam* virtute *damnationis* alterius reputare, non quidem absolutè, quòd oppositis Theologis præviè ad ulteriorem Ecclesiæ declarationem fuisset injuriosum, sed probabilier ob rationis paritatem efficacem ab ipsis habitam, eo planè modo, servata proportione, quo ratiocinati sumus de *propositionibus* probabiliter *hæreticis cap.3, art.20.& 21.*

12. Fortiùs corruit præcipuum utriusque opinionis fundamentum in eo situm, quòd Ecclesia potestatem non habeat in actus internos, qualis propemodùm est Confessio valida, & formata, ac Communio spiritualis non minùs quàm sacramentalis, seu dignè suscepta. Ad cujus nihilominùs pleniorem solutionem non pigeat obiter delibare, quæ pro ea, ex variis Doctorum placitis possunt depromi. In primis namque etiam transmisso absolutè supposito, quod assumitur, insubsistens est, quæ ex eo fit deductio: Tùm ob solidam reflexionem, qua sapientissimus Antonius Cottonus *in suis contr.celeb.lib. 1.contr.1. cap.2.num.26.* ponderat actus internos, qui necessarii sunt, ut forma externorum in ratione virtutis, etiamsi ab Ecclesia præcipi non possent, præcipi tamen jure naturali, hoc ipso, quòd Ecclesia præcipit actus externos. Tùm etiam, quia præcepta, de quibus agimus, quoad substantiam divina sunt, quoad temporis verò determinationem Ecclesiastica, & eatenùs etiamsi ut Ecclesiastica, non addant novum onus internæ dispositionis, eam tamen important, ratione materiæ, quam afficiunt, quæque cum intrinseca sua quidditate, subjecta est in ordine ad temporis præfixionem ipsius potestati; indè enim sequitur, quòd ea deficiente, nedùm Divinum præceptū minimè adimpleatur, sed nec Ecclesiasticum, executionem præscribens, per quam ei satisfiat, modo ex Christi institutione essentialiter requisito.

13. Quantùm autem ad assumpti transmissi veritatem, non una est Theologorum opinio: Alii siquidem illud absolutè negant, mordicùs propugnantes, posse Ecclesiam directè, & per se præcipere actus internos, quoties ad salutem fidelium judicaverit expedire cum Adriano *quodl.8.art.1.lit.A.* Alberto Pighio *lib.6. Hier. Eccl.cap.26.* Rosella *verb.Hæreticus*, Joanne de Medina *Cod.de orat. qu.5.* Merenda *de camb.cap.45.* Caramuele *in Theol.fund. edit.ann. 1657.fundan.25.num.698.* quos nuperrimè sequitur P. Felix Potestà *tom.1. exam.conf. cap.2.de leg.quæst.3. num.181.* post Cardenas *in sua posth.Crisi theol.cit.diss.34 ad prop.55. art.23.* Alii assumptum simpliciter admittunt cum Durando *in 4. dist.15. quæst.12.* Sylvestro, Rosella, Armilla, Coninchio apud Dianam *par.8.tract.5.resol.50.* quia humanus Legislator non potest actus internos dignoscere, quare nec imperare, aut prohibere, ex quo vulgare illud dictum; *Ecclesia non judicat de occultis*. Alii cum Cajetano *in 2.2.q.11. art.3.* Soto, Henriquez, Lessio, Suarez, quos sequitur Cottonus, opinionem eorum *omninò veram* existimans *cit.cap.num.24.* quoad actus merè internos, sentiunt cum Authoribus secundæ sententiæ; quoad verò ad internos, qui ad externos pertinent, vel diriguntur, sive ut humano fiant modo, sive ut sint actus virtutis, & vitii, conveniunt cum Propugnatoribus primæ, moti ex fine legislativæ potestatis Ecclesiæ à Christo communicatæ, qui est Animæ salus, adeòque pendet ab humanis operibus (Cottoni verba usurpo) non ut-cum-

cumque, sed ut bonis, & impeditur malis, quorum utrorumque ratio habetur à principio interno. Et multæ sunt leges hujusmodi canonicæ, quæ actus nonnullos præcipiunt, puniuntue, prout à tali voluntate procedunt, qualis est *Clement. 1. §. Verum de Hæret.* ubi excommunicantur Inquisitores omittentes procedere contra aliquem in causa fidei ex odio, & intentione turpis lucri: *Clement. 1. de stat. Monach.* ubi similiter excommunicatur Monachus conferens se sine licentia in curiam Principis animo accusandi Prælatum. Item *dist. 3. cap. 7. 8. 13.* ubi excommunicatur, qui ex contemptu, & superstitione jejunium Ecclesiasticum non servaverit, aut die Dominico jejunarit, cæteræque consimiles, in quibus excommunicantur hoc, vel illud facientes *scienter, ausu temerario &c.*

14. Quæcumque seligatur opinio, insubsistentes semper habendæ sunt *propositiones* meritissimè ab Apostolica Sede prohibitæ. Et quidem juxta secundam, quæ vix habenda est, ut probabilis, recurrendo ad reflexiones *num. 10.* quæ corroborari possunt ex plerisque aliis Ecclesiæ *sanctionibus* præceptorum divinorum declarativis, vi quarum e. g. *damnantur* aliquæ *propositiones* super præcepto interno dilectionis Dei, & proximi, *quinta* videlicet in decreto Innocentii XI. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret? condemnare non audemus.* (6) *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* (7) *Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.* (10) *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.* (11) *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*, & aliæ ejus generis, ex quibus tamen non omninò efficax mihi est illatio P. Felicis Potestà, qua deducere contendit potestatem Ecclesiæ legislativam per se directivam actuum internorum, dum nulla appareat formalitas, vi cujus in legislativam potestatem refundi id debeat, & non in solam declarativam, nisi de legislativa sit sermo, quatenus fideles obstringit ad *propositiones* prædictas reputandas, ut *scandalosas*, ac *falsas*. Contra verò circa determinationē temporis Confessionis, & Communionis enitet vis legislativa, in eo, quòd nedùm declarat fieri eas debere quotannis, aut Paschali tempore, sed transgressores censuris subjiciendos statuit, quod non est merè declarare, sed statuere, & mandare.

15. In prima: Assumptum penitùs negandum elucet ex illimitata Christi locutione, qua absque restrictione ulla ad actus, vel internos, vel externos, vel mixtos, authoritatē impertitus est suis legitimis Vicariis: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis*, cui ad rem præsentem Cardenas *art. 3. num. 49.* addit illud Tridentini *sess. 21. cap. 2.* quo Sancta Synodus *declarat, hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret*: indè subsumens: „ Sed potest fieri, quòd „ Ecclesia judicet expedire ad Sacramenti, „ & Sacrificii venerationem, quòd Sacer- „ dos ministrans Eucharistiam accedat ad „ hoc Sacramentum in statu gratiæ, atque „ adeò cum dispositione contritionis per- „ fectæ, & similiter, quòd Diaconus, qui „ ministrat in Missa solemni cum eadem „ dispositione accedat ad ministrandum, „ Ergo Ecclesia habet hanc potestatem præ- „ cipiendi illis, ut conentur ad contritio- „ nem perfectam; limitare autem proposi- „ tionem universalem Concilii ad solos „ actus externos non est datum privatis ho- „ minibus„ Nec minùs clara extat responsio in tertia sententia, ob evidentiam, qua patet ad Confessionem sacramentalem, sacramque Communionem æquè actus internos requiri, atque externos, hosque ab illis essentialiter dependere, ut conducere nos valeant ad justificationis, & æternæ beatitudinis consecutionem, ad quam per se diriguntur.

16. Probabilitatem illationis non sufficere, ut ex *propositione* aliqua *damnata* inferatur probatio alterius, notavit pariter Didacus De la Fuente Hurtadus *in sua theol. reform. diss. 13. cap. 14.* ubi agens de *propositione* restrictionis mentalis, quam dedimus *art. 8. n. 8.* subtilem quamdam, sed non solidam refert distinctionem, quam ponit Sotus *lib. 5. de just. & jur. quæst. 6. art. 2. concl. 7.* inter eum, qui negat, se fecisse, quod fecit, *intelligendo intra se, quod non fecit &c.* & eum, qui jurat se *nescire*, vel se *non meminisse* ejus, quod reverà novit, aut memoria retinet; in eo sitam, quòd scientia, & memoria ordinentur ad dicendum, quare qui non scit, ut dicat, verissimè jurat absolutè se nescire, & non meminisse. At verò *facere*, aut *videre* non sunt directa ad dicendum, atque adeò nul-

lam

lam congruam restrictionem patiuntur; sed necessariò mentitur, qui de re visa, aut facta dicit, *non vidi*, aut *non feci*. Ex qua doctrina, si vera esset, consequens fieret, ait, & benè Hurtadus, *damnationem* Pontificiam non spectare ad restrictiones adjectas verbis, *nescio*, vel *non memini*, aut quibusvis aliis ordinatis ad loquendum, sed eas solas, quæ adjiciuntur verbo *non feci* in *propositione damnata* inserto, aut ad summum aliis affinibus ordinatione ad loquendum carentibus. Nam priores *propositiones* non sunt *damnatæ* formaliter, & expressè, ex quo constat in *propositione damnata* mentionem fieri de verbo *non feci*, nec etiam arguitivè ob allatam disparitatem, quam probabilem habet Sotus, & cum Soto Petrus de Aragon 2. 2. *q.69. art.2. ante finem*. Uterque tamen, ut innui, absque soliditate, ut relatis Bannez, Suarez, Palacio, Sayro, Navarro, advertit idem Hurtadus *num.* 10. motus „ quia, estò admittamus verbo „ illi: *non vidi*, aut *non feci*, malè accommo- „ dari restrictionem illam ad *dicendum*: ad- „ huc supersunt plures aliæ, quæ eidem „ rectè accommodantur, & efficiunt sen- „ sum verum, ut *non feci*, subintelligendo „ *publicè*, *non feci illicitè*; *non feci ad manife-* „ *standam ejusdem facti notitiam*. *Non vidi* „ *heri*. *Non ita, ut debeam dicere &c.* „ Quare summoperè à similibus subtilitatibus caveant Theologi, quibus dum effugere *damnationem* affectant, in *damnationem*, aut saltem in *antiquationem* labuntur; prout quòad *propositiones* Bajanas notatum voluit Pius V. nedum interdicens de *eisdem*, sed, & de *similibus post hac quoquo pacto loquendi*, *scribendi*, & *disputandi facultatem*.

17. Eodem autem medio, quo à Cardenas probatam *antiquationem* vidimus *nu.*1. probatam ab eo pariter indicavimus *falsitatem* alicujus *propositionis*, ex qua deducatur *damnata* ob evidentem Dialecticorum regulam, quòd in legitima consequentia non possit ex vero inferri falsum, ut ex Angelico nos quoque tetigimus *cap.*5. *art.*2. *num.*6. undè si consequens est *falsum*, antecedens non potest esse verum; cùmque proindè quælibet *propositio* ex *damnatis* ab Innocentio, sit certò *falsa*, quodlibet antecedens, ex quo aliqua illarum evidenter infertur, erit quoque certò *falsum*. Quòd verò quælibet ex *damnatis*, sit certò *falsa*, probarat *cap.*10. *art.*2. quia si aliqua ex *propositionibus* prædictis *damnatis*, tanquàm *scandalosis*, à parte rei esset vera, à parte rei esset illicitum ejus objectum, estò ob ignorantiam possit haberi illicitum; adeòque Romana Cathedra erraret in materia morum, *damnando*, ut illicitum, quod in se tale non esset, æquè ac errare potest privatus aliquis Doctor erroneè putans *scandalosum*, quod revera *scandalosum* judicari non debet. Similique ratiocinio utitur Didacus De la Fuente Hurtadus *in sua theol. ref. disp. proœm q.*6. id ipsum confirmans, tùm quòd *propositiones* ab Innocentio *damnatæ*, non utcumque declaratæ sunt *scandalosæ*, sed per modum regulæ dirigentis mores nostros rectè, & sine ullo periculo aberrandi in via salutis, aut declinandi in contrarium: regula autem vera, & conformis rectæ rationi, *scandalosa* esse non potest. Tùm quòd proscriptæ itidem sint, ut in praxi *perniciosæ*, quæ *perniciès* derivare nequit ex opinione, quæ sit simpliciter vera. Tùm quòd Summus Pontifex severissimè vetat, ne Aliquis *propositionem* ullam ex *damnatis*, tanquàm *scandalosis* doceat, defendat, aut edat in lucem, vel de eis disputet, nisi fortè ad impugnandum. Magna autem esset absurditas prohibere cum tanta districtione, ac etiam sub excommunicatione latæ sententiæ defensionem, ac propalationem veritatis, tàm publicam, quàm privatam, quin liceat ipsi, vel disputativè favere, aut se accommodare in praxi, sed dumtaxat contradicere, & pugnare pro *falsitate* contraria. Ex quibus, aliisque ponderationibus, quas subdit Hurtadus, rationabilior redditur ipsius recessus ab explicatione, quam dederat *q.*4. Innocentiani *decreti*, ut ostenderet dubium videri, an *propositiones* proscripserit, ut verè *scandalosas*, vel solummodò *tanquàm scandalosas*, seu ad *instar scandalosarum*? Quem proindè recessum meritò nos commendavimus *c.*7. *art.*2. *num.*9. Ubi quæ insinuavimus à *num.*6. in *hujus*, & *sequentis num.* confirmationem conducunt.

18. Prædictis rationibus addi potest ex Bail *in Summ. Concil. tom.*1. *ad Trident. pag.* 740. & altera, particulæ *damnandas*, & *damnat*, innixa, vi cujus expendens *Bullam* Pii V. contra Bajum, omnes ejus *propositiones* affirmat interdictas, tanquam *falsas*, quia discrimen est inter *propositionem damnatam*, & *prohibitam*, quòd hæc possit esse vera, licèt sit vetitum illam propugnare ob aliquam rationabilem causam, non autem illa, cujus *falsitas* ex ipsamet *damnatione* absque alia expressione innotescit. Undè laudatus Pontifex cùm appofuerit adverbium *respectivè*, ut indicaret non omnes esse *hæreticas*, *erroneas* &c. sed aliquas *hæreticas*,

ali-

aliquas *erroneas* &c; illud extendere noluit ad *falsitatem*, quam singulis inesse testatus est per particulam *damnamus*, cunctas collectivè, & distributivè designans. Nec dissentit Joannes Martinez de Ripalda *tom.3. de ente supernat, in proœm. disp.1. sect.2. nu.7.* vanam Bajanorum elusionem, qua contendebant, *propositiones* ipsorum communis Magistri à Pio non fuisse in *perpetuum*, sed *ad tempus* dumtaxat proscriptas, id inferentes ex particulis initio *Bullæ* affixis: *Ad futuram rei memoriam*, non verò *Ad perpetuam rei memoriam*, uti dici debuisset, si *damnatio* in *perpetuum* fuisset intenta; præcipuè infringens, quia laudatus Pontifex non solùm *prohibuit*, sed & *damnavit* omnes Baji *propositiones*. Cùm autem Apostolica Sedes aliquam doctrinam *damnat*, non *ad tempus* tantùm, sed in *perpetuum* solet ei silentium indicere. Attento maximè, quòd *damnatio* pronunciat *falsitatem* doctrinæ nocivam fidei (addere poterat, & moribus, dum ex nuper indicatis apparet, eodem verbo usos Romanos Pontifices in profligandis *propositionibus* per se Animarum saluti noxiis, quamvis ad morum materiam perstrictis) quæ nullo tempore in Ecclesia admitti debet. Undè Urbanus VIII. Pii Bullam renovans adversùs Bajanæ doctrinæ Resuscitatores, pro *Ad futuram*, præfixit *Ad perpetuam rei memoriam*, confirmationi suæ insuper hæc verba inserens: *hac perpetuò valitura Constitutione ejusdem Pii, & Gregorii Constitutiones* &c. *perpetuò confirmamus*, quibus insinuatur Tò *Ad futuram* synonimum habendum cum Tò *Ad perpetuam*, quoties saltem, & materia *perpetuitatem* exposcit, & nulla adest particula determinativa temporis, sine qua enunciatio indefinita, universali haberi debet æquivalens, si aliud contingentia rei, de qua agitur, non indicaverit. Cui reflexioni apertè favent subsequentes Pianæ *Bullæ* particulæ, quibus laudatus Romanus Pontifex *Antonio, tituli Sancti Bartholomæi in insula Presbytero Cardinali, Granvelano nuncupato, per Apostolica scripta* mandavit, *ut ipse quid ad perpetuam dictarum sententiarum, & scripturarum abolitionem* expenderet, remediaque in dictum finem opportuna præberet.

19. Contra hæc sibi objiciens ex Bajanis Ripalda, quòd aliquæ *propositiones* fuerint à Pio proscriptæ dumtaxat, ut *in pias aures offensionem immittentes*, indè inferentibus, non omnes absolutè *falsas*, nec simpliciter fuisse *damnatas*: Respondet, quòd cùm dupliciter aliqua *propositio* dici possit *pietatis offensiva*, per se videlicet, & ab intrinseco, quia contradicit veræ *pietati*, & religioni, quam instruit, & dirigit fides, & catholica doctrina: Secundò per accidens, & ab extrinseco, quia contradicit *pietati*, quam interdum dirigit, & regulat error: *propositiones Bajanæ* sub prædicta *nota* profligatæ, primi generis sunt habendæ, quæ in rigore subeunt *censuram* theologicam, non secundi. Quicquid verò sit de efficacia hujus responsionis in ejusdem Authoris principiis, ad ipsam nos confugere non adeò facilè possumus, si velimus cohærenter discurrere ad tradita *cap.7. art.3.* ubi propugnantes cum Brancato identitatem *malè sonantis*, & *piarum aurium offensivæ*, ipsius quidditatem constituendam firmavimus in sensus duplicitate, cujus capax sit aliqua assertio, aut doctrina, itaut sensus pravus prævaleat, qui tamen, si materiam credibilium afficiat, non sit *hæreticus*, ad distinctionem *sapientis hæresim*, vel *suspectæ de hæresi*, quæ sensus *hæretici* præponderationem importat. Nisi adversùs hanc tales concurrant circumstantiæ, per quas *propositio* in sensu sano, quantumvis non adeò proprio, immò etiam improprio, ad magis proprii exclusionem veniat sumenda, juxta exceptionem, quam insinuavimus *art.8. hujus cap. nu.48.*, eam tamen locum non habere *num.50.* innuentes in privatorum Doctorum locutionibus. Quo posito, efficacius redditur argumentum insinuatum, quòd non videantur posse absolutè *damnatæ*, & simpliciter *falsæ* reputari *propositiones*, quæ à Pio supponuntur rejectæ tantùm, tanquàm *in pias aures offensionem immittentes*, cùm absolutè *falsum*, ac *damnatum* non sit, quod in aliquo sensu est verum. Quin juvet confugere ad doctrinam, quam *cap. 1. art.5. num.25. & mox citato art.8. cap.7. num.48. & 50.* tradidimus, sensum videlicet verum dictarum *propositionum* Baji non esse attendendum, utpotè qui omninò impropriius sit, nec sufficiens, ut vi ipsius æquivocæ in rigore habeantur, & proinde absolutè, & simpliciter *falsæ*, cohærenter etiam ad id, quod diximus *cap.5. art.4. num.14.* impugnantes Bajanos contendentes, non omnes fuisse *damnationi* obnoxias, & *cap.6. art.2. num.3. & 9.* Sic namque non imminuitur difficultas, sed potiùs augetur, ob manifestam cotradictionem, quæ elucet in eo, quòd *propositiones* Baji haberi non debeant æquivocæ, duplicisque sensus capaces, qui cum aliqua proprietate eis competat; quodque aliquæ earumdem sint *in pias aures offensionem immittentes*

tentes; ad quam *notam* requiri præfatam sensus duplicitatem abundè liquet ex hactenùs indicatis.

20. Eadem verò difficultas hùcusque expensa in ordine ad *censuræ* gradum *offensionis piarum aurium*, adhùc efficaciùs formari potest, quòad alterum per Tò *suspectas* expressum, quem constitui per sensus duplicitatem, *sani* videlicet, atque *pravi*, *catholici*, atque *hæretici* cum communiori Theologorum stabilivimus *cap.6. art.2.* ubi *nu.7. & 12.* rejecimus Cani explicationem, quæ fortè ad præsens locum habere posset, refundentis *suspicionis hæresis* rationem in Authorem proferentem aliquam *propositionem*, quæ *suspecta* habeatur; præcisè quòd ab Authore *hæretico* promanet. Et rejectio robur desumit ex particulis Pianæ *Bullæ* designantibus *propositiones* Baji profligatas *in rigore*, *& proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*, ob solidam Suarii *tom.1. de grat. proleg.6. c.2. de censur. Pii V. & Gregor. XIII. de aliquarum assert. numer.12.* reflexionem, quòd verba dicta duo continent,,, unum ,, est, assertiones illas in proprio verborum ,, sensu esse tali *censura* dignas; aliud est illum sensum fuisse ab Assertoribus inten- ,, tum. Hic enim est simplex, & proprius ,, verborum illorum sensus, & quicumque alius excogitetur, fructum hujus ,, definitionis evacuat. Quoniam aliàs ,, unicuique liberum erit proprium sensum, tanquàm ab Authore intentum, illis ,, verbis affigere, & illi accommodare judicium Pontificis, ut propriam opinionem ,, verbis magis consentaneam ab illa *censura* liberet, & ita declaratio illa Pontificia ,, inutilis fiet, quia non ad certam doctrinam confirmandam, sed ad excitandas ,, verborum contentiones deserviet. Quod quidem ita esse, ratio sequens magis declarabit. Nam, si sensus omnium illarum sententiarum ab Assertore intentus, ,, non posset ex verbis ipsis à Pontificibus relatis satis colligi sine operum ejusdem ,, Assertoris integra lectione, & antecedentium, ac consequentium nova collatione, consequenter etiam ipsa Pontificia ,, decisio, sine eadem diligentia certò colligi non posset, quia nesciremus, quo ,, sensu illas sententias *damnaverit*. At verò lectio illorum librorum nobis est prohibita, ut ex eodem *Brevi*, in quo hæc ,, scripta *damnantur*, constat: ergo interclusa est nobis via, & ratio assequendi ,, proprium sensum ab illo Assertore intentum, & à Pontificibus *damnatum*; &

,, sic non possemus ex illa *Bulla* firmum argumentum contra aliquam opinionem ,, sumere, etiamsi in illis assertionibus, & ,, proprio earum sensu contineri videatur. ,, Consequens est absurdum, utpotè scopo, & gravitati *decreti* repugnans. Atque ,, etiam est contra morem posteriorum ,, Authorum, (quorum aliquos refert locis apud ipsum videndis),, qui ad confirmandas non solùm Catholicas, sed ,, etiam veriores theologicas opiniones authoritate Bullæ utuntur,,. Hæc Societatis Theologus, qui *num. seq.* concedit, aliquas ex *propositionibus* Baji dici posse *ambiguas*, vel *duplicem sensum proprium* admittentes, duo subnectens indicia ad definiendum sensum, in quo *damnatæ* censeri illæ debeant. Alterum videlicet, quòd si verba in una significatione præ se ferant sensum non repugnantem menti Ecclesiæ, & Theologorum, in alio verò designent *novam*, & inusitatam doctrinam, *damnatæ* sunt reputandæ in secundo, non autem in primo. Alterum, quòd si unus sensus cohæreat cum aliis assertionibus in *Bulla* eadem *damnatis*, alius verò non ita, *damnationem* efficere credendum erit, sensum aliis conformem, non discrepantem.

21. Ut itaque ab his scopulis eruamur, animadvertimus in primis, quòd, cùm *damnantur propositiones*, ut *suspectæ*, non ideò absolutè *falsæ* dici nequeunt, quia sensum aliquem involuunt verum. Satis namque ad *falsitatem* absolutam est, quòd afficiat præponderantem sensum pravum, qui ipsis inest, & ratione cujus *damnantur*, ac *falsæ* inscribuntur: sensus autem sanus, quem imbibunt, sufficienter indicatur per ipsum *censuræ* gradum, quo declarantur *suspectæ*, idest in aliquo sensu veræ, veritate tamen, quæ non apta sit excludere *falsitatis* absolutam denominationem, ex prævalentia sensus pravi derivatam. Cùm præsertim hæc ex connexione sententiarum affinium vim desumat, intentaque eatenùs ab earumdem Authoribus evincatur. Ad differentiam *propositionum*, quæ absolutè damnantur, ut *hæreticæ*, e.g. aut *erroneæ*, quòd nullus in eis adsit sensus catholicus, ac idcircò ab omni censura immunis, nisi fortè sensus sit vel omninò improprius, & ideò nullatenùs attendendus, ut propter cum *propositio* inscribi nequeat *hæretica* simpliciter, vel *erronea*; vel si quadantenùs proprius propositioni specificativè, & secundum se sumptæ adaptabilis; non tamen si de ea sit sermo, prout conjuncta cum aliis affinibus,

ac certò indicantibus non in eo, sed in pravo, ac *hæretico*, vel *erroneo* esse ab Authoribus illam pronunciatam, & proinde æquè ac improprius, minimè considerandus, quin ob eum propositio expungi valeat absque limitatione, ut *hæretica*, vel *erronea*.

22. Cùm igitur diximus Baji *propositiones* æquivocas reverâ non esse habendas, ex hoc, quòd *aliquo pacto sustineri possent*, non totalem exclusionem firmare intendimus sensus sani, qui in aliqua ex ipsis admitti queat specificativè acceptis, & seorsim à connexione aliarum, ex quibus pravus earumdem sensus clarissimè constat. Sed de *propositionibus* locuti sumus sub hac reduplicatione, vi cujus *cap.5. art.2. num.8.* ex Ferè distinctionem desumpsimus inter *damnationem propositionum* Wicleph, & Baji, quod inter eas, plures essent *notoriè hæreticæ*, quia videlicet earumdem repugnantia cum divina revelatione nulla posset tergiversatione celari; cùm tamen illæ *propositiones* Baji, quæ eadem *hæresis nota* sunt affectæ, non omnes ex terminorum tenore, sed aliquæ potiùs ex connexione sententiarum ad invicem,& ex circumstantiis tunc vigentibus *censuræ* prædictæ obnoxiæ sint judicatæ. Adeò ut sensus sanus, qui fortè in aliqua earum specificativè considerata latebat, impedire non potuit, quin reputarentur *hæreticæ*. Quæ ratio in aliis non viguit, non ratione sensus sani, qui ipsis specificativè etiam poterat adaptari, sed quia neque ex connexione sententiarum ad invicem, neque ex circumstantiis,patens reddebatur *hæresis* pravitas, ut locus quilibet præclusus maneret eas quadantenùs excusandi, licèt optimè colligeretur *hæretici* sensus præponderantia, ob quem *suspectæ* sunt declaratæ, ac ut *falsæ* virtute *damnationis* proscriptæ. Sicque pariter discurrendum servata proportione de aliis *damnatis*, tanquàm *piarum aurium offensivis*, & quidem *offensione* activè accepta, quam exprimunt particulæ: *in pias aures offensionem immittentes*, non seorsim ab aliis inspectis, sed in rigore verborum cum præcedentibus, ac subsequentibus connexorum. Quæque proindè estò specificativè capaces videri possent alicujus apparentis explicationis, adhùc nihilominùs ob præponderantem sub dicta reduplicatione earum pravitatem, absolutè *falsæ* censeri, & tanquàm *piarum aurium offensivæ* profligari debuere. Qua urgente, concludens est paritas,qua utitur Michael Paludanus in *Apol. Const. Urb. cap.14.*, ut probet Pontificii muneris esse doctrinas *suspectas* interdicere, quia „ sicut officii paterni est, non permit„ tere filiam virginem in publicum prodi„ re ea veste, quæ faceret contra eam ali„ quid de meretricio præsumi: Ita Sum„ mus Pontifex, cui virginitatem, integri„ tatemque veritatis catholicæ Deus,veluti „ pupillam oculi custodiendam commisit, „ hujus officii sui partes non omnes exple„ verit, si à virginali hoc flore, omne fal„ sitatis adulterium, corruptionemque ex„ cluserit; nisi etiam ab eo abstulerit om„ nem verborum circumpositionem, quæ „ possent eum facere de veritate suspe„ ctum. Integritas dogmatis non minùs „ delicata est, quàm virginitas corporis. „ Et sicut hæc refugit omnem *suspicionem* „ *stupri*, ita & illa omnem *præsumptionem* „ *falsi*. Ideoque sicut ab hac removenda est „ vestis redolens fornicem, ita ab illa elo„ quium *sapiens errorem*.

23. In cujus confirmationem explicationis,ultimam Bajanarum *propositionum* ob oculos pono, affirmantem, *falsam Doctorum sententiam asserentium, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine justitia naturali*. Cujus nomine venire potest innocentia à peccato, & in hoc sensu estò *temeraria* adhuc habenda esset *propositio*, immò, & injuriosa Doctoribus, quibus per calumniam imputatur opinio, quòd homo potuerit sine justitia condi in prima institutione, cùm potiùs constet à cunctis Catholicis, in quos invehitur Bajus, doceri, non potuisse hominem creari in statu culpæ, quæ in hypothesi, quòd homo à Deo immediatè crearetur, nec ab alio homine peccatore originem traheret, nec ipse se peccatorem constitueret, Deo Authori tribuenda propemodùm esset, quod affirmari sine manifesta *blasphemia, impietate, & hæresi* nequaquam potest;Non tamen reprobanda in eo, quòd *falsa* sit reputanda assertio, cujuslibet ea sit, sustinentium *potuisse à Deo hominem creari, & institui sine justitia naturali*, seu, quod in idem recidit, *debuisse à Deo creari sub culpa*. Hic tamen non est sensus, quem verba *propositionis* præ se ferunt, si hæc in *rigore* sumantur, & relatè ad *propositionem 26.* in qua supponens Bajus quòd *integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ, sed naturalis ejus conditio*, clarum fit, quòd *falsam* putans *Doctorum sententiam asserentium potuisse à Deo creari, & institui sine justitia naturali*, sub hoc nomine exprimere intenderit *naturæ integritatem*, sine qua putabat non potuisse naturam humanam institui, saltem

tem secundùm legem naturæ debitam.

24. In quo ulteriùs alia habetur æquivocatio in Tò *naturali* latens. Ut enim observat Suarez *de gratia p.*1. *proleg.*4. *c.*2. *nu.*8. naturale solet interdum dici, quicquid homo habet simul cum natura, juxta illud Apostoli: *Eramus natura filii iræ*, sicque *integritas naturæ* reputari posset Adamo connaturalis, utpotè ipsi concreata, immò & ipsamet gratia in hoc sensu habenda est naturalis, & quodlibet aliud donum, quod naturæ dari posset in instanti creationis, etiamsi aliquo modo ex vi ipsius naturæ minimè daretur. Naturale itidem solet denominari quicquid naturam perficit in ordine ad naturales actus, vel ad supplendum aliquem defectum naturalem, sicque *integritas naturæ*, seu *originalis justitia*, appellari potest naturalis, quia naturales quosdam defectus supplebat, & sanabat, & quidem etiam præcisa elevatione ad finem supernaturalem, & ad ordinem gratiæ. Propriissimè nihilominùs naturale dicitur, quod ex principiis naturæ oritur, cuivè debetur secundùm connaturalem ordinem, & providentiam, & in hoc sensu Doctores Catholici negant donum illud naturam integrans fuisse homini naturale, cum Divo Thoma 1.*p.qu.*100.*art.*1., 1.2.*qu.*85.*art.*6., *& qu.*89. *art.*3. ac 4. *contr. Gent. cap.*52. ubi significat, quòd hæc sit fidei doctrina; & Scoto *in* 2. *dist.*29. §. Ad primum *argumentum*, quos prævivere Sancti Patres dictam *integritatem* nunc *cæleste donum*, nunc *gratiam* indigitantes, ut videre est in Chrysostomo *hom.*15.*in Gen.* Cyrillo *lib.*1.*in Jo. cap.*9. Ambrosio *lib. de parad. cap.*5.*&* 15. & Augustino 4. *contr. Julianum cap.ult.* dicente: *Gratia magna erat, quòd terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia, non habebat in nudo corpore, quod puderet, spoliatus gratia sensit, quod operire deberet*. Atque ita intellectam ipsorum sententiam Bajus impudentissimè *falsam* pronunciavit, integritatem primæ conditionis supponens non fuisse *indebitam humanæ naturæ, sed naturalem ejus conditionem*. Nec animadvertēs, quòd hujusmodi donum naturale si revera fuisset, *post peccatum mansisset, cùm etiam in Dæmonibus dona naturalia post peccatum permanserint, ut Dionysius dicit* 4.de div.nom.c.4.*Undè manifestum est, quòd & illa prima subjectio, qua ratio Deo subdebatur, non erat solùm secundùm naturam, sed secundùm supernaturale donum gratiæ* ex Aquinate 1.*p.q.*95.*art.*1.*in corp.*

25. Indè autem patet explicationis firmitas, per quam æquivocas habendas non esse supposuimus *propositiones* Baji, non quidem quamlibet ab ipsis excludendo sensus duplicitatem, sivè improprius ille sit, in quo procedunt duæ primæ explicationes *nu.præc.* sive etiam proprius, qualis esse videtur *num.*23. aptatus *propositioni* Bajanæ, si specificativè sumatur, & seorsim ab aliis, ac qualibet sententiarum ad invicem comparatione, & connexione seclusa: sed rigorosam solummodò, & in stricta verborum acceptione à Bajo intenta, ac in sensu, qui ex verbis ipsis solus viget, si relatè ad cæteras *propositiones*, & per connexionem cum ipsis sumatur, ut in hucusque explicata *ultima* Baji *propositione* relatè ad 26. sufficienter elucet.

26. Quòd si adhuc obscurus modus hic discurrendi fortassis appareat, explicatiùs occurri difficultati propositæ posset, particulas illas sæpè *citatis locis* repetitas, *quamquàm nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*, sumendo cum aliqua latitudine, aut restrictione ipsis aptanda juxta qualitatem *censurarum*, quæ mox respectivè insliguntur. Undè sicuti inter has aliquæ sunt, quæ absolutam pravitatem designant; aliæ, quæ eam detegunt in aliquo dumtaxat earum sensu, qui tamen præ alio vigeat; ita & cum dicitur *nonnullas aliquo pacto posse sustineri*, in ordine ad absolutè pravas, *erroneas*, videlicet *hæreticas* &c. intelligendum est de sensu omninò improprio, qui impotens sit eas æquivocas denominare, ac ab absoluta *damnatione* eximere, & de his idcirco locuti nos sumus *locis citatis* ambiguitatem veram ab eis excludentes. In ordine verò ad alias, de quibus *ibid.* sermonem minimè habere intendimus, non illimitatè interdictas, sed sub aliqua indicatione sensus sani, cujus capaces esse possent, si saltem non adesset contraria præsumptio vehementer insurgens ex contextibus, & aliarum sententiarum connexione, de sensu non adeò improprio, sed qui satis sit ad æquivocationem fundandam. Sicque eo modo, quo Pontifex *censuras* protulit *respectivè*, eodem pariter pronunciavit *nonnullas sustineri posse*, magis scilicet, vel minùs propriè, aut etiam impropriè, prout ex *censurarum* earumdem gradibus deduci poterit. Ad instantiam verò, quòd Pontifex omnes *damnans*, omnes absolutè *falsas* declarat, sensusque sani incapaces, pariformiter replicandum, id ita esse, quoties censuræ gradus in suo conceptu non imbibit aliqualem sensus sani compossibilitatem, à quo explicandum sit Tò *damnamus*, & cum aliqua restrictione ad

ad sensum videlicet pravum præponderantem, & ab Authoribus intentum sumendum. Aliàs contradictio videretur esse in hoc, quòd ex una parte *propositio* aliqua asseritur *suspecta*, & consequenter capax ut cumque secundùm se sensus sani, & ex aliâ capacitas ista exclusa omninò esset per ipsam *damnationem*. Nisi quoque placeat Tò *respectivè* & ad præsens adaptare, vi cujus Pontifex, dum inquit, *damnamus*, *circumscribimus*, & *abolemus*, aliquas *respectivè* intendat *damnare*, & penitùs *falsas* definire, alias *circumscribere*, quod non necessariò importat totalem *falsitatem*, undè, & *circumscribere* testes dicimus, quos dubiæ fidei censemus.

27. Nec replicetur, indè sequi, quòd neque *propositiones* proscriptæ ab Alexandro VII. & Innocentio XI. haberi debeant absolutè omnes *falsæ*, sed *respectivè*, aliquibus adaptando Tò *damnandas*, & *damnat*, aliis verò Tò *prohibet*, quod componi potest cum aliquali rei prohibitæ veritate, aut bonitate. Clara namque est disparitas in eo sita, quòd *propositiones* ab Alexandro, & Innocentio interdictæ sint sub eadem *censura*, & idcircò locus nullus adest, quòd aliquæ *respectivè damnentur*, aliquæ *prohibeantur*. Aliàs decernere Christi Vicarius non potuisset *sequentes, & unamquamque ipsarum, ut minimùm tanquàm scandalosam, & in praxi perniciosam esse damnandas, & prohibendas*. Eò ipso enim, quòd *unaquæque* earum *damnetur* simul, ac *prohibeatur*, non *damnatio*, quæ per se *falsitatem* supponit, nisi per aliquam aliam particulam coarctetur, ex *prohibitione* limitari debet, quæ indifferenter adaptari valet ad *propositiones*, quæ omninò ut *falsæ*, & quæ interdicuntur, ut sub aliquo præponderanti sensu *falsæ*, esto sub aliquo possint sanè interpretari, ac intelligi; Sed è contra *prohibitio* ex *damnatione* debet indifferentiæ determinationem desumere, dum præcipuè constat censuram *scandali* activè accepti, & in praxi *perniciei* per modum regulæ morum in doctrinam aliquam latam, incompatibilem esse cum ipsius veritate; quæ itidem penitùs excluditur per *excommunicationis* pœnam adjectam in eum, qui *illas, vel illarum aliquas conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputativè publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando*.

28. Ex quo ulteriùs patet, quid responderi queat Bail ex sola *damnatione* inferenti omnimodam *falsitatem* assertionum Baji, concedendo id verum solummodò esse, quoties ex contextu, vel non eruatur ulla limitatio, quæ designet *damnationem* non omnem sensum afficere, sed præponderantem dumtaxat, qui in toto rigore eis convenit; vel non arguatur esse accipiendam *respectivè*, & non respicientem cunctas, & singulas *propositiones* conjunctim, ac seorsim sumptas, sed aliquas, quarum pravitas certior sit, & per nullam excusabilis interpretationem, quæ vero, ac proprio ulli sit sensui innixa. Quin proindè inferri valeat cæteras, aut *perpetuo* non fuisse *censurarum* confixas stigmate, aut in aliquo *vero*, & *proprio* sensu defendi posse. Cùm satis pateat ex dictis *perpetuitatem* easdem *propositiones* afficere, ut consideratas per comparationem ad invicem, & in sensus præponderantia, quem præ se ferebant, saltem prout eas Bajani communiter intelligebant, & qualiter eas interdicere, & *circumscribere* se Pontifex declaravit. Cui *circumscriptionis perpetuitati* non officit, quòd aliqua ipsarum sustineri queat in aliquo etiam *proprio* sensu eis aptando specificativè inspectis, & independenter à connexione prædicta, & à communi Bajanorum intelligentia. A' qua si revera præscinderetur, & *propositio* aliqua à Viro catholico catholicè proferretur, sustineri eam posse, colligi potest ex iis, quæ de assertione illa: *Unus de Trinitate est Crucifixus* diximus *cap.1. art.6. num.16.* perseverante semper in suo robore Piana *circumscriptione*, sub reduplicatione, & connexione illa, quam Pontifex intendit, quæque applicari neutiquam posset *propositionibus* ab Alexandro, & Innocentio *conjunctim*, vel *divisim* eliminatis. Attento præcipuè, quòd hæ non unius ejusdem Authoris sunt, sed plurium, utpotè, quæ sunt ex variis libris, aut thesibus excerptæ, & fortè nonnullæ oretenus solummodò traditæ; & eatenus nulla in earum *damnatione* attendi potest connexio, nec altera ex altera explicanda, nisi ipsorum sensus hujusmodi connexionem exigeret; ac propterea, neque una ratione alterius *damnanda*, sed omnes *conjunctim*, & *divisim* interdicendæ.

29. Ex dictis autem clarè deducitur non esse de ratione cujuslibet *censuræ*, ut non afficiat, nisi opiniones, & assertiones *falsas*, esto juxta explicationem nuper expensam id possit asseri de propositionum, aut doctrinarum absoluta *damnatione*. Satisque hoc ipsum evincitur ex traditis inter alia *cap.6. art.7.* de *propositionibus blasphemis* non *indicativè* formatis, de quarum conceptu diximus esse *falsitatem* solummodò *practicam*, quæ

quæ estò non merè metaphorica, non tamen repugnans veritati rei enunciatæ, si præcisè à modo contumelioso, & irrisorio ponderetur, quo proindè secluso verum habendum sit, quod profertur de propositionibus *periculosis in fide cap.6. art.4.*, quas exemplo vocis *Christiparæ* olim in Nestorianorum odium suspensæ comprobavimus pravas in se ipsis non esse; quod & ad *periculosas in moribus*, suo modo *cap.7. art.2. nu.1.* paritate rationis duximus extendendum: de propositionibus *scandalosis passivè cap.7. art.2. à num.2.* quæ non ratione pravitatis, quam imbibunt, sed ad *scandalum* pusillorum vitandum, quamvis aliqua regulariter ad minus, limitatione adhibita, interdicuntur. De quibus propterea, aliisque ejus generis locum habet, quod notat Didacus de la Fuente Hurtado *in sua theol. ref. diss. proem. q.6. num.27.*, Eum videlicet, qui dicit esse veras, non se opponere judicio Apostolicæ Sedis illas prohibentis, quia non eò ipso cogeretur negare, quòd sint *scandalosæ*. Quamvis assertione ejusmodi *scandalosus* haberi queat, sivè quia ex præfata assertione illud idem insurgeret *scandalum*, quod prohibitioni præbuit causam; sivè quia violator haberetur Pontificii præcepti fideles universaliter obstringentis, ne de dictis *propositionibus* ullo modo tractetur, nisi ad eas impugnandas, in eo sensu, in quo aliqua ex indicatis, & affinibus *notis* dignæ sunt habitæ. Sicque resoluta manet prior ex difficultatibus, quam suspensam remissivè *ad hunc, & sequentem art.* reliquimus *c.3. art.13. n.19.* Neque enim præjudicium Pontificiæ infallibilitati afferre potest, quòd cum illa potest componi, ut revera componitur, esse *aliquam propositionem veram*, & esse *infallibiliter passivè scandalosam* sub illis circumstantiis, sub quibus ut *scandalosa passivè* declaratur. Solaque idcircò repugnantia habetur in eò quòd *propositio* declaretur *infallibiliter passivè scandalosa*, & quòd eisdem attentis inspectionibus, quibus innixa supponitur *Sanctio* Pontificia, revera *scandalosa* nec *passivè* sit reputanda.

30. An verò *falsitas* sit se sola, inter notas theologicas recensenda? videtur ex una parte negativè respondendum, dum ex dictis abundè constet *falsitatem* de intrinseca quidditate esse complurium *censurarum*, earum nempè, quæ ob intrinsecam, quam imbibunt, pravitatem, nedùm *prohibentur*, sed & absolutè, ac simpliciter *damnantur*, si præsertim nulla particula eluceat, quæ *damnationem*, non ad omnem *damnatæ propositionis* sensum indicet adaptandam. Ex altera verò, affirmativa responsio erui videtur sufficienter ex plerisque *Constitutionibus* Pontificiis, in quibus *falsitas* numerata conspicitur, tanquam *censuræ* species a cæteris quibusvis distincta, ut videre est in *constitutione* indicata *cap.7. art.3. num.14.* Leonis X. contra Lutherum, in *Constitutione* Sixti IV., de qua *ibid. nu.11.12.* contra Petrum de Osma, & in *Constitutione* Innocentii X. contra Jansenium, cujus *quartam*, & *quintam* ex quinque proscriptis *propositionibus*, præter alias *notas*, tanquàm *falsas* vidimus rejectas *c.3. art.4. num.7. & seq.* Quæ, & similes *constitutiones* interpretari non possunt de *falsitate* genericè accepta afficiente omnes, & singulas *propositiones*, quæ in eis proscribuntur, eadem ratione, ob quam *erroneitatem*, speciem *censuræ* ab aliis distinctam firmavimus *cap.5. art.1. num.4.* quaque, præclusa videtur reflexio Ripaldæ *tom.3. de ente supernaturali disp.1. sect.7. nu.68.* dicentis *falsitatem* in Leonis *Constitutione* asseri posse *censuram* theologicam „ quia ea jungenda est cum ultima „ comprehendente omnes præcedentes, „ quæ eas pronunciat *veritati catholicæ obviantes*, & conjunctione *&* cæteris omnibus annectitur, cum cæteræ, disjunctio„ ne *vel* opponantur „ Per hoc ipsum enim, quod Tò *veritati catholicæ obviantes* connectatur cum omnibus præcedentibus generali quadam affectione, quam indicat particula *&*, cur de *falsitate* sola dici debet esse dumtaxat *censuram* theologicam virtute prædictæ conjunctionis? dùm æquè ac cæteræ per disjunctionem *aut*, affertur, & à prædictis postremis verbis magis distat, quàm Tò *piarum aurium offensivos*, *vel simplicium mentium seductivos*.

31. Potiùs eatenùs locum habere videtur altera ejusdem Authoris reflexio, qua ait posse quandoque Pontificem abolere doctrinam aliquam solo *falsitatis* titulo, quòd eò ipso talis doctrina redditur *censuræ* theologicæ subjecta, scilicet opposita judicio Ecclesiæ, quæ in definienda vera doctrina in rebus fidei, & morum, falli nequit. Undè fit, quòd sententia *falsitatis* doctrinæ à Pontifice lata, sit *censura* theologica, quia constituit opinionem certò *falsam*, nocivam fidei, & oppositam authoritati Ecclesiæ, quod dici nequit de *falsitate*, quæ in aliquam doctrinam fertur à privatis Doctoribus, authoritate, & privilegio infallibilitatis non præditis. Sed neque hoc modo plenè soluta alicui videbitur difficultas, sivè quia etiam in hoc sensu respectus exprimitur ad infal-

libi-

libilitatem definitionis Ecclesiæ, quæ communis est reliquis *censuris*, & idcircò ratio adhuc est assignanda, cur de *falsitate* potiùs, quàm de aliis loqui debeamus relatè ad dictum respectum, ut sine ipso concipi nequeat specificus *censuræ* gradus, ut reputantur reliqui? Sivè quia, cùm aliqua doctrina inscribitur *falsa*, non sensus est de difformitate, quam ipsa habet cum objecto, in qua consistit *falsitas* philosophica, sed de difformitate à Regulis fidei, vel morum, per quam constitui potest *nota* theologica. In hoc autem vim habet instantia, qua petitur ratio præcisa constitutiva talis *notæ*, ac distinctiva ab *hæresi*, *erroneitate*, *scandalo &c.* quæ *censuræ* species in eadem difformitate fundantur, licèt sub diversis inspectionibus. Cùm præsertim in priori sit, ad definitionem Ecclesiæ, quòd *propositio* aliqua sit *falsa*, quàm quòd declaretur *falsa*, & esto in eo priori nobis non innotescat, certò saltem, & infallibiliter, re ipsa tamen jam ei convenit, & quidem eo modo, quo dein ab Ecclesia convenire definitur.

32. Mihi idcircò, etsi posterior hæc Ripaldæ reflexio haud videatur spernenda, de qua iterum *art. seq.* habebitur sermo; nihileminùs magis arridet doctrina Cardenas desuper indicata, qua *falsa* censetur ea *propositio*, quæ cum altera jam aliqua inusta *censura*, de cujus ratione sit *falsitas*, aut ferè si non in verbis, saltem in significatione, convenit, aut ad minus necessariam cum ea involvit connexionem, quæ tamen certò constet, & absque formidine de opposito sufficiente ad probabilem habendam utramque contradictionis partem, extrinsecè saltem ob authoritatem Doctorum, quorum aliqui alteram, alii oppositam verè probabilem judicent. Adeò ut ex opposito *propositionis* ejusmodi eruatur, vel formaliter, vel illativè, oppositum *propositionis damnatæ*; ex ea verò formaliter itidem, aut illativè ipsamet *propositio damnata*. In cujus uberiorem confirmationem facit animadversio Antonii Saura *in suo Platonis voto de exam. prop. cap. 24.* observantis ex *censurarum* gradibus hactenùs ponderatis, innumeras alias fieri posse combinationes, quæ varias alias parere possent *notas*, de quibus non loquuntur regulariter saltem Theologi, sivè quòd ob multiplicitatem, earum disquisitio nonnisi ad confusionem gignendam conduceret; sivè quòd, semel habita notitia alicujus *damnationis*, sufficiens medium Theologis ex præbeatur aliarum *propositionum* qualificationem eruendi juxta majorem, vel minorem propinquitatem, quam dicunt cum *propositione damnata*. Undè sicut in contractibus, aliqui admittuntur, qui *innominati* vocantur, ita & in *censuris* theologicis aliquæ esse possunt innominatæ, hoc est, quæ adhuc proprium non sunt sortitæ vocabulum, utpotè quæ non immediatè rigorosa *censura* affectæ, sed afficiendæ ratione connexionis, vi cujus vel ipsæ inferantur ex censura affectis, vel hæ deducantur ex ipsis, sicuti ex contradictorio harum, contradictorium præcedentium, & vice versa.

33. Tales præfatus Author habendas innuit *propositiones*, quæ ex sequentibus, aut similibus combinationibus, mutatis mutandis, juxta diversitatem principiorum, ac opinionum, quoàd quidditatem, & constitutivum *censurarum*, formari valent; sic „ ex; gr. ex *propositione* majori de fide, „ & minori ita certa, ut opposita sit *temeraria*, consequens manifestè illarum non „ sit *erroneum*, & tamen est gravi *censura* „ dignum. Similiter ex majori *propositione* „ de fide, & minori, cujus opposita sit „ *suspecta de fide*, (minori, dicendum erat, „ *suspecta de fide*) consequens evidenter illatum *notam* theologicam meretur, „ quam tamen inter asserta *erronea* numerare non possumus. Prætereà ex duabus „ *propositionibus* majori, & minori apertè, & absque controversia *temerariis*, infertur consequens necessariò connexum „ *censura* dignum, quod tamen absolutè „ *temerarium* dici non potest. Ex duabus „ *propositionibus scandalosis*, aut una *scandalosa*, & altera *erronea*, consequens necessariò illatum *censuram* theologicam habet, „ quam nullo ex præmissis nominibus nominare possumus. Similiter ex majori „ *erronea*, & minori *temeraria*, vel ex majori *suspecta*, & minori *piarum aurium offensiva*, vel ex majori *denigrativa fidei*, & „ minori *sapiente hæresim*, inferuntur necessariò connexæ *propositiones*, aut conclusiones, quibus theologica *nota* debeat „ inuri: nec tamen ideò nomen aliquod „ ex præfatis gradibus adamussim ipsis aptari potest. „ Idque ob satis vulgare principium, quòd conclusio sequatur partem debiliorem, & ipsa quodammodò languescat, ac idcircò non omninò ejusdem qualitatis esse valeat, quàm præmissæ, ut si hæ *hæreticæ* e.g. aut *erroneæ* sint, *hæretica*, ac *erronea* habeatur & illa, ut ex ipsis illata.

34. Ex quo sequitur, quòd sicuti Romani Pontifices, quandoque nedùm aliquam

quam *propositionem* debita *censura* afficiunt, sed etiam indicant eam jam aliàs fuisse immediatè *damnatam*, ut de prima *propositione* Jansenii comprobant particulæ *anathemate damnatam*, cum postremis conjungendæ, & *uti talem damnamus*. Ita & volentes designare, quòd aliqua *propositio*, licèt expressè fortè *damnata* adhùc non fuerit, talis nihilominùs virtualiter existimetur, vel sit necessariò connexa saltem cum altera *damnata*, ob alicujus theologicæ *falsitatis*, quam imbibit, pravitatem, id præstant *falsitatis* vocabulo, quæ etsi suaptè natura, non semper inscribi mereatur inter *notas* theologicas; ipsis tamen annumeranda, quoties clara, & indubitata est identitas, propinquitas, aut connexio inter *propositionem*, quæ *falsa* intitulatur, & *propositionem damnatam*, ac præsertim quoties connexionis certitudo innotescat per virtutem infallibilis definitionis Ecclesiæ. Patet autem, quòd sic sumpta *falsitas*, generica quædam censenda veniat *nota*, cunctis videlicet illis *propositionibus* adaptanda, quæ ex *damnatis* inferuntur, & cum ipsis connexionem important, sive *damnatæ* illæ sint, ut *hæreticæ*, sive ut *erroneæ*, aut sub alio *censuræ* gradu, quæ *propositionem* certò falsam afficiat; idque absque præjudicio alterius *notæ* specificæ, quæ alicui ex ejusmodi connexis *propositionibus* virtute regularum hactenus de *censuris* expensarum potest competere, ut patet in *propositione* opposita alteri deductæ ex maiori de fide, & minori naturaliter nota, quam *erroneam* vidimus inscribendam *cap.5. artic.4.*. Undè ulterius colligendum, non omnes *propositiones*, quæ ut *falsæ* possunt proscribi, fore in æquali *falsitatis* gradu constituendas. Nam licèt *falsitas* non suscipiat magis, & minus, cohærenter ad tradita *cap.2. art.8. à num.24.* utpote quæ æquè ac veritas consistit in indivisibili; potest nihilominùs majorem, aut minorem imbibere latitudinem, connotativè, vel ad Proferentem, in ordine ad quem *ibid. num.33.* tetigimus posse admitti unam *hæresim* altera graviorem: vel ad qualitatem *censuræ*, qua afficitur *propositio damnata*, ex qua infertur propositio rejicienda, ut *falsa*. Ideòque sicut *propositio erronea* simpliciter *falsa* est, non minùs, ac *hæretica*, non tamen in eodem, sed in inferiori gradu, quatenùs saltem, si è duabus altera haberi posset in hypothesi impossibili, ut *vera*, potiùs de *erronea* id verificaretur, quàm de *hæretica*. Ita & in præsenti discurrendum de *propositionibus falsis*, quæ *falsitatem* veluti hypotheticè majorem, aut graviorem important, si tales sint ob identitatem, aut propinquitatem, & connexionem cum propositionibus *damnatis*, ut *hæreticis*, quàm si identitas, propinquitas, ac connexio sit cum *propositionibus* sub inferiori *censura* proscriptis. Ad eum planè modum, quo, à contrario sensu ratiocinati sumus *cap.2. art.7. num.8. & 10.* de veritate *propositionis* fidei, quæ major haberi debeat, quàm quælibet veritas naturalis, & evidens, etiam primorum principiorum.

35. Quamquàm verò *falsa* declarari queat in hoc sensu aliqua *propositio*, non indè sequitur, quòd semper ea denominatio sit ei tribuenda, quoties ipsius est *propositio* capax. Cùm enim, ex non semel notatis, finis primarius Apostolicæ Sedis in proscribendis pravis assertionibus sit, earumdem pravitatem sufficienter patefacere, ad ipsius assecutionem minimè necessarium est omnes formalitates ejusdem pravitatis expendere, ac exponere; sed quandoque una, assignatur, quandoque plures, ob aliquod rationabile tunc vigens motivum, vi cujus tamen inferri non valeat, *falsam* non esse habendam *propositionem*, quæ *falsa* non definitur, quòd possit *propositio* aliàs cum *damnata* connexa, proscribi ut *hæretica*, *erronea* &c. absque prædictæ connexionis expressione. Quare in damnatione *propositionum* Jansenii, licèt aliàs constet omnes præventivè profligatas per Tridentinum fuisse ex indicatis *cap.3. art.4. num.11.* & quidem in terminis formaliter æquipollentibus; de sola nihilominùs *prima*, ut mox innuimus, legimus proscriptam eam esse, ut jam *anathemate damnatam*; ac de solis *quarta*, & *quinta*; tamquàm *falsas*. Absque eò quòd indè deduci debeat *secundam*, & *tertiam*, nec *falsas* esse inscribendas, nec *anathemate damnatas*; oppositum apertè evincente Tridentino, dum adversùs eas infulsè astruentes *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resisti*, & ad *merendum & demerendum* sufficere *libertatem à coactione*, definit *sess.6.* de *Justific. cap.5.*, quòd divinam recipiens gratiam, *illam & abjicere potest*, nec non *cap.15.* quòd *omnes*, *qui lethalia committunt peccata, ab eis cum divinæ Gratiæ adjutorio abstinere possunt*, indè *anathema* proferens *can.4.* in eum, qui *dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum* ... *neque posse dissentire, si velit*, quique (*can.6.*) *dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè, & per se, adeòut sit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli*.

AR-

ARTICULUS XI.

De Propositionibus Probabili, *&* Apocrypha. *An & quomodo sint, aut fieri possint obnoxiæ censuris theologicis?*

1. RESoluta *art. præc. num.* 29. priori difficultate, quam proposuimus *cap.* 3. *art.* 13. *num.* 19. alteri nunc est occurrendum *ibid.* indicatæ, occasione *sanctionis* Clementis V. in Concilio Viennensi *sacro approbante Concilio* seligentis, tanquàm *probabiliorem opinionem, quæ dicit, tàm Parvulis, quàm Adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes*; ob dilemma, quod ex his verbis confici potest, inferendo, vel quòd opinio *probabilis*, qualis à Clemente supponi videtur opinio prædictæ opposita, sit certò *falsa*, & consequenter, *probabilis* simul, & non *probabilis*; eò quia *probabiliter* verum haberi nequeat, quod certò est *falsum*, sicuti *probabiliter* falsum esse non potest, quod est *certò verum*. Undè & consequens esset, quòd *probabilitas* subjici ex una parte non posset *censuræ*, saltem in sensu composito, ut indicavimus *cap.* 5. *art.* 2. *nu.* 10. & ex alia, obnoxia illi habenda foret, quoties *probabilioritati*, quæ definita esset, videretur opponi. Vel quòd Pontifex, aut definire non posset aliquid, ut *probabilius*, aut non esset in ejusmodi definitione infallibilis, dum opinio opposita definitæ, ut seligendæ, tanquàm *probabiliori*, manet adhuc *probabiliter vera*. Attento præsertim, quòd sermo sit de definitione, quæ afficiat prædicata extrinseca rei, quæ videlicet componi valeat cum conformitate oppositi cum objecto, & cum regulis fidei, & morum, utpotè quæ ob extrinsecas dumtaxat circumstantias, vel nempè ad *scandalum* passivum vitandum, vel ad periculum removendum, ne mala de Proferentibus concipiatur suspicio, vel ad pacis, & charitatis Fidelium conservationem &c. stabilita; sed de definitione, quæ respiciat ipsammet rei naturam, ac conformitatem, vel difformitatem cum objecto, ac cum regulis fidei, & morum, ut patet in *Clementina* prædicta, *probabilius* declarante gratiam, & virtutes reipsa infundi in baptismate non minùs Parvulis, quàm Adultis.

2. Absque eò quòd recurri valeat ad *probabilitatem* apparentem indicatam *citat. cap.* 5. *art.* 2. *num.* 9., quæ adhùc competere queat doctrinæ oppositæ alteri, tanquàm *probabiliori* definitæ. Nam, ultra quod *probabilitas* in magis propria significatione, semper apparens in rigore sit, ob respectum, quem dicit ad humanum intellectum; quòd in se, sicuti res, vel est, vel simpliciter non est, ita & propositio quælibet, vel est simpliciter vera, vel falsa, ut *ibid. nu.* 10. insinuavimus: locum quidem habere potest apparens *probabilitas* contra doctrinam certam in se, non tamen contra doctrinam, quæ definiatur, ut certa, ex traditis *eodem num.* 9. Undè dilemma desuper propositum remanet in pleno suo robore: Vel enim, cum Pontifex definit assertionem, *tanquàm probabiliorem*, ea est certò vera, & sic non potest esse *probabilis* opposita, nec consequenter assertio definita *probabilior* dumtaxat, sed simpliciter vera, quod est contra Pontificis mentem. Vel non est certò vera, & sic Pontifex non est infallibilis, dum proponit sequendam doctrinam, quæ absolutè falsitati esse potest obnoxia. Vim nec habente replica, qua dici queat, Romanum Pontificem, definiendo doctrinam, tanquàm *probabiliorem*, intelligendum de *probabilioritate* per respectum sumpta ad mentem Doctorum, ac Theologorum, ut innuimus *c.* 3. *art.* 16. *in fine*; & proindè, quòd, etsi *falsa* ea doctrina esse contingat, non idcircò in Pontificiam infallibilitatem præjudicium insurgeret, quia semper verificaretur, quòd definitionis tempore *probabilior* fuerit, seu Theologorum menti magis *consona, & concors*, ut in simili arguimus *art. præc. num.* 26. Tum quòd non id solùm asseritur à Clemente in casu proposito, sed & esse *probabiliorem*, & etiam *dictis Sanctorum, & Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & conformem*. Tùm quod id ipsum non nudè affirmatur, sed in ordine ad praxim, seu ad prælationem illius opinionis præ opposita sustinendæ, munimine ei Pontificio adjecto, quo Pontifex suam veluti illam reddit, ac Fidelibus amplectendam, quamvis non nisi intra *probabilioritatis* limites, proponit.

3. Pro solutione itaque arduæ hujus difficultatis, præmittendum in primis ducimus discrimen, quod intercedit inter judicium Apostolicæ Sedis, & Doctorum privatorum, in materia fidei, & morum, credibilium, & agibilium, in eo situm, quòd illud certitudine, & infallibilitate gaudeat, non autem istud. Quæ quidem certitudo, & infallibilitas non semper afficit doctrinam in se ipsa, seu conformitatem ipsius

cum

cum regulis fidei, & morum, aut cum objecto, sed quandoque afficit solùm modum, juxta quem ea definitur. Adeòut si, ut in casu, definiatur non absolutè, & simpliciter, sed ut *probabilior*, certitudo, & infallibilitas non habeat afficere, nisi solam ipsam *probabilioritatem*; verumque eatenùs maneat, quod indicatum est *num. præc.* nullum videlicet præjudicium Pontificiæ infallibilitati allaturam, doctrinæ *falsitatem*, transmissa, non tamen concessa hypothesi, quòd temporis decursu detegeretur; dum, ea non obstante, firmissimum semper erit, quòd cùm definita illa est ut *probabilior*, certissimè *probabilior* erit habenda. Et in hoc unanimes esse Theologos animadvertit eos sequens Cardinalis De Lugo *disp.20. de virt. fid.div. sect.3. num.*116. *& seq.* ob rationis paritatem, vigore cujus Ecclesia infallibilis supponitur in reliquis definitionibus, inter quas numeranda proculdubiò, & definitio *probabilioritatis*, quæ ,, licèt non proponat ,, opinionem ipsam, ut veram, sed intra ,, terminos opinionis eam relinquat; pro- ,, positionem tamen reflexam, seu moda- ,, lem, nimirùm, quòd sententia illa sit ,, *probabilior*, proponit, & docet absolutè, ,, nec hoc relinquit intra terminos opinio- ,, nis, sed ut certum, & ex proprio sensu ,, absolutè pronunciat, hanc sententiam ,, esse *probabiliorem*. Quare sicut in aliis, quæ ,, absolutè proponit omnibus Fidelibus, ,, decipi non potest, sic nec in hoc judicio ,, reflexo de majori *probabilitate* hujus par- ,, tis, quod æquè absolutè, & determinatè ,, proponit . . . . . . Sicut Ecclesia definiens ,, aliquam assertionem esse *temerariam*, fa- ,, cit, quòd Fideles apprehendant in ejus ,, assensu *temeritatis* turpitudinem, cujus ti- ,, more ab eo caveant, & ideò non potest ,, Ecclesia errare proponendo, ut *temera-* ,, *rium*, quod tale non est, quia hoc esset ,, decipere Fideles, proponendo illis hone- ,, stum, & bonum pro inhonesto, & turpi: ,, ita commendans majorem *probabilitatem* ,, alicujus sententiæ, eò ipso videtur Fideli- ,, bus proponere honestatem in ea amplec- ,, tenda, cùm honestum, & laudabile sit ,, *probabiliorem* partem amplecti relicta mi- ,, nùs *probabili*. Quare Fideles authoritate ,, Ecclesiæ ducti eam sententiam amplecte- ,, rentur, quia eos assensus ab Ecclesia, ut ,, honestius proponitur, & commendatur: ,, deciperentur ergo ab Ecclesia; si revera ,, sententia illa minùs *probabilis* esset, dum ,, honestum judicant id, quod revera ma- ,, gis esset contra, quàm secundùm regu- ,, lam veræ prudentiæ, ad quam spectat *pro-* ,, *babiliora* eligere, relicto minùs *probabili*. ,, Quare, si quis post ejusmodi Ecclesiæ de- ,, clarationem de majori *probabilitate* ali- ,, cujus sententiæ, diceret eam esse minùs ,, *probabilem*, & Ecclesiam deceptam fuisse ,, in eo gradu *probabilitatis* decernendo, ego ,, hanc assertionem, ut *erroneam*, vel *errori* ,, *proximam* facilè damnarem,, Cohærenter videlicet ad principia ab eo ante tradita, & à nobis *cap.3. art.13. num.6.* relata, licèt in hac parte non approbata, ob motiva *ibidem à num.7.* expensa.

4. Hinc autem sequitur *probabilioritatem*, quæ secundùm se nihil omninò involvit, vi cujus ipsi oppositum affici possit *nota* theologica, ratione definitionis additæ ad statum superiorem veluti elevari, ut ex ea, *nota* theologica insurgere valeat, non quidem in sententiam contrariam, quæ adhuc manet *probabilis*, sed in negationem ipsius *probabilioritatis*, quæ, ut talis, certò est definita. Ob quam rationem *art.præc. n.32.* non spernendam diximus Ripaldæ reflexionem, qua contendebat *falsitatem*, quæ secundùm se neutiquam est *nota* theologica, talem nihilominùs evadere, si authentica sit, seu per declarationem Apostolicæ Sedis proponentis Fidelibus aliquam assertionem, ut *falsam*. Quod & fortiùs de *improbabilitate* asserendum videtur, cohærenter ad ea, quæ indicavimus *cap.1. art.7. num.11.* & *cap.7. art.5. num.11.* notantes non esse inter *notas* theologicas numerandam, nisi talis sit, tantaque, ut cum *temeritate* veniat confundenda, ob oppositionem, quam dicat cum communi Theologorum mente, quam longissimè excedit Ecclesiæ authoritas, majusque consequenter robur habet, ut *improbabilitas* authenticè declarata, tanquam *censura* habeatur. Qua affectæ videri poterunt omnes illæ *propositiones*, quæ modaliter conceptæ *probabilitatem* alicujus opinionis propugnantes, ab Apostolica Sede sunt profligatæ, uti sunt in *decreto* Innocentii XI. (2) *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.* (6) *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* (35) *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiù in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* (44) *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit*

 opinio

opinio probabilis in Theologia, (57) *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.*

5. In quarum tamen *propositionum*, & similium proscriptione, non utcumque opiniones prædictæ *improbabiles* declarantur, sed ita, ut eas *probabiles* propugnare, sit *ut minimum scandalosum*, quæ nota, si apta est excludere à propositionibus absolutis omnem veritatem, immò, & veri *probabilitatem*, ut vidimus *art. præc.* à fortiori illam excludit à *propositionibus* modalibus, quarum *modus* in ipsamet *probabilitate* consistat. Ut propterea, non idem omninò importet: *scandalosum esse, aliquod assertum affirmare probabile*; & *aliquod assertum absolutè esse improbabile*. Primum namque non potest à *censuræ* ratione præscindere, & propterea à privatis Doctoribus non est usurpandum, quoties pro tuenda *probabilitate* asserti, adsint saltem graves Theologi, id vetante præcepto Innocentii XI., de quo non semel facta est mentio; non sic secundum, quod, nisi ad *temeritatis notam* perveniat, à quolibet pronunciari valet in opiniones, quæ gravi fundamento destitutæ censeantur. Quòd si, hoc modo *improbabilitas* alicujus asserti definiretur ab Apostolica Sede, neque eò ipso assertum illud declaratur infallibiliter *falsum*, sed sola ratione definitionis attenta, infallibiliter dumtaxat *improbabile*. Cum quo stat, quòd possit in se esse verum, licèt veritatis motivum adhuc lateat, nec adhuc sit agnitum, quod sufficit, ut infallibiliter *improbabile* habeatur pro ea temporis circumstantia, pro qua, ut tale, proscribitur ab Apostolica Sede. Ob cujus authoritatem nulli ampliùs erit licitum sub quolibet etiam supervenientis motivi prætextu, *probabile* illud asserere, sed solummodò, gratis transmisso, quòd motivum grave de novo reperiatur, illud Sanctæ Sedi proponere, & ab ea judicium irreformabile expectare.

6. Pro priori item proscriptionis modo, quo *probabilitas* opinionum eliminatur, *ut minimùm* tanquàm *scandalosa*, recolenda est obiter doctrina, quam dedimus *cap. 3. art. 20. num. 7. 8.* aliquas videlicet *propositiones* proscribi, quandoque quoad *modum*, non verò quoad *dictum*, exemplo eam comprobantes *propositionis* 23. Baii, *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. c. 14.* Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt: *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*, quicquid in contrarium scripserit Ripalda *tom. 3. de ent. supern. in proem. disp. 1. sect. 4. à num. 27.* motus, tùm ex Pianæ *Constitut.* particulis: *Quas quidem sententias*, quarum nomine non *censuras* putat exprimi, sed *doctrinas*; Tùm ex ratione *damnationis* earum, quas Pontifex *aliquo modo sustineri* posse testatus est, quæ non ex audacia Authorum, nec ex *censuris* desumitur, sed ex doctrina ipsa, quia *in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*, verè *hæretica* sit, *erronea* &c. Tùm ex *damnatione* ipsa, quæ quid gravius importat, quàm *prohibitio*, nempè declarationem *falsitatis* doctrinæ. Non tamen absque æquivocatione, ac si, quando dicimus interdictas *propositiones* ratione *censuræ*, hæc sumi debeat sejunctim ab assertione, quam afficit, cùm potiùs oppositum dicendum veniat, interdictam videlicet assertionem, ut immeritò substantem *censuræ*, adeòut, complexum ex assertione, & censura rectè denominetur *sententia*, sitque capax *damnationis*, etiam juxta Ripaldæ explicationem. Cùm præsertim non de omnibus *sententiis* Baji pronunciaverit Christi Vicarius, *aliquo pacto sustineri* posse, sed de *nonnullis*, quas inter fortè non sunt numerandæ, quæ prohibentur ob solam *censuram* sanis doctrinis indebitè applicatam. Ac quatenùs aliqua ejus furfuris numeretur, non video quid impropriè tatis insit in eo, quòd *censura* adaptata alicui assertioni, possit *aliquo pacto* sustineri, non tamen in proprio sensu, quo constat eam ab Assertore fuisse intellectam. Ut ut autem sese id habeat, quod potest ad quæstionem de nomine reduci, ad rem præsentem, præfatam doctrinam visum est per transitum recolere, ut advertatur eam locum nequaquàm habere, cùm interdicitur *probabilitas* alicujus opinionis, quæ excludi nequit tanquàm *scandalosa*, nisi opinio ipsa sit *scandalosa*, à qua *scandalum* in *probabilitatem* refunditur. Et ratio ulterior est, quia *probabilitas* modus est, quo veritas rei indicatur, ut per hæc, vel illa motiva designata, ac propterea si *scandalosum* est asserere, quòd ea adsit circa hanc, vel illam opinionem, à fortiori *scandalosum* erit, opinionem ipsam ut veram propugnare, & defendere.

7. Si verò definitio *improbabilitatis* alicujus opinionis non secum ex formali conceptu necessariò trahit absolutam *falsitatem* ipsius, sed solùm excludere habeat quodlibet apparens motivum, quod idoneum esse queat ad eam reddendam *probabilem*, validiori motivo nec *falsa* absolutè haberi potest opinio, quæ vi Pontificiæ ipsius definitionis *probabilis* adhuc manet, ut reverà contingit, cùm Pontifex oppositam definit feli-

seligendam, tanquàm *probabiliorem*; Neque enim *probabilius* dicitur, vi cujus oppositum nullatenùs censeri potest *probabile*, aliàs discrimen non esset inter *probabiliùs*, & *certò* verum, si ex æquo quamlibet *probabilitatem* in contrarium, utrumque excludat. Sicque discurrit Cardinalis De Lugo *de virt. fid. div. disp. 20. sect. 3. à num. 119.* contra Luisium Turrianum *2. 2. disp. 55. dub. 5. & in disp. select. part. 1. disp. 30. dub. 3.* & P. Ferdinandum de Salazar *in defens. pro Immacul. Deip. Concept. cap. 43. §. 1. & 4.* quos secutus est Diana *p. 11. tract. de infall. Summi Pontif. resolution. 10.* Turrianum exscribens, cujus hæc sunt verba. „ Existimo non posse Pontificem errare „ circa veritatem propositionis, quam declarat esse *probabiliorem* (loquimur autem „ de materia, quæ possit ad mores, vel ad „ fidem pertinere, licèt res non sit de fide) „ Nam si in hoc posset Pontifex errare, „ magnum detrimentum posset sequi in „ Ecclesia: omnes enim amplecterentur, „ & defenderent eam opinionem, & putarent veram, & ejus *probabilitas* in dies „ cresceret, ac proindè tota Ecclesia falleretur, quod nulla ratione admittendum „ est „ Undè & Salazar *temeritatis nota* dignum subdit, qui oppositam opinionem tueri vellet illi, quam ut *probabiliorem* definit Ecclesia, licèt *citatus* Lugo interpretari posse eum censeat, quòd prædicta *nota* dignum autumet negantem *probabiliorem* esse opinionem, quam Romana Sedes *probabiliorem* Fidelibus proponit.

8. Prosequitur indè Eminentissimus Author ad solutionem rationis Turriani; eam in ipsum, cæterosque ejusdem opinionis Fautores retorquendo,„quia, si Pontifex „ solùm declarat aliquam opinionem esse „ *probabiliorem*, tota, vel major pars Ecclesiæ solùm *probabiliter*, & opinativè eam „ sequetur, tanquàm opinionem magis „ *probabilem*, ut Adversarii fatentur, ergo „ assentientur cum formidine, & per consequens saltem implicitè sentient posse „ fortassè non esse veram, hoc enim est formidare: ergo jam tota Ecclesia sentit aliquod *falsum*; nam sentit posse sententiam „ illam esse *falsam*, cùm in sententia horum „ Authorum non posset ea sententia esse „ *falsa*, quam Pontifex declaravit esse *probabiliorem*. Si ergo est absurdum, quòd „ Fideles omnes sentiant aliquod *falsum*, „ multò magis hoc absurdum sequitur in „ eorum sententia, quàm in nostra, cùm „ jam tunc omnes formident, & dicant falsem implicitè, posse illam opinionẽ esse „ *falsam*, quæ tamen in eorum sententia „ *falsa* esse non potest „ Non catenùs admittendum adesse repugnantiam intrinsecam, ut opinio *falsa* sit, quam *probabiliorem* Ecclesia declarat, dum revera nulla appareat promissio divina, cui illa innitatur. Queque, si extaret, jam idem prorsùs censendùm esset Ecclesiam definire aliquam sententiam, ut *certam*, ac indubia fide tenendam, & illam tanquàm *probabiliorem* declarare. Cui enim ex æquo repugnat *falsitas*, ex æquo necesse est competere veritatem, ac *certitudinem*; saltem quatenùs hæc exclusiva positivè est *falsitatis*, ut ex terminis ipsis elucet. Undè fit, quòd, sicut Romana Cathedra *probabiliorem* definiendo aliquam sententiam, eam non definit ut *certam*, ita & Fideles eandem non amplectantur ut *certam*, sed solùm ut *probabiliorem*, ac consequenter eum aliquali formidine de opposito, quam implicitè imbibit judicium illud: *fortassis res aliter se potest habere*. Ex quo elucet discrimen judicii hujus, ab eo, quo Fideles unanimes sunt in dogmate aliquo fide divina credendo, cuique falsitatem penitùs repugnare vidimus *cap. 3. art. 6. n. 11.*

9. Quo tamen non obstante piè credendum esse, subjungit, Deum non permissurum, quòd Ecclesia doctrinam aliquam, tanquàm *probabiliorem* proponat, quæ in re sit *falsa*. Sic suadente Divinæ Providentiæ suavitate, ne fidelibus occasio etiam indirectà tribuatur tenaciùs adhærendi opinioni *falsæ* ex Pontificis doctrina, eam proponentis, tanquàm *probabiliorem*, & ob reverentiam communi Ecclesiæ Magistro debitam. Quod & validiùs militaret, quoties opposita opinio *improbabilis* declararetur. Quin valeat instantia ex eo deducta, quòd, si quis tueatur opinionem, cujus opposita supponitur definita *magis probabilis*, eò ipso eam habeat, ut *magis probabilem*, se proindè opponens Pontificis menti *minùs probabilem* judicantis. Negandam siquidem autumat laudatus Societatis Theologus sequelam, quia in rigore loquendo idem non sit, conclusionem veram absolutè statuere, & eam affirmare *probabiliorem* opposita. Quod comprobat tùm à posteriori, tùm à priori. A posteriori, ob Hæretici exemplum, qui licèt judicet, evidenter credibiliorem esse doctrinam catholicam, quàm suam, alioquin non haberet omnia requisita in actu primo ad credendum fide divina, adhuc, quamvis imprudenter, credit doctrinam suæ sectæ, absque eo quòd de ea habeat judicium, quòd sit magis credibilis Religione ca-

catholica, aliàs haberet simul duo judicia penitùs incompossibilia, nempè, quòd Religio catholica sit evidenter credibilior, Lutherana e.g. & quòd Lutherana sit evidenter credibilior Catholica. A' priori, quia, quoties objectum obscurè proponitur, intellectus non cogitur ad assensum unius partis, etiamsi pro ea meliora adsint fundamenta; sed voluntati subordinatur, quæ potest intellectui imperare, ut alteri parti assensum præbeat, qui assensus, imprudens quidem erit ex affectu aliquo in bonum, quod apparet in parte opposita ortum ducens; sicut discurri solet de actu ipsiusme voluntatis eligentis minùs bonum, majori posthabito.

10. In quo tamen ratiocinio non omnia amplectenda videntur, attento præsertim quòd eis inhærendo, licitum habeat Fidelibus dissentire ab opinione, quam Pontifex *probabiliorem* definit, & oppositum *num.123.* vocet „ apertè *falsum*, & contra „ mentem Pontificum, qui declarantes so„ lùm aliquam sententiam esse *probabilio*„ *rem*, non intendunt obligare Fideles ad „ eam tenendam, sed potiùs eò ipso tacitè „ permittunt contrariam sententiam, & „ eam intra terminos opinionis relin„ quunt &c. „ Non enim video, cur repugnans Pontificiæ definitioni censenda sit obligatio, quæ ponatur in Fidelibus tuendi opinionem, tanquàm *probabiliorem* definitam, immò longè verius mihi est, quòd revera ad id obstricti sint Fideles, urgentibus particulis illis *Clementinæ*, quibus Pontifex approbante Concilio *seligendam* asserit sententiam de infusione virtutum in baptismate. Ad quid namque unam præ alia à Concilio seligi, si in plena cujuslibet libertate manet alterutram amplecti? Aliud itaque est, quòd Ecclesia definiens aliquam sententiam *probabiliorem*, oppositam permittat haberi *probabilem*, aliud, quòd permittat ipsi assensum absolutum præberi; illud quidem transmittimus, hoc vero negamus, eo ducti motivo, quòd, ut præceptum vigeat non assentiendi alicui sententiæ, minimè sit necessarium, illam non esse *probabilem*, vel declarari positivè *improbabilem*, sed sufficit, ut assensus in eam non nisi assensus imprudens sit, & ex imperio voluntatis promanans, qualis à Lugo prædictus assensus supponitur.

11. Clarum hoc est in Probabilioristarum principiis, qui in materia morum, (de qua in præsenti eadem est ratio) eò ipso quòd aliqua opinio favens legi *probabilior* autumetur, illicitum habent sequi oppositam, quæ *minùs probabilis* reputetur, & ab obligatione eximat Operantem, diversum quid esse affirmantes, quòd intellectus aliquam actionem judicet *minùs probabiliter* licitam, & quòd absolutè in eam, tanquàm licitam præbeat assensum. Quinimmò & per ipsos Probabilistas, ideò absolutè licita existimatur actio, quæ *minùs probabiliter* est licita, quia verum tenent principium illud, quòd qui *probabiliter* operatur, prudenter operatur. Quod tamen in casu non verificatur, ex doctrina ipsiusmet Lugi, assensum in opinionem oppositam definitæ, ut *probabiliori*, vocantis *imprudentem*, illumque comparantis cum assensu, quem Hæreticus præbet suæ sectæ, non obstante judicio, quo habeat evidenter credibiliorem Religionem Catholicam. Et quamvis circa hanc paritatem aliqua dari queat controversia, an revera judicium ejusmodi evidens de majori credibilitate catholicæ Religionis semper adsit in Hæreticis? quam examinare hujus loci non est, ad intentum sufficit, quòd in hujusmodi hypothesi loquatur Cardinalis, cujus discursum non totaliter innuimus amplectendum, ut ad hominem saltem efficax sit nostra illatio, quæ ad minus locum habebit, si paritas restringatur ad Hæreticos ex pervicaci malitia in *hæresi* obduratos. Ultra quod, lata est disparitas inter opinionem *minùs probabilem* comparativè ad *magis probabilem*, quæ talis sit ex privato Doctorum judicio, & quæ talis sit ex judicio Ecclesiæ, eam præ alia seligendam cunctis Fidelibus proponentis, ob infallibilitatem, quæ in hoc residet; cùm tamen privatum illud fallibile sit. Attento præsertim, quòd opinio, quæ apud aliquos est *probabilior*, apud alios, eos nempè, qui oppositam præ illa tuentur, est *minùs probabilis*. Undè cùm inter *minùs probabile*, & *magis probabile* non intercedat, nisi quidam gradualis excessus, qui nec omninò absolutus sit, nec ab omnibus habitus, tanquàm talis, non mirum, si assensus in illud, etiam hoc concurrente, prudens maneat, ac perseveret. Concurrente autem pro opinione *probabiliori* Pontificia authoritate, qua seligenda præ opposita declaratur, assensus huic præbendus esse nequit, nisi imprudens, utpotè repugnans infallibili de illa *probabilioritatis* judicio ab omnibus omninò firmissimè tenendo, & eatenùs licitus minimè censendus, quamvis opinio ipsa non certò *falsa*, sed *minùs probabiliter* vera haberi permittatur.

Ex

12. Ex quo colligenda venit disparitas inter opinionem, quæ *minùs probabiliter* vera maneat in concursu definitæ, tanquàm *probabilioris*, & opinionem, de qua, licèt ab Apostolica Sede sit quandoque impositum silentium ad contentiones, & scandala vitanda, juxta tradita *cap. 7. art. 2. n. 20.* nihil tamen est suprema potestate stabilitum, vel de ea, vel contra eam, directè, aut indirectè, ratione videlicet definitionis, qua opposita seligenda, ut *probabilior* ad minùs sit pronunciata. Sic namque prohibitio Pontificia solùm dirigitur, vel in exteriorem defensionem alterutrius opinionis, ad pacis, & charitatis conservationem, vel in *censuras* adversùs unam, vel alteram proferendas, utraque assertione in sua *probabilitate* relicta; nullo uni potiùs, quàm alteri parti, robore, vel munimine adjecto, aut præjudicio generato, ut ad oculum patet *cap.* Literas tuas *de restit. spoliat.* ubi Innocentius III. varias referens sententias circa restitutionem mulieris proprio viro in casibus *ibidem* expressis faciendam, subdit: *Nos autem ad præsens nullam de prædictis sententiis reprobamus, nec cuiquam earum aliquod præjudicium ex nostra responsione volumus generari.* Nec aliter se gessit Innocentius XII. in *Const.* Redemptoris *ibidem* extensa, qua silentium imposuit super quæstione de primæva institutione, ac successione Ordinis Carmelitarum, consimilibus illis particulis: *Non intendimus tamen per silentii hujusmodi impositionem, uni, seu alteri ex dictis sibi adversantibus sententiis, ullum majus pondus adjungere, sed utramque manere volumus in statu, & terminis, quibus de præsenti reperitur, donec aliter Nobis, & Sedi Apostolicæ visum fuerit determinare.*

13. Quæ etiam animadversio locum habet, quoties Pontificia definitio aliquam opinionem alteri omninò præferendam asserat, ac præcipiat, opposita quantumvis rejecta, ut *practicè*, sivè *improbabili*, sivè etiam *scandalosa*, si hæc ipsa opinio consideretur *speculativè*, adeout imminuta haud habenda sit *probabilitas*, qua potiebatur antecedenter ad Pontificium *decretum*, ipsius praxim, & usum proscribens. De quo pleraque concipi possunt exempla circa *primam*, quam *c. 2. art. 13. n. 19.* dedimus, ex *damnatis propositionibus* ab Innocentio XI. sanciente illicitum usum opinionis *probabilis* de valore Sacramenti relicta tutiore: dum *sanctione* hac non obstante, in suo robore, & *probabilitate* perdurant, speculativè loquendo, innumeræ quæstiones, quæ circa validitatem Sacramentorum à Scholasticis pertractantur. Virtute cujus *probabilitatis*, extrema urgente necessitate, ac deficiente materia e. g. certò valida, praxis ipsa extra eam interdicta, fit licita. Cùm enim Sacramenta instituta à Christo sint, non tàm sui gratia, quàm in favorem Fidelium, recta ratio exposcit, ut in opinionum concursu, ea eligatur, quę favet Suscipienti, etiam cum periculo nullitatis Sacramenti, quàm quæ Suscipientem deserit certò destitutum aliquo medio ad salutem ipsius necessario, ne Sacramentum dicto exponatur periculo. Casusque, ut rectè notat Didacus Hurtadus *in sua theol. ref. diss. 1. de abus. opin. prob. circa valorem Sacramenti cap. 5. num. 42.* ,, obvii sunt apud Authores passim docentes Infantem jam jam moriturum, deficiente aqua elementari, baptizandum esse cum lixivio, luto, aut jusculo, non valdè spissis, vel in digito, aut capillis, si alia ejus pars non compareat. Neque enim reliquendus est absque remedio profuturo *probabiliter*, licèt *probabile* etiam sit non profuturum, quatenùs baptismus sic confectus est etiam *probabiliter* invalidus. Ratio evidens est, quia, nisi Infans eo modo baptizetur, proculdubiò æterna beatitudine privabitur, & cum peccato originali nou remisso in Limbu m detrudetur; si autem ipsi baptismus ille incertus conferatur, quamvis metus sit, ne eadem contingant; quia *probabile* est eum esse nullum; aliundè tamen, quia etiam est *probabile* esse validum, prudenter sperari potest salus ejus, illam enim proculdubiò adipiscetur, si fortè accidat re ipsa esse veram opinionem, quæ valori favet ,, Nec diversimodè discurrit P. Felix Potestà *tom. 1. exam. confess. part. 1. de regula act. human. cap. 1. de conscient. num. 76. & 77.*

14. Diximus verò *num. 7.* permitti opinionem haberi *minùs probabilem*, quoties ejus opposita seligenda definitur, ut *probabilior*, ne quis ex hac definitione mox inferat alteram approbatam positivè haberi debere, ut *minùs probabilem*. Quod tamen minimè est necessarium ad Pontificis intentum, judicantis solummodò de prælatione opinionis, quam *probabiliorem* definit, arbitrio Doctorum relicto judicio de *minori* oppositæ *probabilitate*, eos dumtaxat obstringens, ne illam seligere præ alia valeant, neque *probabiliorem* existimare, quia se opponerent infallibili Sanctæ Sedis definitioni *probabilioritati* alterius faventi. Neque valet

ſet illatio : *Hac opinio definita eſt probabilior, ergo ejus oppoſita definitur probabilis*, ſed ſufficit, ut haberi queat *probabilis*, quod verificatur, etiamſi definitio id poſitivè non determinet. *Probabilioritas* proindè definita, ſicuti certitudinem veritatis in opinione definita non dicit, ita & in oppoſita certitudinem falſitatis non imbibit, poſitivam verò *probabilitatis* ejuſdem approbationem nequaquàm involvit. Neque ex eo, quòd diximus aliquam modalem poſſe proſcribi tantùm ratione *modi*, licebit facere inductionem ad aliam tantùm cenſurabilem ratione *dicti*. Clara etenim eſt diverſitas, quia quando *dictum* eſt verum, quælibet prava *nota* illam reddit *falſam* ratione *modi*, at quando *dictum* eſt in ſe *falſum*, non quælibet prava *nota* illam reddit *falſam*; quia ſi prava *nota* ſit ei adæquata, modalis eſſet vera, & non cenſurabilis, nec ratione *modi*, nec ratione *dicti*; ſi autem fuerit gravior, aut levior ea, quam meretur, etiamſi hæc non fuerit adhuc taxata ab Eccleſia, tunc evadens *præſumptuoſa* juxta dicta *c.6.art.6.n.4.* ex utroque capite erit theologicè cenſurabilis, & ſic non ratione ſolius *dicti*.

15. Altera itidem ex dictis eruenda diſparitas, ob quam, etſi præjudicium Pontificiæ infallibilitati non inferat *probabilitas* opinionis contrariæ alteri, quæ definita eſt *probabilior*, illi nihilominùs repugnaret, ſi contraria definiretur certò tenenda, ipſaque proindè non relinqueretur in ſtatu, & terminis, in quibus erat ante definitionem Romanæ Cathedræ; cùm tunc eſſe poterat verè *probabilis*, & fortè apparenter etiam à pleriſque habita *probabilior*, qualem haberi prorsùs chimæricum eſt, ſemel prolata à Chriſti Vicario in eam *cenſura*, quæ ſecum trahat indubiam ipſius *falſitatem*. Contrariumque aſſerere, eſſet prorsùs renovare Caramuelis opinionem, quam meritò *paradoxum* inſcripſit Cardenas *in ſua criſi poſth. diſſ.1. proem. cap.2. art.1. num.62.* ſuſtinentis: *Non dari in mundo viſibili authoritatem damnandi propoſitiones probabiles*, eo ducti ſophiſmate, quòd doctrina *probabilis* ſecundùm ſe bona eſt, ac innocens, & proindè non capax, ut *damnetur*, ob patentem, quæ in eo latet, æquivocationem. Ac ſi, cùm *damnatur* aliqua opinio *probabilis*, in ſenſu compoſito *damnationis* adhuc perduret *probabilis*, ſimulque verificari debeat, quòd ſit verè *probabilis*, verèque *damnata*, quod eſſe chimæricum nemo ſanæ mentis unquàm negabit. Hic verò ſenſus compoſitus prorsùs confictus eſt, & ad *paradoxum* tuendum adinventus, quo itidem probari poſſet pleraque aſſerta contraria myſteriis fidei, adhuc *probabilia* dici debere, quòd ante revelationem divinam ea nobis patefacientem, *probabilia* eſſent, ſeu viderentur, uti certè apparebat repugnantia Unitatis Eſſentiæ cum Trinitate Perſonarum, quam, negari nequit, habitam fuiſſe *probabilem*, divinæ lucis radio de ea non dum à mentibus noſtris cæcitatem fugante.

16. Senſus eatenùs diviſus præ oculis eſt ponendus, & ad modum, quo dicimus Deum facere poſſe, ut Cæcus videat, & Surdus audiat, per tranſitum, quem faciunt virtute Omnipotentiæ à ſtatu cæcitatis, & ſurditatis, ad ſtatum viſionis, & auditionis, ſuſtinendum opinionem *probabilem* poſſe *damnari* à ſtatu *probabilitatis* tranſeundo ad ſtatum *falſitatis*, quam fert ſecum *damnatio*. Abſque eo quòd juvet inſtari, verum id eſſe de *probabilitate* tantùm extrinſeca, non verò de *intrinſeca* juxta limitationem, quam Caramuelis ſententiæ applicat Joannes Martinez de Prado *tom.2. cap.33. in Append. contr. Caramuelem, qu.2.; §.3. num.32.* & Leander à Nurcia *lib.2. diſquiſ. mor. diſp.4. reſol.25. num.17.* apud *cit.* Cardenas *num.64.* per alteram æquivocationem ſupponentes *probabilitatem* præ ſe ferre aliquod motivum intrinſecum opinioni, aut concluſioni, quod ab ea virtute *damnationis* auferri non valeat. Cùm revera, intrinſeca dicatur ſolummodò, eò quòd ex intrinſeca objecti natura ſit deſumpta, quamvis motivum ſit ipſi extrinſecum, ut nititur evincere idem Cardenas, *num.72.* hoc ſyllogiſmo: *Omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal*. Petro namque extrinſecum eſt, quòd *omnis homo ſit animal*, alioquin univerſa hominum multitudo eſſet intrinſeca Petro.

17. De quo tamen argu-ndi modo, quicquid dicatur, occurrendum faciliùs inſtantiæ ex indicatis *cap.5. art.2. n.10.* quòd, etſi intrinſecum ſit motivum, non tamen à nobis agnitum, ut in ſe revera eſt, ſed ut nobis apparet. Cùmque apparentia iſta poſſit eſſe in ſe *falſa*, quamvis putetur *probabiliter* vera, hinc fit, quòd ex ea fieri poſſit tranſitus ad certitudinem veritatis oppoſiti, quæ præcedentem *probabilitatem* ipſius totaliter auferat. Niſi quoque placeat cohærenter ad doctrinam, quam *ibid.* tetigimus *num.9.* nullum hujuſmodi haberi tranſitum, quia Pontificia definitio declarando *falſam* aliquam *propoſitionem*, quæ *probabilis* habebatur, declarat per conſequens eam

revera

revera non fuisse *probabilem*. Quod autem revera *probabile* non extitit, non dicitur transire à *probabilitate intrinseca* ad non *probabilitatem* intrinsecam, sed à judicio fallibili, & in se *falso* putatæ *probabilitatis* intrinsecæ, ad infallibile, & verum exclusionis *probabilitatis* intrinsecæ, quæ in rigore non extitit. Nunquàm idcircò innocens doctrina *damnatur*, sed ea, quæ falsò putabatur innocens, sed in re, rea erat, talis declaratur, & censuræ subjicitur. Vel ea, quæ apparebat innocens, in sensu diviso ab innocentia, ac manifestata reitate, quæ latebat, proscribitur. In cujus confirmationem nonnulla Cardenas *art.3. à num.79.* extendit *propositionum* exempla, quæ olim erant *probabiles*, & dein accedente Pontificia definitione habitæ sunt *hæreticæ*, *erroneæ*, *scandalosæ*, & proindè *falsæ*, & omni *probabilitate* destitutæ, quæ tamen apud ipsum percurri poterunt. Non enim ulterioribus gravanda nunc videtur probationibus, & confirmationibus, conclusio, quæ ex ipsamet terminorum apprehensione cuilibet mentis compoti redditur evidens.

18. Adversùs quam propterea, nullius prorsùs momenti est instantia, quæ ab Aliquibus desumitur ex *propositionibus* S. Juliani Archiepiscopi Tolerani, quæ à Benedicto Papa priùs proscriptæ, detecta dein *probabilitate* earumdem pristinæ indemnitati restitutæ fuere. Ac si indè inferendum veniat, quòd opiniones verè *probabiles* proscribi neutiquam valeant, nisi per errorem, ob non plenè adhuc agnitam *probabilitatē*, qua potiuntur. Quatuor si quidem erant *propositiones* laudati Præsulis, licèt non extet ad præsens certa notitia, nisi de solis duabus videlicèt: *Voluntas genuit voluntatem*; &: *Tres sunt substantiæ in Christo Dei Filio*; quæ, ob hæresim Monothelitarum non longè ante per Concilium VI. OEcumenicum profligatam, videbantur præ se ferre errores directè oppositos, & inducere Dithelismum, seu dualitatem voluntatis in Deo, ac Trithelismum, seu triplicitatem voluntatis in Christo. Et eatenùs non mirum, si dictis *propositionibus* contigerit, quod & illi: *Unus de Trinitate Crucifixus est*, evenisse non semel indicavimus, & præsertim *cap.6.art.2.num.10.* non quidem ex intentione Sancti Præsulis Juliani, sed ob vigentes tunc temporis circumstantias, vi quarum, cùm sensus pravus præponderans appareret, habitæ illæ sunt dignæ proscriptione, à qua deinceps immunes ab eodem Pontifice sunt redditæ virtute rectæ explicationis ad sufficientiam evulgatæ, absque eo quòd ulla opinio verè *probabilis* dici valeat præcipitanter eliminata, & dein ad suam *probabilitatem* jure restituta. Idque adhuc transmissa hypothesi, cui objectio innititur, quam tamen insubsistentem ostendit Paludanus *in Apologia Const. Urban. cap.2.*, à veritate alienum evincens, inter alia futilia, Sedique Apostolicæ injuriosa mendacia, quæ hujus *damnationis* prætextu excogitarunt Bajani, & Jansenistæ, quòd Pontifex Benedictus præfatas *propositiones* condemnaverit, quódque condemnationem dein revocaverit. Ac proinde ad mittendum solummodò firmans Christi Vicarium illas declarasse *minùs cautè positas*, seu talibus formatas verbis, quæ minùs intelligentibus aliquam erroris occasionem præbere poterant, undè Hispaniæ Episcopis scribens, non earumdem palinodiam Juliano præscribendam injunxit, sed ut illas *munirent*, *solidasque efficerent* per claram, ac rectam explicationem, quæ quamlibet sensus pravitatem excluderet, ut apud laudatum Authorem videri potest.

19. Ad aliam *articuli* partem jam gradum facientes, animadvertere in primis non inutile censemus, Hæreticos, quorum est nihil intentatum omittere, ut possint in Fidei, Morumque Regulas invehi, quibus premi conspiciunt, *Apocryphi* nomine abuti minimè neglexisse, eo nedùm Divinas, & Apostolicas Traditiones, quas passim *falsitatis* per calumniam insimulant, sed & ipsasmet Sacras Scripturas, & Romanorum Pontificum decisiones rejicientes, quibus potissimùm firmitas, & sanctitas catholicæ Religionis firmatur, & solidatur. De quibus clara habemus exempla, quoàd Sacras Scripturas, in Epistola B. Judæ Apostoli, quam respuendam autumant, quia in ea nonnulla intersint excerpta ex libro Henoch, qui cùm *apocryphus* habeatur, consequens autumant, ut & *apocrypha* censenda sit Epistola prædicta. Quod est argumentum Erasmi *quartum* ordine apud Bellarminum *de Verb. Dei lib.1. cap.18.*, „ Judas refert historiam altercationis inter Michaelem Ar„ changelum, & Diabolum, de Moysi cor„ pore, & vaticinium quoddam Henoch. „ At nihil horum legimus in probatis „ Scripturis. Igitur Epistola hæc inter *A„ pocryphas* numeranda est. „ Quoàd verò ad Romanorum Pontificum decisiones, aperta extat *propositio 18.* inter damnatas à Constantiensi Concilio contra witcleph: *Decretales epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt à Christi fide, & Clerici sunt stulti, qui student eis.*

Quod

20. Quod autem Hæretici infenso in Fidem orthodoxam animo faciunt, potest proculdubiò, & debito modo ad praxim deduci, non Canonicos libros, genuinaque Romanæ Cathedræ responsa improbando, sed asserta illa, dissertationes, & opera, quæ revera inter *apocrypha* sunt numeranda, vel absolutè rejiciendo, vel saltem fidem eis non præbendo majorem ei, quam merentur. In cujus rei distinctiorem notitiam, *apocryphi* vel ipsa vox, non parùm conducit, quæ idem græcè sonat, ac latinè *absconditum*, ut propterea non eadem semper fit de ea apud Ecclesiasticos Scriptores usurpatio, Quandoque namque *Apocryphæ* Scripturæ vocantur, de quibus non constat, an sint Canonicæ, vel Divinæ? etiamsi in comperto habeatur, nullos in eis errores reperiri, quales putavit in *prologo Galeato* Hieronymus illos omnes libros, qui non sunt in *Canone*, fortè, quòd occulta sit adæquata eorumdem origo. Quandoque *Apocryphi* indigitantur libri, quorum Author ignoratur ex *Glossa in Can.* Sancta Romana *dist.* 15. Quandoque verò *Apocryphi* dicuntur illi, qui erroribus scatent, Authore, vel ignorato, vel ementito, vel etiam suspectæ fidei, ex Origene *hom.* 1. *in Cant.* Hieronymo *epist. ad Lætam de institut. filiæ*, Augustino *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 33. Gelasio Papa *cit. Can.* Sancta *Romana*, cujus verba dedimus *cap.* 6. *art.* 14. *num.* 11. & Angelico 3. *p. q.* 35. *art.* 6. *ad* 3. *q.* 36. *art.* 4. *ad* 3. & *q.* 43. *art.* 3. *ad* 1. tanquàm *apocryphum* improbante librum *de infantia Salvatoris*.

21. Ex his secundam Glossæ veluti *non probabilem* rejicit Bellarminus motus, quia alias „ multi libri sacri essent *apocryphi*, ut „ liber Judicum, Ruth, Job, primus Machabæorum, & permulti alii, quorum „ Authores ignorantur, quod tamen „ abhorret ab usu loquendi Ecclesiæ. Quis „ enim unquàm audivit librum canonicum esse *apocryphum*? „ Cui tamen rationi non omninò, pace Eminentissimi sapientia æquè, ac dignitate Scriptoris, videtur fidendum, sivè quia prædictus Ecclesiæ usus innixus sit communi vocis *apocryphi* usurpationi, quæ in malam sumitur partem, non verò rigorosæ ejusdem intelligentiæ, aliquid absconditum importanti. Juxta quam nullum inconveniens esset, quòd Canonici libri appellarentur *apocryphi*, seu, Authorum, quorum nomina lateant. Sivè & fortiùs, quia verus *Author Sacræ Scripturæ est Deus*, ut cum D. Thoma vidimus *c.* 3. *art.* 1. *num.* 2. favente Regio Psalte, & Apostolorum Principe relatis *ibid. art.* 3. *nu.* 8. Ut propterea ignorato aliquo *canonicorum librorum* Scriba velociter scribente, non ideò ignorari dici debeat, & Author supremus, de quo, cùm indubiam Ecclesiæ attestationem teneamus, parùm curare debemus de Ministri scribentis notitia, vi cujus nulla in eos derivat authoritas. *Apocryphum* propterea dici posse in aliquo vero sensu opus aliquod Authoris incerti, aut incogniti, admittere non renuimus, licèt ab hujusmodi denominatione abstinendum, ob rationem mox indicatam, non hæsitemus, quoties præsertim Nominis ignoratio, Authoris ipsius adscribendum non veniat dolo, inobedientiæ, aut malitiæ, ad insinuata *cap.* 6. *art.* 14. *num.* 2. ubi explicationem *Tridentinæ sanctionis* de libris absque Authoris nomine non evulgandis attulimus, habendam præ oculis unà cum *regula impress. lib.* §. 1. quæ habetur in *instruct.* Clementis VIII. *ad calc.* itidem *Trid. Conc.* in hac materia adamussim servandam: *Nullus liber in posterùm excudatur, qui in fronte Nomen, Cognomen, & Patriam non proferat Authoris. Quòdsi de Authore non constet, aut justam aliquam ob causam, tacito ejus Nomine Episcopo, & Inquisitori liber edi posse videatur, Nomen illius omninò describatur, qui librum examinaverit, atque approbaverit.* Cum quo cohæret Sexti Mediolanensis Concilii *decretum* his verbis conceptum: *Moris olim fuit, vitandæ gloriæ, ostentationisque causa, libros aliquando alterius nomine, & jam assimilato evulgari: Sed quoniam hæc tempora, quibus impressoria editione aditus esse potest ad nefaria quæque proseminanda; diligentiorem cautionem requirunt; interdictum esse volumus, mentito, fictoque alterius nomine libros, volumina, literas, scriptave cujusvis generis, argumentive, de quibus in Indice, seu Concilio Tridentino cavetur, evulgari, edi, typisve imprimi, nisi consensu istius, cujus nomine edentur, & Episcopi permissu.*

22. Quapropter, cùm liber aliquis absque Authoris Nomine sese offeret, non eò ipso improbandus, ac inter *apocryphos* libros est inscribendus: sed diligenter perquirendum, quo fine fuerit intenta talis suppressio, quibusque sit opus munitum Censorum approbationibus, ac Superiorum facultatibus, indeque deduci, an non obstante præfato Authoris notitiæ defectu, inoffenso pede possit percurri? an verò *suspectæ* doctrinæ reputandum? quam *notam*, ut vitaret Petrus Pictaviensis *epist. ad Petrum Cluniacensem* testatur brevi suæ *lucubrationi* nomen præfigere voluisse, ejusdem Clunia-

censis

censis obtemperans jussibus, quodque *sciret multos probatæ religionis, & humilitatis viros hoc idem de quibuslibet scriptis suis olim studiosè fecisse. Quos certè magis in hoc quantulocumque opusculo nostro imitari affecto, quàm quosdam nostri temporis Scriptores, qui nescio, qua, vel cautela, vel imperitia ubique nomina sua supprimunt, incurrentes apocryphorum Scriptorum vecordiam, qui sivè de falsitate, sivè de hæresi, quibus, ut fertur, sua omnia fermentabant, redargui fugientes, nusquàm propria vocabula prætulerunt. Non ergo me hic aliquis ante tempus judicare festinet, sed Deo, & conscientiæ meæ me dimittat, & ipse si voluerit, sine titulo scribat.*

23. Aperta proindè est ratio, cui innixa est *Tridentina Sanctio* insinuata, quòd *nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Authoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primùm examinati, probatique fuerint ab Ordinario, sub pœna anathematis, & pecuniæ in Canone Concilii novissimi Lateranensis appositæ*, ac Clementis VIII. ad quosvis in qualibet materia libros prohibitionis extensio, tùm nempè nè facile cuilibet esse quear, vera falsis impunè permiscere; tùm ut aliis præcludatur via adulterandi scripta aliorum, Authore *lib. de operibus Christi Card. init. prolog.* in hunc finem dicente: *Sic & Philosophi, & Doctores antiqui, tractatibus suis nomina prætexuere brevi titulo grandis materiæ latitudinem prælibantes, & propriæ gloriæ præposito nomine suo providentes, ut integritatem operis, & laboris Authoris, tàm styli, quàm Personæ in posterùm authoritas conservaret, & facilè Scripturæ subtilitas indicaret, si aliqua manus invida elegantiæ tractatum elimatorum pannum rudem insueret, vel nugis suis, quasi sua essent, quæ Alius laudabiliter dictasset, furtiva translatione infereret.* Quod, cum olim frequenter Hæreticorum nequitia contingeret, Anonymos libros *suspectos* regulariter habitos *lib. 4. contr. Marcionem c. 2.* innuit Tertullianus: *Et possem jam hic gradum figere, non agnoscendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullam constantiam præferat, nullam fidem repromittat de plenitudine tituli, & professione debita Authoris.* Eademque ratione *epist. cit. ad Lætam*, Hieronymus: *Caveat omnia apocrypha, & si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam legere voluerit, sciat non eorum esse, quorum titulis prænotantur, multaque his admixta vitiosa, & grandis esse prudentiæ aurum in luto quærere.*

24. Quæ postremæ particulæ evidentem reddunt futilitatem argumenti *nu. 19.* indicati pro rejectione *Canonicæ Epistolæ* B. Judæ, tamquàm *Apocryphæ*. Si namque adhibitis humanæ prudentiæ regulis potest aurum in luto quæri, longè fortiùs, ac infallibiliter prorsùs, id fieri poterit supernaturali Spiritus Sancti virtute, cujus ductu pretiosum secernatur à vili, ut *cap. 3. art. 3. num. 9. 10.* tetigimus. Quo posito nullius roboris est deductio, qua *Apocrypha* censeri debeat Judæ *Epistola*, præcisè per hoc, quòd utatur testimonio libri *apocryphi*, à quo cœlesti illustratione vera desumit, falsis penitùs reprobatis. Aliàs, ut rectè argumentatur Michael de Medina *lib. 6. de recta in Deum fide cap. 24.* permulti ex *libris Canonicis* rejiciendi, ut *apocryphi*, essent, in quibus videlicet aliquid continetur ex *apocryphis* erutum. „ Erit itaque *apocryphus* quartus liber Regnorum, & Prophetia Hieremiæ, quòd utrobique liber Constitutionum Jonadab Filii Recab allegatur: erit *apocryphus* uterque liber Paralipomenon, quòd in altero Nathanis, Abiæ Salonitis, Jehu filii Anani, Ozai, Oziæ, Azariæ Filii Obed, Anani Jazielis Filii, Zachariæ Ebezeris Filii, Dodan, & Obed Historiæ, & Prophetiæ allegentur: Tertius quoque Regum *apocryphus* erit, quòd libri Michææ Filii Jembla meminerit. *Apocryphus* etiam erit apud istos uterque Machabæorum liber, quòd prior libri dierum Sacerdotis Joannis Hircani, alter libri Hieremiæ, in quo legem dedit transmigratis, testimonio sit usus. Imò verò sit *apocrypha* Apostoli Pauli epistola ad Titum; sint etiam *apocryphi* Apostolici actus, quos Lucas descripsit, quoniam in illa Epimonides adducitur, in his verò ad Pauli prædicationem confirmandam Aratus Poeta, & Aræ illius Atheniensis descriptio: in quibus tamen libris præter hoc, quòd non erant à Dei veri Cultoribus, sed ab Idolatris editi, multa superstitiosa, prophana multa, falsa penè omnia continentur. „

25. Datæ autem responsionis vis desumpta est ex Origene *in calc. prolog. ad homil. in Cantic.* sic ratiocinante: *Quòd essent de scripturis his, quæ appellantur apocryphæ, pro eo, quòd multa in eis corrupta, & contra fidem veram inveniuntur à Majoribus tradita, non placuit eis dari locum, nec admitti ad authoritatem; supra nos est pronunciare de talibus. Illud tamen palàm est, multa, vel ab Apostolis, vel ab Evangelistis exempla esse prolata, & novo Testamento inserta, quæ in his Scripturis, quas Canonicas habemus,*

bemus, nunquam legimus, in apocryphis tamen inveniuntur, & evidenter ex ipsis ostenduntur assumpta. Sed ne sic quidem locus apocryphis dandus est. Non enim transgundi sunt termini, quos statuerunt Patres nostri: potuit enim fieri, ut Apostoli, vel Evangelistæ Sancto Spiritu repleti, sciverint, quid assumendum ex illis esset Scripturis, quidque refutandum, Nobis autem non est absque periculo aliquid tale præsumere, quibus non est tanta Spiritus abundantia. Nec aliter discurrunt cæteri Patres, & post Patres, Theologi, qui tamen occasione *Epistolæ* Judæ, mentionisque, quæ in ea fit, *de apocrypho* libro Henoch, non omnes ejusdem sunt sententiæ circa qualitatem ipsius, an videlicet sit *apocryphus* ex eo solummodò, quòd insertas contineat *falsitates* ex Hæreticorum depravantium pervicacia, an verò etiam ex ementito Authoris nomine, quo inscribitur? Posteriorem siquidem partem post alios propugnat Michael de Medina *lib.6.de recta in Deum fide cap.24.* sentiens, prophetiam Henoch sola traditione fuisse contentam, fortè tamen non absque aliquali inconstantia, dum ex Joseph, & Beroso referens scripsisse Henoch posteris sæculis suas prophetias, apud Chaldæos duplici columna, una marmorea, altera lateritia, occasionem præbet deducendi Henoch non sola voce prophetasse, ac verisimile reddit ex hujusmodi columnis ad librum fuisse translatam talem Prophetiam, posteaque adjunctas illi alias res incertas, ob quas *apocryphus* est inscribendus.

26. Quicquid autem de hoc sit, ejusdem opinionis fuit Beda: *Sciendum, quia liber Henoch, de quo illam assumpsit sententiam, quam produxit, inter Apocryphas Scripturas ab Ecclesia deputatur, non quia dicta tanti Patriarchæ abjici ullatenùs possint, aut falsa debeant æstimari, sed quia liber ille, qui sub ejus nomine profertur, non verè ab illo scriptus, sed sub titulo nominis ejus, ab alio quodam editus videtur. Si enim verè ejus esset, non esset fidei sanæ contrarius: nunc autem, quia multa incredibilia continet, in quibus illud est de Gigantibus, quòd non habuerint homines Patres, sed Angelos, meritò doctis claret, non esse viri veracis scripta, quæ mendacio sordent. Undè, & hæc eadem Judæ epistola, quia de apocrypho libro testimonium habet, primis temporibus à plerisque rejiciebatur, tamen authoritate jam, & vetustate, & usu meruit, ut inter Sanctas Scripturas computetur, maximè quia tale testimonium de apocrypho Judas assumpsit, quod non apocryphum, ac dubium, sed veræ lucis lucida esset veritate conspicuum.* Attento præcipuè, quòd ex approbatione unius partis alicujus operis non rectè inferenda veniat totius approbatio, ut notavit explicans *epist. ad Tit. cap.1.12.* verba illa: *Cretenses semper mendaces*, Hieronymus: *Qui autem putant totum librum debere sequi eum, qui libri parte usus sit, videntur mihi, & apocryphum Henoch, de quo Apostolus Judas in epistola sua testimonium posuit, inter Ecclesiæ Scripturas recipere.* Priorem partem tuentur alii, quibus favet 15. *de Civit. Dei cap.23.* & 18. *c.38.* Augustinus: *Scripsisse nonnulla divina Henoch illum septimum ab Adam, negare non possumus, cùm hoc in Epistola Canonica Judas Apostolus dicat.*

27. Nec minùs evidens apparet insubsistentia nequissimi alterius asserti contra Summorum Pontificum *Decretales epistolas*, quas *Apocryphas* infensissimi Fidei Hostes blaterant, quòd in eis sacra Catholicæ Religionis mysteria, rectæque morum dirigendorum regulæ explicari cognoscant, in quas debacchantur, non obscurè propriam exprimentes vafritiem, dum seductivas eas asserunt à fide Christi, Clericosque, qui student eis, stultos effutiunt. Legendus verò super hac re Cardinalis Turrecremata *de summ. Eccles. lib.2. c.99.* quod integrè exscripsit Cardinalis de Aguirre *in sua defens. Cath. S. Petri disp.30. sect.3.* ubi perniciosissimum meritò vocat *hunc errorem*, & *ad infinita schismata januam*, effugiumque præsertim præcludit, distinctionis *Decretalium*, quæ non includuntur in *Canonibus* Conciliorum, ab aliis, quæ in eis continentur, ac si hæ admitti queant, illæ verò rejici debeant. Pontificiam sic infringere tentando supremam authoritatem, ac dependentem reddere à Conciliis, cùm tamen hæc nullius roboris, & authoritatis viderimus *cap.3.art.11.n.27.* nisi à Christi Vicariis Apostolico munimine corroborentur. Aliàs, nec ipsimet generales *Canones* essent recipiendi, quos inter, ille Magni Leonis extat: *Nequid verò sit, quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decreta constituta, tàm beatæ recordationis Innocentii, quàm omnium Prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis Ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi noverit denegari deinceps.* „ Dicen„ do verò: *omnia Decretalia constituta*, nul„ lum de *Decretalibus* constitutis prætermi„ sit, quod non mandaverit esse custodien„ dum. Et rursùs asserendo: *omnium Præde„ cessorum nostrorum*, nullum Pontificum „ Romanorum, qui anteà jam fuerunt, „ excepit, cujus ille non præceperit *Decre-*

talia

„ *talia constituta* ab omnibus custodiri, ut „ siquis in illa commiserit, veniam sibi „ deinceps noverit denegari, „ ut arguit laudatus Turrecremata, alias subjungens authoritates, rationesque, quas consulat Pontificiæ potestatis Defensor, & Venerator, ea semper præ oculis habita distinctione *Decretalium*, quæ verè à Pontificibus sint conditæ ad Fidei, ac morum regulas Fidelibus proponendas, quæque proinde infallibilitatis privilegio potiuntur, ab aliis, quæ non continent, nisi eorumdem Pontificum privatum sensum apericatium responsiones, quæ sui natura infallibiles non habentur, nisi fortè per posteriores Pontifices ex Cathedra approbentur, totique Ecclesiæ servandæ præcipiantur, ut indicavimus *c.* 2. *art.* 13. *num.* 29. & anteà notarat Suarez *tom. de Legib. lib.* 4. *de leg. posit. Canon. cap.* 14. *num.* 11. & 12.

28. *Apocryphas* verò *Decretales* petulanter asseri dicimus, in sensu vulgari, & in malam partem habito, juxta id, quod *n.* 21. advertimus. Ut indè pateat, quod de *libris* ipsis *Canonicis* diximus, fortiùs extendi ad Pontificias *decretales* debere, quarum aliquas idcircò *apocryphas* non ad intentum Hæreticorum, posse indigitari, nequaquàm negamus, sivè videlicet, quia nonnullæ decisiones in eis compilatæ, ac etiam in ipso corpore juris insertæ, non reperiantur in *libris*, ex quibus referuntur, ut textus in *cap.* Translato, & *cap.* Ne innitaris *de Constitutionibus*; sivè quia in nullis extant Pontificum, aut Conciliorum *libris*, ut textus *in cap.* Nullus, & *cap.* Miramur *de servis non ordinandis*, & *cap.* De prudentia *de donationibus inter*. Quin tamen ex hoc ullum in Firmitatem earumdem præjudicium sequatur, ad quam abundè sufficit, quòd posteriores Pontifices, eas ut genuinas agnoverint, ac approbaverint, suasque proprio consensu, ac confirmatione reddiderint, ad notata per Emmanuelem Gonzalez *in apparatu de orig. & progressu juris can. num.* 54. ubi quoque impugnat Albericum Gentilem *cap.* 4. *de lib. juris canon.* putantem decisiones omnes veterum Romanorum Pontificum non contentas in ultima *Canonum* compilatione à S. Raymundo de Pennaforte collecta, & à Gregorio IX. Pontificiæ confirmationis robore munita, à quo proindè sumpsit vocabulum *Decretalium Gregorii*, nullam ampliùs vim habere, simili ratione ductus, quòd nempè Pontificum canones, ut præcisè jacent in Regiftris eorumdem, jus faciunt, ac eatenùs robur nunquàm amittunt, nisi à subsequentibus Petri Cathedræ Moderatoribus, ipsis expressè fuerit derogatum, dummodò tamen non ad Fidem, cujus definitiones, sicut infallibiles, ita & irretractabiles sunt, etiam ab ipsismet Romanæ Cathedræ supremis Moderatoribus; sed ad Disciplinæ materiam tantummodò dirigantur, quæ juxta varietatem circumstantiarum loci, temporis &c. mutationi fieri potest obnoxia; ad quod non sufficit sola non insertio in *Decretalibus Gregorii*, utpotè quæ ex aliis ortum capitibus ducere valuit, immota adhùc manente eorumdem efficacia.

29. Hæterodoxorum horum vestigia prorsùs secuti sunt Jansenistæ, quos scimus iteratis vicibus insurrexisse in *Bullam* Urbani VIII. incip. *In eminenti*, infulsa illa promentes objecta, indicata ab insigni Ordinis Eremitarum S. Augustini Doctore Michaele Paludano in non semel *citata* egregia *Apologia Constitutionis* prædictæ *cap.* 8. E quibus ad rem præsentem faciunt. *Primum*: „ Constitutio hæc est suspecta falsitatis, & „ suppositionis. „ *Sextum* „ Composita est „ contra mentem Pontificis, contra intentionem, & expressum ordinem Domini „ Papæ, itaut nequeat vocari *Constitutio* Papalis, & obligatoria, „ *Septimum*, „ Extorta „ est fraude, importunitate, falsis suggestionibus, per violentiam, collusionem, „ præcipitantiam, intolerabilem oppressionem, & præventionem. „ Quorum, cæterorumque vafritiem solidissimè detegit Author laudatus perpetuò præ manibus Catholicorum habendus, ad quem idcircò ne prolixiores, quàm instituti ratio exigat, efficiamur, Lectores remittimus, insinuare contenti, quòd priùs *Bullam suppositițiam*, seu *apocrypham* vocant, dein verò potiùs *subreptitiam*, seu extortam fraude, falsisque suggestionibus; in utroque propemodùm mentientes, sed in posteriori asserto tanta tenacitate, & obstinatione, ut ad hæc nostra tempora ab ejus defensione nusquàm abstinuerint, *propositionem* 31. ab Alexandro VIII. *damnatam* evulgantes: *Bulla Urbani VIII.* In eminenti *est subreptitia*. Cujus obstinationis duritiem, qui cupit expendere, adeat Boneccium *in Vindiciis æquissimi Decreti Alexandri VIII. ad prop.* 31. Ac in utriusque mendacii detestationem percurrat *Brevia* Conditoris *Bullæ*, ac ipsius Successoris Innocentii X. ad varios Episcopos, ac Academias pro *Bullæ* validitate, puritate, & Pontificiæ menti conformitate, directa, quorum nonnulla ad *calcem tom.* 3. *de ente supernat.* extendit Ripalda.

ARTICULUS XII.

Quæsita nonnulla continens, quorum notitia qualificandarum propositionum Muneris exercitio inservit.

1. Coronidem *Scrutinio* impositurí aliquot ducimus proponere resolvenda quæsita ad rectam propositionum, ac doctrinarum qualificationem utilia. Ac in primis super *locis theologicis*, quænam illa sint, & cujus ponderis? Sicut enim in philosophicis *loca* Topica Aristoteles inscripsit, ea, ex quibus varios eruit disputandi modos, quos vocat à genere, à proprio &c. ita & in theologicis *notis* aptandis *loca* dantur, quæ sint veluti argumentorum promptuaria, & fontes, ex quibus argumenta ad usus omnes theologicos, & potissimùm ad qualificationis exercitium desumuntur. Non autem conveniunt Theologi in recensendis his *locis*; aliis plures, aliis numerantibus pauciores. Angelicus 1.*p.qu.*1.*art.*8.*ad* 2.ut tetigimus *c.*3.*art.*16.*n.*2.quatuor indicat, ab authoritate videlicet Divina, ex ratione humana, ab authoritate Doctorum Ecclesiæ, ab authoritate Philosophorum. Ad quæ reduci poterunt reliqua, quæ à cæteris Theologis exprimi solent, dum authoritas Divina sub se comprehendit Sacram Scripturam, Traditiones Divinas, & Apostolico-Divinas, Concilia, præsertim OEcumenica approbata, Summorumque Pontificum definitiones ex Cathedra promanantes. Ad rationem humanam spectat quicquid ad ejus constitutionem concurrit. Et ad authoritatem Doctorum Ecclesiæ Theologi omnes, jurisque præsertim Canonici Professores.

2. De his verò licèt non desint, qui longas conficiant dissertationes, pauca à Nobis sunt innuenda potiùs, quàm discutienda, quòd in *præcedentibus* satis insinuata maneant, quæ ad eorumdem valoris, & efficaciæ cognitionem collimant. Et quidem de Authoritate Divina rectè monet laudatus Aquinas *maximè* proprium esse sacræ doctrinæ *argumentari ex authoritate, eò quòd principia hujus doctrinæ per revelationem habentur. Et sic oportet, quòd credatur authoritati eorum, quibus revelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati hujus Doctrinæ. Nam licèt locus ab authoritate, quæ fundatur super ratione humana sit infirmissimus, locus tamen ab authoritate, quæ fundatur super revelatione divina, est efficacissimus.* Sivè revelatio hæc eruatur ex Sacris Literis, quas Fidei regulas, esse non ultimatas ex *cap.*2.*art.*10., ideò stabilivimus *cap.*3. *ab art.*1. *ad* 7. Sivè ex Traditionibus Divinis *ibid. art.*8. aut Apostolicis *art.*9., quæ hoc nomine indigitantur ob solam promulgationem ab Apostolis habitam, & prout ab aliis discriminantur, quæ Apostolicæ appellantur, quòd ab Apostolis sint conditæ, & proindè non eadem indefectibilitate præditæ, ac præcedentes, quæ cum Divinis æquiparantur. Sivè ex OEcumenicorum Conciliorum approbatorum, aut Summorum Pontificum definitionibus ad tradita *cap.*3. *art.*12.13.14.& alibi pluriès. Sivè ex universali totius Ecclesiæ consensu *cap.*2. *art.*12. *num.*53, *cap.*3. *art.*11. *num.*10. & *art.*16. *nu.*10. Undè fit, quòd *propositiones* omnes repugnantes divinæ revelationi aliquo ex dictis modis manifestatæ, *hæreticæ* habeantur, si oppositio sit immediata, & nullo interveniente medio discursu: vel *erroneæ*, si mediata ea fuerit, vel ut per discursum agnita reduplicativè consideretur *cap.*3. *art.*18. & 19. Ac dummodò oppositio *certa* sit, & non *probabilis* dumtaxat; nam aliàs, sicuti *propositio* contraria non absolutè *de fide*, vel certa certitudine theologica, sed *probabiliter* talis inscribitur, si de revelatione circa eam, non nisi cum aliquali formidine constet, ita & illa *probabiliter* solùm *hæretica*, vel *erronea* haberi poterit *cap.*3. *art.*21.

3. Nec minùs sufficienter egimus de authoritate Apostolicæ Traditionis juxta alium indicatum sensum *cap.*3. *art.*9. cum qua convenit Ecclesiastica Traditio *cap.*3. *art.*10. De authoritate Patrum *cap.*3. *art.*17. Scholasticorum *art.*16. & *cap.*7. *art.*5. Cum quibus, etsi comparandi neutiquàm sint Philosophi, quantumvis celeberrimi, Fidei tamen lumine destituti, ac idcircò inepti ad probanda nostræ Fidei dogmata; non ideò sunt contemnendi ob pleraque, quæ penès ipsos leguntur, nobisque inservire possunt, ad sacra eadem Mysteria faciliùs, & ad hominem saltem vindicanda à Gentilium calumniis, & objectis; *Philosophi*, ait *lib.*2. *de doctr. Christ.* Augustinus. *Si quæ fortè vera dixerunt, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis tanquàm injustis Possessoribus in usum nostrum vendicanda, quæ ab eis auferre debet Christianus ad usum justum prædicandi Evangelium, quod multi Fideles nostri fecerunt, ut Martyr Cyprianus, Victorinus, Hilarius, & ut de vivis taceam, innumerabiles Græci*. Quod & de Poetis, ac Oratoribus protulit pariter *orat. de modo proficiendi ex lib. Gent.* Basilius, *Poetis, & Oratoribus est omnibus hominibus* nten.

utendum, undè futura sit aliqua utilitas, quæ ad Animæ faciat ædificationem. Velut enim Fullones, & Tinctores, qui medicamentis quibusdam rem tingendam præparant, atque ita demùm colorem, quem cupiunt, sivè purpureum, sivè aliquem alium inducunt; sic & nos, si gloria pulchritudinis vitæ hujus, quam tantoperè laudamus, illata nobis mansura sit, nisi priùs purgati, sacras, & arcanas Scripturæ disciplinas, non facilè attingemus, aut percipiemus, & quasi solem in aqua videre assuefacti, sic illi lumini oculos injiciemus. Quamobrem si nostrorum sermonum, ac Gentilium ulla est convenientia, nobis illorum valdè conferet notitia; sin minùs, eos saltem simul conferendo, differentiam discere licebit, cùm ad melioris optionem, atque delectum non parùm comparatio fiat; & inferiora sæpè collata sint potioribus ornamento: veluti plantis, quibus propria virtus est fructu pulcherrimo scatere, folia nihilominùs ramis conjuncta quemdam ferunt ornatum. Sic & Animæ, cui præcellens quidem veritas fructus est, non abs re tamen, exteriori sapientia circumdatur, sicuti foliis quibusdam umbram fructui, ac aspectum non intempestivum præbentibus. Nec diversimodè ratiocinantur reliqui Patres, Nazianzenus *in laudat. S. Basilii.* Damascenus *de fide cap.13.* Blesensis *epist.8. & 91.* Cyrillus 6. *in Julian. ad textum quartum*, ubi egregiè, invictisque argumentis, apud eum legendis, refellit Julianum Apostatam, Christianos impiè criminantem, quòd vellent participes esse doctrinæ græcanicæ, arcerent autem suos ab Idolothytorum usu, quasi corporum pabulum nocentius esset Ethnica esca animorum.

4. Quin in contrarium adducenda veniant pleraque Ecclesiæ, aut Conciliorum decreta Gentilium librorum lectiones penitùs interdicentia. Quòd obvia reddetur eorumdem interpretatio, ac explicatio, si attendatur, vel circumstantia temporis, in quo sunt condita, vel ad nimium hujusce modi lectionis excessum referantur. Nascentis siquidem Ecclesiæ initiis, cùm adhuc Fideles teneri essent, & recenter ab Ethnicismo, & doctis fabulis abducti, peropportunum fuit eis interdicere lectionem prædictam ad Ethnicismi memoriam totaliter ex eorum mentibus obliterandam, periculumque præcavendum vacillationis in fide, aut regressus ad vomitum: Hortandique eatenùs erant Fideles, ut Sacrarum Literarum studio dumtaxat incumberent, attento maximè quòd nihil scitu dignum potest optari in eis non contentum, ut perbellè 1. *Constit. c.6.* S. Clemens expendit: *Abstine ab omnibus libris Gentilium. Quid enim tibi cum alienis sermonibus, aut legibus, aut falsis Prophetiis, quæ quidem homines leves à fide recta detorquent? Nam quid in lege Dei desideras, ut ad illa Gentilium scripta animum velis appellere: Sivè enim historias legere cupis, habes libros de Regibus: sivè sophistica, idest, quæ arguté ad sapientiam referuntur, & poetica, habes Prophetas, Job. Proverbia, in quibus plùs acuminis, quàm in omni poesi, & sapientia Sophistarum reperies, quòd is, qui solus sapiens est, illa effatus est: Sivè cantilenas expetas, habes Psalmos: sivè vetustas rerum origines, habes Genesim: sivè leges, & præcepta, habes legem Domini celebrem. Ab omnibus itaque alienis, & à Diabolo excogitatis fortiter abstine*, & (*lib.2.c.61.*) *Quid verò vis communicari tecum libros Gentilium, qui sunt hominum mortuorum, qui Diaboli instinctu ea ediderunt; quæ ad interficiendum, & evertendum fidem valeat, quæque eos, qui studium in ipsis collocant, ad ponendam multitudinem Deorum deferunt?*

5. Dilatata jam Catholica Religione, amotoque prorsùs prædicto periculo à communi saltem Fidelium, non est cur Constitutio hæc regulariter ampliùs locum habeat, nisi respectu paucorum, quibus lectio insinuata noxia adhuc prævidetur. Ac nisi *obscœna* extent permixta, ratione quorum servandam esse *Regulam 7. Ind.* verti nequit in dubium: *Libri, qui res lascivas, seu obscœnas ex professo tractant, narrant, aut docent, cùm non solùm fidei, sed & morum, qui hujusmodi librorum lectione facilè corrumpi solent, ratio habenda sit, omninò prohibentur; & qui eos habuerint, severè ab Episcopis puniantur: Antiqui verò ab Ethnicis conscripti, propter sermonis elegantiam, & proprietatem permittuntur: nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt*: sicut etiam §.2. *in instruct.* Clementis VIII. in illis verbis: *lasciva, quæ bonos mores corrumpere possunt, deleantur. Etsi quæ obscœnæ imagines prædictis libris expurgandis impressæ, aut depictæ extent, etiam in literis grandiusculis, quas initio librorum, vel Capitum imprimi moris est, hujus generis omnia penitùs obliterentur.* Quo idcircò motivo præciso, solus in evolvendis Gentilium Philosophorum, aut etiam Oratorum, ac Poetarum libris reprobandus excessus, quem proindè dumtaxat reprehensum verberibus S. Hieronymo plus æquo Tullium evolventi per somnum inflictis notavit Gerso 4. *collat. de Angelis*. Undè & in hoc perniciosiora Hæreticorum scripta Gentilium operibus, quòd in his, quæ miscentur prava, non adeò facilè Lectores inficiant; in illis etiam, quæ secundùm se bona

bona apparent, ad venenosa fraudolentiùs eorumdem animis inserenda diriguntur, quod innuere voluit *lib.3.de summo bono c.13 num.12.* Isidorus, dicens: *meliores esse Grammaticos*, (hoc nomine Philosophos indigitare videtur), *quàm Hæreticos. Hæretici enim haustum lethiferi succi hominibus persuadendo propinant. Grammaticorum autem doctrina potest etiam proficere ad vitam, dum fuerit ad meliores usus assumpta.* Undè Philosophorum labores fructus nostros vocavit *sup. Prolog. Cælest. Hierarch.lib.1.cap.2.* Hugo Victorinus: *Legimus artes, & studia, disciplinas, & rationum præcepta plurima, quæ illi suo sensu, & ingenio scrutati sunt, & invenerunt, & conscripserunt, inventa, & legenda Posteris tradiderunt, Logicam, Ethicam, Physicam, & Mathematicam; de forma vitæ, & morum, de dispositione, ordinatione, & causis, & proventibus rerum omnium, & invaluerunt in parte ista, ut verum apprehenderent; quoniam, ut hæc veritas per eos ministranda erat, quæ non erat ad vitam, data est illis propter Nos, quibus consummatio servabatur, & inchoatio parabatur, ut invenirent veritatem illam, quam oportuit suscipere Filios vitæ ad obsequium Summæ Veritatis, cujus labor Philosophis appositus est, His verò fructus servatus.*

6. Quamquàm & respectu operum Hæreticorum duas haberi debere inspectiones animadvertant passim Theologi, alteram videlicet, per quam à rigorosa eorumdem prohibitione excipienda sint ex indicatis *cap.1. artic.5. num.13.* scripta celebrium illorum Authorum, in quibus etsi hæreses contineantur, tanta nihilominùs sunt bona, quæ indè eruuntur, ut ob ea integrè permittantur, attento quoque, quòd *hæreses* in eis insertæ, nec sint ejus generis, quibus statim depraventur, qui illas percurrunt, nec ipsamet opera legi regulariter soleant, nisi à viris doctis, monitum Divi Hieronymi adamussim servantibus *epist.ad Tranquillinum* de Origenis *scriptis* dicentis: *Quia meæ parvitatis quæris sententiam, utrùm secundùm Fratrem Faustinum penitùs respuendus sit, an secundùm quosdam legendus ex parte? Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodò Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Ecclesiasticos Scriptores, Græcos pariter, & Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria, juxta Apostolum dicentem:* Omnia probate, quod bonum est, tenete. *Cæterùm, qui vel in amorem ejus nimium, vel in odium stomachi sui pravitate ducuntur, videntur mihi illi maledicto prophetico subjacere:* Væ his, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. *Nec enim propter doctrinam ejus, prava suscipienda sunt dogmata, nec propter dogmatum pravitatem, siquos commentarios in Scripturas Sanctas, utiles edidit, penitùs respuendi sunt. Quòd si contentiosum inter se Amatores ejus, & Obtrectatores funem duxerint, ut nihil medium appetant, nec servent modum, sed totum, aut probent, aut improbent, libentiùs rusticitatem, quàm doctrinam blasphemam eligam.*

7. Alteram verò, quòd sumenda sit *probibitio*, seu *damnatio* ad tenorem *Regularum Indicis*, è quibus in hunc finem faciunt, *secunda* in hanc formam concepta: *Hæresiarcharum libri, tàm eorum, qui post prædictum annum, hæreses invenerunt, vel suscitarunt, quàm qui Hæreticorum Capita, aut Duces sunt, vel fuerunt, quales sunt, Lutherus, Zvvinglius, Calvinus, Balthasar Pacimontanus, Schvvencfeldius, & his similes, cujuscumque nominis, tituli, aut argumenti existant, omninò probibentur. Aliorum autem Hæreticorum libri, qui de Religione quidem ex professo tractant, omninò damnantur. Qui verò de Religione non tractant, à Theologis Catholicis, jussu Episcoporum, & Inquisitorum examinati, & approbati permittuntur. Libri etiam catholicè conscripti, tàm ab illis, qui posteà in hæresim lapsi sunt, quàm ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiæ gremium rediere, approbati à facultate Theologica alicujus Universitatis Catholicæ, vel ab Inquisitione generali, permitti poterunt.* Nec non *quinta* tenoris, qui sequitur: *Libri illi, qui hæreticorum Auctorum opera interdùm prodeunt, in quibus nulla, aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, ejusmodi sunt Lexica, Concordantiæ, Apophthegmata, similitudines, Indices, & hujusmodi, si quæ habeant admixta, quæ expurgatione indigeant, illis, Episcopi, & Inquisitores, unà cum Theologorum catholicorum consilio, sublatis, aut emendatis, permittantur*, Item *octava*, in qua sancitur: *Libri, quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresim, seu impietatem, divinationem, seu superstitionem spectant, à catholicis Theologis Inquisitionis generalis auctoritate expurgati, concedi possunt. Idem judicium sit de prologis, summariis, seu annotationibus, quæ à damnatis Auctoribus, libris non damnatis appositæ sunt: sed post hac non nisi emendati excudantur.* Ac in fine *decimæ*, particulæ illæ: *Quòd si quis libros Hæreticorum, vel cujusvis Auctoris scripta, ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque probibita legerit, sivè babuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. Qui verò libros, alio nomine interdictos legerit, aut ha-*

buc-

buerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severè puniatur. Quibus addendus & §. 7. *Instructionis Clementis VIII.* sub titulo: *de impress. libr.* ita compactus: *Liber Authoris damnati, qui ad præscriptum Regularum expurgari permittitur, postquàm accuratè recognitus, & purgatus, legitimèque permissus fuerit, si denuò sit imprimendus, præferat titulo inscriptum nomen Auctoris, cum nota damnationis, ut quamvìs quòad aliqua liber recipi, Auctor tamen repudiari intelligatur. In ejusdem quoque libri principio, tùm veteris prohibitionis, tùm recentis emendationis, ac permissionis mentio fiat, exempli gratia: Bibliotheca à Conrado Gesnero Tigurino damnato Auctore, olim edita, ac prohibita, nunc jussu Superiorum, expurgata, & permissa.*

8. Ex his autem clara redditur vis, & utilitas, quæ eruitur ex ratione naturali, à qua omnis Philosophorum pendet authoritas. Inepta per consequens, & ipsa est reputanda ad Supernaturalia metienda, docente 8. *de Trinit.* Hilario: *Humana mens hoc solùm sapit, quod intelligit: & mundus hoc tantùm, quod potest, credit, secundùm elementorum naturas, id tantùm possibile existimans, quod aut videret, aut ageret. Quod si servassent Hæretici, proculdubiò à recta fide minimè defecissent*, ut *epist. 221. ad Consentiuum* observavit Augustinus: *Quòd in eis, quæ sunt Fidei, & Sacræ Scripturæ, non rationi, sed authoritati credendum est, quia Hæretici non errassent, si Scripturis Sanctis, magis quàm suis rationibus accommodare fidem mallent*, & (*Serm. 147. de temp.*) *In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi, quod solent videre, credunt, quod non solent, non credunt.* At si Pedissequa ipsa habeatur, & tanquàm Ancilla famulatui sacræ doctrinæ addicta, non rejiciendam, sed non parùm potiùs esse æstimandam notavit *opusc. 36. cap. 1.* Damianus: *Hæc humanæ artis peritia, si quando tractandis sacris eloquiis adhibetur, non debet jus magisterii sibimet arrogan ter arripere: sed velut Ancilla Dominæ quodam famulatus obsequio subservire, ne, si præcedit, oberret, & dum exteriorum verborum sequitur consequentias, intimæ virtutis lumen, & rectum veritatis tramitem perdat.*

9. Nec aliter locuti sunt cæteri Patres, inter quos Clemens Papa *ep. 5. ad Discipulos suos*, & habetur, c. Relatum est nobis (*dist. 37*) *Cùm ex Divinis Scripturis, integram quis, & firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, si aliquid ex eruditione communi, ac liberalibus studiis, quæ fortè in pueritia attigit, ad rationem veri dogmatis conferat.* Augustinus (*epist. 222.*) *Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondùm percipere valemus, sed aliquando valebimus, fides præcedat rationem, qua cor mundatur, ut magnæ rationis capiat, & perferat lucem; hoc utique rationis est. Et ideò rationabiliter dictum est per Prophetam.* Nisi credideritis, non intelligetis. *Ubi proculdubiò discrevit hæc duo, deditque consilium, quo priùs credamus, ut id quod credimus, intelligere valeamus. Proindè ut fides præcedat rationem, rationabiliter visum est.* Cyrillus Alexandrinus, (*lib. 4. in Joannem*) *Nam post fidem cognitio sequitur, non illam antecedit, quemadmodùm scriptum est:* Si non credideritis, non intelligetis. *Postquàm enim basis instar constituta fuerit in nobis simplex, nec curiosa fides, super hac deinceps, ac paulatim cognitio struitur, quæ nos ad mensuram ætatis, quæ in Christo est; attollit, & ad virum perfectum, ac spiritualem.*

10. Ex quibus colligenda est responsio applicanda Apostolo *ad Coloss. 2. 8.* dicenti: *Videte nequis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam.* Tertulliano *contr. Hermogenem* Philosophos appellanti *Patriarchas Hæreticorum*, & de Valentinianis *c. 7. de præscript.* dicenti: *Inserunt Aristotelem, qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi, & destruendi, versipellem, in sententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionum* Hieronymo verba illa (Naum 3. 17.) *Custodes tui, sicut locustæ*, explicanti. *Omnia dogmata cùm frigeant, & volare non possint, sedem sibi inter Aristotelis, & Crysippi spineta reperiunt*, indeque concludenti: *de illis fontibus universos argumentationum suarum rivulos trahunt.* Aliisque Patribus similia adversùs Philosophiam, naturalesque scientias congerentibus. Non enim rectum Philosophiæ, ac naturalium scientiarum usum reprehendebant, sed abusum, ut ex ipsomet Doctore Gentium, (quem non de qualibet Philosophia, sed de sola Epicurea Providentiam negante, Deorumque multiplicitatem inducente intelligendum dixerat Clemens Alexandrinus *lib. 1. strom.*) notavit 2. 2. *q. 167. art. 1.* Angelicus: *Ad tertium dicendum, quòd studium Philosophiæ secundùm se est licitum, & laudabile propter veritatem, quam Philosophi perceperunt Deo illis revelante, ut dicitur (ad Rom. 1.) sed quia quidam Philosophis abutuntur ad fidei impugnationem, ideò Apostolus dicit (ad Colos. 2.)* Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem scientiam secundùm traditionem hominum, & non secundùm Christum. *Et Dionysius dicit in epistola ad Polycarpum*, de quibusdam Philosophis, quòd divinis non sanctè contra divina utantur,

per

per sapientiam Dei tentantes expellere divinam *venerationem*. Meritò idcircò *Patriarchæ hæreticorum* inscribuntur ejusmodi Philosophi res fidei principaliter mensurantes rationibus physicis, Scripturas divinas earum ductu interpretantes, immò & depravantes, ut *ibid.* prosequitur Tertullianus: *Si qua simplicitas erat veritatis, eò magis scrupulositas humana fidem aspernata mutabat, per quod incertum miscuerunt, etiam quod invenerunt certum* in sacris paginis, ac supernaturalibus dogmatibus divinitùs revelatis, sedem sibi collocantes inter Aristotelis, & Crysippi spineta. Apes propterea imitandas proponit *in Dialect.* Damascenus proprio exemplo: *Apis modum imitans, cum propriis veritatem componam. Et ab inimicis salutem fructificabo*.

11. Quod, si pariter præstabimus in Historiis evolvendis secernendo fabulosas à genuinis, & sinceris, utillimas & ipsas experiemur ad Fidei enucleanda Mysteria. Non de illis sermonem facimus, quæ in divinis codicibus extant, quæque ejusdem sunt roboris, ac firmitatis, ac ipsa Sacra Scriptura, cujus sunt partes, divinæ revelationi innixæ; sed de aliis quibuslibet, quæ licèt principia demonstrationis theologicæ esse nequeant, junctæ nihilominùs Fidei dogmatibus, probabiles, ac interdùm moraliter certos assensus parere possunt, immò & idonea constituere motiva credibilitatis Catholicæ Religionis, quæ ex miraculis, ac Sanctorum Martyriis, & gestis lucem desumere, vel ipsis cæcutientibus est in comperto. Non autem omnibus historiis eadem adhibenda fides, sed major, vel minor juxta qualitatem illas Referentium, ac circumstantias, quæ verisimiliores eas efficiunt. Hinc non nisi formidolosus, dubiusve præstandus assensus, quoties vel diversitas reperitur penès varios de eadem re pertractantes Historicos, vel Scriptores dignoscentur venales, ac adulatores, aut passione aliqua irretiti. Quibus, aliisque cessantibus suspicionis de fallitate, aut saltem dubietate, ac nimia exaggeratione motivis, præferendi semper veniunt Authores coævi cum gestis ipsis, quæ narrant, & maximè si in locis, ubi contigerint, moram fecerint, Aliis tempore, & loco dissitis, ac remotis, ut monet Cardinalis Baronius *ad ann. Christi* 24.*num.*177. „ Non parùm certè interesse in „ veritate historica disquirenda Authorum, qui res gestas scripserunt, quo vixerint tempore, cujusnam fuerint eruditionis, atque existimationis, rationem „ habere, potissimùmque si hujusmodi „ Scriptores rerum perspectarum, ac eorum ætate editarum, si pietatem, & virtutem, cum doctrina, & veritate conjunxerint, ut planè digni sint, quibus fides „ integra habeatur, soli sint, quibus cæteri „ assentiantur, soli denique sint, quibus „ reliqui, quæ sciverint, vel scripserint, „ tanquàm ab iis accepta referant. „ Non perfunctoria proindè impendenda est attentio, sed prudens, seria, ac matura, in secernendis hujusmodi historiis ob maximum, quod adesse potest, periculum, ne in *propositiones denigrativas fidei*, aut alia qualibet nota dignas dilabamur. Hæcque indicasse ad intentum nostrum sit satis.

12. Patet autem, Qualificatores, qui in omnibus prædictis instructi sunt peroptandi, ut insigne ipsis commissum munus perfectè valeant explere, præcipuè nihilominùs callere debere Sacram Theologiam, sacrosque Canones, ut illa queant doctrinas à fidei puritate alienas secernere, his operationes à rectis regulis morum declinantes abigere. Quæ est ratio, vi cujus Qualificatores seligi solent æquè è Theologorum, ac è Canonistarum gremio, circa quos proindè examinandum secundò occurreret, an Theologis præferendi sint Canonistæ? vel Canonistis Theologi? & in casu discrepantiæ, quorumnam sit standum judicio? sed ab hoc abstinendum ducimus, quòd utilitatis, vel nihil, vel parùm afferre videatur, indicare contenti, quòd cùm *notæ*, quibus afficiuntur pravæ opiniones, indiscriminatim denominentur *theologicæ*, consequens indè est, quòd attento qualificationis officio, Theologis locus præcipuus debeatur. Quorum aliàs est fidem sartam tectam tueri, quæ fundamentum, janua, & radix est cæterarum virtutum, ac cardo totius christianæ perfectionis, Canonumque ipsius formam exhibentium.

13. Neque cùm de Theologis ad præsens intentum loquimur, eos solos præ oculis habemus, qui scholastica Theologia polleant, prout distinguitur à Polemica, vel Morali, sed Theologos eos in summo habendos pretio dicimus, de quibus *cap.*3. *art.*16. quique Scholastici indiscriminatim intitulantur, ob argumentativam, qua utuntur, methodum, ad Hæterodoxos convincendos, ac mores Catholicorum dirigendos, & idcircò qui periti sint in qualibet sacræ Theologiæ specie, vel gradu; & consequenter etiam in sacris Canonibus, sine quibus peritus Theologus immeritò ullus est

est inscribendus. Non sine fundamento eatenùs Suarez *in proem.* ad egregium *tractatum de legibus* præmittit, ita„ legum tracta„ tionem Theologiæ ambitu concludi, ut „ Theologus subjectum ejus exhaurire „ non valeat, nisi legibus considerandis im„ moretur. Deus enim, ut multis aliis ti„ tulis à Theologo, ita illo expendi debet, „ quòd ultimus sit finis, ad quem tendunt „ creaturæ rationis participes, & in quo „ unica illarum fœlicitas consistit. Hinc er„ go fit, ut doctrina sacra & finem hunc ul„ timum respectet, & viam ad eum com„ parandum doceat. Neque verò Deus so„ lummodò est finis, & veluti scopus, ad „ quem creaturæ intellectuales tendunt, „ sed etiam est causa sui comparandi. Nam „ creaturas suas regit, & ostensa via ad se „ ducit, & ne à recto itinere deflectant, ad„ monendo compescit, deflectentesque sua „ ineffabili Providentia revocat, ac redu„ cit, doctrina illuminando, consiliis mo„ nendo, legibus cogendo, & præcipuè suæ „ gratiæ auxiliis adjuvando, ut jurementò „ inclamet Isaias: *Dominus Legifer noster, Do„ minus Rex noster, ipse salvabit nos*. Quo„ niam igitur hujus salutis via in actioni„ bus liberis, morumque rectitudine posi„ ta est, quæ morum rectitudo à lege, „ tamquàm ab humanarum actionum re„ gula, plurimùm pendet; idcircò legum „ consideratio in magnam Theologiæ par„ tem cedit, & dum sacra doctrina de le„ gibus tractat, nihil profectò aliud, quàm „ Deum ipsum, ut Legislatorem intue„ tur.„

14. Quod rectè subdit verum esse, nedùm de legibus divinis, sed de humanis etiam, præsertim ab Ecclesiastica conditis Potestate, eo motivo, quòd sicut omnis paternitas, ita omnis legislatio à Deo derivatur, cunctarumque legum authoritas in ipsum sit refundenda, utpotè quæ ab hominibus, non nisi tanquàm Dei ministris conduntur. Quod præcipuè cùm locum habeat in canonicis sanctionibus supernaturalem ordinem respicientibus, & à Potestate Petro, ejusque Successoribus communicata ad pascendum Christi gregem derivatis, ideò de eis agere præ cæteris ad Theologos pertinet, attento maximè, quòd ferè omnes ex Sacrarum Literarum authoritatibus, quas investigare, Theologiæ officium est, sunt excerptæ, ut indicavit Innocentius III. *cap. Qualiter*, & quando *il* 1. *e* 2. *de accusat*. Quo nihilominùs non obstante, non negat laudatus Author, posse in sacris Canonibus duos distingui fines, quorum unus ad Juris Canonici Interpretes ex proprio instituto spectat, in eo situs, quòd per illos debitus politicus ordo in statu Ecclesiastico constituatur, justitia, & pax custodiantur, & omnia, quæ ad forum externum Ecclesiasticum collimant, dirigantur. Ad Theologos verò alter, cujus est omnia, quæ divinum respiciunt cultum, puritatemque fidei, & morum, ordinare. Ideòque de legibus pertractasse videmus præcipuos Doctores, & Theologos cum D. Thoma 1. 2. *à quæst*. 90. *ad* 109. D. Antonino 1. *p. theol. à tit*. 11. *ad* 18. Alensi 3. *p. à quæst*. 26. *ad* 60. Vincentio Bellouacensi *in spec. mor. lib*. 1. *p*. 2. *per novem disputationes*, & passim Aliis.

15. Non intendimus autem his, similibusque ratiociniis derogare Canonistarum dignitati, & doctrinæ. Non enim nos latet, quòd, etsi alienum à Sacra Theologia nequaquàm sit, sacros Canones perscrutari relatè ad finem supernaturalem, ad quem omnia nostra collimare debent, adhuc peritior in ipsis esse soleat Canonum notitia, cui cuncta sua studia, omnesque devoverunt affectus; ideòque *num*. 12. innuimus Qualificatores nedùm è Theologis, sed è Canonistis seligendos, hac discretione insinuantes, quòd qualificationes committi debeant juxta materiæ diversitatem, Theologis videlicet, si ea pertineat ad divinum ministerium Sacramentorum, sacrarumque rerum investigationem; Canonistis, si sacrorum Canonum prærequirat notitiam, quia unicuique in propria arte, & professione, in qua sit ex suo instituto versatus, maior est adhibenda fides, quæ est ratio, cur plerique Doctores censeant, quòd in Diœcesibus, ubi vel hæresis viget, vel in fidei mysteriis non plenè instructi sunt populi, Theologi præ Canonistis sint ad Episcopatus promovendi, ubi verò legales controversiæ regulariter occurrunt, dictaque necessitas desit, præ Theologis Canonistæ. Vide Bordonum *in suo Sacr. Tribun. cap*. 41. *quæst*. 40. *num*. 94. & Antonium Saura *in suo Platonis voto, de examine proposit. cap*. 20.

16. Examinandum, *tertiò* se se offert, an, ut *propositio*, aut *doctrina* aliqua *censurabilis* habeatur, debeat *assertivè* defendi, adeò ut si *vacillanter* dumtaxat, *dubiè*, *examinativè*, *suspensivè* &c. tradatur, eò ipso à qualibet theologica *nota* immunis sit reputanda? Circa quod legi potest idem Saura *de exam. doctr. cap*. 1. & 2. nec non & *prælud*. 2. ubi fusè, ac eruditè materiam pertractat *sylvam locorum* exhibens, qua firmat „ Sanctos Patres,

„ & omnium sæculorum Doctores sæpissimè sine assensu, & firma opinione proponere, disputare, & tractare aliquo ex „ indicatis modis, „ indeque eruit nonnullas *conclusiones*, quarum Primam ; „ Stylus tractandi, scribendi, disputandi, „ *dubitativè, examinativè, suspensivè, interlocutoriè, opinativè, cum formidine*, familiaris, & frequens fuit antiquis Philosophis, Sanctis Doctoribus, & Patribus, & omnibus ferè Scholasticis, & Scriptoribus „, subdit esse evidentem ex præcedentibus supputationibus, & aliis innumeris, quæ fieri possent, à quibus recensendis abstinemus, ad ipsum Lectores remittendo, qui de eorumdem fidelitate, & efficacia judicet, ac animadvertant ad hanc doctrinam nos cohærenter locutos *cap.3, art.17, à nu.13*. regulas indicantes, quæ pro recta Patrum intelligentia sunt servandæ, quibusque innixus Gravina *tom.3, cath. præscript. p.1. contr. 1, q.1, art.9*, scripsit „ Sicut in humano, & forensium judiciis testimonium vacillans, „ & dubium, fidem non facit, sed illud, „ quod *asseveranter, perseveranter, & constanter* inducitur, sic illa testimonia Patrum robur habent, & firmitatem, quando manifestè, frequenter, *perseveranter*, non privatum, sed publicum Ecclesiæ tradunt sensum, vel ex definitionibus, „ aut fidei regula loquuntur. „

17. *Secundam conclusionem* Saura appellat *manifestam*, ac *indubitatam*, stabiliens „ neque „ errare, neque decipi, neque falsum habere sensum, neque peccare contra Fidem, aut Religionem, eos, qui in verbalibus, scriptis, aut impressis tractationibus suspendunt judicium, aut examinativè, vel privativè dubitant, aut perpensis rationibus, & testimoniis in neutram partem inclinant, aut aliorum expectant lucem, aut se ad alios tractatus remittunt, in quibus re magis explorata „ decernunt. Dummodò id non sit in controversiis, quæ nec primariò, nec secundariò fidem tangunt; idest in iis, in quibus non est discrimen *hæresis*, aut *erroris*, sed ad summum *temeritatis*, vel *scandali*, vel alterius cujuscumque *censuræ* theologicæ, quæ minor sit *hæresi*, aut *errore* „ Cujus potissimam rationem assignat, quia ea de causa Patres, & Theologi *dubitativè*, & *examinativè* scribunt, ne errent, peccent, aut labantur; tantùm proindè abest, ut ob id erroris, & peccati rei effici queant. Quod corroborat, tùm paritate opinionis, quam tuentur graves Doctores existimantes *hæreticum*, in fide dubium positivè, non verò qui talis fuerit privativè; à fortiori nam. que sequi ex eo videtur, quòd qui sic privativè *dubitat*, scribit, & tractat circa res, quæ primariò, aut secundariò Fidem non tangunt, neque erret, neque sit ulla censura notandus, ex quo *dubium* ejusmodi versetur circa ea, quæ ex præcepto naturali, & divino, aut humano, scire non tenetur positivè, & *dubium* se, aut ignarum circa similes res profiteri, est actus modestiæ, humilitatis, sobrietatis, & obsequii erga Fidem. Tum etiam quia protestatio maximè in obscuris, & difficillimis quæstionibus, nec scitu necessariis ad salutem, excusat Doctores ab omni periculo, & graviori *censura*, ut post Pennam, Farinacium, Simanchas probat Sousa *lib.1. Aphorism. c.14.* sed qui dubiè, timidè, aut suspensè loquitur, aut scribit, virtualiter protestatur, si protestatione indiget, immò ex parte, si ea fieret, superflua foret, cùm nihil revera affirmet, & idcircò non est, undè *censura* ulla notari possit, & debeat.

18. Adhuc tamen non ita acquiescendum censeo conclusioni prædictæ, ejusque rationum momentis. Neque omninò solidam habeo distinctionem doctrinarum, in quibus discrimen adest, ac periculum *hæresis*, aut *erroris*, & aliarum, quibus discrimen dumtaxat inest *temeritatis*, *scandali*, aut alterius *censuræ* infra *hæresim*, ac *errorem*: Licèt namque controversia esse nequeat, *hæresim*, aut *errorem* vitari præ aliis quibusvis pravis opinionibus debere, hoc tamen, mali quidem excessum in *hæresi*, aut *errore* firmat, non verò mali qualitatem à cæteris aliqua *nota* dignis sententiis elongat, & eatenùs id, quod ad vitandum discrimen *hæresis*, aut *erroris* servandum proponitur, suo modo servandum erit ad vitandum discrimen *scandali*, *temeritatis*, & cujusvis alterius *notæ* inferioris *hæresi*, aut *errore*, & maximè si talis naturæ ea sit, quæ secum ferat certitudinem *falsitatis*. Sicut namque prædicta differentia non obstat, quin Summus Pontifex æquè infallibilis reputandus veniat ad ferendas censuras *hæresis*, & *erroris*, ac ad alias inferioris gravitatis, ita & æquè à nobis timendum periculum, ne contradicamus infallibilitati prædictæ, quod non minùs verificaretur, cum *dubitativè*, & *examinativè* procedimus circa *propositiones* definitas, *hæreticas*, ac *erroneas*, & circa definitas *temerarias*, *scandalosas* &c. Vim non habente replica ex paritate *dubitationis* positivæ, quæ Fidei opponitur, & *privativæ*, quæ Fidei

non

non officit, quòd ex præfata ratione pateat, eodem prorsùs modo discurrendum, sivè in *propositionibus* definitis *de fide*, ac ut certis certitudine theologica, quæ servata proportione habetur, tam si *propositiones* oppositæ dicendæ veniant *erroneæ*, quàm si sint inscribendæ *temerariæ*, *scandalosæ* &c. Vel enim loquimur de *dubitatione*, & *examine* &c. ex quibus non oritur, nisi suspensio actus assentiendi definitis, ut certis, aut dissentiendi interdictis, ut pravis? & hanc concedimus dari posse, quin Suspendens sit *hæreticus*, *temerarius*, aut *scandalosus*, inhærendo tamen resolutis *cap.4. art.8. à num.14.* Vel de *dubitatione*, *examine* &c. ita inducentibus *suspensionem* actus, ut indicent eam emanare ex motivis contrariis *propositionibus* definitis, ut certò tenendis, vel prohibitis, ut certò rejiciendis? & hæc *dubitatio*, seu *examen* interpretativè, & virtualiter ejusdem ponderis reputanda, ac *dubitatio* positiva ex traditis *ibid. num. 17.* quæ vim habent, sivè agatur de propositionibus definitis de fide, aut interdictis tanquam *hæreticis*, sivè de aliis definitis infra fidem, aut damnatis, ut *erroneis*, *temerariis*, *scandalosis* &c.

19. Hinc nos experimur, Romanos Pontifices nedùm proscribere *propositiones* absolutè affirmativas, vel negativas, sed etiam alias, quæ privativæ dici possunt, ut in *propositionibus damnatis* ab Innocentio XI. sunt (*quinta*) *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret? condemnare non audemus*, & (18.) *Si à Potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno*, quibus non alteritur positivè sufficiens unicus actus divinæ dilectionis in vita elicitus, nec silentium licitum, cùm quis à Potestate publica de rebus fidei interrogatur; sed de unicitate dilectionis dicitur solùm; *condemnare non audemus*, de taciturnitate, *per se non damno*. Quæ tamen particulæ in Authoribus dictarum *propositionum*, quia videntur supponere propensionem tàm pro sufficientia unicitatis dilectionis, quàm pro honestate silentii indicati, æquè reddunt *propositiones ut minimùm scandalosas*, ac si in una diceretur; *sufficit ad præceptum dilectionis divinæ adimplendum unicus actus dilectionis in vita elicitus*; & in altera; *Honestum est silere, cùm quis à Potestate publica interrogatur de Fide*: eo vigente in *propositiones* ejusmodi motivo, ob quod *silentium* ipsum, cùm quis urgetur præcepto confessionis fidei, æquivalens reputatur negationi, ad tradita *cap.3. art.13. à nu.27.* adversùs obsequiosum *silentium*, quo Jansenistæ gloriabantur.

20. Efficaces ad id comprobandum non minùs extant particulæ, quibus Apostolica Sedes in *damnandis propositionibus* proscribere solet, nedùm earumdem defensionem, sed etiam *disputationem*, nisi sit instituta ad earumdem positivam rejectionem, ferendo *excommunicationem latæ sententiæ* in eum, *qui illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel de eis disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando*, ut videri potest in decretis Alexandri VII. & Innocentii XI. Et in *Constitutione* ejusdem Alexandri super immaculata Virginis conceptione, quam dedimus *cap.7. art.9. nu.17.* apertè interdictum conspicitur piam sententiam, festum, seu cultum in *disputationem revocare . . . . . loqui, concionari, tractare, disputare, contra eam quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra eam afferendo, & insoluta relinquendo*. Quod certè Sanctissimus Cathedræ Apostolicæ Moderator minimè sanxisset, si *disputativè* loqui, tractare, *disputare*, ac argumenta afferre, *insoluta ea relinquendo*, haberi simpliciter posse putasset, absque ullo partis oppositæ præjudicio, piæ videlicet sententiæ, & immaculatæ Conceptionis opinionis, festique, & cultus ab Ecclesia erga eã approbati.

21. Nec propemodùm quid amplius peregit Illustrissimus Joannes Caramuel *Theologiam fundamentalem* publici juris faciens, de qua ipsemet in *Prologo* sic loquitur;, Scripsi „ hùcusque quæ, aut sciebam, aut puta„ bam me scire, jam fumo calamum, & scri„ bo illa sola, quæ ignoro.... Evulgo enim „ interrogatorium opus, in quo multa ro„ gantur, & ponuntur, & nihil omninò „ resolvitur „ & nihilominùs Theologorum non potuit non offendere mentes, ex quibus Antoninus Diana aliàs Caramueli addictissimus *par.11. tract.1. misc. resol.1. in fine* sequens judicium protulit;„ Ego vellem „ à sapientissimo Viro (ut ora Æmulorum „ clauderet, quod etiam placuit Eminen„ tissimo Domino meo Chisio, Viro in„ comparabili, Literatorum Patrono) sicut „ *Theologiam* hanc *Fundamentalem*, *Interrogatoriam* tamen, ut ipse vocat, typis manda„ vit, ita etiam edat quamprimùm, aliam „ *Theologiam Fundamentalem*, *Responsoriam*, „ in qua ipse ad semetipsum respondeat: „ præsertim quando contra communes „ sententias disputavit. Undè magis sic „ acumen ingenii sui demonstraret. Nam „ si mare Pacificum, ut Americi loquun-

 tur,

„ tur, totius Theologiæ moralis turbasse „ videtur, postea tanquàm alter facer Ne- „ ptunus in pristinam tranquillitatem ad- „ duceret; & ut Achillis hasta, si in dicta „ *Theologia Interrogatoria* vulneravit, posteà „ in *Theologia Responsoria* sanaret: ita ut de „ Caramuele fœliciter posteà omnes dice- „ re possint, ipse percutit, & medetur „ Non enim latebat doctissimum meum Concivem D. Gregorii Papæ 2.*past.* monitum: *Sicut incauta locutio in errorem protrahit, ita indiscretum silentium, eos, qui erudiri poterant, in errore relinquit*.

22. Immò ipsemet Illustrissimus *Interrogatoria Theologiæ* Author, ejus absurditatem visus est agnovisse *alterius partis* editione *Theologiæ Fundamentalis, in qua quæstionum moralium nodos Gordios, quos ante annos duos proposuit altera, aut dissolvit, aut dissecat Caramuel*, & idcircò præfatus Diana *par.* 11. *resol.*25.*ejusdem tract.miscellan.in fine*: „ Nota „ tamen Caramuelem in *Theologia Fundamentali* plura non definire, sed illa *dubitativè*, & interrogatoriè tantùm proponere, & post hæc scripta edidit *alteram partem Theologiæ Fundamentalis*, in qua fecit, „ quod ego optaveram *in resol.* 1. *hujus tractatus* dissolvendo, & dissecando, ut ipse „ asserit, nodos Gordios *primæ partis*, & „ mutando sententiam, & in multis aliis „ spero, quòd in posterùm faciat. „ Qua tamen fœlicitate id egerit, nostra non interest, & consulere curiosus poterit *observationes Joannis Martinez de Prado Ord. Prædic.* qui in *proemio* optimè notat imprudenter *Theologiam Fundamentalem* inscribi, quæ nihil firmi continet, cum de ratione *fundamenti* potiùs sit inconcussa continere principia, & proindè ex Caramuelis confessione dicentis, quòd in ea nihil omninò resolvitur, infert: „ Ipso ergo fatente, non video, cur „ dici possit *Theologia Fundamentalis*, nisi „ per Antiphrasim, sicut S. Augustinus „ *lib.*3. *de doct.Christ.c.*29. & *lib. cont.mendac.* „ *cap.*10.de hac tropica locutione ait, quòd „ appellatur: *Antiphrasis, ut dicatur abundare, quod non est; dicatur dulce, quod acidum est; lucus, quòd non luceat; Parcæ, quòd non parcant*: benedicere pro maledicere: „ & ita *fundamentale* erit *sine fundamento*, ac „ stabilitate, & soliditate doctrinæ. „

23. Summoperè itaque cavendum, ne affectatæ ostentationis ingenii prætextu aliquod in Fidem, rectosque mores discrimen exurgat, dubiaque, & argumenta, quæ insoluta proponuntur, in plurimorum cedant ruinam. Ideoque ponderandum in praxi est, an agatur de quæstionibus, vel philosophicis, vel theologicis purè speculativis, circa quas affirmativa, æquè ac negativa pars potest defendi absque ullo præjudicio puritatis Fidei, ac honestatis operationum in qua hypothesi, sicut tutò propugnari potest alterutra ex contradictoriis, ita & tutò contra alterutram possunt proponi dubia, & argumenta, nulla eis adhibita solutione. Quod indicasse videtur *lib.*1.*retract.cap.*9. Augustinus: *In iis libris ita multa disserta sunt, ut incidentes nonnullæ quæstiones, quas vel enodare non poteram, vel longam sermocinationem in præsenti requirebant, ita differrentur, ut ex utraque parte, vel ex omnibus earumdem quæstionum partibus, in quibus non apparebat, quid potiùs congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, ut quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur Deus*. An verò sermo habeatur de quæstionibus circa Mysteria Fidei, vel mores, respectu quorum, licèt non adsit ulla quòad alterutram ex contradictoriis definitio, faveat nihilominùs uni potiùs parti, quàm alteri, vel Sacræ Literæ, vel Patrum, aut Doctorum communis authoritas &c. adeout opposita propugnari positivè nequeat, absque eo, quòd quis dignus efficiatur *nota* aliqua theologica, quantumvis hæc infra *hæresim* sit, ac *erroneitatem*? & in hac suppositione neque pro ea, passim saltem, proponenda ita sunt dubia, ac argumenta, eisdem non adhibita debita, ac sufficienti responsione, ex quibus, vel argui possit Proponentis propensio contraria Patribus, aut Theologis, vel *scandalû*, sivè activum sit, ac sui natura inducens ruinam Legentibus, sivè passivum ob horum fragilitate ortum præcipuè agnoscens; ad tradita *c.*7.*art.*2.

24. Ubi, quod diximus de Sacra Scriptura vulgari idiomate non permittenda, extendi debet ad libros cæteros controversias inter Catholicos, & hæreticos continentes ex *Regula sexta Indicis* præscribente; „ Libri vulgari „ idiomate de controversiis inter Catholi- „ cos, & hæreticos nostri temporis diffe- „ rentes, non passim permittantur, sed „ idem de iis servetur, quod de Bibliis vulgari lingua scriptis statutum est. Qui verò de ratione benè vivendi, contemplan- „ di, confitendi, ac similibus argumentis „ vulgari sermone conscripti sunt, si sanam „ doctrinam contineant, non est cur prohi- „ beantur, sicut nec sermones populares „ vulgari lingua habiti. Quòd si hactenùs „ in aliquo Regno, vel Provincia, aliqui „ libri sunt prohibiti, quòd nonnulla con- tineant,

„ tineant, quæ sine delectu ab omnibus le„ gi non expediat: *Si eorum Auctores Ca„ tholici sint, postquàm emendati fuerint, „ permitti ab Episcopo, & Inquisitore pote„ runt;„* Monitumque indicatum *in fine n.14.* accipi, ut nulla ex eo sequatur in *observa„ tionem* circa *4. reg. Ind.* oppositio: „ Ani„ madvertendum est circa supradictam *„ quartam regulam Indicis* fœl. rec. Pii Pa„ pæ IV. nullam per hanc impressionem, „ & editionem de novo tribui facultatem „ Episcopis, vel Inquisitoribus, aut Regu„ larium Superioribus concedendi licen„ tiam emendi, legendi, aut retinendi Bi„ blia vulgari lingua edita, cùm hactenùs „ mandato, & usu Sanctæ, Romanæ, & „ Universalis Inquisitionis sublata eis fue„ rit facultas concedendi hujusmodi licen„ tias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, „ aut alias Sacræ Scripturæ, tàm novi, „ quàm veteris Testamenti partes, quavis „ vulgari lingua edita; ac insuper Summa„ ria, & Compendia etiam Historica eo„ rumdem Bibliorum, seu librorum Sacræ „ Scripturæ, quocumque vulgari idioma„ te conscripta: quod quidem inviolatè „ servandum est.

25. Non inficiamur eatenùs Patres, præcipuosque Theologos pleraque persæpè pertractasse *examinativè* nihil resolvendo, sed si intimiùs ea inspiciantur, illicò apparebit, vel non ejus generis esse, quæ ullum parere queant scandalum, vel ad minùs talia ab eisdem nequaquàm habita, & propterea ex ipsis non astruenda indiscriminatim licita praxis instituendi quæstiones, excitandi dubia, construendi argumenta adversùs vel Fidei mysteria, vel rectas morum regulas, vel alias quaslibet veritates, quæ ad ea pertinent, & conducunt, quin simul solutio ponderetur, dicente *lib.3. de summ. bono* Isidoro: *In disputatione fidelium cavenda est propositio, & artificiosa subtilitas, quæ callidis objectionibus retia tendit. Ita enim versutis assertionibus pravorum disputatio innodatur, ut recta esse simulent, quæ perversa persuadent*, ac propemodùm de Catholicis Scriptoribus, ut verificetur optandum, quod de Socraticorum schola scripsit *in proem. Dial. adv. Pelagianos* Hieronymus: *quod consueverat adducere omnia, quæ dici possent ex utraque parte, ut magis perspicua fieret veritas.* Hocque indicare voluit *2. ad Tim.2.14.* Gentium Doctor hortatoriis illis verbis: *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem Audientium*, quæ explicans Angelicus dupliciter id contingere advertit: *Uno modo, dum quod certum est, vertit in dubium. Alio modo, quia Audientes scandalizantur.* Nec minùs idipsum designatum videtur *Exodi 21.33.* præcepto illo divino: *Si quis aperuerit cisternam, & foderit*, quod evenit difficultates, & objecta movendo adversùs solidas, & communes doctrinas, *& non operuerit eam*, debitas adhibendo solutiones, & responsa, *cecideritque bos, aut asinus in eam*, incauti videlicet Lectores apparentibus excitatis ratiociniis irretiti, *reddet Dominus cisternæ pretium jumentorum*, idest rationem pro Animabus Lectorum, qui fuerint illaqueati. Ideoque *2. de serm. Domini in monte* Augustinus: *Qui novit, quid respondere debeat, debet respondere, vel propter Alios, quibus desperatio suboritur, si propositam quæstionem solvi non posse crediderint*. Undè *lib.4. cap.2. de orig. Animæ* rationem, cur *definitivè* nihil resolverit in proprium de ea recognitionis defectum humillimè refundit: *De origine Animarum, quæ post primum hominem datæ sunt, vel dantur hominibus, non sum ausus aliquid defendere, quia fateor me nescire*. Tantum idcircò abest, quòd Patres *examinativè*, & *dubitativè* procedendo in aliquibus quæstionibus, crederent inducere in errorem posse Lectores, ut potiùs ne hoc eveniret à definiendis quæstionibus abstinerent, de quarum resolutione certi non erant, neque adeò exploratus circa eas Ecclesiæ sensus. In qua hypothesi, proportione servata, & benè priùs perpenso communi Doctorum Catholicorum suffragio, si verè neque prompta nobis occurrit resolutio, nec aliqua extat Scripturæ, aut Conciliorum authoritas, quæ satis amplectendam ostendat unam partem præ alia, nec unanimis Theologorum sit pro altera ex contradictoriis concordia, non negamus sequi nos posse, & debere Patrum exempla ab illis resolutionibus abstinendo, ad quas promendas non plenè simus adhùc instructi. Sicut pariter à Saura non dissentimus in *tertia*, quam firmat, *conclusione*, quæ itidem conformis est insinuatis *cap.3. art.17. nu.13.* in eo sita, quòd in revolvendis Patribus ponderandum sit, an incidenter, vel ex professo de aliqua quæstione pertractent? an ex propria, vel aliorum sententia? ut omnibus perpensis, verus de genuina eorumdem mente formari queat conceptus.

26. Nec minùs assentiendum dicimus ultimæ *secundæ conclusionis* confirmationi ex protestatione deductæ, quæ in obscuris, & difficillimis quæstionibus Doctores excusat ab omni censuræ reatu, ac etiam ab infamia. Attenta namque & obscuritate, & difficultate prædicta, cessat ratio illa evidentiæ innixa, qua concurrente pro aliquo dogmate.

mate, aut pro aliqua doctrina certò habenda, protestationem insufficientem diximus *cap.2.art.1.num.20.* & 24.& *cap.3.art.5.num.8.* & *cap.3.art.19.num.6.* ut quis opposito inhærens à *censura* immunis efficiatur; & ideò excusationi est locus, ob quam solet Ecclesia sæpè *propositiones* proscribere nullo in Authores earumdem præjudicio illato ex indicatis *cap.1.art.5.nu.19.* & *cap.4.art.8.n.1.* Undè & solent passim Scriptores, qui propria opera publici juris faciunt, protestationes in eis inserere expressivas fidei, ac rectitudinis morum, quam profitentur, ut, siquid fortè ab ipsis editum observetur, quod credendorum puritati, aut agendorum integritati ullatenùs repugnaverit, illud inculpabiliter emissum habeatur, & non ex animo declinandi vel in minimo ab eo, quod credendum, agendumve Catholica præscribit Ecclesia, quin & cum aperta, & clara declaratione improbandi, & rejiciendi quicquid tale revera fuerit repertum, ac se præcipuè conformandi Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ efformado de eis judicio absque ulla restrictione, vel diminutione.

27. De qua paucis ab hinc annis eximiū præbuit Orbi Catholico exemplum Illustrissimus Franciscus de Salignac Fenelon Cameracensis Archiepiscopus, cùm memor celebris Zosimi Papæ *cap.3.* effati: *Nunquam piguit in melius retorsisse judicium*, Sanctique Martyris Cypriani *ep.55.* sententiæ: *Primus fœlicitatis gradus est, non delinquere; secundus, delicta cognoscere; illic currit innocentia integra, & illibata, quæ servet; hic succedit medela, quæ sanet*, vix *sub die* 12. *Martii* 1699. promulgata ab Apostolica Sede damnatione, & prohibitione libri per ipsū Gallico idiomate impressi sub titulo *Placita Sanctorum explicita* &c. æterna memoria dignas literas Clero suę Diœcesis Sæcularis, & Regularis dedit mandatum continentes tenoris, qui sequitur;

„ Vobis, Fratres Carissimi, nos totos debemus, quippe non jam nostri, sed gregi credito devoti sumus. Servos autem vestros per Jesum. Sic affecti, quæ nos attinet super *libello*, cui titulus, *Placita Sanctorum explicita*, apertis præcordiis hic exponendum esse arbitramur. Tandem *opusculum cum* 23. *Propositionibus* excerptis damnatum est *Brevi Pontificio Martis die* 12. dato, quod jam vulgatum legistis. Cui quidem *Brevi Apostolico* tàm de *libelli* contextu, quam de 23. *Propositionibus* simpliciter, absolutè, & absque ulla restrictionis umbra adhærentes, *libellum cum* 23. *Propositionibus* eadem præcisè forma, iisdemque qualificationibus simpliciter, absolutè, & absque ulla restrictione condemnamus. Insuper & eadem pœna prohibemus, ne quis hujus Diœcesis *libellum*, aut legat, aut domi servet. Cæterùm, Fratres carissimi, quamquàm humilia tur Minister, haud deerit solatium, modo verbi ministerium, quod accepit à Domino ad sanctificationem vestram, non sordescat in illius ore, neque eò minùs Grex apud Deum gratia crescat. Porrò vos omnes ex animo adhortamur ad sinceram submissionem, & intimam docilitatem, ne sensim marcescat illa erga Sedem Apostolicam obedientiæ simplicitas, in qua præstanda, Deo misericorditer adjuvante, ad extremum usque spiritum vobis exemplo erimus. Absit ut unquàm nostri mentio fiat, nisi fortè ut meminerint aliquando fideliorem præbendum duxisse, nullumque obedientiæ limitem fuisse positum. „ Oro Fratres Carissimi, *ut gratia Domini Nostri Jesu Christi, Charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti maneat cum omnibus vobis* Amen. Franciscus Archiep. Dux Cameracensis.

28. Tanti autem Præsulis terere cupiens vestigia, sicuti qualiscumque *Scrutinii* hujus initio ardens, quo flagro, desiderium expressi Sanctissimo Domino Nostro, humillimas pro ejus correctione, ac depuratione dirigens preces, ac Supremæ Inquisitionis Qualificatorum in eumdem finem opem implorans, ita & nunc, ut ultima primis respondeant, tota cordis demissione præventivè rejicio, & improbo quicquid ullo unquàm tempore rejiciendum, ac improbandum fuerit reputatum, hacque mente meam Fidei professionem subdo duabus, quas ad literam extendendas *cap.3. art.7. num.2.* promisi, formulis comprehensam, altera videlicet, quam Pius IV. in sua *Constitutione* Injunctum *Nobis* ad Tridentini calcem impressa, *ad hoc ut unius ejusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque & certa illius forma cunctis innotescat*, servandam præscripsit: *Ego Fr. Joannes Antonius de Panormo Ordinis Minorum de Observantia firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum; Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, Consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines,*

& pro-

& propter nostram salutem descendit de Cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundùm Scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, & iterùm venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor Unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto Resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquàm, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vera, & propriè Sacramenta novæ legis, à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter, corpus, & sanguinem unà cum Anima, & Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter & Sanctos unà cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter assero Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco. Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & OEcumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & immaculatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè Deo adjuvante retinere, & confiteri, atque à meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, & doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem spondeo, voveo, ac juro, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

29. Altera verò, quæ à Gregorio XIII. anno 1575. in sua *Constitutione incipiente Sanctissimus Dominus Noster, la 33. in Bullar. Rom. tom. 2.* edita est pro Græcis, explicatiùs continente nonnulla dogmata, in quibus notum est à catholica ipsos Fide se elongasse; „ Ego firma fide credo, & profiteor „ omnia, & singula, quæ continentur in „ Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ec- „ clesia utitur, videlicet (§.1.) Credo in „ unū Deum Patrem Omnipotentem, &c. „ *ut n. præc.* (§.2.) Credo etiam, suscipio, at- „ que profiteor ea omnia, quæ Sacra OE- „ cumenica Synodus Florentina super „ unione Occidentalis, & Orientalis Ec- „ clesiæ definivit, & declaravit, videlicet, „ quòd Spiritus Sanctus à Patre, & Filio „ æternaliter est; & essentiam suam, suum- „ que esse subsistens habet ex Patre simul, „ & Filio, & ex utroque æternaliter, tan- „ quàm ab uno principio, & unica spira- „ tione procedit. Cùm id, quod Sancti Do- „ ctores, & Patres dicunt, ex Patre per Fi- „ lium procedere Spiritum Sanctum, ad „ hanc intelligentiam tendat; ut per hoc „ significetur Filium quoque esse, secun- „ dùm Græcos quidem, causam, secun- „ dùm Latinos verò, principium subsisten- „ tiæ Spiritus Sancti, sicut & Patrem. Cum- „ que omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater

Uni-

„ Unigenito Filio suo gignendo dederit, „ præter esse Patrem; hoc ipsum, quod „ Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse „ Filius à Patre æternaliter habet, à quo „ æternaliter etiam genitus est. Illamque „ verborum illorum, *Filioque* explicationem, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licitè, ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam(§.3.) „ Item in azymo, sivè fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici. „ Sacerdotesque in altero ipsum Domini „ corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sivè „ Orientalis, sivè Occidentalis consuetudinem (§.4.) Item si verè pœnitentes „ in Dei charitate decesserint, antequàm „ dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis Purgatorii post mortem „ purgari, ut & à pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum „ suffragia, Missarum scilicet sacrificia, „ orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundùm Ecclesiæ instituta. Illorumque animas, qui „ post Baptisma susceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas „ etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem „ exutæ corporibus, prout superiùs dictum „ est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, „ & intueri clarè ipsum Deum Trinum, & „ Unum, sicuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectiùs. Illorum, „ autem animas, qui in actuali mortali „ peccato, vel solo originali decedunt, „ mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. (§.5.) Item Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati „ Petri Principis Apostolorum, & verum „ Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, „ ac Doctorem existere, & ipsi in Beato „ Petro pascendi, regendi, & gubernandi „ universalem Ecclesiam à Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodùm etiam in actis OEcumenicorum Conciliorum, & „ in Sacris Canonibus continetur.(§.6.) Insuper profiteor, ac recipio alia omnia, „ quæ ex decretis Sacræ OEcumenicæ Generalis Synodi Tridentinæ Sacrosancta „ Romana, & Apostolica Ecclesia, etiam „ ultra contenta in supradicto fidei Symbolo, profitenda, ac recipienda proposuit, „ atque præscripsit, ut sequitur.(§.7.) Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector. (§.8.) Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, „ & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est „ judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec „ eam unquàm nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor (§.9.) Profiteor quoque septem esse „ verè, & propriè Sacramenta novæ legis „ à Jesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria, scilicet „ Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; „ illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem „ sine sacrilegio reiterari non posse. (§.10.) „ Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum „ omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio, & admitto. (§.11.) „ Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in Sacrosancta „ Tridentina Synodo definita, & declarata „ fuerunt, amplector, & recipio. (§.12.) „ Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, & proprium, & propitiatorium „ Sacrificium pro vivis, & defunctis, atque „ in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento „ esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem unà cum Anima, & „ Divinitate Domini Nostri Jesu Christi; „ fierique conversionem totius substantiæ „ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem „ Catholica Ecclesia transubstantiationem „ appellat. (§.13.) Fateor etiam sub altera „ tantùm specie totum, atque integrum „ Christum, verumque Sacramentum sumi. (§.14.) Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragii juvari. Similiter & Sanctos „ unà cum Christo regnantes venerandos, „ atque invocandos esse, eosque orationes „ Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. (§.15.) Firmissimè assero imagines Christi, ac Deiparæ „ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, at-

que

„ que eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. (§.16.) Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. (§.17.) Sanctam. Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. (§.18) Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & OEcumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, & schismata, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, anathematizo, & abjuro. (§.19.) Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque à meis Subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. „ Ego idem spondeo, voveo, ac juro: Sic „ me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei „ Evangelia.

30. Sicut autem corrigi, ac emendari summoperè peropto in iis, quæ vel levis repugnantiæ umbram præ se ferunt præfatis Fidei professionibus, sacrisque quibuslibet Canonibus, aut Pontificiis Sanctionibus; Ita et cum Hieronymo *præf. in Esdram, & Neemiam* supplicationem Deo dirigere obstringor: *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Rem difficilem equidem postulo, qua tamen, si justo Omnipotentis judicio dignus effici haud merear, pacato, hilarique animo paratus sum injustas illas sustinere vexationes, à quibus immunes nec fuisse Doctores celeberrimos, quos inter nec quidem tanquàm inter Gigantes Pigmæum me inscribendum agnosco; testati sunt Philippus Abbas (*lib. de silent. Cleric. c.49.*) *Si Doctorum series à Modernis sursùm versùs usque ad Apostolos revolvatur, quorum innumera multitudo, & simul post invicem fuisse memoretur, vix eorum quisquam, (ut æstimo) poterit inveniri, tam fæ'icem statum temporis habuisse, ut veraciter gauderet, se nullum Detractorem, nullum Æmulum pertulisse*; nec non & *Epist.3.* Zosimus Papa: *Etiam magnorum Virorum cum ipsis Authoribus nonnunquàm scripta periclitantur, Interpretantis arbitrio.*



INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

BA-

B

Christi

F

G

GASPAR IVENINUS

GRÆCI

GREGORIUS VII.

H

HABITUS

HÆRESIS

hoc

I

Eerum-

lam

affi-

THEO-

FINIS.



